THEOLOGIA
PATRUM
SCHOLASTICO-DOGMATICA,
TOMUS SEPTIMUS.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

THEOLOGIA PATRUM

SCHOLASTICO-DOGMATICA, SED MAXIME POSITIVA,

AUCTORE R. P.

ANTONIO BOUGAT

BITURICO,

Ordinis Sancti Francisci de Paula Religioso, Provinciæ Franciæ Professo atque Alumno, & veterano apud Parisios in sacra Theologia Professore.

TOMUS SEPTIMUS.

DE SACRAMENTIS PARS TERTIA,

In qua agitur de Institutione, Necessitate, Materia, Forma, Ministro, Effectibus, & Usu quatuor Sacramentorum, scilicet Baptismi, Confirmationis, Eucharistiæ, & Pœnitentiæ.

EDITIO PRIMA VENETA

accuratior & emendatior.

VIRTUTI SIC CEDIT INVIDIA

VENETIIS, MCCXXXVII.

Apud PETRUM BASSALEAM

In Via S. Bartholomæi sub Signo Salamandræ.

SUPERIORUM PERMISSU, ATQUE PRIVILEGIO.

SERIES SECTIONUM,

Punctorum, Paragraphorum, Conclusionum, & Argumentorum, quæ in hoc Septimo Tomo de Sacramentis in particulari, continentur.

TERTIA PARS.

Pro-

Con-

Art.

DISSERTATIO TERTIA.

Con-

Syno-

Pun-

Se-

Syno-

Pro-

DIS-

TERTIA PARS

DE IIS QUÆ SPECTANT

Institutionem , Materiam , Formam , Ministrum , Subjectum , & Effectus Sacramentorum.

ABSOLUTIS iis quę respiciunt existentiam & essentiam cujuslibet Sacramenti in particulari, ordo rerum postulat, ut pro more apud Theologos posito agamus de partibus, Ministris, Subjecto , Effectibus, & ceteris omnibus quæ relationem aliquam vel per modum materiæ & formæ, vel per modum finis habent ad Sacramenta, ut omnibus æqua lance discussis & ponderatis , unusquisque sciat quid sit cum gaudio de fontibus Salvatoris hauriendum. Unde sit

DISSERTATIO PRIMA.

DE BAPTISMO.

DICTUM est supra permultos , & potissimum recentiores Heterodoxos de Baptismatis essentia & necessitate non bene sensisse. Nec defuerunt qui ejusdem Sacramenti modo materiam & formam , modo causalitatem & efficaciam, vel tentaverint, vel etiam irriserint . Contra quos sit quod dicitur Matth: 28. *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.*

Dogmata quæ sacrum spectant regenerationis Lavacrum , variis articulis proponuntur , & explicantur ; ostendendo.

PRIMO: Quænam sint Baptismi nomina?

Secundo: Quænam figuræ?

Tertio: Quænam definitio?

Quarto: A quo institutus sit, & quando?

Quinto: Quando obligavit?

Sexto: Quæ ejus materia?

Septimo: Quæ forma?

Octavo: Num in solo Christi nomine collatus valeat?

Nono: Num Baptismus Joannis idem sit cum Christi Baptismate?

Decimo: Quinam hujus Sacramenti Minister?
Undecimo: Quodnam subjectum?
Duodecimo: Quinam effectus?

ARTICULUS PRIMUS.

De diversis Baptismi nominibus.

BAPTISMUS latissime sumptus variis, multisque nominibus insignitur. Apud Prophanos, lavare, tingere, immergere significat; quandoque in sacris Litteris hoc modo sic accipitur. Legimus enim Marci 7. *Baptismata calicum & urceorum*. Heb. 9. varia Judæorum Baptismata, Judith se baptizasse in fonte aquæ, cap. 12. & Eccli. cap. 34. *Qui baptizatur a mortuo &c.* Lucæ 11. & 1. Corinth. 10. hoc nomen utique invenitur.

Quandoque etiam vox illa Baptismus, designat afflictiones, ut in his Domini verbis Marci 10. *Potestis ... Baptismo quo ego baptizor, baptizari?* Quo sensu interpretantur quidam illud Pauli 1. Corinth. 15. *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis*, id est, qui jejunant, seque affligunt, ut mortuis prosint.

Audiendus est de hoc momento Catechismus Romanus parte 2. de Baptismo n. 3. " Ut igitur, *ait*, quæ docenda „ erunt, dilucide exponantur: quænam „ sit Baptismi natura, & substantia aperiendum est: si prius tamen ipsius vocis „ significatio explicetur. Ac Baptismus „ quidem Græcum esse nomen nemo ignorat: quod etsi in sacris Litteris non „ solum eam ablutionem, quæ cum Sacramento conjuncta est, sed etiam omne ablutionis genus, quod aliquando ad „ passionem translatum est, significat: tamen apud Ecclesiæ Scriptores non quamvis corporis ablutionem declarat, sed „ eam quæ cum Sacramento conjungitur, „ nec sine præscripta verborum forma „ ministratur. Qua quidem significatione „ Apostoli ex Christi Domini instituto „ frequentissime usi sunt. „

Hoc mysterium, ut novæ legis Sacramentum non uno etiam modo usurpatur.

Primo, dicitur Baptismus, juxta illud Mat. 28. *Euntes, docete ... Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Vox illa, *Baptismus*, venit a nomine græco βαπτίζω id est immergo, quia olim dabatur per immersionem pueri in aquam.

Secundo, dicitur Lavacrum per verbum vitæ, juxta illud ad Ephesios 5. *Mundans lavacro aquæ in verbo vitæ.*

Tertio, Sacramentum lucis, seu lux, quia dat fidem, cujus specialis fit in Baptismo professio; hinc & per eum illuminat Christus omnem hominem venientem in hunc mundum; quod autem sit lux, patet ex Apostoli præcedentibus verbis; subdit enim loquendo de effectibus Baptismi, *Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.*

Quarto, Generatio, juxta illud ad Titum 3. *Secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus sancti.* Nec mirum, namque homo spiritualiter nascitur ex Deo per gratiam, juxta illud Joannis 1. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri his qui credunt in nomine ejus; qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.*

Quinto, Sepultura, juxta illud ejusdem Apostoli ad Romanos 6. *Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus, consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* Er de facto homo per Baptismum abrenuntiat Satanæ, & pompis ejus, ut non ipse, sed Christus in illo vivat, juxta illud ejusdem Apostoli Galat. 2. *Vivo autem jam non ego: vivit vero in me Christus.*

Sexto, Unctio; sic enim habetur 1. Pet. 2. de Christianis: *Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis*; per Baptismum enim Dei servitio mancipatur baptizatus, quocirca oleo lætitiæ præ participibus suis, gratiarum scilicet, & donorum supellectili spiritualiter ungitur.

Juvat id totum paucis, per ejusdem Catechismi verba claudere. Ibidem n. 4. ait: " Alia quoque nomina ad eamdem rem „ significandam sancti Patres usurparunt. „ Sacramentum enim fidei appellari, „ quod illud suscipientes, universam „ Chri-

„ Christianæ Religionis fidem profiteantur, divus Augustinus testatur. Alii „ vero, quia fide corda illuminantur, „ quam in Baptismo profitentur, hoc Sacramentum, illuminationem vocarunt. „ Nam & Apostolus ita inquit: *Rememoramini pristinos dies, in quibus illuminati „ magnum certamen sustinuistis passionum*: „ tempus nimirum, quo baptizati erant, „ significans. Chrysostomus præterea in „ oratione, quam ad baptizatos habuit, „ tum expurgationem, quia per Baptismum expurgamus vetus fermentum, „ ut simus nova conspersio: tum Sepulturam, tum plantationem, tum crucem Christi nominat; quarum omnium „ appellationum causam ex Epist. ad Romanos scripta licet colligere. Cur autem D. Dionysius principium sanctissimorum mandatorum vocaverit, perspicuum est: Cum hoc Sacramentum „ veluti janua sit, qua in christianæ vitæ „ societatem ingredimur, atque ab eo divinis præceptis obtemperandi initium „ facimus. „ Nomina explicant rerum naturas; allatis igitur diversis Baptismi nominibus, sequitur ut impræsentiarum agamus de ejusdem natura.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Definitione Baptismi.

APUD Hugonem Lib. 1. de Sacramentis, capit. 2. hæc definitio Baptismi legitur. " Baptismus est aqua abluendis „ criminibus sanctificata. „ Magister in textu, hoc pacto ait: " Baptismus est ablutio corporis exterior facta sub forma „ verborum præscripta. „ Alii dicunt esse Sacramentum in externa corporis ablutione, & legitima verborum enuntiatione juxta Christi institutionem consistens: Alii denique ita exacte definiendum putant, ut sit corporalis ablutio hominis in aqua facta, & verbo significata cum expressa invocatione sanctissimæ Trinitatis, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia.

Baptismus metaphysice sumptus definitur Sacramentum regenerationis spiritualis ex aqua & Spiritu sancto per verbum. Hæc definitio colligitur & ex Scriptura sacra, in qua Baptismus dicitur lavacrum regenerationis, & ex Augustino tractatu 15. in Joannem his verbis: " Quid est Baptismus Christi? Lavacrum aquæ in verbo? „ Ista definitio est bona; nam ut patet, constat genere, & differentia, explicat materiam, formam, & causam principalem, scilicet Spiritum sanctum.

Baptismus physice sumptus definitur a divo Thoma hic q. 66. art. 1. ablutio corporis exterius facta sub præscripta verborum forma. " Dicendum, *inquit*, quod „ in sacramento Baptismi est tria considerare, aliquid scilicet quod est Sacramentum tantum, aliquid autem quod „ est res, & Sacramentum, aliquid vero „ quod est res tantum. Sacramentum tantum, est aliquid visibile exterius existens, quod scilicet est signum interioris effectus. Hoc enim pertinet ad rationem Sacramenti: exterius autem suppositum sensui, est & ipsa aqua, & ejus „ usus qui est ablutio. Quidam ergo existimaverunt, quod ipsa aqua sit Sacramentum, quod quidem sonare videntur „ verba Hugonis de S. Victore... Res autem & sacramentum est character baptismalis, qui est res significata per exteriorem ablutionem, & est signum sacramentale interioris justificationis, „ quæ est res tantum hujus Sacramenti, „ scilicet significata, & non significans. „

Catechismus Rom. ibidem num. 5. de hoc capite sic loquitur: " Quod autem ad rei „ definitionem attinet, etsi multæ ex sacris Scriptoribus afferri possunt, illa „ tamen aptior & commodior esse videtur, quam ex verbis Domini apud Joannem, & Apostoli ad Ephesios licet intelligere. Nam cum Salvator dicat: „ *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu „ sancto, non potest introire in regnum Dei*: „ & Apostolus, cum de Ecclesia loquetur, *Mundans eam lavacro aqua in verbo vitæ*: ita fit, ut recte & apposite definiatur, Baptismum esse Sacramentum „ regenerationis per aquam in verbo. „ Natura enim ex Adam filii iræ nascimur, per Baptismum vero in Christo filii „ misericordiæ renascimur. Siquidem *dedit hominibus potestatem filios Dei fieri, iis, „ qui credunt in nomine ejus, qui non ex „ sanguinibus, neque ex voluntate carnis*,

„ *neque ex voluntate viri*, *sed ex Deo nati* „ *sunt*. „

ARTICULUS TERTIUS.

De Divisione Baptismi.

JUXTA Philosophiæ leges, discussa rei essentia, gradum facimus ad partes Baptismi potentiales.

Baptismus stricte sumptus est unus specie infima, seu unicus, & est de fide. Quod quidem facile probatur. I. Ex Scriptura sacra, Ephes. cap. 4. *Una fides, unum Baptisma*. II. Ex symbolo Nicæno, in quo habetur: *Confiteor unum Baptisma*. III. Ex Concilio Tridentino, quod quidem definit esse septem tantum Sacramenta, inter quæ unicum agnoscit Baptismum, quia Baptisma ut Sacramentum, constat materia & forma, eaque determinata; sed solum Baptisma aquæ sic est: igitur unicum est.

Baptismus adæquate sumptus triplex est, scilicet Fluminis, Flaminis, & Sanguinis. Prior consistit in ablutione mentis & corporis: secundus in amore perfecto Dei, & contritione: tertius in martyrio quo aliquis & suam fidem, & suum erga Deum amorem proprio consignat sanguine.

Solus Baptismus aquæ est Sacramentum, & stricte Baptismus; alii duo vel ipsius Baptismi vota sunt. Martyrium supereminet Baptismo flaminis, quippe quod sit realis cum Christo patiente configuratio. De Baptismo fluminis habetur Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c.* De secundo Matth. 3. *Ipse vos baptizabit in spiritu sancto & igni*. De tertio Joann. 15. *Majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis*.

Sancti Patres de hujusmodi Baptismatibus mentionem faciunt, in primis Augustinus Lib. 4. contra Donatistas quæst. 22. divus Bernardus Epist. 77. & Innocentius III. quæst. *Debitum*, titulo *de Baptismo*. Ergo &c. D. Bernardus Tractat. *de præcepto & dispensatione*, quæst. 103. professionem religiosam etiam vocat baptismum, propter analogiam quam habet cum Baptismo, quandoquidem per eam homo abrenuntiat perfecte & sæculo, & Satanæ pompis, dicens cum Apostolo ad Galat. 6. *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo*.

S. Thomas hic quæst. 66. artic. 11. hanc Baptismi divisionem sic probat in argum. *Sed contra*. " Hebræorum 6. Baptismatum „ doctrinæ, inquit Glossa, Pluraliter di„ cit, *intellige Apostolus*, quia est baptismus „ aquæ, pœnitentiæ & sanguinis. „ Ratio sancti Doctoris sic deducitur. Totuplex est Baptisma, quotuplex est remedium peccati originalis. Atqui illud est triplex. Ergo &c. Probatur minor: Justificatio regenerativa, quæ est configuratio cum Christo, a tribus causari potest; I. quidem a baptismo aquæ, juxta illud Augustini: " Quænam est tanta virtus a„ quæ, ut corpus tangat, & cor ab„ luat. „ II. Per motionem Spiritus sancti impellentis cor ad credendum & amandum, juxta illud Isaiæ 4. *Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion, & sanguinem Jerusalem laverit de medio ejus, in spiritu judicii, & spiritu ardoris, &c.* III. Per naturalem Christi imitationem, patiendo in suo corpore, juxta illud Apocalypseos 7. *Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, & laverunt stolas suas, & dealbaverunt eas in sanguine Agni*. Ergo &c. Non abs re erit hic texere Divi Thomæ verba: „ Dicendum quod, sicut supra „ dictum est, Baptismus aquæ efficaciam „ habet a passione Christi, cui aliquis „ configuratur per Baptismum: & ulte„ rius sicut a prima causa, a Spiritu san„ cto, licet autem effectus dependeat a „ prima causa, causa tamen superexce„ dit effectum, nec dependet ab effectu: „ & ideo præter Baptismum aquæ, pot„ est aliquis consequi Sacramenti effectum „ ex passione Christi, in quantum quis „ ei conformatur, pro Christo patien„ do; unde dicitur Apocalyps. 7. Hi sunt „ qui venerunt ex magna tribulatione, „ & laverunt stolas suas, & dealbave„ runt eas in sanguine Agni. Eadem et„ iam ratione aliquis per virtutem Spi„ ritus sancti consequitur effectum Bapti„ smi, non solum sine baptismo aquæ, „ sed etiam sine baptismo sanguinis: in „ quantum scilicet alicujus cor per Spi„ ritum sanctum movetur ad credendum „ & di-

„ & diligendum Deum, & pœnitendum de peccatis; unde etiam dicitur baptismus pœnitentiæ: & de hoc dicitur Isaiæ 4. Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion, & sanguinem Jerusalem laverit de medio ejus, in spiritu judicii & spiritu ardoris. Sic igitur utrumque aliorum baptismatum nominatur Baptismus, in quantum supplet vicem Baptismi aquæ: unde dicit Augustinus in 4. Lib. de unico baptismo parvulorum: Baptismi vicem aliquando implere passionem, de latrone illo, cui non baptizato dictum est: Hodie mecum eris in paradiso. Beatus Cyprianus non leve documentum assumit, quod etiam atque etiam considerans, invenio non tantum passionem pro nomine Christi, id quod Baptismo deerat posse supplere, sed etiam fidem confessionemque cordis, si forte ad celebrandum mysterium Baptismi in angustiis temporum succurri non potest. „

ARTICULUS QUARTUS.

De figuris Baptismi.

PRIMA figura Baptismi est fons qui irrigabat superficiem paradisi terrestris, in quo erat arbor vitæ; & de facto aquæ sacræ Baptismi irrigant superficiem animæ, quæ est cœlum cœli Domino; & teste S. Joanne, saliunt in vitam æternam, claudendo inferos, & aperiendo cœlos peccatoribus.

Secunda, Sunt quatuor flumina ejusdem paradisi, quæ ab illo fonte promanantes, irrigabant & terras extraneas; a gratia enim Baptismatis aliæ emanant quæ irrigant totum hominem, ut sint in refrigerium contra ignem infernalem passionum, & animas fecundent ad bonum.

Tertia, Est aqua diluvii; sicut enim, inquiunt Patres, quo plus erant aquæ, eo magis arca elevabatur versus cœlum, ita & aqua baptismalis elevando hominem a terra, salvat ducendo in cœlum.

Quarta, Sunt duodecim fontes aquarum, quos Moyses in deserto inveuit, ut unusquisque pro siti sua hauriret in gaudio de illis; nam ex gratia baptismali scaturiunt duodecim Spiritus sancti fructus, veluti tot fontes, ut justitiæ & beatitudinis sitim expleant.

Quinta, Sunt aquæ ejusdem deserti ex amaris dulces factæ per contemptibile lignum, ad sitim adhuc explendam populi Israel; aquæ enim peccati & voluptatum sunt amaræ, sed aqua per lignum crucis sanctificata dulcis est super mel & favum, & vere satiat animam, juxta illud Augustini: Fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te. Hinc Christus Joan. 4. ad Samaritanam mulierem dicebat: *Qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum: qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.*

Sexta, Est aqua e rupe percussa per Moysen in deserto; petra autem erat Christus, inquit Apostolus 1. Cor. 10. & percussa illa petra, fluxerunt torrentes aquarum viventium per Baptismum, qui, teste Ambrosio, specialiter fluxit e Christi latere.

Septima, Est aqua Jordanis, quæ sola habuit virtutem mundare lepram Naaman: sola quippe aqua baptismalis potest nos mundare a lepra pessima peccati originalis. Hanc commemorat Catechismus Roman. p. 2. n. 44. pag. 150. his verbis: " Quod si cui expressam hujus rei „ figuram & imaginem libet intueri, „ proponat sibi ad contemplandam Naaman Syrii leprosi historiam, qui cum „ septies Jordanis aqua se abluisset, teste Scriptura, ita a lepra mundatus „ est, ut ejus caro, caro pueri videretur. „ Quare Baptismi proprius effectus est „ peccatorum omnium, sive originis vitio, sive nostra culpa contracta sint, „ remissio. Cujus rei causa a Domino & „ Salvatore nostro institutum esse clarissimis verbis Apostolorum Princeps, ut „ alia testimonia omittamus, explicavit, „ cum inquit: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum.* „

Octava, Est aqua piscinæ probaticæ; mota enim per magni Consilii Angelum, Christum scilicet; *hic enim est*, ait Joannes c. 1. *qui baptizat in Spiritu sancto*: mundat omnem quem tangit, a quacumque detineatur infirmitate per peccatum originale.

Nona denique est aqua quam vidit Propheta egredientem de templo a latere dextro, scilicet a Christo, qui sedet a dextris Dei, quandoquidem omnes ad quos pervenit aqua ista, salvantur & sanctificantur.

ARTICULUS QUINTUS.

De institutione Baptismi.

DUo potissimum hic discutere solent Theologi, alterum de institutione, alterum vero de tempore, quo lex Baptismi suscipiendi obligare cœpit: pro quorum resolutione sit

CONCLUSIO PRIMA.

Baptismus institutus est a Christo, cum a Joanne baptizatus est in Jordane.

Probatur multipliciter.

PRIMO ex Scriptura sacra. Joan. 3. habetur: *Venit Jesus & Discipuli ejus in terram Judæam, & illic demorabatur cum eis, & baptizabat*: intellige per Discipulos suos; namque sequenti capite 4. habetur: *Quanquam Jesus non baptizaret*: sed hæc dicit Joannes de Christo, dum prædicabat ante passionem suam Ergo relinquitur quod instituerit Baptismum, dum baptizatus est in Jordane; Discipuli vero Joannis Baptistæ obmurmurabant quod Apostoli baptizarent, adeoque baptismo Christi, & non baptismo Joannis; alias nihil strepitus propter baptismum a Christi Discipulis collatum contigisset.

Secundo ex sanctis Patribus. Ambrosius Lib. 2. in Lucam capite ultimo sic loquitur: " Baptizatus est ergo Dominus, „ non mundari volens, sed mundare „ aquas, ut ablutæ per carnem Christi, „ quæ peccatum non cognovit, baptismatis jus haberent. „ Augustinus Serm. 1. infra Octavam Epiphaniæ, qui est 36. de tempore, sic habet: " Salvator autem ideo baptizari voluit, non ut sibi munditiam acquireret, sed ut nobis fluenta Jordanis mundaret. „ Ergo &c.

Tertio ex Catechismo Romano 2. part. de Baptismo n. 20." His expositis, conveniet præterea docere, atque in memoriam fidelium reducere, Baptismum, „ quemadmodum & reliqua Sacramenta, „ a Christo Domino institutum esse. „ Hoc igitur Pastores frequenter docebunt, explicabuntque duo diversa tempora Baptismi notanda esse; alterum „ cum Salvator eum instituit; alterum „ cum lex de eo suscipiendo sancita est. „ Ac quod ad primum attinet, tunc a „ Domino hoc Sacramentum institutum „ esse perspicitur, cum ipse a Joanne „ baptizatus sanctificandi virtutem aquæ „ tribuit. Testantur enim sancti Gregorius Nazianzenus, & Augustinus eo „ tempore aquæ vim generandi in spiritualem scilicet vitam, datam esse; & „ alio loco ita scriptum reliquit: Ex quo „ Christus in aqua mergitur, ex eo omnia peccata abluit aqua; & alibi: Baptizatur Dominus, non mundari indigens, sed tactu mundæ carnis aquas „ mundans, ut vim abluendi habeant. „ Atque ad eam rem illud maximo argumento esse potuit, quod tunc sanctissima Trinitas, in cujus nomine Baptismus conficitur, numen suum præsens declaravit. Vox enim Patris audita est; Filii persona aderat; & Spiritus sanctus in columbæ specie descendit; præterea cœli aperti sunt, quo nobis jam per Baptismum licet ascendere. „

Rursus ibidem. " Quod si quis scire „ cupiat quanam ratione tanta, & tam „ divina virtus a Domino aquis tributa „ sit, id quidem humanam intelligentiam „ superat: hoc vero satis percipi a nobis potest, Baptismo a Domino suscepto, sanctissimi & purissimi ejus corporis tactu aquam ad Baptismi salutarem usum consecratam esse; ita tamen „ ut hoc Sacramentum etsi ante passionem institutum fuerit, a passione tamen, quæ omnium Christi actionum „ tamquam finis erat, vim & efficientiam „ duxisse credendum sit. „

Quarto ex Divo Thoma, qui hic q. 66. art. 2. hac ratione probat conclusionem. Tunc sacramentum Baptismi institutum est, quando accepit virtutem con-

conferendi gratiam; sed ex Patribus citatis, quando Christus lotus est in Jordane, aquæ acceperunt virtutem regenerandi. Ergo &c. Hæc sunt verba S. Doctoris: " Sacramenta ex sui institutione „ habent quod conferant gratiam; unde „ tunc videtur aliquod Sacramentum in„ stitui, quando accipit virtutem produ„ cendi suum effectum. Hanc autem vir„ tutem accepit Baptismus, quando Chri„ stus est baptizatus; unde tunc vere Ba„ ptismus institutus fuit quantum ad i„ psum Sacramentum. „

Confirmatur: Tunc determinata est materia, scilicet aqua, tunc forma, quæ est invocatio sanctissimæ Trinitatis; Pater enim auditus est loquens: *Hic est Filius meus dilectus:* Filius qui baptizatus est, & Spiritus sanctus qui super ipsum descendit in forma columbæ. Ergo &c.

Ennodius Episcopus Antiochenus in Epistola sua, cui titulus *Lumen*, apud Nicephorum Lib. 2. c. 3. dicit: " Christus ma„ nibus suis Petrum tantummodo baptiza„ vit: Petrus vero Andream & filios Ze„ bedæi. „ S. Augustinus Tract. 15. & 16. in Joan. explicans illa verba Christi: *Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet:* ait Christum ideo hæc ad Petrum direxisse verba, quia Petrus jam lotus erat per Baptismum susceptum; omnes enim Discipuli, quando sacram synaxim acceperunt, erant baptizati, & ab omni peccato per Baptismum mundi, excepto proditore, qui posuerat Eucharistiæ, vel etiam Baptismo obicem. Ergo &c.

S. Vincentius Ferrerius sermone in feria sexta post Dominicam in Passione dicit, Beatissimam Virginem, & sanctum Joannem Baptistam baptizatos fuisse a Christo. Igitur Baptismus institutus est a Christo &c.

CONCLUSIO SECUNDA.

Lex suscipiendi Baptismum vim habuit solum post Pentecosten.

Probatur rationibus Theologicis.

PRIMA: Tunc lex nova solum obligavit, quando legalia cessaverunt. Atqui non nisi post Pentecosten ita finita sunt, ut mortifera evaderent. Ergo &c. Major patet, cum Matth. 11. habeatur: *Propheta & lex usque ad Joannem*. Ipse Christus in cruce pendens dixit, *Consummatum est:* hoc est, lex vetus adimpleta & finita manet. Jam probatur minor: Apostoli non semel quidem post Christi resurrectionem, etiam in gratia per Spiritus sancti descensum confirmati, legalia observaverunt. Nam Galat. 4. habetur Cepham judaizasse, Paulum, ut Judæis ad fidem conversis placeret, se purificasse in templo, & Timotheum circumcidisse; sed non legitur eos legem Mosaicam post Pentecosten propugnasse: sed potius per omnem terram dispersos absque mora prædicasse Evangelium, & baptizasse Gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Ergo &c.

Secunda: Baptismus virtutem regenerandi habuit solum post passionem. Igitur solum post Pentecosten obligavit, quandoquidem Synagoga erat cum honore sepelienda, adeoque non statim mortuo Christo, sed gradatim elapsis quinquaginta diebus, vim obtinuit lex Evangelica. Tunc enim variis argumentis de resurrectione Christi certiores facti Apostoli, & per Spiritus sancti elapsum in fide confirmati, ad legem Christi prædicandam & propugnandam expediti apparuere.

Has rationes exponit D. Thomas hic q. 66. art. 2. Primo in argumento *Sed contra*, his verbis: " Ex quo Christus aquis im„ mergitur, ex eo omnium peccata ab„ luit aqua. Sed hoc fuit ante Christi „ passionem. Ergo videtur quod Bapti„ smus ante Christi passionem fuerit in„ stitutus. „ Tum in corpore articuli, ubi sic loquitur: " Necessitas utendi hoc „ Sacramento indicta fuit hominibus post „ passionem & resurrectionem, tum quia „ in passione Christi terminata sunt figu„ ralia sacramenta, quibus succedit Ba„ ptismus, & alia Sacramenta novæ le„ gis: tum etiam quia per Baptismum „ configuratur homo passioni & resurre„ ctioni Christi, in quantum moritur pec„ cato, & incipit novam justitiæ viam. „ Et ideo oportuit Christum prius pati „ & resurgere, quam hominibus indice„ retur necessitas se configurandi morti „ & resurrectioni ejus. „

Tertia ratio est: Lex non obligat nisi promulgetur, ut docet Div. Thomas 1.

A 4 2. q. 90.

2. q. 90. artic. 4. Sed Apostoli solum post resurrectionem missionem prædicandi Evangelium & baptizandi acceperunt, juxta illud Matth. 28. *Euntes, docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti:* & executioni mandarunt post Pentecosten, juxta istud aliud Christi oraculum & mandatum Act. 1. *Convescens, præcepit eis ab Jerosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris, quam audistis, inquit, per os meum: quia Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies. Igitur qui convenerant interrogabant eum dicentes: Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel? Dixit autem eis: Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate; sed accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos, & eritis mihi testes in Jerusalem, & in omni Judæa, & Samaria, & usque ad ultimum terræ.*

Solvuntur Objectiones.

Objicies contra primam conclusionem: Baptismus ex Augustino fluxit e latere Christi. Igitur post passionem institutus est. Confirmatur: Sanctus Leo Epist. 4. ad Episcopos Siciliæ cap. 3. sic loquitur: " Christus posteaquam resurrexit „ a mortuis, Discipulis suis in quibus „ omnes Ecclesiarum Præsules docebantur, & formam & potestatem traddidit „ baptizandi, dicens: Euntes ergo tunc „ docete omnes Gentes, baptizantes eos „ &c. „

Respondeo distinguendo: Baptismus fluxit e latere Christi quoad meritum prævisum, concedo: quoad institutionem, nego. Passio Christi prævisa, & quasi præsens, dedit Baptismo efficaciam, sed non institutionem. Et vero Eucharistia fluxit etiam e latere Christi, teste Ambrosio, & tamen ante Passionem instituta est, immo habuit efficaciam, & produxit gratiam in Discipulis eam digne suscipientibus in cœna Domini.

Ad confirmationem distinguo: Post resurrectionem institutus est Baptismus in actu secundo, & quoad missionem pro omnibus Gentibus, concedo: in actu primo, & exemplariter, nego. Aliquid potest institui dupliciter, scilicet in actu primo, & exhibendo exempla; deinde in actu secundo per materiam & verba determinata in individuo; priori modo institutus est Baptismus ante resurrectionem in baptismate Christi, ubi & aqua fuit, & forma, expressio nimirum sanctissimæ Trinitatis. Posteriori modo & publice solum post resurrectionem; dico *publice*; nam probabile est Christum, postquam baptizavit Petrum, illum secreto & in particulari docuisse quomodo Baptisma conferendum esset, ut postea tamquam suus Vicarius ceteros Apostolos & Discipulos baptizaret.

Instabis: Baptismus est effectus passionis Christi. Igitur solum post ejus passionem institutus est.

Respondeo distinguendo: Baptismus est effectus passionis Christi prævisæ, concedo: passionis peractæ, subdistinguo; Quoad plenam efficaciam, concedo: quoad institutionem, nego. Passio prævisa influebat in Baptismum, ut passio inchoata; nam Christus ab exordio nativitatis pati cœpit pro nobis, tum in circumcisione, tum in præsentatione facta in Templo, ubi oblatus est &c. passione vero consummata, consummavit & Sacramentorum efficaciam. Institutio spectat auctoritatem Legislatoris, & non præcise illius meritum. Igitur Christus potuit instituere, & de facto instituit Baptismum ante passionem.

Insistes: Baptismus constat rebus & verbis; sed non fuerunt verba dum Christus baptizatus est. Quid plura? vel ipse tunc personam gerebat pœnitentis, & non Domini ac Legislatoris. Ergo &c.

Respondeo primo, negando antecedens; vox enim Patris intonuit dicens, *Hic est Filius meus dilectus*; adeoque expressio fuit sanctissimæ Trinitatis.

Respondeo secundo distinguendo: Non fuerunt verba formalia, concedo: virtualia, & per effectum, nego. Factum autem fortius quam verba loquitur; & certe artifex melius exprimit ædificium faciendum & instituendum per exhibitionem ideæ & exemplaris, quam per verba; Trinitas autem sancta tota apparuit in Baptismate Christi, & quidem in gratiis & in portentis; cœli enim aperti sunt; unde Baptismus designatus est & secun-

secundum se, & secundum omnem effectum.

Respondeo ad confirmationem distinguendo: Christus gerebat personam pœnitentis pro nobis, concedo: pro se, nego. Dicamus potius quod gerebat personam Mediatoris, & Pastoris, & Medici.

Replicabis: Baptismus institutus est quando cœli aperti sunt pro nobis, & quando Spiritus sanctus datus est, seu postquam datus est & descendit; sed ista omnia facta sunt solum post passionem, resurrectionem, & Pentecosten. Ergo &c.

Respondeo distinguendo: Quando cœli aperti sunt super Christum, & Spiritus sanctus descendit super eum, concedo: quando aperti sunt pro nobis, & Spiritus sanctus datus est pro universa Ecclesia quoad plenitudinem, nego. Hoc solum contigit in die Pentecostes, quo tempore jam erat Baptismus institutus.

Opponet contra secundam conclusionem: Christus Joan. 3. dixit Nicodemo: *Nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei*. Igitur Baptismus obligabat ante Pentecosten. Confirmatur; tunc incepit Baptismus obligare, quando cessaverunt legalia. Sed in morte Christi cessaverunt, juxta illud Joan. 19. de Christo antequam emitteret Spiritum, *Consummatum est*. Ergo &c.

Respondeo distinguendo: Et Christus loquebatur pro futuro, concedo: cum enim Baptismus jam esset institutus, & paulo post obligare deberet, Christus locutus est quasi si jam in præsenti obligasset. Et loquitur pro præsenti tempore, subdistinguo: Quoad aliquid & ad melius, concedo: absolute, nego. Si enim justus inter Judæos mortuus est intra tempus passionis & prolationis istorum verborum, salvus fuit; licet enim lex promulgata fuerit a Christo Nicodemo in particulari, non tamen illum obligabat nisi pro futuro; & dato quod eum ligasset, eo quod illi intimata fuerat, non tamen omnes de quibus quæstio movetur.

Respondeo ad confirmationem distinguendo: Cessaverunt legalia quoad obligationem & necessitatem, quia veniente veritate, cessat figura, concedo: absolute, ita ut essent mortifera, nego. Immo Apostoli etiam post Pentecosten, ut Synagogam cum honore sepelirent, aliquando legalia nonnihil observare permiserunt; hoc ipsum patet ex eo quod Apostoli in Concilio adunati præceperint Gentilibus, ut abstinerent a sanguine & suffocato, quia Judæi propter præceptum legis hæc abhorrebant; & hoc ad indulgentiam, ne viderentur legem pessumdare.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Baptismus institutus est, cum Christus baptizatus est in Jordane, non tamen nisi post Pentecosten obligavit.

PRIMUM patet I. juxta illud Joan. 3. *Venit Jesus & Discipuli ejus in terram Judæam, & illic demorabatur cum eis, & baptizabat*. II. Patres passim docent Christum voluisse in Jordane baptizari, ut sanctificaret aquas. Ita S. Ambrosius Lib. 2. in Lucam cap. ult. Augustinus Serm. 36. de tempore, & alii. III. Quia ibi aderant omnia; nam præter aquam, minister qui baptizaret fuit, scilicet S. Joannes Baptista; forma non defuit, cum ibi tota apparuerit sanctissima Trinitas; Pater quidem, cujus vox sic intonuit: *Hic est Filius meus dilectus*; Filius vero, cum ipse susciperet baptismum; Spiritus sanctus, qui & sub specie columbæ requievit super Christum.

Secundum non minus evidens est. I. Lex non obligat nisi promulgata; porro testantur sacræ Scripturæ Apostolos solum post Pentecosten ad prædicandum Evangelium fuisse dispersos. II. Legalia post Pentecosten non nihil solum perseverasse, cum Cephas se purificaverit, & Paulus Timotheum suum Discipulum circumciderit. III. Demum, quia Baptismus & alia Sacramenta virtutem a passione Christi adimpleta acceperunt. Igitur ante eam lex Baptismi neminem ligabat.

SYNOPSIS OBJECTIONUM ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Ex hoc quod Baptismus suam hauriat a passione virtutem, & solummodo post resurrectionem habuerit formam determinatam; sequitur tantum quod executioni mandatus sit solum post resurrectio-

rectionem, si excipias Beatissimam Virginem, & sanctum Petrum, quos Christus vel ante ipsam passionem baptizavit.

Secundo; Esto quod non fuerint verba formalia, quando Christus baptizatus est in Jordane, erant tamen virtualia; id enim sonat præsentia trium personarum divinarum, quæ ibi apparuerunt.

Tertio: Tametsi Christus ante passionem dixerit Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*: Baptismi tamen lex solum post Pentecostep obligavit. Non negamus tamen ad majorem perfectionem quosdam tempus illud antevertere voluisse; in primis Scriptores sacri hoc referunt & de sanctissima Virgine, & de sancto Petro.

ARTICULUS SEXTUS,

De materia Baptismi.

Duo sunt sicut distinguenda, sic & consideranda, scilicet materia, deinde vero modus applicandi materiam. Unde sit

SECTIO PRIMA.

Utrum materia Baptismi remota sit aqua naturalis, proxima vero ablutio?

CONCLUSIO PRIMA.

Materia remota Baptismi est aqua naturalis.

Probatur multis argumentis.

Primo ex veteri Testamento, nempe ex omnibus figuris supra allatis, quibus duæ aliæ accedunt: scilicet motus Spiritus sancti super aquas, juxta illud Genes. 1. *Spiritus Domini ferebatur super aquas*: & transitus maris rubri Exod. qui fuit, teste Apostolo 1. Cor. 1. figura liberationis a peccato per sacrum scilicet Baptismi sacramentum. Addas velim adhuc fontem patentem domui David, paratum in ablutionem peccatoris; sic enim Zacharias vidit in spiritu, & legitur c. 13. denique Isaiæ 55. habetur: *Omnes sitientes venite ad aquas*. Ergo &c.

Secundo ex novo Testamento. Matt. 28. habetur: *Euntes docete omnes Gentes, baptizantes eos*. Joan. 3. Christus Nicodemo dixit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*. Actuum 8. legitur quod Philippus baptizaverit Eunuchum Reginæ Candacis aqua elementari, quam in via, ubi incedebat, invenit, Ergo &c.

Tertio ex Conciliis: Floreutinum in Decreto unionis declarat aquam veram & naturalem esse Baptismi materiam, & hoc de fide definivit. Tridentinum Sess. 7. can. 2. his verbis: *Si quis dixerit aquam veram & naturalem non esse de necessitate Baptismi, atque ideo verba illa Domini nostri Jesu Christi: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, ad metaphoram aliquam detorserit; Anathema sit*. Ergo &c.

Quarto ex Traditione; sic enim docent Gregorius Nazianzenus, Basilius, Tertullianus; in primis Cyprianus Lib. 3. ad Quiriuum cap. 25. Ambrosius Lib. 9. de Spiritu sancto c. 11. Augustinus Lib. 2. de Baptismo c. 27. Innocentius III. Nicolaus I. & alii summi Pontifices interrogati de materia Baptismi, ut habetur in Decretalibus. Ergo &c.

Quinto ex Catechismo Romano p. 2. n. 9. "Verum idem quoque a Domino „ tum figuris, tum Prophetarum oracu„ lis significatum esse, ex divinis Scri„ pturis animadvertimus. Diluvium enim, „ quo mundus purgatus est, quod mul„ ta malitia hominum esset in terra, & „ cuncta cogitatio cordis intenta esset „ ad malum, hujus aquæ figuram & si„ militudinem gessisse, Apostolorum Prin„ ceps in priori Epistola ostendit. Et „ maris rubri transitum ejusdem aquæ „ significationem habuisse, D. Paulus ad „ Corinthios scribens exposuit: ut inte„ rim omittamus tum Naaman Syri ab„ lutionem, tum probaticæ piscinæ ad„ mirabilem vim, & alia id genus mul„ ta, in quibus hujus mysterii symbolum „ inesse facile apparet. „

Pergit ibidem. "De prædictionibus au„ tem dubitare nemo potest, quin aquæ il„ læ, ad quas tam liberaliter Isaias Propheta

omnes

„ omnes sitientes invitat, vel quasi tem„ plo egredientes Ezechiel in Spiritu vi„ dit; tum præterea fons ille quem do„ mui David habitantibus Jerusalem pa„ ratum in ablutionem peccatoris, & „ menstruatæ Zacharias prænunciavit, „ ad salutarem Baptismi aquam indi„ candam atque exprimendam perti„ neant. „

Rursus n. 10. " Quantum vero Bapti„ smi naturæ & virtuti consentaneum „ fuerit, ut ejus propria materia aqua „ institueretur, pluribus quidem rationi„ bus D. Hieronymus ad Oceanum scri„ bens demonstravit. Sed quod ad hunc „ locum attinet, Pastores docere in pri„ mis poterunt, quoniam hoc Sacramen„ tum omnibus sine ulla exceptione ad „ consequendam vitam necessarium erat, „ idcirco aquæ materiam, quæ num„ quam non præsto est, atque ab omni„ bus facile parari potest, maxime ido„ neam fuisse. Deinde aqua effectum „ Baptismi maxime significat; ut enim „ aqua sordes abluit, ita etiam Baptismi „ vim atque efficientiam, quo peccato„ rum maculæ eluuntur, optime demon„ strat. Accedit illud, quod quemad„ modum aqua refrigerandis corporibus „ aptissima est, sic Baptismo cupiditatum „ ardor magna ex parte restinguitur. „

Sexto, ex Divo Thoma, qui q. 66. art. 3. & 4. docet conclusionem ex professo triplici ratione. I. Quia gratia Baptismi est regeneratio, quæ quidem optime designatur per lotionem externam. II. Quia effectus est diminutio concupiscentiæ, & refrigerium passionum, qui optime significatur per aquam quæ refrigerat. III. Quia denique Baptismus est simpliciter necessarius pro omnibus ad salutem, unde materia debet esse aqua communis, adeoque simplex & naturalis. Sic loquitur art. 3. " Dicendum „ quod ex institutione divina aqua est „ propria materia Baptismi, & hoc con„ venienter. Primo quidem quantum ad „ ipsam rationem Baptismi, qui est re„ generatio in spiritualem vitam; quod „ maxime congruit aquæ: unde & se„ mina ex quibus generantur omnia vi„ ventia, scilicet plantæ & animalia, „ humida sunt, & ad aquam pertinent; „ propter quod quidam Philosophi po„ suerunt aquam omnium rerum princi„ pium. Secundo quantum ad effectus „ Baptismi, quibus competunt aquæ pro„ prietates, quæ sua humiditate lavat: „ ex quo conveniens est ad significan„ dam & causandam ablutionem pecca„ torum. Sua frigiditate temperat su„ perfluitatem caloris, & ex hoc com„ petit ad mitigandam concupiscentiam „ fomitis. Sua diaphaneitate est luminis „ susceptiva; unde competit Baptismo, „ in quantum est fidei Sacramentum. „ Tertio, quia convenit ad repræsen„ tandum mysteria Christi quibus justifi„ camur; ut enim dicit Chrysostomus „ super illud Joan. 3. *Nisi quis renatus* „ *fuerit &c.* sicut in quodam sepulchro, „ in aqua submergentibus nobis capita, „ vetus homo sepelitur, & submersus „ dorsum occultatur, & deinde novus „ rursus ascendit. Quarto, quia ratione „ suæ communitatis & abundantiæ est „ conveniens materia necessitati hujus „ Sacramenti; potest enim ubique de fa„ cili haberi. „

Quod autem aqua debeat esse & naturalis & simplex, ibidem probat sanctus Doctor artic. 4. Primo quidem in argumento *Sed contra*, his verbis: " Propria „ materia Baptismi est aqua, ut dictum „ est. Sed speciem aquæ non habet nisi „ aqua simplex, Ergo aqua pura & sim„ plex de necessitate requiritur ad Ba„ ptismum. „

Tum in corpore articuli sic ratiocinatur: " Dicendum quod aqua suam pu„ ritatem & simplicitatem potest amit„ tere dupliciter; uno modo per mixtio„ nem alterius corporis: alio modo per „ alterationem; utrumque eorum con„ tingit fieri dupliciter, scilicet per ar„ tem, & per naturam; ars autem de„ ficit ab operatione naturæ, quia na„ tura dat formam substantialem, quod „ ars facere non potest. Sed omnes for„ mæ artificiales sunt accidentales, nisi „ forte apponendo proprium agens ad „ propriam materiam, sicut ignem com„ bustibili: per quem modum a quibus„ dam quædam animalia per putrefa„ ctionem generantur. Quæcumque igitur „ transmutatio circa aquam facta est per „ artem, sive commiscendo, sive alte„ rando, non transmutatur species aquæ:

„ unde

„ unde in tali aqua potest fieri Baptismus,
„ nisi forte aqua admisceatur per artem
„ in tam parva quantitate alicui corpo-
„ ri, quod compositum magis sit aliud
„ quam aqua: sicut lutum magis est ter-
„ ra quam aqua, & vinum lymphatum
„ magis est vinum quam aqua. Sed trans-
„ mutatio quæ fit a natura, quandoque
„ quidem speciem aquæ solvit, & hoc fit
„ quando aqua efficitur per naturam de
„ substantia alicujus corporis mixti: sicut
„ aqua conversa in liquorem uvæ, est
„ vinum, unde non habet speciem aquæ.
„ Aliquando autem fit per naturam trans-
„ mutatio aquæ sine solutione speciei,
„ & hoc tam per alterationem, (sicut
„ patet de aqua calefacta a sole,) quam
„ etiam per mixtionem, sicut patet de
„ aqua fluminis turbida ex permixtione
„ terrestrium partium. Sic ergo dicen-
„ dum est, quod in qualibet aqua quali-
„ tercumque transmutata, dummodo non
„ solvatur species aquæ, potest fieri Ba-
„ ptismus: si vero solvatur species aquæ,
„ non potest fieri Baptismus. „

Huic materiæ accedit Chrismatio. Ita Catechismus Romanus ibidem numer. 11.
" Illud vero animadvertendum est, quam-
„ vis aqua simplex, quæ nihil aliud ad-
„ mixtum habet, materia apta sit ad hoc
„ Sacramentum conficiendum, quoties
„ scilicet Baptismi ministrandi necessitas
„ incidat, tamen ex Apostolorum Tradi-
„ tione semper in Catholica Ecclesia ob-
„ servatum esse, ut, cum solemnibus cæ-
„ remoniis Baptismus conficitur, sacrum
„ etiam Chrisma addatur, quo Baptismi
„ effectum magis declarari perspicuum est.
„ Docendus quoque erit populus, & si
„ aliquando incertum esse potest, utrum
„ hæc an illa vera aqua sit, qualem Sa-
„ cramenti perfectio requirat, hoc tamen
„ pro certo habendum esse, numquam ex
„ alia materia, quam ex aquæ naturalis
„ liquore, Baptismi Sacramentum ulla
„ ratione confici posse. „

Arcudius Lib. 1. de Sacrament. art. 7. sic loquitur de materia Baptismi apud Græcos: " Materia hujus Sacramenti est a-
„ qua naturalis, quam Græci calefa-
„ ciunt. Unde Concilium Florentinum in
„ decreto Armenorum nec refert frigida
„ sit, an calida. Est ergo vera, & natu-
„ ralis, non tamen simplex, sed benedicta,
„ quam Sacerdos Græcus cum vult bapti-
„ zare unum, aut plures, eodem tempore
„ benedicit, & deinde in locum honestum
„ abjicit..... Hanc vero benedictionem
„ aquæ Dionysius Areop. c. de Eccles.
„ Hier. commemorat his verbis: ipse
„ Pontifex ad matrem adoptionis acce-
„ dit, quam nimirum Græci vocant
„ *κολυμβήθραν*, lavacrum, seu natato-
„ riam, hoc est, fontem Baptismatis, ejus-
„ que aquam sacris invocationibus con-
„ secrans, & eam trina unguenti vim
„ maximam habentis purificandi per mo-
„ dum crucis effusione perficiens, & quæ
„ sequuntur. Non haberi autem bene-
„ dictionem de essentia Sacramenti cla-
„ rum est, cum constet eos in necessita-
„ te aqua simplici uti, ratumque habere
„ Baptismum. „

CONCLUSIO SECUNDA.

Ablutio est materia proxima.

Probatur ex auctoritatibus mox allatis, deinde isto ratiocinio. Materia proxima est usus, & applicatio materiæ; sed usus aquæ in Baptismo fit per ablutionem & lotionem. Sic docet ex professo D. Thomas hic q. 66. art. 1.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objicit Calvinus: Vox ista, *aqua*, in Evangelio sumitur metaphorice, & pro tribulatione, juxta illud Psalmi 68. *Intraverunt aquæ usque ad animam meam*. Confirmatur: Discrimen inter Baptismum Joannis, & Baptismum Christi, illud est, quod Joannes baptizaret aqua, juxta illud Scripturæ Actuum, I. *Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto, non post multos hos dies*: Ergo &c.

Respondeo I. opponendo Scripturam Scripturæ cum Philippus baptizavit Ministrum Reginæ Æthiopum, nonne ambo descenderunt in aquam? Sic enim habetur Act. 8. *Descenderunt uterque in aquam, Philippus & Eunuchus, & baptizavit eum*. Rursus cap. 10. Petrus dicit: *Numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi qui Spiritum sanctum acceperunt?*

Respon-

Respondeo secundo, distinguendo: Aqua sumitur metaphoricæ aliquando, ut in loco laudato, concedo: semper nego. Hoc ipsum ex probationibus constat.

Ad confirmationem distinguo: Vos autem baptizabimini Spiritu sancto, id est, per aquam gratia Spiritus sancti elevatam ad dandum ipsum Spiritum sanctum cum donis, concedo: & in hoc discrepat Baptismus Christi a Baptismo Joannis, qui erat vacuum elementum non conferens gratiam ex opere operato. Baptizabimini in Spiritu sancto, per exclusionem aquæ, nego.

Respondeo secundo, eo loci Christum magis loqui de gratia Spiritus sancti aquam sanctificante, quam de Baptismo, quippe qui ibi promittat ejusdem Spiritus descensum, qui Apostolos ad fidem per totum orbem disseminandam roboraret. Sed Joan. 3. de Baptismo præcise instituit sermonem, cum ait: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.*

Objiciunt Seleuciani Hæretici: Baptismus fuit in igne, quia fit in Spiritu sancto: unde combustione quadam in aliquo principali corporis membro baptizabant, aut potius baptizare credebant. Ergo &c.

Suum confirmant argumentum dicendo Baptismum habere vim illuminativam ex Dionysio, sed ad ignem, inquiunt, pertinet illuminare. Ergo &c.

Respondeo ut supra, distinguendo: Istæ voces, *in Spiritu sancto* denotant descensum Spiritus sancti miraculosum per dona linguarum, & charitatum tanto igne succensam, ut nec gladius, nec profundum, nec tormenta potuerint separare fideles a fide Christi, concedo: & excludunt aquam, nego.

Ad confirmationem similiter distinguo: Baptismus illuminat ratione effectus, scilicet fidei magnæ quam dat, seu passive, ut inquit D. Thomas hic, concedo. Ratione sui, & active, ita ut sit lux & ignis, nego.

Opponunt quidam Catholici: Abbas Octavus refert quod adhuc juvenis a parentibus propter aliquos juvenibus familiares defectus & leviores culpas correptus fugerit ab Alexandria cum novem aliis in Palæstinam. Factum est autem iter omnibus simul facientibus, ut æstu fervescente, unus turma Judæus præ nimia siti præmente animam agens, petierit ab aliis baptizari: sed responderunt id solum spectare Sacerdotes, nusquam vero laicos, præterquam quod deficiebat aqua: sed ægrotus eo magis clamabat, Volo baptizari, quod si vos Christiani peragere abnuitis, scitote vos de salute mea rationem in die Judicii reddituros: Ergo ejus expostulationi cedentes, habitu illum despoliaverunt: Tum unus arenam assumens, ægrotum nudum ter aspersit, dicens: *Baptizatur Theodorus in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Quotiescumque autem una nominabatur persona, alii respondebant, *Amen*. Vix completa cæremonia, ita subito convaluit ægrotus ut præ gaudio exultans absque negotio reliquam perfecerit viam: quæ quidem miraculose restituta sanitas argumentum est irrefragabile Theodorum vere suscepisse Baptisma. Igitur aqua non est materia absoluta Baptismi. Ista historia legitur collecta ex sanctis Patribus, tom. 3. vitarum SS. Patrum pag. 55. 56. & 57. traductionis Arnauldi d'Andilly edit. Paris. 1702. apud Josse.

Respondeo primo negando consequentiam: Deus enim via extraordinaria potuit, deficiente aqua, supplere effectum Baptismi in gratiam pii Judæi propter vehementissimum ejus de Baptismo votum.

Respondeo secundo, Judæum postea alternata vice, Baptismo aquæ fuisse tinctum propter rationes ibid. pag. 57. & 58. allatas, quæ ex Gallico idiomate sic redduntur: " Appulsi Ascalonem, Judæum
„ illum jam Christianum duximus ad beatum Episcopum Dionysium, cui acta a nobis fideliter enarravimus. Tum novo & mirando stupefactus miraculo suum adunavit Clerum, cui factum exposuit, ut judicaret num Baptismus ille, deficiente aqua, in arena collatus, esset verum Baptisma. Alii respondebant affirmative, cum inauditum prorsus ad illud Baptisma subsecutum fuisset miraculum. Alii negative, & in probationem laudabant sanctum Gregorium Nazianzenum Theologi nomine celebratum, qui de diversis baptizandi modis sermonem instituens, ait, Moysen, baptizasse quidem, sed in aqua, aut in

„ in nube, aut in mari: Tum S. Joannem Bapt. dicebant baptizasse in aqua, non tamen ut Judæi tingebant, sed adjungendo pœnitentiam: Denique eum Christum baptizasse, suum emittendo Spiritum quod inter Baptismata perfectissimum est. Scimus quoque quartum Baptismi genus esse, quod est sanguinis Baptisma per Martyrium. Immo & quintum recenseri posse quod lacrymis completur. Quodnam igitur ex iis recepit ille homo, ut intelligamus esse Baptisma ab eo susceptum valere; nonne Christus dixit Nicodemo, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto non intrabit in regnum cœlorum? Ad hæc ceteri replicabant, num Apostoli in regnum Dei non intraverunt, tametsi Scriptura sileat eorum Baptisma? Isti respondebant, quis dubitat Apostolos fuisse baptizatos, cum Clemens Alexandrinus L. 5. Constitut. hoc doceat; explicans enim illa Apostoli verba: Gratias ago Deo quod neminem ex vobis baptizaverim, ait eam circumferri opinionem Christum baptizasse solum sanctum Petrum, sed S. Petrum baptizasse SS. Andream, Jacobum, & Joannem, istos vero ceteris Baptisma contulisse. Pensatis hinc inde allatis rationibus S. Episcopus Dionysius jussit Judæum iterum baptizari in Jordane, Diaconum vero ordinavit qui illum cum arena baptizaverat.

Ceterum non desunt, qui historiam ut fabulosam & ementitam rejiciant.

Instabis: Sirmundus tom. 2. Concil. Galliæ ex Manuscripto sanctæ Mariæ Laudunensis, cap. 12. refert quod Stephanus III. vulgo II. anno 764. interrogatus de Presbytero qui, aqua deficiente, puerum vita periclitantem vino baptizaverat, num Baptismus collatus valeret? Sic responderit: " Si in vino quis propterea quod „ aquam non inveniebat, periclitantem „ infantem baptizavit, nulla exinde ei „ adscribitur culpa. Infantes sic permaneant in Baptismo. Si aqua adfuit „ præsens, ille Presbyter excommunicetur. „ Ergo &c.

Respondeo primo: Et ille canon seu responsio est suppositicia, concedo: genuina, nego. Non unum est hujus responsionis fundamentum. Pauca Manuscripta referunt canonem. II. Referentia, non referunt eodem modo. Audisti Laudunensem codicem, collectio vero S. Martini Turonensis, codex Herovaltanus, & collectio antiqua septuaginta sex canonum, sic referunt: " Presbyter qui in vino baptiza„ bat pro maxima necessitate, ut æger non „ periclitetur, pro tali re nulla ei adscriba„ tur culpa. Si vero aqua aderat, & ne„ cessitas talis non urgebat, a Communio„ ne privetur, & Pœnitentiæ submitta„ tur. „ Eadem verba habet collectio a docto Harduino relata, nisi quod nullum auctorem citet; & loco istarum vocum, *infans vero*, ponit, *homo vero*. Alia collectio nullum nomen, & auctorem dicit, & sic habet: " Si quis in vino pro ne„ cessitate baptizat, ut æger non peri„ clitetur: pro tali re nulla ei adscriba„ tur culpa, sed ut ille qui in sancta „ Trinitate baptizatus est, in eo Bapti„ smo permaneat: similiter qui in quo„ cumque liquore &c. „

Addo illud decretum non potuisse emanari ab Eglitio, aut Stephano: non a primo quidem; citantur enim verba quasi excerpta ex Epistola Eglitii ad Genesium, sed nullibi, inter Epistolas Eglitii alias diligenter servatas: extat quidem Epistola ad Genesium, sed altum silentium est in Historia Ecclesiastica de decreto. Deinde Presbyter solum reprehenditur quia contra canones fecerat. Certe si hoc esset ab Eglitio, etiam reprehendisset quod contra Scripturam egisset, quandoquidem ipse denotat naturam Baptismi in suis Epistolis, vocando, undam Baptismatis. Nec potuit etiam illud decretum emanari a Stephano; mos enim erat hujus temporis, octavi scilicet sæculi, nullum decretum fieri nisi esset auctoritate vel summorum Pontificum, vel Patrum munitum; ut patet ex responsione Zachariæ ad Pippinum, & Nicolai I. ad Consulta Bulgarorum. Immo nequidem citat Zachariam Stephanus suum prædecessorem, qui paucis annis antea in responsis ad Pippinum dederat decretum de eadem materia. Præterea ad quid casus resolutio, negotium jam paucis abhinc aut mensibus, aut annis determinatum fuerat.

Respondeo secundo: Dato, & non concesso quod Stephanus sic locutus sit, distinguo: & respondit ut Doctor particularis,

rls, concedo : Ut controverſiarum fidei judex, & ex cathedra, nego ; non enim legem condidit quæ univerſam obligaret Eccleſiam.

Reſpondeo tertio : Et Presbyter non eſt culpabilis, & puniendus ex mente Stephani qui hoc declarat, ſi fecerit deficiente aqua, concedo : ſi aqua aderat, nego. Summus Pontifex non approbat Baptiſmum in vino, ſed vult ſolummodo Presbyterum eſſe excuſandum ſi bona fide in baptizando ſic ſe geſſerit.

Dices : Stephanus addit quod infantes ita baptizati ſic permaneant, non loquendo de rebaptizatione : Ergo cenſet Baptiſma bonum.

Reſpondeo diſtinguendo : Ut ita permaneant ſi ſint in partibus infidelium, & habeant parentes infideles nolentes ut baptizentur, concedo : ſi poſſint baptizari, nego. Cum voluntarie ſuſceperint Baptiſmum per vinum, cenſentur baptizati, id eſt fide & voto Baptiſmi initiati, unde vult quod in fide permaneant.

Replicabis : Alii liquores, ut lac & oleum valent ad lotionem, & collectio ultimi canonis præfati, vult quod baptizati in quocumque liquore ſic permaneant. Ergo &c. Confirmatur : Aqua roſacea eſt vera aqua. Igitur non ſola elementaris valet ad Baptiſmum.

Reſpondeo diſtingnendo : Et liquores ſunt contra inſtitutionem, concedo : & non ſunt, nego. Ad dictum de codice reſpondendum eſt ut ſupra, eos qui voluntarie per liquores Baptiſmum ſuſceperunt teneri in fide permanere, quippe qui Baptiſmi votum habuerint.

Reſpondeo ad aquam roſaceam diſtinguendo : Et in illa prædominatur corpus mixtum, ſcilicet ſuccus florum, concedo : & non prædominatur, nego. Quotieſcumque autem, inquit D. Thomas hic qu. 66. art. 3. & 4. prædominatur mixtum, non eſt apta materia ad Baptiſmum.

Repones : Nedum aqua, ſed & ſanguis fluxit e Chriſti latere. Igitur & in ſanguine infans baptizari poteſt.

Reſpondeo diſtinguendo : Fluxit quoque e Chriſti latere ſanguis ad redemptionem, concedo : ad lavacrum, nego : Non enim homines in ſanguine ſe lavari patiuntur, ſed ſolum in aqua ; hinc ſanguis gratiam regenerationis ſignificare nequit. Solutio eſt D. Thomæ hic q. 66. art. 3. ubi difficultatem ſolvit his verbis : " Dicendum, quod ex latere Chriſti fluxit aqua ad abluendum : ſanguis autem ad redimendum : Et ideo ſanguis competit ſacramento Baptiſmi, qui tamen habet vim ablutivam ex virtute ſanguinis Chriſti. "

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Materia remota Baptiſmi eſt aqua, proxima vero ablutio.

PRIMO : Sic habetur Joan. 3. his verbis : *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Sic in Concilio Tridentino Seſſ. 4. can. 2. Sic apud SS. Patres. Cyprianus Lib. 3. ad Quirinum cap. 25. Ambroſius Lib. 9. de Spiritu ſancto cap. 11.

Secundo : Ratio ſuffragatur. Et vero materia Sacramentorum debet effectum deſignare. Quis autem non videt aquam, quæ inter homines aſſumitur ad lavandum, optime regenerationem ſpiritualiter ſubindigitare.

Tertio : Si de materia proxima ſermo ſit, cum in uſu materiæ conſiſtat, eam in ablutione repoſitam eſſe certum eſt.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET RESOLUTIONUM.

PRIMO : Tametſi Baptiſmus fiat in Spiritu ſancto, non inde aqua excluditur ; nam utrumque Chriſtus reqnirit, his verbis Joan 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, &c.*

Secundo : Factum Baptiſmi in arena dubiæ fidei eſt ; quidquid ſit, Judæus ordinante Epiſcopo Alexandrino, rebaptizatus eſt in aqua.

Tertio : Nec quidquam faceſſit negotium Stephani III. decretum, quo vult Presbyterum, qui cum vino, aqua deficiente infantem baptizaverat, non puniri ; eo enim loci non dicit Baptiſmum valere in vino, ſed Presbyterum excuſandum eſſe, ſi bona fide ſic baptizaverit.

SE.

SECTIO SECUNDA.

De diverso ablutionis genere.

CONCLUSIO PRIMA.

1

Modus abluendi triplex est: scilicet per Immersionem, per Infusionem, & per Aspersionem.

Probatur rationibus Theologicis.

PRIMA ex Scriptura sacra eruitur. De infusione enim habetur Ezechielis 36. *Effundam super vos aquam mundam*. D. Thomas hic art. 7. addit beatum Laurentium sic baptizasse. Isto baptizandi modo tamquam convenientiori nunc utitur Ecclesia.

De aspersione habetur Actuum 2. & 3. sanctum Petrum plura hominum millia baptizasse, quod fieri non potuit moraliter loquendo, nisi per aspersionem, ut communiter docent Theologi. De immersione usus quondam invaluit in Ecclesia, & perseveravit ad decimum usque quartum sæculum: Ergo ablutio potest fieri triplici isto modo: Porro ex Conc. Trid. Ecclesia habet potestatem determinandi modum applicandi materiam.

Secunda: Usus Ecclesiæ in hoc teneri debet: Sed Ecclesia triplicem abluendi modum agnoscit; ita docet Catechismus Rom. parte 2. de Bapt. num 17. " Hactenus igitur, *ait*, de materia & forma „ quæ ad Baptismi substantiam maxime pertinent, Fideles docere satis fuerit. Quoniam vero in hoc Sacramento conficiendo, legitimæ etiam ablutionis rationem servari oportet; idcirco ejus „ quoque partis doctrina a Pastoribus „ tradenda est, atque ab eis breviter explicandum, communi Ecclesiæ more, „ & consuetudine receptum esse, ut Baptismus uno aliquo ex tribus modis „ confici posset; nam qui hoc Sacramento initiari debent, vel in aquam merguntur, vel aqua in eos infunditur, „ vel aquæ aspersione tinguntur. Ex his „ autem ritibus quicumque servetur, „ Baptismum vere perfici credendum est. „ Aqua enim in Baptismo adhibetur ad „ significandam animæ ablutionem, quam „ efficit: quare Baptismus ab Apostolo „ lavacrum appellatus est. Ablutio autem non magis fit, cum aliquis aqua „ mergitur, quod diu a primis temporibus in Ecclesia observatum animadvertimus, quam vel aquæ effusione, „ quod nunc in frequenti usu positum „ videmus, vel aspersione, quemadmodum a Petro factum esse colligitur, „ cum uno die tria millia hominum ad „ fidei veritatem traduxit, & baptizavit. Utrum vero unica, an trina ablutio fiat, nihil referre existimandum „ est. Utrovis enim modo & antea in „ Ecclesia Baptismum vere confectum esse, & nunc confici posse, ex divi „ Gregorii Magni Epistola ad Leandrum „ scripta, satis apparet. Retinendus est „ tamen is ritus, quem unusquisque in „ sua Ecclesia servari animadvertit. „

Tertia: Baptismus est ablutio peccati originalis per illud signum practicum quod illam operatur: Sed illa potest fieri tripliciter, scilicet per aspersionem, infusionem, & immersionem. Ita D. Thomas hic q. 66. art. 7. his verbis: " Dicendum, quod aqua assumitur in sacramento Baptismi, ad usum ablutionis corporalis, per quam significatur „ interior ablutio peccatorum; ablutio „ autem fieri potest per aquam, non solum per modum immersionis, sed etiam per modum aspersionis, vel effusionis. Et ideo quantumvis tutius sit „ baptizare per modum immersionis, „ quia hoc habet communior usus, potest „ tamen fieri Baptismus per modum „ aspersionis, vel etiam per modum effusionis, secundum illud Ezechielis 36. „ effundam super vos aquam mundam: „ sicut beatus Laurentius legitur baptizasse, & hoc præcipue propter necessitatem: vel quia est magna multitudo „ baptizandorum ut patet Act. 2. & 4. „ ubi dicitur, quod crediderunt una die „ tria millia, & alia die quinque millia: „ quandoque autem potest imminere necessitas propter paucitatem aquæ: vel „ propter debilitatem Ministri, qui non „ potest sustentare baptizandum: vel „ propter debilitatem baptizandi, cui „ posset imminere periculum mortis ex „ immersione: & ideo dicendum, quod „ immersio non est de necessitate Baptismi. „

Mul-

Multa notanda sunt, & observanda. Primo, quod aqua debeat esse simplex, & elementaris, ut dictum est; unde nix, grando, glacies, non valent ad Baptismum, nisi sint liquefactæ; idem dicendum est de aqua, in qua lutum ita prædominantur, ut non possit abluere; secus e contra.

Secundo: Quod corpus mixtum non absorbeat aquæ substantiam, vel mutet substantialiter; hinc aqua maris, & balneorum, licet sulfure & igne, aliisque mineralibus mixta, valet ad Baptismum, quia prædominatur aqua, item & aqua lixiviæ, licet per cineres transacta: sed jusculum non valet, quia aqua est ita composita, ut sit vere mixta, & non aqua simplex, secus, aquæ ubi oleum, & balsamum in parva quantitate apponuntur.

Tertio: Aqua arte chimica extracta ab herbis vel floribus non valet, quia prædominatur corpora ex quibus extracta est, nec est vera aqua elementaris, & simplex. Idem judicium ferendum est de aqua extracta a vino; est enim solum flegma vini, & non aqua.

Quarto: Mutatio accidentalis nihil facit ad rem; unde parum refert quod aqua sit fulva, vel rubea, frigida, vel calida.

Observandum est etiam Baptismum non valere, nisi aqua infundatur super aliquam corporis partem principalem, ab anima specialiter informatam, puta super caput, super pectus, vel scapulas, & dorsum; hinc dum puer baptizatur io pede, vel manu solum extra uterum maternum apparente, rebaptizandus est sub conditione.

CONCLUSIO SECUNDA.

Baptismus cum unica immersione valet.

Probatur multis momentis.

PRIMO, ex Sctiptura sacta. Christus baptizatus est in Jordane per immersionem, & Matthæi 3. refertur quod ascenderit de aqua. Item Jnannis 3. legitur Joannem Baptistam baptizasse ubi erant multæ aquæ: Sed non legitur Christum ter immersum in aquis, nec est probabile Joannem innumeros prope homines baptizantem, eos ter immersisse in aqua. Ergo &c.

Secundo, ex SS. Patribus. Gregorius Magnus Lib. 1. Epist. 41. ad Leandrum Episcopum Hispalensem, ait: " Reprehensibile esse nullatenus potest infantem in Baptismate, vel ter, vel semel in aquam immergere: quando & in tribus mersionibus, persnnarum Trinitas, & in una potest Divinitatis singularitas designari. " Quibus verbis affert rationem conclusionis: Equidem Cyrillus Jerosolymitanus Catechesi mystag. Dionysius de Ecclesiastica Hierarchia cap. 2. Basilius Lib. de Spiritu sancto c. 32. describuut ritum trinæ immersionis: Sed non dicunt esse necessarium absolute, quando vero Gregorius Magnus in suo Sacramentario de divinis officiis illam præcipit, non est ad validitatem: unde dum erat in usu, qui solum unicam adhibuisset, vere baptizasset, & valide, sed non licite; peccasset enim non sequendo ritum Ecclesiæ quæ tunc erat in usu.

Tertio ex Conciliis: Versus Alcuini tempora anno 633. Ariani abutentes trina immersione ad docendum tres esse in Deo naturas, Concilium Toletanum quartum cannne 5. unicam retinuit his verbis: " Propter vitandum schismatis scandalum, vel hæretici dogmatis usum, simplicem teneamus Baptismi mersionem. " Nota non requiri ad validitatem Baptismi quod baptizatus levetur ab aquis; unde qui projiceret puerum in flumen, vivum, dicendo, ego te baptizo, &c. vere esset baptizatus per immersionem.

Quarto, ex D. Thoma, qui hic q. 66. art. 8. docet ex professo conclusionem, dicendo utrumque modum esse legitimum, baptizare vel per unam, vel per trinam immersionem: quia, inquit, unica immersione figuratur unitas mortis Christi, & unitas Deitatis. Per trinam vero immersionem significatur triduum sepulturę Christi, & etiam Trinitas Personarum. Addit, diversis temporibus Ecclesiam prudenter, modo una, quando scilicet Ariani trina immersione diversas volebant naturas designare, modo trina, tempore scilicet quo alii Hæretici negabant Trinitatem, baptizasse Sanctus Doctor in argumento *Sed contra*, ita loquitur: " Reprehensibile esse nullatenus potest infantem in Baptismate, vel tertio, vel semel immergere, quoniam & in tribus

„ bus immersionibus, Personarum Trinitas, & in una potest divinitatis singularitas designari. „

Rursus in corpore art. " Dicendum, „ quod (sicut prius dictum est) ad Baptismum per se requiritur ablutio aquæ, quæ est de necessitate Sacramenti: modus autem ablutionis per accidens se habet ad Sacramentum: & ideo, „ sicut ex prædicta auctoritate Greg. patet quantum est de se utrumque licite „ fieri potest, scilicet, & semel & ter „ immergere: quia unica immersione significatur unitas mortis Christi, & unitas deitatis: per trinam autem immersionem significatur triduum sepulturæ „ Christi, & etiam Trinitas Personarum: „ sed diversis ex causis secundum ordinationem Ecclesiæ, quandoque institutus „ est unus modus, quandoque alius. Quia „ enim a principio nascentis Ecclesiæ, „ quidam de Trinitate male sentiebant, „ Cristum purum hominem esse æstimantes, nec dici Filium Dei, & Deum, „ nisi propter meritum ejus, quod præcipue fuit in morte: ideo non baptizabant in nomine Trinitatis, sed in commemoratione mortis Christi, & una immersione. Quod reprobatum fuit in primitiva Ecclesia: unde in canonibus Apostolorum legitur, Si quis Presbyter, „ aut Episcopus non trinam immersionem unius mysterii celebret, sed semel „ mergat in Baptismate quod dari a quibusdam dicitur in morte Domini, deponatur. Non enim nobis dixit Dominus: in morte mea baptizate, sed, in „ nomine Patris, & Filii, & Spiritus „ sancti. Postmodum vero inolevit quorumdam Schismaticorum, & Hæreticorum error, homines rebaptizantium: „ sicut de Donatistis Aug. narrat super „ Joan. & ideo in detestationem erroris „ eorum fuit statutum in Concilio Toletano, quod fieret una sola immersio, „ ubi sic legitur: Propter vitandum schismatis scandalum, vel hæretici dogmatis usum, simplam teneamus Baptismi „ immersionem. Sed cessante tali causa, „ communiter observatur in Baptismo trina immersio: & ideo graviter peccaret aliter baptizans, quasi ritum Ecclesiæ non observans: nihilominus tamen esset Baptismus. „

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objicies: Christus baptizatus est per immersionem: Ergo per solam immersionem Baptismus debet dari; namque debemus sequi institutionem. Confirmatur: Ideo Baptismus valet solum in aqua, quia Christus quando illum instituit, baptizatus est in aqua Jordanis: Igitur a simili quia baptizatus est per immersionem, sola immersio est materia proxima.

Respondeo distinguendo: Et Christus reliquit Ecclesiæ potestatem de modo abluendi, vel per aspersionem, vel per infusionem, vel etiam per immersionem, concedo: & non reliquit, nego. Sic docet Traditio.

Ad confirmationem nego paritatem; cum enim Christus instituerit Baptismum per lotionem conferendum, non potest aliter fieri, nisi in aqua, quia usus est lavare in aquis, præcipue vero cum ipse Christus baptizatus sit in aqua: quia vero nullum extat præceptum de modo, nihil refert quod lotio fiat uno, vel alio modo, tum quia semper est lotio; tum quia aqua assumpta est solum in signum gratiæ regenerativæ, quæ optime designatur per lotionem quocumque modo fiat: tum quia etiam si absolute facienda foret per immersionem, hoc purificationem Judæorum redoleret.

Instabis: Immersio magis significat effectum Sacramenti quam operatur sancta Trinitas, cum ipsa optime designetur per trinam immersionem, cui correspondet ista forma, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Igitur absolute requiritur immersio.

Respondeo distinguendo: Immersio melius significat Baptismi effectum, materialiter, concedo: formaliter, nego. Cum enim figuræ Baptismi sint & per aspersionem, & per infusionem, juxta illud Ezechielis 36. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini* veritas optimæ figuræ respondet dum fit per aspersionem, vel infusionem; gratia enim regenerativa dicitur infundi, quæ etiam nomine pluviæ voluntariæ celebratur, pluvia autem fit per divisionem, & aspersionem aquæ mediante aere, unde conveniunt optime isti ablutionis modi. Quid plura? Fides sanctis-

sanctissimæ Trinitatis bene explicatur per infusionem, quandoquidem Pater venit cum Filio, & Spiritu sancto ut inhabitet in anima: Significatur etiam per aspersionem, cum multæ guttæ multiplex Patris, & Filii, & Spiritus sancti donum designent; unde Concilium Tridentinum Sess. 6. cap. 3. & 4. dicit justificationem fieri per infusionem gratiæ, & donorum, & per Spiritum sanctum inhabitantem in nobis, & sic patet solutio ad tertium de invocatione sanctissimæ Trinitatis.

Insistes: Traditio exigit immersionem. Ergo &c. Probatur antecedens. Canon 50. Apostolorum illam præcipit: item Eucologium Græcorum; quinimmo multi Patres de hac solum mentionem faciunt: unde ex Regula Augustini mos pluribus sæculis firmatus concipitur esse, vel Apostolicus, vel ex Concilio Plenario emanatum, adeoque mutari non potest. Et de facto D. Thomas 3. p. q. 66. art. 8. dicit illum peccare graviter, qui baptizat alio modo, quam per immersionem.

Respondeo negando antecedens, ut patet ex probationibus; sanctus enim Cyprianus Epist. 76. ad Magnum approbat Baptismum collatum aspersione, & in probationem affert illud Ezechielis 36. *Effundam super vos aquam mundam*: Additque nihil referre, quod Baptismus conferatur uno, vel alio modo.

Respondeo secundo: Et omnia argumenta probant solum immersionem fuisse longo tempore in usu, & tunc peccabat mortaliter Sacerdos, qui seclusa necessitate in hoc non sequebatur ritum Ecclesiæ, concedo: & probant fuisse absolute necessariam immersionem, nego: Legitur enim Actuum 16. quod Paulus incarceratus baptizaverit Janitorem cum tota sua domo, intellige aspersione, vel infusione, ram propter persecutionem Martyres in cryptis sacra celebrabant Mysteria, brevioribus cæremoniis, adeoque ab immersione abstinebant.

Repones: Tertullianus, Basilius, & alii dicunt immersionem esse præceptam a Domino. Igitur est absolute requisita. II. Theodoretus Lib. 4. fab. hær. de Eunomio conqueritur, " quod trinam im„ mersionem, in Baptismo fieri solitam, „ sustulerit. „ III. Pelagius Papa cap. *Multi* de consecratione distinct. 4. ait: " Multi sunt qui in nomine solummodo „ Christi asserunt se baptizare, Evange„ licum vero præceptum... nos admonet „ in nomine sanctissimæ Trinitatis trina „ etiam mersione Baptisma unicuique tri„ buere, dicente Domino Discipulis suis: „ Baptizate omnes Gentes in nomine Pa„ tris, &c. „ IV. Jonathas ad canonem 5. Apostolorum, ait: " Unicam celebra„ re mersionem, sceleslum est, ac nefa„ rium. „ V. Alcuinus Epistola 41. ad Paulinum de quodam Hæretico sic loquitur: " Solidum Ecclesiæ impinguens „ parietem sacri Baptismatis catholicæ „ consuetudinis regulam immutare ni„ tens, & sub una invocatione sanctissi„ mæ Trinitatis unam asserens submer„ sionem esse debere. Ergo &c.

Respondeo primo, retorquendo argumentum: Sequeretur ex his quod etiam trina immersio requireretur, quod numquam fuit definitum, saltem ut aliquid essentiale.

Respondeo secundo distinguendo: Mersio fuit tradita a Christo Domino in genere, seu implicite, in quantum Ecclesiæ reliquit potestatem uti mersione, infusione, vel aspersione, concedo: explicite, & in individuo, subdistinguo: pro se ipso, quia baptizatus est in Jordane, se immergendo in medium aquarum, & hoc ad mysterium, ut ostenderet se sanctificare aquas pro Baptismo, concedo: pro aliis nego. Fuit ad summum purum consilium; sic Christus multa fecit ad exemplum & consilium, ut lotionem pedum. Præcepit quidem Baptismum fieri in aqua, dum dixit Jo. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto*, &c. sed altum est silentium de præcepto pro modo baptizandi.

Jam respondeo ad singula: Ad primum quidem patere solutionem. Ad Theodoretum dico reprehendere Eunomium, non præcise, quia trinam omittebat mersionem, sed quia corrumpebat Baptismi formam; ita Socrates & Sozomenus. Ad Pelagium: arguit eos qui baptizabant in solo nomine Christi, omissa sanctissimæ Trinitatis invocatione, ut ex verbis liquet: Ad alia duo momenta: probant solum eos peccasse qui non trina mersione utebantur, quando erat in usu, quippe qui præceptum Ecclesiæ tentarent.

Ad multorum solutionem observandum est Patres, quandoque unam, quandoque etiam trinam rejicere immersionem; unam quidem in sensu Eunomii, qui ne Personarum divinarum agnosceret æqualitatem, unicam pro solo Patre significando, quem dumtaxat habebat Deum, adhibebat: Trinam vero in sensu Arianorum, qui tres in Trinitate naturas propugnabant.

Replicabis: Non desunt Patres qui saltem dubitent de validitate Baptismi sine mersione facta: Ergo &c. Probatur antecedens: S. Cornelius Papa improbavit Baptismum datum per infusionem Novatiano in lectulo propter morbum decumbenti. Sic loquitur in Epistola ad Fabium Antiochenum apud Eusebium Lib. 6. Hist. Eccl. cap. 43. juxta Valesii editionem; de Novatiano sermonem habens sic loquitur: " In morbum gravissimum „ collapsus, dum jamjamque moriturus „ creditur, in quo jacebat lectulo perfusus Baptismum suscepit: si tamen hu„ jusmodi Baptismum suscepisse dicen„ dus est. „

Respondeo distinguendo: Dubitavit sanctus Cornelius de Baptismo Novatiani, id est, non sensit perfectum, concedo: Mos enim erat tunc temporis simul dare Confirmationem, & Eucharistiam, quæ a Tertulliano, & Patribus Baptismi Appendices dicuntur, id est de Baptismi solemniter dati cæremonia, quæ triplicis Sacramenti susceptionem complectebatur: dubitavit, id est, irritum credidit, nego; alias eum rebaptizari præcepisset. Sanctus Papa ipse suam prodit mentem, hæc subjungens: " Neque postquam liberatus est „ Novatianus, reliqua percepit, quæ nunc „ Ecclesiastica Regula percipi deberent, „ neque ab Episcopo consignatus: hoc e„ nim signaculo minime peracto, quomo„ do Spiritum sanctum potuit accipere? „

Abbas Pineus exponens illum canonem, rationem affert his verbis: " Hoc mo„ do, quia baptizati, doctrinæ fidei ar„ cana tradere, exponere, & cetera Sa„ cerdotis officia implere non posse vide„ rentur, quos valetudo, prima fidei ele„ menta non permisisset edifcere, & re„ rum omnium ignaros, ac rudes bapti„ zari coegisset. „ Quibus verbis & aliis ostenditur non sufficienter instructos esse tunc adultos, qui breviter, & sine cæremonia baptizabantur. Unde declarabantur quasi irregulares, sed mersionem præcedebat fusior Catechismus: Ergo &c.

Urgebis I. Magnus apud Cyprianum Epist. 69. dubitavit de Baptismi validitate dati sine mersione, eo quod immundi spiritus quandoque non recedebant a baptizatis per aspersionem, & infusionem aquæ. II. Concilium secundum generale can. 7. jussit Novatianos rebaptizari eo quod trinam non servassent mersionem, & unicam adhiberent: Ergo &c.

Respondet ipse Cyprianus ad Magnum, quod, necessitate cogente, baptizati in domo & in lectulo gratiam consecuti sint, & fuerint ab immundo spiritu liberati; e contra vero alii baptizati in valetudine solemniter, iterum fuerint ab immundis spiritibus exagitati, propter peccata perpetrata post Baptismum; & sic ruit fundamentum Magni.

Respondeo ad auctorem Concilii, primo nihil facere contra nos, quia agimus de mersione ut sic, & non de trina quæ numquam fuit absolute necessaria. Secundo, non potuit Concilium jubere ut Novatiani rebaptizarentur, cum Nicænum primum recipiat Can. 8. eorum baptisma, & solum adhibendo impositionem manuum, eos pœnitentes ad Ecclesiam redeuntes suscipiat. Tertio, Canon ille secundi Concilii generalis est supposititius, nec nisi quinto sæculo a quibusdam privatis personis editus est. Quarto, nihil ibi definitur, sed res tantum historice refertur. Ceterum rebaptizari jussi sunt solum Eunomii discipuli, non præcise quia omittebant trinam mersionem; sed ex eo quod, ut dictum est, formam Sacramenti deflorarent. Quinto, dato & non concesso, Canonem laudatum esse genuinum, nihil roboris habet, cum Damasus Papa primum dumtaxat Canonem dogma divinitatis Spiritus sancti spectantem approbaverit, ut videre est in ejus Epistola, in notis Binii ad Concilium.

SY-

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Ablutio baptismalis fit modo aspersione, modo infusione, modo etiam unica mersione, quæ sufficit.

PRIMO: Usus Ecclesiæ triplicem abluendi modum probavit, ait Divus Thomas hic quæst. 66. art. 7.

Secundo: Ablutio designat interiorem animæ a sordibus peccati originalis abstersionem in aqua faciendam; sed sive baptizandus aspergatur aspersione aquæ, sive infusione, sive etiam immersione lavetur, est vere ablutus & lotus. Ergo &c.

Tertio: Unicam mersionem in aquis ad Baptismum sufficere annuntiat ipse Christus, qui non nisi unica mersione in Jordane a Joanne baptizatus est. Sic docent Patres, in primis Gregorius Magnus Lib. 1. Epist. 41. Basilius Lib. de Spiritu sancto cap. 32. Ratio divi Thomæ hic q. 66. art. 8. ea est, quod unica immersione recte significatur unitas tum mortis, tum divinitatis Christi.

SYNOPSIS OBJECTIONUM ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Tametsi Christus mersione in aquis baptizatus sit, non inde sequitur ceteros abluendi per aspersionem aquæ vel infusionem modos non esse validos, cum idem Dominus reliquerit Ecclesiæ potestatem unum ex tribus lavandi modis assumendi, & pro diversis temporibus, modo uno, modo etiam altero usa sit.

Secundo: Effectus Baptismi est ablutio interior, quæ recte designatur, quocumque ex tribus modis laudatis fiat, & hoc sufficit.

Tertio: Non negamus & Concilia & Patres frequentius de mersione loqui, sed solum tamquam de puncto disciplinæ quæ tunc temporis erat in usu, sed quam in Ecclesia immutare æquum duxit.

ARTICULUS SEPTIMUS.

De Forma Baptismi.

DUO quæruntur circa formam. Primo quidem in quonam sita sit? Secundo, num in solo Christi nomine valeat?

SECTIO PRIMA.

Quænam sit forma Baptismi?

CONCLUSIO PRIMA.

Forma Baptismi hæc est: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.*

Probatur multis momentis.

PRIMO *ex Scriptura sacra*: Matthæi ultimo habetur: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*; quibus verbis determinatur in individuo forma Baptismi. Item Act. 19. cum Paulus quosdam Ephesi interrogasset an recepissent Spiritum sanctum, responderunt: *Neque si Spiritus sanctus est audivimus. In quo ergo*, inquit, *baptizati estis? Qui dixerunt; in Joannis baptismate; dixit autem Paulus, Joannes baptizavit baptismo pœnitentiæ populum dicens, in eum qui venturus esset post ipsum, hoc est in Jesum. His auditis, baptizati sunt in nomine Domini Jesu.* Nota quod cum responderent, *neque si Spiritus sanctus est audivimus*, replicaverit Paulus, *In quo ergo baptizati estis?* quibus verbis dubitabat an recepissent Christi baptismum, in quo mentio Trinitatis fiebat. Ergo &c.

Secundo ex Canone 49. *Apostolorum*, juxta editionem Dionysii Exigui. Ibi reprobatur Baptismus in aliis formis datus his verbis: " Si quis Episcopus at Presby„ ter juxta præceptum Domini non ba„ ptizaverit in nomine Patris, & Filii, „ & Spiritus sancti, sed in tribus sine „ initio principiis, aut in tribus Filiis, „ aut in tribus Paracletis, abjiciatur. „

Tertio ex summis Pontificibus: Innocentius I. Epist. ad Macedoniæ Episcopos dicit Baptisma Novatianorum se recipe-

re, quia, inquit, baptizabant in nomine sanctissimæ Trinitatis, non corrumpendo formam; secus vero Paulianistarum. S. Leo Epist. 4. c. 3. Gregorius Magnus Lib. 9. Epist. 69. Vigilius Ep. ad Caterium, & Patres quarti Concilii Toletani expresse docent nostram conclusionem.

Quarto ex sanctis Patribus: Justinus Apologia 2. sic loquitur: " In nomine re„ rum creatarum parentis, & Domi„ ni Dei, & Salvatoris Jesu Christi, „ & Spiritus sancti, aqua tincti lavan„ tur. „

Origenes in cap. 6. Epist. ad Romanos ait " Cur Apostolus hoc nomen Christi „ assumpsit, dicens, Quicumque in Chri„ stum baptizati sumus: cum utique „ non habeatur legitimum baptisma, nisi „ sub nomine Trinitatis?

Tertullianus de Baptismo cap. 13. sic scribit: " Lex tingendi imposita est, & „ forma præscripta: Ite, docete omnes „ nationes, tingentes eas in nomine Pa„ tris, & Filii, & Spiritus sancti. „ Idem expresse dicit Lib. contra Praxeam qu. 20.

Cyprianus Epist. ad Jubajanum ait de his qui Baptismum verbis Evangelicis datum recipiebant: " Quomodo dicunt „ quidam, modo in nomine Jesu ubi„ cumque & quomodocumque gentilem „ baptizatum remissionem peccatorum „ consequi posse, quomodo ipse Christus „ gentes baptizari in plena & adunata „ Trinitate &c. „

Basilius Lib. de Spiritu sancto c. 12. ejusdem est sententiæ. Neminem, *inquit*, „ ad errorem impellat illud Apostoli, „ quod nomen & Patris, & Filii, & „ Spiritus sancti in Baptismatis mentione „ sæpe omittit, neque ad id putet no„ minum nomenclaturam non esse neces„ se observari; opportet enim immobi„ lem manere traditionem in vivifica gra„ tia datam, quare addere quid, aut „ subtrahere palam, est lapsus a vita æter„ na; proinde si in Baptismo separare „ Spiritum sanctum a Patre periculosum „ est baptizanti, ita & baptizato inu„ tile . . . . . sicut credimus in nomen „ Patris, & Filii, & Spiritus sancti „ &c. „

Damasus in Epistola Synodica apud Theodoretum Lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ c. 11. Didymus Lib. de Spiritu sancto, Augustinus Lib. 6. contra Donatistas, & alii Patres idem dicunt Ergo &c.

Quinto ex Conciliis: Florentinum in decreto Eugenii sic loquitur: " Primum „ omnium Sacramentorum locum tenet „ S. Baptisma . . . . Materia hujus Sacra„ menti est aqua vera & naturalis: nec „ refert frigida sit an calida. Forma autem „ est: Ego te baptizo in nomine Patris, „ & Filii, & Spiritus sancti. Non tamen „ negamus quin & per illa verba: Bapti„ zatur talis servus Christi, in nomine „ Patris, & Filii, & Spiritus sancti: vel, „ baptizetur manibus meis talis, in no„ mine Patris, & Filii, & Spiritus san„ cti, verum perficiatur baptisma: quo„ niam cum principalis causa, ex qua „ Baptismus virtutem habet, sit sancta „ Trinitas: instrumentalis autem sit Mi„ nister qui tradit exterius Sacramen„ tum, sic exprimitur actus qui per „ ipsum exercetur ministrum; cum san„ ctæ Trinitatis invocatione perficitur „ Sacramentum. „

Tridentinum Sess. 7. sic pronuntiat canone 4. *Si quis dixerit Baptismum, qui etiam datur ab Hæreticis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum; Anathema sit.*

Accedit Catechismus ejusdem Concilii p. 2. de Baptismo n. 13. " Quare diluci„ dis & apertis verbis, quæ facile per„ cipi ab omnibus possint, Pastores doce„ bunt hanc esse perfectam & absolutam „ Baptismi formam: Ego te baptizo in „ nomine Patris, & Filii, & Spiritus san„ cti. Ita enim a Domino & Salvatore „ nostro traditum est, cum Apostolis a„ pud Matthæum præcipit: *Euntes docete* „ *omnes gentes, baptizantes &c.* Ex illo au„ tem verbo, *Baptizantes*, Catholica Ec„ clesia divinitus docta, optime intelle„ xit, in hujus sacramenti forma actio„ nem ministri exprimendam esse, quod „ quidem fit, cum dicitur: Ego te ba„ ptizo. Ac quoniam, præter ministros, „ tum illius personam qui baptizatur, „ tum principalem causam quæ Baptismum „ efficit, significare oportebat: idcirco „ illud pronomen, *Te*, & distincta divi„ narum personarum nomina adduntur,

„ ut

„ ut absoluta Sacramenti forma iis verbis concludatur, quæ modo exposita sunt: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Neque enim sola Filii persona, de quo a Joanne scribitur: *Hic est qui baptizat*: sed simul omnes sanctæ Trinitatis personæ ad Baptismi Sacramentum operantur. Quod autem *in nomine*, non *in nominibus* dictum est, hoc plane declarat unam Trinitatis naturam & divinitatem; etenim hoc loco *nomen* ad personas non refertur, sed divinam substantiam, virtutem & potestatem quæ una & eadem est in tribus personis, significat. „

Rursus ibid. num. 14. " Sed in hac forma quam integram & perfectam esse ostendimus, observandum est quædam prorsus necessaria esse, quæ si omittantur, Sacramentum confici non potest; quædam vero non ita necessaria, ut si desint, Sacramenti ratio non constet: cujusmodi est vox illa, *ego*, cujus vis in verbo *baptizo* continetur; immo vero in Ecclesiis Græcorum variata dicendi ratione prætermitti consuevit: propterea quod nullam fieri oportere ministri mentionem judicarunt; ex quo factum est, ut in Baptismo hac forma passim utantur: Baptizetur servus Christi, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti; a quibus tamen perfecte Sacramentum ministrari, ex Concilii Florentini sententia & definitione apparet, cum iis verbis satis explicetur id quod ab Baptismi veritatem attinet, nimirum ablutio, quæ tunc reipsa peragitur. „

Sexto ex Divo Thoma, qui hic quæst. 66. art. 5. ex professo docet assertionem, cujus ratiocinium sic exponitur: In forma Baptismi debet exprimi causa principalis, cui assimilatur effectus: & causa ministerialis, per quam causa principalis agit: sed utraque causa in forma præscripta explicatur: Igitur est conveniens: addo & optima, ut patet ex traditione perpetua. Tum quia illam fere totam sic instituit Christus; in mysterio autem semper est attendendum ad voluntatem & institutionem legislatoris, juxta illud axioma de legis textibus: *In tantum valent, in quantum sonant*. Hæc sunt sancti Doctoris verba: " Dicendum quod Baptismus per suam formam consecratur, secundum illud Ephes. 5. Mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ; & Augustinus dicit in libro de unico Baptismo, quod Baptismus verbis Evangelicis consecratur, & ideo oportet quod in forma Baptismi exprimatur causa Baptismi. Est autem ejus duplex causa; una quidem principalis, a qua virtutem habet, quæ est sancta Trinitas; alia autem instrumentalis, scilicet minister qui tradit exterius Sacramentum. Et ideo oportet in forma Baptismi de utraque fieri mentionem. Minister autem tangitur, cum dicitur: Ego te baptizo; causa antem principalis, cum dicitur: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Unde hæc est conveniens forma Baptismi: Ego te baptizo in nomiue Patris, & Filii, & Spiritus sancti. „

CONCLUSIO SECUNDA.

Forma Baptismi apud Latinos active sumpta hæc est: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.*

Probatur istis rationibus.

PRIMO: Usus perpetuus hoc ipsum declarat, ut ex auctoritatibus modo allatis liquet.

Secundo: Ita refertur in sacramentario S. Gregorii titul. 66. Eam quoque commendant ut jam diu ante servatam, Ordo Romanus, & Liturgiæ Gallicanæ a P. Mabillon, sicut editæ, sic & illustratæ tit. 35. Item Venerabilis Beda Lib. variarum quæstionum, quæst. 14. Alexander III. denique Eugenius IV. in decreto unionis.

Tertio: Forma Baptismi a Christo determinata est in individuo, nec licitum est quidquam ab ea detrahere: Sed forma modo assignata complectitur eam quam Christus instituit. Ergo &c.

CONCLUSIO TERTIA.

Forma apud Græcos passive sic enuntiatur: *Baptizatur servus Christi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.*

QUIDAM ponunt, *baptizetur*: sed in disciplina Græcorum gnari legunt, *baptizatur*. Sic propugnat Renaudotius lib. 5. perpetuitatis fidei cap. 5. Jam:

Probatur conclusio auctoritate & ratione.

PRIMO, apud Arcudium Lib. 1. c. 8. habetur: *Baptizatur a me servus Dei*, vel *serva Dei, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*. Subjicit Arcudius: " Non „ autem dicunt Græci, *baptizetur*, ut „ plerique Latinorum existimant ... hunc „ modum loquendi in aliis quibusdam cæ„ remoniis Græci observant; in oleo Ca„ techumenorum: *Ungitur servus Dei*; „ dum vestes induunt albas: *Induitur ser„ vus Dei*, in tonsura: *Tondetur servus „ Dei*. Hac autem utuntur forma passive „ expressa Græci, eo quod humilitatem „ & modestiam magis spiret. „

Secundo, ibidem apud Arcudium: " Ga„ briel Philadelphiæ Antistes in libello „ de Sacramentis, ubi agit de forma Ba„ ptismi, duplicem reddit huius rei cau„ sam. Alteram modo a nobis comme„ moratam, quod divina Scriptura etiam „ verbo passivo utatur. Alteram, quod „ Græci modeste de se ipsis sentiant; & „ ad hoc probandum testem affert Joan„ nem Chrysostomum, qui homilia 1. in „ Acta Apostolorum ponderat illud ver„ bum *baptizabimini*, non dixit Christus, „ inquit Chrysostomus: Vos vero ego ba„ ptizo in Spiritu sancto; sed, baptiza„ bimini: nos docens ut modeste de no„ bis sentiamus. „

Tertio: Ceteri Orientales non absimilem formam habent pro Baptismo. Ritus Jacobitarum Severi Antiocheni sic baptizare præcipit: *Talis baptizatur in nomine Patris, Amen*: *in nomine Filii, Amen*: *in nomine Spiritus sancti, Amen*. Hæc eadem forma, sed resciso vocabulo *Amen*, inter quamlibet immersionem.

Altera quædam his verbis exprimitur: *Baptizo N. agnum gregis Christi, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.*

Nestoriani simpliciter & sine addito sic baptizant: *N. talis baptizatur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.*

Cophtæ ita formam proferunt: *Te baptizo in nomine Patris, te baptizo in nomine Filii, te baptizo in nomine Spiritus sancti*. Rituale Copt. Ar.

Dictum est in tract. de Sacramentis in genere, quasdam additiones formam concomitantes, modo verba essentialia non deflorent, Baptismum invalidum non efficere; hinc formas modo laudatas nemo impugnabit. Et vero non absimiles reperiuntur in Ecclesia Latina; namque in vetusto officio Gothico Latino, ut scribit Marten de antiq. Eccles. Rit. Lib. 1. art. 18. p. 166. istæ leguntur formæ: *Baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, in remissionem peccatorum, ut habeas vitam æternam*. In Gallicano vero: *Baptizo te credentem in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, ut habeas vitam æternam*.

Solvuntur objectiones contra primam Conclusionem.

OPPONES: Qui baptizatur, quandoque non audit verba; v. g. si surdus est; vel non intelligit, quia linguam non callet. Igitur forma inutilis est.

Respondeo distinguendo consequens: Forma inutilis est, si verba non faciant quod significant, concedo, secus, nego. Verba non assumuntur in Sacramentis solum ad significandum, verum etiam & ad faciendum; unde licet qui baptizatur, ea non audiret, sunt tamen absolute necessaria ad conficiendum Sacramentum, & producendam gratiam. Ita D. Thomas ibidem ad 3. Verba quæ pro„ feruntur in forma Sacramentorum, „ non pronuntiantur solum causa signifi„ candi, sed etiam causa efficiendi, in „ quantum habent efficaciam ab illo Ver„ bo, per quod facta sunt omnia; & „ ideo convenienter diriguntur non solum „ ad homines non intelligentes, sed etiam „ ad creaturas insensibiles, ut cum dici„ tur: Exorcizo te creatura salis.

Insistes: Quandoque contingit plures baptizari & a pluribus, sicut Apostoli baptiza-

ptiza-

ptizaverunt una die tria hominum millia, & alia die quinque millia, ut dicitur Act. 2. & 4. Sed tunc illa forma, *Ego te baptizo*, non poterat pronuntiari. Ergo &c.

Respondet D. Thomas ibidem ad 4. " „ Dicendum quod plures simul non possunt unum baptizare, quia actus multiplicatur secundum multiplicationem „ agentium, si perfecte ab uno quoque „ agatur; & sic si convenirent duo, „ quorum unus esset mutus, qui non „ posset proferre verba, alius carens manibus, qui non posset exercere actum, „ non possunt ambo simul baptizare, uno „ dicente verba, & alio exercente actum: „ possunt autem, si necessitas exigit, „ plures simul baptizari, quia nullus eorum reciperet nisi unum baptismum; „ sed tum oportebit dicere: Ego baptizo vos: nec erit mutatio formæ, quia „ *vos* nihil aliud est, quam *te* & *te*. „ Quod autem dicitur *nos*, non est idem „ dicere quod *ego* & *ego*, sed *ego* & *tu*: „ & sic jam mutaretur forma; similiter „ autem mutaretur, si diceretur: Ego „ baptizo me; & ideo nullus potest baptizare se ipsum; propter quod & „ Christus a Joanne voluit baptizari, ut „ dicitur Extra. de Baptismo & ejus effectu, cap. *Debitum*.

Replicabis: Passio Christi quæ est causa salutis, non commemoratur in forma. Igitur non est valida.

Respondet ibidem D. Thomas ad 5. " „ Dicendum quod passio Christi, etsi sit „ principalis causa respectu Ministri, est „ tamen causa instrumentalis respectu sanctæ Trinitatis; & ideo potius commemoratur Trinitas, quam passio Christi. „

Diluuntur objectiones contra secundam conclusionem.

Objicies: Symonius Thessalonicensis c. 64. pag. 74. & post ipsum Gabriel Philadelphiæ impugnant formam Latinorum, eo quod quamdam inducat Baptismum suscipiendi vim. Sed omnis coactio a confectione Sacramentorum removenda est. Ergo &c.

Respondeo distinguendo: Et sic locuti sunt nonnulli Græci, ut Symonius & Gabriel, in odium Latinorum, ut eis improperarent, concedo: animo veritatis ducti, nego. Quod enim hæc scripserint per exagerationem, & ut contumeliis Latinos afficerent, patet ex duobus. Primo, Coptitæ qui nihil pro ritibus a Latinis mutuati sunt, attamen formam, sicut isti, per modum imperii pronuntiant, *Ego te baptizo in nomine Patris &c.* Nemo tamen Græcorum dixerit Baptismum a Coptitis datum non valere. Secundo Arcudius hic Lib. 1. cap. 8. asserit vel ipsos Græcos adversus Latinos obstrepentes, eorum non inficiari Baptismum.

Ad id vero quod dicitur, formam per modum imperii enuntiatam inducere pro suscipiendo baptismo vim & coactionem, respondeo hoc falsissimum esse: iste enim loquendi modus spirat solum & mysterii majestatem, & conferentis dignitatem, seu etiam auctoritatem, quippe qui in nomine Christi agat.

Instabis: In forma Latinorum non Christus, sed Minister exprimitur. Sed hoc Scripturæ adversatur, quandoquidem Joan. 1. ubi sermo est de Baptismo, solus Christus, utpote causa principalis nominatur his verbis: *Super quem videris Spiritum descendentem & manentem super eum, hic est qui baptizat*. Ergo &c.

Respondeo negando majorem; nam & Minister & causa principalis simul in forma Latinorum exprimuntur; minister quidem iis verbis: *Ego te baptizo*: causa vero principalis, cum additur: *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*. Solutio est divi Thomæ hic q. 66. art. 5. ad 1. his verbis: " Dicendum, quod „ actio attribuitur instrumento sicut immediate agenti: attribuitur autem hujusmodi actio principali agenti, sicut in „ cujus virtute instrumentum agit; & ideo „ in forma Baptismi convenienter significatur Minister, ut exercens actum Baptismi, per hoc quod dicitur, Ego te „ baptizo: sicut & ipse Dominus baptizandi actum attribuit Ministris dicens: „ Baptizantes eos &c. Causa autem principalis significatur, ut in cujus virtute Sacramentum agitur, per hoc quod „ dicitur, In nomine Patris, & Filii, „ & Spiritus sancti; non enim Christus „ baptizat sine Patre & Spiritu sancto.

„ Græ-

„ Græci autem non attribuunt actum „ Baptismi Ministris, ad evitandum antiquorum errorem, qui virtutem Baptismi baptizantibus attribuebant, dicentes: Ego sum Pauli, & ego Cephæ; „ & ideo dicunt: Baptizatur servus Christi, talis, in nomine Patris, & Filii, „ & Spiritus sancti; & quia exprimitur „ actus exercitus per Ministrum cum invocatione Trinitatis, verum perficitur „ Sacramentum. Quod autem additur „ *Ego*, in forma nostra, non est de substantia formæ, sed ponitur ad majorem expressionem intentionis. „

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Primo, forma Baptismi apud Latinos hæc est: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. *Secundo, apud Græcos:* Baptizatur servus Christi, in nomine Patris, *&c.*

PRIMUM patet, juxta illud Matth. 2. *Baptizantes eos in nomine Patris &c.* Sic doceut Patres; Cyprianus quidem Epist. ad Jubajanum, Basilius Lib. de Spiritu sancto capit. 12. &c. Sic Concilia, in primis Florentinum in Decreto unionis, & Tridentinum Sess. 7. can. 4. Ratio divi Thomæ ea est, quod in illa forma recte significatur, & causa principalis, & ministerialis, & ipse effectus. Principalis quidem, quæ est sanctissima Trinitas; ministerialis per ista verba: *Ego te baptizo:* vox autem postrema *baptizo*, subindigitat effectum.

Alterum probat Arcudius hic Lib. 1. c. 8. auctoritate Patrum Græcorum & recentiorum ejusdem gentis Theologorum, cum eadem sit in substantia accepta, & parum intersit quod forma enuntietur active per modum imperii, vel passive in humilitatis argumentum.

SYNOPSIS OBJECTIONUM ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Non requiritur quod passio Christi exprimatur in forma Baptismi, cum sanctissima Trinitas clare in ea enuntietur.

Secundo: Eo ipso quo fit de Filio mentio, non opus est ut nomen Christi adsit, cum ipse sit Dei filius.

Tertio: Incassum quidam Græci recentiores arguunt formam apud Latinos usitatam, cum ultro fateantur in substantia non deficere.

SECTIO SECUNDA.

Utrum Baptismus in nomine solius Christi datus valeat?

CONCLUSIO NEGATIVA.

Probatur rationibus Theologicis.

PRIMA: Sacramentum quod est in individuo determinatum, non potest aliter conferri; ens enim morale, quale est Sacramentum, ab institutione divina dependet. Atqui Baptisma ut sacramentum a Christo in individuo quoad formam determinatum est, scilicet ut in nomine sanctissimæ Trinitatis conferatur. Igitur in nomine solius Christi datum non valeret. Probatur minor: Matth. 28. habetur: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Sic censet Div. Thomas hic quæst. 66. art. 6. his verbis: " Dicendum quod, sicut supra dictum est, Sacramenta habent efficaciam ab institutione Christi, & ideo si prætermittatur aliquid eorum quæ Christus instituit circa aliquod Sacramentum, efficacia caret, nisi ex speciali dispensatione ejus qui virtutem suam Sacramentis non alligavit. Christus autem instituit sacramentum Baptismi dari cum invocatione Trinitatis; & ideo quidquid desit ad plenam invocationem Trinitatis, tollit integritatem Baptismi; nec obstat quod in nomine unius personæ intelligitur alia, sicut in nomine Patris intelligitur Filius, aut quod ille qui nominat unam solam personam, potest habere rectam fidem de tribus; quia sicut ad Sacramentum requiritur materia sensibilis, ita & forma sensibilis. Unde non sufficit intellectus vel fides Trinitatis ad perfectionem Sacramenti, nisi sensibilibus verbis Trinitas exprimatur. Unde & in baptismo Christi, ubi fuit origo sanctificationis nostri Baptismi, as„ fuit

„ fuit Trinitas in sensibilibus signis, sci-„ licet Pater in voce, Filius in huma-„ na natura, Spiritus sanctus in colum-„ ba. „

Altera ratio sic proponitur: Traditio non aliter affirmat Baptismi formam, quam in nomine sanctissimæ Trinitatis. Ergo &c. Probatur antecedens. Justinus Martyr Apol. 2. de baptizandis ait: " De-„ inde ducuntur a nobis ubi est aqua, „ eo quod regenerationis, renovationis-„ que genere, quo etiam nos ipsi reno-„ vati sumus, renascuntur: Patris enim „ omnium, Dominique Dei, & conserva-„ toris nostri Jesu Christi, ac Spiritus san-„ cti nomine, aqua abluuntur & expian-„ tur. „

Concinit Tertullianus Libr. contra Praxeam cap. 16. " Novissime mandans (*Chri-„ stus*) ut tingerent in Patrem, & Fi-„ lium, & Spiritum sanctum, non in „ unum; nam nec semel, sed ter ad sin-„ gula nomina, in singulas personas tin-„ gimur. „

Atque vero Cyprianus Epist. 73. ad Jubajanuum: " Quomodo ergo quidam di-„ cunt foris extra Ecclesiam, immo & „ contra Ecclesiam, modo in nomine Je-„ su Christi ubicumque & quomodocum-„ que Gentilem baptizatum, remissio-„ nem peccatorum consequi posse, quan-„ do ipse Christus gentes baptizari jubeat „ in plena & adunata Trinitate. „

Basilius mira de isto momento loquitur Lib. de Spiritu sancto cap. 12. " Oportet „ enim inviolabilem manere traditio-„ nem......proinde si in Baptismo sepa-„ rare Spiritum a Patre & Filio, ut pe-„ riculosum est baptizanti, ita Baptismum „ accipienti inutile; quomodo nobis tu-„ tum fuerit a Patre & Filio distrahere „ Spiritum sanctum? Fides ac Baptisma. „ Duo sunt modi parandæ salutis inter „ se cognati & inseparabiles. Nam fides „ perficitur per Baptismum; Baptismus „ vero fundamento fidei nititur, & utra-„ que res per has voces impletur: sicut „ enim credimus in Patrem, & Filium, „ & Spiritum sanctum, sic & baptizamur „ in nomine Patris, & Filii, & Spiritus „ sancti. „

Non omittendus Fulgentius, qui Libr. de Incarnatione & gratia Christi cap. 11. hæc profert: " Ut unum eumdemque se „ Deum & hominem credendum prædi-„ candumque monstraret, simul in se di-„ vinam humanamque naturam unius Fi-„ lii nomine nuncupavit, dicens Aposto-„ lis: Ite, docete omnes gentes, bapti-„ zantes eos in nomine Patris, & Filii, „ & Spiritus sancti. Doctor igitur, & „ largitor æternæ salutis hanc ideo for-„ mam Baptismatis dedit, ne quis in eo-„ dem Dei Filio naturas dividens, mor-„ tifero illaquearetur errore: Si aut hu-„ manam Filii Dei naturam ab opere re-„ demptionis alienam in sacramento Ba-„ ptismatis crederet; aut duas in Christo „ confitendo Personas, non jam verus es-„ set Trinitatis cultor, sed nefarius esset „ quaternitatis assertor, ac per hoc cum „ Patre, & Spiritu sancto, non Filium, „ sed filios coleret. „

Tertia: Sic statuerunt summi Pontifices, sic verba Christi: *Euntes, docete omnes gentes baptizantes*, *&c.* interpretati sunt: Ergo &c. Probatur antecedens. Pelagius Papa decretum de hoc puncto dedit, & habetur apud Gratianum Dist. 4. de consecr. cap. *Si vera*, ubi ad Gaudentium Episcopum sic scribit: " Multi sunt „ qui in nomine solum Christi, una etiam „ mersione, se asserunt baptizatos: Evan-„ gelicum vero Præceptum, ipso Deo, „ & Salvatore Jesu Christo tradente, nos „ admonet, in nomine Trinitatis, trina „ etiam mersione, sanctum Baptisma uni-„ cuique tribuere, dicente Domino: Ite, „ docete omnes gentes, baptizantes in no-„ mine Patris, & Filii, & Spiritus san-„ cti. „

Suffragatur Zacharias Papa Epist. 10. ad Bonifacium Episcopum, in qua ait quod: " Quicumque sine invocatione Trinitatis „ lotus fuisset, Sacramentum regeneratio-„ nis non haberet. „

FIT SATIS OBJECTIONIBUS.

Primo, ex Scriptura sacra.

OBJICIES: Passim in Scriptura sacra, quidam in nomine Christi, tacito aliarum personarum nomine, baptizati annuntiantur: Igitur non opus est nominare tres personas, adeoque in solo nomine Christi valet Baptismus. Probatur antecedens: Act. 2. Petrus ad Judæos ait:

ait: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, cap.* 10. Idem videns quosdam Gentiles illapsu Spiritus sancti insignitos: *Jussit eos baptizari in nomine Domini Jesu Christi:* Cap. 19. de quibusdam Discipulis quos S. Paulus Ephesi invenit, habetur: *baptizati sunt in nomine ejus*. Igitur Baptismus in solo Christi nomine collatus, validus est.

Respondeo primo, distinguendo: Et Scriptura nominans Christum, alias non excludit Personas, concedo: & excludit nego. Legem ipse Christus posuit, & non præteribit, & hæc est: *Euntes docete, &c.* Solutio est S.Cypriani Epist. 73. ad Jubajanum explicans illa verba Act. 2. *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini nostri Jesu Christi*: " Jesu Christi, „ *inquit*, mentionem facit Petrus, non „ quasi Pater omitteretur, sed ut patri „ quoque filius adjungeretur. „

Respondeo secundo iterum distinguendn: Multi baptizati sunt in nomine Christi; hoc est nomen Christi formæ additum est ad ciendos pietatis affectus Fidelium erga Christum, dum ejus meritis se a peccato originali, & morte æterna liberatos intelligerent, concedo: excludendo alias Personas, nego.

S. Thomas hic q. 66. art. 6. ad 1. ait fieri potuisse ad inflammandum corda Fidelium nascentis Ecclesiæ Baptismum dari in nomine solius Christi: "Ut nomen, „ *inquit*, Christi quod erat odiosum Ju„ dæis & Gentilibus, honorabile redde„ retur per hoc, quod ad ejus invoca„ tionem Spiritus sanctus dabatur in Ba„ ptismo. „ Similia dicit Catechismus Romanus part. 2. de Baptismo n. 15. " Quod si etiam aliquando tempus fuisse „ dicendum est, cum Apostoli in nomi„ ne tantum Domini Jesu Christi bapti„ zarent: id quidem Spiritus sancti af„ flatu eos fecisse, exploratum nobis es„ se debet: ut initio nascentis Ecclesiæ „ Jesu Christi nomine prædicatio illu„ strior fieret, divinaque, & immensa „ ejus potestas magis celebraretur. De„ inde vero rem penitus introspicientes, „ facile intelligemus, nullam earum par„ tium in ea forma desiderari, quæ ab „ ipso Salvatore præscriptæ sunt; qui „ enim Jesum Christum dicit, simul et„ iam Patis personam, a quo unctus, „ & Spiritum sanctum quo unctus est si„ gnificat. „

Verum n. 16. Subdit: "Quamquam dubium fortasse videri potest, an hujus„ modi forma Apostoli aliquem baptiza„ verint, si Ambrosii & Basilii, sanctis„ simorum & gravissimorum Patrum au„ ctoritatem sequi volumus, qui ita Ba„ ptismum in nomine Jesu Christi inter„ pretati sunt, ut dixerint iis verbis si„ gnificari Baptismum, non qui a Joan„ ne, sed qui a Christo Domino traditus „ esset, tametsi a communi, & usitata „ forma, quæ distincta trium Persona„ rum nomina continet, Apostoli non dis„ cederent. Atque hoc loquendi genere „ Paulus etiam in Epistola ad Galatas „ usus videtur, cum inquit: Quicum„ que in Christo baptizati estis, Christum „ induistis: ut significaret in fide Christi, „ nec alia tamen forma, quam idem „ Salvator, & Dominus noster servan„ dam præceperat, baptizatos esse. „

Respondeo tertio ad eamdem difficultatem iterum distinguendo: Multi baptizati sunt in nomine Christi, hoc est in fide & lavacro Christi, concedo: excludendo alias Personas, nego. Baptismus novæ legis dicitur fieri in nomine & virtute Christi, ad distinctionem Baptismi Joannis, qui non baptizabat ut Christus in Spiritu sancto; sic censet Facundus Herminiensis L. 1. pag. 22. "Quod autem, *ait*, in no„ mine Domini Jesu hi quos memoravi„ mus, baptizati narrantur, non ex eo „ credendum arbitror, quia non in no„ mine Patris, & Filii, & Spiritus san„ cti baptizati sunt, ut etiam in ipsis „ servaretur verbis a Domino constituta „ forma Baptismi. Sed quia hoc erat in„ sinuandum quod Baptismo novo fuerint „ baptizati, sufficere judicatum est ad „ discretionem ipsius novi Baptismi solum „ nomen Domini Jesu memorare, quod „ neque in Baptismo Joannis, neque in „ aliis Baptismis Judaici ritus interfere„ batur. Ceterum, illis sacratis verbis, „ id est, in nomine Patris, & Filii, & „ Spiritus sancti baptizati mihi viden„ tur. „

Secun-

Secundo, ex Conciliis.

OPPONES: Concilia sacram interpretantia Scripturam debemus audire: Atqui Concilia varios Actuum textus modo laudatos intelligunt de Baptismo in solo Christi nomine dato. Igitur sic intelligenda est Scriptura modo laudata. Probatur minor: Concilium Forojuliense sub Adriano I. ann. 791. Edit. Col. Agrip. 1606. pag. 405. adductis Actuum locis jamjam citatis, alterum addit in quo dicitur Philippum Diaconum etiam in solo Christi nomine baptizasse Samaritanos; tum concludit Baptismum valere, in nomine Christi: " Porro, *inquit*, multi Samaritanorum, cum credidissent Philippo evangelizanti de regno Dei, & in nomine Jesu baptizabantur viri & mulieres, haud dubie in nomine Jesu Christi." Quam baptizandi regulam dicit a Petro approbatam. Ergo &c.

Respondeo negando minorem: Ad probationem distinguo: Et Concilium loquitur de via extraordinaria, concedo: de via ordinaria, nego. Solutio patet ex duobus. Primo quidem post verba in objectione laudata, dicit Christum commendasse Discipulis, ut baptizarent in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti: " Post Resurrectionem *inquit*, Dominus Apostolis commendavit, quorum Principatum idem beatus gerebat Petrus Apostolus, Ite, *inquit*, docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. " Secundo, eo loci hanc sibi facit objectionem: " Cur Magister in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, & Discipuli in nomine tantum Jesu præcipiunt baptizari? Numquid aliud veritas per semetipsam docuit, & aliud Discipuli veritatis, vel aliam formam doctrinæ Ecclesiis tradiderunt?"

Tum respondet, rem non ita se habere, sed hoc a Discipulis ex dispensatione & revelante Spiritu sancto ita factum: " Absit hoc, *ait*, ... sed videamus qualiter utrumque verum & sanctum est, socialeque bonum, & individuum mysterium Sacramentum. Igitur sanctæ Trinitatis, quam Magister & Dominus, tribus enumeratis Personis, in uno tamen nomine voluit demonstrare. Hoc ejusdem veritatis Discipuli, in una de Trinitate Persona, id est, Filii, totam sanctamque Trinitatem essentialiter, sancto sibi revelante Spiritu, intelligere meruerunt. Quoniam sicut crebrius dictum est, inseparabilia sunt semper opera Trinitatis. Ubi enim Pater, ibi inseparabiliter Filius & Spiritus sanctus, & ubi Filius, ibi inenarrabiliter Pater, & Spiritus sanctus, & ubi Spiritus sanctus, ibi incomprehensibiliter Pater, & Filius."

Replicabis: Atqui etiam de via ordinaria, & citra dispensationem Concilium intelligit Baptismum posse dari in solo Christi nomine: Et probatur. Ratio qua probat Baptismum sub ista forma esse optimum, ea est, quia Filius est in Patre, & Spiritus sanctus in Patre & Filio: " Nam etsi *inquit ibidem*, audierant Discipuli præcipiente Domino & Magistro propter Mysterium Trinitatis: Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti: audierunt profecto præsentes eum ostendentem sibi unitatem naturæ: Ego, ait, & Pater unum sumus." Sed eadem viget etiam nunc ratio, nec ad revelationem confugiendum est; cum utique eam habeamus per fidem quæ nobis revelat Filium esse in Patre, Spiritum vero sanctum in Patre & Filio. Ergo &c.

Respondeo negando subsumptum. Ad probationem nego, Concilium docere formam ordinariam esse istam, Ego te baptizo in nomine Jesu, cum alteram communem & omnibus vel ab ipso Christo Discipulis commendatam, iterum atque iterum referant Patres Synodici: afferunt quidem rationem convenientiæ dispensationis, quia Filius est in Patre, Spiritus sanctus in Patre, & Filio. Unde nego paritatem. Istud enim intercedit discrimen inter fidei revelationem, & alteram quæ nomine dispensationis celebratur, quod prior facta sit Ecclesiæ, & omnibus sit communis; posterior vero sit specialis Spiritus sancti instinctus additus fidei, & specialibus personis concessus, qualis fuit revelatio facta Apostolis, ut in solo Christi nomine baptizarent: Quod tamen non

nihil

nihil revocat in dubium Catechismus Romanus supra laudatus.

Insistes: Ut Baptismus valeat, sufficit ut fiat expressa mentio de sancta Trinitate: Sed fit in Baptismate in solo Christi nomine collato. Et probatur: Relativa sunt simul natura & cognitione: Atqui Filius est nomen relativum & connotat Patrem, Pater vero & Spiritus sanctus concipiuntur se mutuo amare. Igitur nominando unam Personam ceteræ exprimuntur.

Respondeo negando minorem. Ad probationem distinguo minorem: Filius connotat Patrem implicite, concedo: explicite, nego: Alius est enim conceptus formalis Patris, alius Filii. Porro requiritur formalis & explicita expressio trium Personarum in forma Baptismi, quippe quæ sit a Christo in individuo determinata. Sic docet D. Thomas, hic quæst. 66. art. 6. his verbis: " Et ideo quidquid desit „ ad plenam invocationem Trinitatis, „ tollit integritatem Baptismi. Nec obstat „ quod in nomine unius personæ intelligitur alia, sicut in nomine Patris intelligitur Filius, aut quod ille qui nominat unam solam personam, potest habere rectam fidem de tribus, quia sicut „ ad Sacramentum requiritur materia „ sensibilis, ita & forma sensibilis. Unde „ non sufficit intellectus, vel fides Trinitatis ad perfectionem Sacramenti, nisi „ sensibilibus verbis veritas exprimatur. „ Unde & in Baptismo Christi, ubi fuit „ origo sanctificationis nostri Baptismi affuit Trinitas in sensibilibus signis, scilicet Pater in voce, Filius in humana „ natura, Spiritus sanctus in columba. „

Persistes: Concilia absque restrictione Baptismum in nomine solius Christi conferendum esse censent: Igitur valet in nomine solius Christi. Probatur antecedens: Lemoviceose Diœcesanum ait: " Dicimus infantem esse baptizatum, si „ baptizans dicat, baptizo te in nomine Christi. „ Idem quædam aliæ Synodi proferunt. Idem Petrus Pictaviensis Lib. 5. cap. 5. Idem Joannes de Racusio in oratione habita coram Concilio Basileensi de Communione sub utraque specie. Ergo &c.

Respondeo negando consequentiam. Ad probationes dico, Synodos laudatas non esse Oecumenicas, adeoque nec in hoc audiendas esse, maxime a tempore Concilii Tridentini, quod Sess. 7. can. 4. de fide determinavit, Baptismum valere solum in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti collatum. Ceterum quæcumque oratores proferunt in Conciliis vim non habent definitionis, donec accedat consensus Patrum; non legitur autem Synodum Basileensem definivisse Baptismum in solo Christi nomine collatum valere.

Tertio, ex summis Pontificibus & sanctis Patribus.

REPLICABIS: Non unus summus Pontifex Baptismum in nomine solius Christi collatum probavit. Ergo &c. Probatur antecedens. De sancto Stephano primo, Sanctus Cyprianus Epistol. 73. hæc scribit: " Quomodo ergo quidam dicunt foris extra Ecclesiam, immo & contra „ Ecclesiam, modo in nomine Jesu Christi, ubicumque, & quomodocumque, „ Gentilem baptizatum, remissionem „ peccatorum consequi posse; quando „ ipse Christus gentes baptizari jubeat in „ plena, & adunata Trinitate? „ II. Nicolaus primus a Bulgaris interrogatus, num baptizatus a Judæo optime tinctus foret, sic respondit, & habetur capit. *A quodam Judæo.* De consecrat. Dist. 4. " A „ quodam Judæo, *inquit*, nescitis utrum „ Christiano, an Pagano, multos in patria vestra baptizatos asseritis, & quid „ de his sit agendum consulitis, hi profecto, si in nomine sanctæ Trinitatis, „ vel tantum in nomine Christi, sicut „ in Actibus Apostolorum legimus, baptizati sunt; constat eos non esse denuo „ baptizandos. „ Ergo &c.

Respondeo negando antecedens. Ad primam probationem dist. Et S. Cyprianus errore facti detentus, non assecutus est mentem Stephani, concedo; & assecutus est, nego. Zelo abreptus Cyprianus ægre ferebat Stephanum recipere baptismum verbis Evangelicis ab Hæreticis collatum, ex quo inferebat sanctum Pontificem, etiam Baptisma, absque verbis Christi datum valere: sed non sic. Constat enim ex multis capitibus Stephanum semper voluisse baptismum in nomine sanctæ Trinitatis conferri. I. Ex Scriptore anonymo Cypriano suppari, qui de decreto S. Papæ loquens ait,

ait, Baptismum tunc datum in nomine Christi, non exclusisse trium Personarum invocationem: " Nec æstimes huic tra„ ctui contrarium esse quod dixit Do„ minus: Ite, docete gentes, tingite eos „ in nomine Patris, & Filii, & Spiri„ tus sancti: quia cum hoc verum, & „ rectum, & omnibus modis in Ecclesia „ observandum sit, & observari quoque „ solitum sit, tamen considerare oportet „ quod invocatio nominis Jesu non debet „ a nobis futilis videri propter veneratio„ nem & virtutem ipsius nominis, in quo „ nomine virtutes omnes solent fieri, & „ nonnumquam aliquæ etiam ab homini„ bus extraneis. „ Extat ille anonymi tractatus in exemplari vetustissimo S. Remigii Remensis, post Epistolam sancti Cypriani ad Pompejum: quem primum inter Cypriani opera edidit Rigaltius. Illum autem Tractatum Ursino Monacho Afro tribuit MS. codex Vaticanæ Bibliothecæ, cujus Ursini meminit Gennadius capite 27. libri de Scriptoribus Ecclesiasticis.

Rursus ex Epistola Firmiliani ad S. Cyprianum, in qua de S. Stephano, ejusque decreto loquens ait: " Illud quoque ab„ surdum, quod non putant quærendum „ esse, quis sit ille qui baptizaverit, eo „ quod qui baptizatus sit, gratiam con„ sequi potuerit, invocata Trinitate no„ minum, Patris, & Filii, & Spiritus „ sancti. „ Hoc ipsum patet ex decreto S. Papæ dicentis, *Nihil innovetur, nisi quod traditum est*. Audis eum velle Baptismum conferri juxta Traditionem, adeoque *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*.

Ad factum Nicolai I. distinguo: Et dixit ut Doctor particularis Baptismum valere in solo Christi nomine, concedo. Loquens ex cathedra, nego: non enim de hoc fecit definitionem, maxime cum consultaretur non de forma, sed de validitate Ministri, hoc est, num Baptisma collatum a Pagano valeret. Ceterum Concilium Tridentinum de fide definit Baptismum solummodo in nomine Patris &c. datum valere, unde isti sententiæ absolute standum est.

Instabis: Atqui ex Traditione constat Baptismum in solo Christi nomine datum valere: Ergo. Probatur subsumptum. Traditio habetur ex Patribus primorum sæculorum: Sed ex Patribus primorum sæculorum constat Baptismum in solo Christi nomine datum validum esse: Et probatur. Instar omnium sint S. Hilarius, & S. Ambros. Prior Lib. de Synodis ita loquitur: " Ne postremo Apostoli „ reperiantur in crimine, qui baptizare „ in nomine Patris, & Filii, & Spiri„ tus sancti jussi, tantum in Jesu nomine „ baptizaverunt. „ Posterior vero L. de Spiritu sancto cap. 3. ait: " Nunc consi„ deremus, utrum quemadmodum in „ Christi nomine plenum esse legimus Ba„ ptismatis Sacramentum, ita etiam san„ cto tantum Spiritu nuncupato, nihil de„ sit ad Mysterium. „ Ergo &c. Hanc ibi reddit rationem, quia nominando Christum ceteræ Personæ designantur: " Si Christum dicas, & Patrem a quo „ unctus est, & ipsum qui unctus est, „ & Spiritum sanctum quo unctus est „ designasti. „

Respondeo negando subsumptum: Ad probationem nego minorem. Ad ulteriorem probationem auctoritate D. Hilarii fussultam, distinguo; Et eo loci sanctus Doctor vult solum sacras Scripturas non esse sibi contrarias, concedo: & contendit Baptismum valere in solo Christi nomine, nego. Quia vero Apostoli ex dispensatione potuerunt baptizare in nomine solius Christi, Act. 2. ideo sic loquitur. Quod sit ejus sensus patet ex verbis antecedentibus: " Pereant quoque, *inquit*, si vide„ tur quod non ego dixerim, sed respon„ sionis necessitas, omnia divina illa, & „ sancta Evangelia salutis humanæ: ne se in„ vicem contraria dictorum opinione com„ pugnent; ne missurus Dominus Spiri„ tum sanctum, ipse de Spiritu sancto na„ tus legatur: ne mortem, & gladium „ denunciaturus usuris, emi gladium pas„ surus indicat: ne ad inferos descensu„ rus, in Paradiso sit cum latrone: ne po„ stremo Apostoli reperiantur in crimine, „ qui baptizare in nomine Patris, & Filii, „ & Spiritus sancti jussi, tantum in Jesu „ nomine baptizaverunt. „

Ad S. Ambrosium distinguo: Et sanctus Doctor vult solum opera ad extra esse omnibus Personis communia, concedo: & excludit in Baptismo trium Personarum invocationem, nego. In isto libro probat Spiritus sancti divinitatem, & omnia illi tribuit quæ ceteris Personis tribui-

tribuimus; quo circa si exploderet a Baptismo trium Personarum invocationem, & unam nominare sufficeret, utique Baptisma in nomine solius Patris, vel solius Spiritus sancti datum valeret, quod nullus unquam dixerit: " Sed, *ait*, fortasse „ aliquis dicat: qua ratione, cum dixerit „ hic ex Patre omnia, & per filium omnia, de Spiritu sancto tacuerit, & hinc „ cupiat præjudicium comparare ? quod „ si pergit malitiose interpretari, quam „ multis invenit locis prædicatam Spiritus sancti potestatem, in quibus vel de „ Patre, vel de Filio nihil Scriptura expresserit, sed intelligendum reliquerit. „ Numquid ergo cum gratia Spiritus prędicatur, Dei Patris, aut Unigeniti filii deneratur, non ita: quia sicut Pater in Filio, & Filius in Patre; ita „ etiam diffusa est charitas Dei in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui „ datus est nobis. Et sicut qui benedicitur in Christo, benedicitur in nomine „ Patris, & Filii, & Spiritus sancti; „ quia unum nomen, potestas una: ita „ etiam ubi operatio aliqua divina aut „ Patris, aut Filii, aut Spiritus designatur, non solum ad sanctum Spiritum, „ sed etiam ad Patrem refertur, & Filium; nec solum ad Patrem, sed etiam ad Filium refertur & Spiritum. „ *Jamvero* quod S. Ambrosius Baptismum in nomine trium personarum propugnaverit, audi ipsum L. 2. de Sacr. cap. 7. sic loquentem: " In uno autem nomine „ baptizari nos jussit: hoc est in nomine „ Patris, & Filii, & Spiritus sancti: „ noli mirari quia dixi unum nomen, „ ubi est una substantia, una divinitas, „ una majestas, hoc est nomen, de quo „ dictum est: in quo oportet omnes salvos fieri. „

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Baptismus in solo Christi nomine datus non valet.

PRIMO: Matt. 18. habetur: *Euntes ergo, docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*. Quæ quidem verba ponderans S. Th. hic q. 66. art. 6. ait Baptismum seclusa sanctiss. Trinitatis invocatione, non valere.

Secundo: Astipulatur Traditio; sic enim docet Justinus Apol. 2. Sic Cyprianus Epist. 73. ad Jubajanum, sic Basilius Lib. de Spiritu sancto cap. 12.

Tertio: Hoc ipsum definivit sacra Synodus Tridentina Sess. 7. can. 4. Quod & usu quotidiano comprobatur.

SYNOPSIS OBJECTIONUM ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Legitur quidem Act. 2. Baptismum dari in nomine Christi, sed non excludendo alias Personas: Tum quia Baptismus etiam datus in nomine sanctæ Trinitatis recte appellatur Christi Baptisma, eo quod Christum habeat auctorem.

Secundo: In eodem prorsus sensu quædam Concilia particularia intelligenda sunt, maxime cum sacra Synodus Tridentina Sess. 7. can. 4. agens de Baptismo, nonnisi Baptismum in nomine SS. Trinitatis collatum commemoret.

Tertio: Tametsi Filius sit in Patre, sanctus vero Spiritus in Filio & Patre, non sufficit unicam in forma Baptismi nominare Personam, quia Christus aliter determinavit.

ARTICULUS OCTAVUS.

De veteris legis Baptismatibus.

VARIA fuisse in veteri lege Baptismata colligitur ex his Apostoli verbis *Baptismatum doctrina* gloss. (Pluraliter dicit.) Sed inter alia duo recensentur principalia, videlicet Circumcisio quæ vices Baptismi pro masculis gerebat: Tum Baptisma Joannis. De utroque momento ne aliquid ad tractatum Baptismi desit, agendum est.

SECTIO PRIMV.

Num Circumcisio rationem haberet Baptismi in veteri lege?

BAPTISMUS in duplici sensu spectari potest; primo quidem secundum se, deinde vero secundum effectus: si priori modo consideretur, certum est esse ablutio-

tionem, aqua elevata, ad sanctificandum hominem factam: si posteriori, id omne quod eumdem cum Baptismo præstat effectum, potest dici Baptisma virtuale. Certum est Circumcisionem non fuisse Baptismum, in prima significatione usurpatum; hinc non nisi de Baptismo virtuali præsens controversia movetur, & quæritur I. Num Circumcisio sit Sacramentum ad delendum peccatum originale? II. Num gratiam producat sicut Sacramentum novæ legis? Jam sit

CONCLUSIO PRIMA.

Circumcisio habebat rationem Baptismatis in veteri lege pro masculis.

Probatur rationibus Theologicis.

PRIMA est: Sacramentum est signum a Deo institutum ad salutem generis humani: Atqui Circumcisio talis fuit, quippe quæ & Deum haberet auctorem, & ad salutem hominis instituta foret; sic enim habetur Gen. 17. *Hoc est pactum meum quod observabitis inter me, & vos, & semen tuum post te: circumcidetur ex vobis omne masculinum, & circumcidetis carnem præputii vestri, ut sit in signum fœderis inter me, & vos.* Rursus ibid. *Masculus cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo*, vel ut legit Augustinus L. 3. contra Julianum cap. 18. *peribit de populo meo.* Quæ verba idem sanctus Doctor ibidem docet intelligenda esse non tantum de adultis sed etiam de parvulis.

Secunda: Signum sensibile a Deo ad gratiam conferendam parvulis datum, est sacramentum, & quidem Baptismatis: Atqui talis erat Circumcisio, eo quippe scopo, & fine circumcidebantur parvuli, ut in eis abstergeretur macula peccati originalis, cum non aliam haberent. Igitur Circumcisio erat verum sacramentum. Quod autem deleret in masculis peccatum originale, probatur ex summis Pontificibus & ex SS. Patribus. Gregorius Magnus, L. 4. Moral. cap. 1. & habetur de consecratione distinct. 4. cap. 5. can. *Quod autem*, dicit: " Quod apud nos valet aqua Baptismatis, hoc egit pro illis qui de Abrahæ stirpe prodierant, mysterium Circumcisionis. " Innocentius III. in cap. *Majores* de Baptismo, asserit Baptismum Circumcisioni successisse; per illam enim originale remittebatur peccatum, licet ad regnum cœlorum tunc non pervenirent pueri."

Suffragantur Patres. Habemus Augustinum, seu auctorem libri hypognosticon cap. 5. ubi ait: " Circumcisio octavæ diei, Baptismi gratiam dabat, & parvulus Circumcisione fraudatus, delicto originali non caruit. "

Idem docet divus Bernardus libro 2. de Assumptione Mariæ: " Cum *inquit*, nunc in Baptismate sola hanc maculam peccati originalis lavet gratia, & sola eam raserit petra circumcisionis. " Concinit Beda in Homil. Circumcisionis: " Idem salutiferæ curationis auxilium Circumcisio in lege contra originalis peccati vulnus agebat, quod Baptismus agere revelatæ tempore gratiæ consuevit. " Sed remissio peccati saltem de lege Dei ordinaria, sine infusione gratiæ fieri nequit: Igitur in Circumcisione conferebatur gratia sanctificans. Ea innixus ratione S. Thomas hic q. 62. art. 6. ad 3. rejicit opinionem Magistri Sententiarum, & aliorum Antiquorum, dicentium in Circumcisione non conferri gratiam, sed solum auferri peccatum: " Hoc, *inquit*, non potest esse, quia homo non justificatur a peccato, nisi per gratiam, secundum illud Rom. 3. justificati gratis per gratiam ipsius. "

Tertia ratio: Baptismus est Sacramentum fidei, & hominem Deo reconciliat: Sed Circumcisio utrumque suo modo habet effectum: Ergo &c. Ista ratio est D. Thomæ hic q. 70. art. 1. " Respondeo dicendum, quod Baptismus dicitur Sacramentum fidei, in quantum scilicet in Baptismo fit quædam fidei professio, & per Baptismum congregatur homo congregationi Fidelium; eadem autem est fides nostra, & antiquorum Patrum, secundum illud Apost. 2. Corinth. 4. habentes eumdem spiritum fidei, credimus. Circumcisio autem erat quædam protestatio fidei. Unde dicitur Roman. 4. quod Abraham accepit circumcisionem tamquam signaculum fidei. Unde & per circumcisionem Antiqui aggregabantur collegio Fide-

lium.

„ lium. Unde manifestum est, quod Circumcisio fuit præparatoria ad Baptismum, & præfigurativa ipsius, secundum quod antiquis Patribus omnia in figuram futuri contingebant (ut dicitur 1. Cor. 10.) sicut & fides eorum erat de futuro. „

Quarta: Illa cæremonia erat Baptismus virtualiter, quæ præparabat ad novæ legis Sacramentum suscipiendum; est enim relatio inter dispositionem & formam: Atqui Circumcisio erat præparatio ad Baptismum: hanc propter rationem ablutio aquæ facta a Joanne, nomine Baptismi insignita est &c. Sic ibidem art. 3. ratiocinatur divus Thomas jam laudatus, & art. 4. in argumento, *Sed contra*, his verbis: " Sed contra est quod Augustinus „ dicit ad Valerium contra Julianum, „ ex quo instituta est Circumcisio in populo Dei, quæ erat signaculum fidei „ justitiæ Dei, ad sanctificationem purgationis valebat parvulis originalis, veterisque peccati: Sicut & Baptismus „ ex illo cœpit valere tempore ad innovationem hominis, ex quo institutus „ est. „

CONCLUSIO SECUNDA.

Circumcisio nonnisi ex opere operantis producebat gratiam.

ISTA conclusio est contra Jveninum Gallicani Oratorii recentiorem Theologum, qui Comment. Hist. & dogm. de Sacramentis in genere art. 2. pag. 54. edit. Lugd. 1696. sic loquitur: *Conclusio. Non est omnino improbabilis eorum Theologorum doctrina qui Circumcisionem olim ex opere operato gratiam sanctificantem contulisse contendunt.*

Probatur rationibus Theologicis.

PRIMA: Quod de fide definitum est, nemini licet contrarium propugnare: sed de fide definitum est sola novæ legis Sacramenta gratiam ex opere operato producere: Igitur non nisi ex opere operantis Circumcisio gratiam producebat; nec citra fidei periculum contrarium defendi potest. Probatur minor ex Concilio Tridentino Sess. 7. can. 6. *Si quis dixerit sacramenta nova legis non continere gratiam quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantum externa sint accepta per fidem gratia vel justitia, & nota quadam Christiana professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus; anathema sit.* Tum can. 8. sic pronuntiat. *Si quis dixerit per ipsa nova legis sacramenta ex opere operato non conferri gratiam; sed solam fidem divina promissionis ad gratiam consequendam sufficere; anathema sit.* Quibus verbis secernit sacra Synodus Sacramenta novæ legis a sacramentis veteris legis, quod gratiam ex opere operato producerent, secus vero ista.

Igitur ex Tridentina Synodo Baptismus a Circumcisione distinguitur. I. Quia gratiam ex opere operato producit. II. Quod virtus ejus præpollentior sit ad gratiam producendam ea, quam conferebant Circumcisio, & cetera veteris legis sacramenta. III. In eo etiam quod Sacramenta Christi sint in sensu stricto causæ gratiæ, e contra vero Circumcisio quæ erat signum quo Judæi a populo barbaro distinguebantur, & signaculum fidei quo homo gratiam obtinebat, adeoque catenus ex opere operantis illam producebat, quatenus excitabat fidem, vel adulti circumcisionem accipientis, vel parentum parvuli qui circumcidebatur.

Altera: Producere gratiam ex opere operato est illam præcontinere, tum illam producere: Sed nemo dixerit sacramenta antiquæ legis in se gratiam præcontinuisse virtute, eamque in animabus produxisse. Et probatur: Primo ex Apostolo, qui ea vocat vacua, & egena elementa, ad Galat. 4. II. Inde sequeretur nostra non multum superare in virtute circumcisionem. III. Ad perfectum adduxisset lex Mosaica, si ejus sacramenta ex opere operato gratiam produxissent; quod est contra Apostolum dicentem Heb. 7. *Nihil ad perfectum adduxit lex.* IV. Ex Concilio Tridentino jam citato. V. Ex Florentino ubi in decreto unionis, & instructionis hæc habentur: " Septem sunt Sacramenta „ novæ legis, scilicet Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium,

„ quæ

„ quæ multum a sacramentis differunt „ antiquæ legis: illa enim non causabant „ gratiam, sed eam solum per Passionem „ Christi dandam esse figurabant; hæc „ vero nostra, & continent gratiam, & „ ipsam digne suscipientibus conferunt. „

Tertia sub ista forma proponitur: Producere gratiam ex opere operato in sensu Concilii Tridentini, est illam producere virtute Passionis Christi quæ est opus factum, & operatum, & non virtute signi sensibilis, ut Theologi contrariæ sententiæ somniant. Sin minus tota subvertitur distinctio excellentiæ, & virtutis Sacramentorum novæ legis a sacramentis veteris legis: Igitur nedum est contra Conciliorum definitiones & Apostolum, dicere sacramenta veteris legis producere gratiam ex opere operato, sed & impossibile illud est, cum opus operatum in veteri lege scilicet Passio Christi nondum peracta foret.

Quarta: Opus operatum in veteri lege fictitium est: Ergo &c. Probatur antecedens: Sane non est signum sensibile, cum ex Apostolo sacramenta v. L *vacua essent & egena elementa*, *Gal.* 4. Non est actus suscipientis, est enim opus operantis; non etiam Passio Christi, quippe quæ foret tantummodo his temporibus futura: Igitur Circumcisio non producebat gratiam ex opere operato.

Quinta: Circumcisio non nisi a fide in Christum justificandi vim habebat: sed justificare vi fidei est gratiam producere solum ex opere operantis: Ergo &c. Ista ratio est divi Thomæ 1. 2. q. 105. art. 2. in corpore, ubi sic ait: " Veteris legis „ cæremoniæ non poterant in se conti„ nere realiter virtutem profluentem a „ Christo incarnato, & passo, sicut con„ tinent Sacramenta novæ legis, & pro„ pter hoc ad Gal. 4. Apostolus vocat ea „ egena, & infirma elementa: infirma „ quidem, quia non possunt a peccato mun„ dare; sed hæc infirmitas provenit ex „ eo quod sunt egena, id est eo quod „ non continent in se gratiam. „

Solvuntur objectiones contra primam conclusionem.

Objicies: Quod est solummodo signum distinctionis unius populi ab alio, non est sacramentum conferens gratiam: Atqui Circumcisio erat dumtaxat signaculum quo Judæi ab infidelibus sejungebantur: Et probatur I. ex Tertulliano, qui libro contra Judæos, paulo post principium sic loquitur: "Circumcisio, *inquit*, in signum „ non in salutem dederat Deus populo „ Israel. „ II. Ex Cypriano Lib. 1. contra Judæos capit. 8. ubi sic fatur: " Nonne „ Melchisedech, & alii qui non erant ex „ semine Abrahæ, fuerunt justi sine cir„ cumcisione? nam circumcisio erat tan„ tum signaculum seminis Abrahæ, sed „ non justificabat. „ Sic utique censent Justinus, Irenæus, Chrysostomus: Ergo &c.

Respondeo negando minorem. Ad probationem distinguo: & Patres laudati unum tantummodo edocere contendunt, scilicet circumcisionem non nisi ex opere operantis gratiam contulisse, concedo: Et negabant eam esse sacramentum veteris legis, nego. Quia vero sacramenta illa erant vacua, & egena elementa, maluerunt Patres delineare circumcisionem per id quod erat apud Judæos solemne signaculum, scilicet distinctionis a Barbaris, & filiationis ab Abrahamo proficiscentis, cujus se dicebant filii, quam per rationem sacramenti.

Instabis: Agnum Paschalem, & sacrificia isti Patres nominant sacramenta: Igitur & Circumcisionem hoc nomine insignire debuerunt, quod tamen non fecerunt, ex quo silentio manifeste sequitur illos non habuisse Circumcisionem ut sacramentum.

Respondeo ut supra: Et omissa illa dote maluerunt appellare Circumcisionem signaculum filiationis, quo ab Abraham ut a Patre a Deo benedicto, & quo etiam a barbaris nationibus separabantur, concedo: & negabant illam esse sacramentum, nego.

Insistes: Tertullianus in loco citato ait Circumcisionem in signum, & non in salutem fuisse datam: sed quod non est ad salutem, a ratione sacramenti deficit. Ergo &c.

Respondeo Tertullianum, & quosdam Patres potuisse Circumcisionem e sacramentorum albo expungere, sed cum summi Pontifices, multi Patres, & sanctus Tho-

C 2 mas

mas eam ut Sacramentum prædicent, probabilius est, & veritati magis consonum, eam inter sacramenta annumerare.

Persistes: Apostolus ad Galatas 2. ait: *Si per legem justitia, ergo Christus gratis mortuus est.* Igitur Circumcisio veteris legis nullo modo gratiam conferebat. Confirmatur: Baptismus aperit cœlos & remittit peccata actualia ante Baptismum commissa: Sed Circumcisio neutrum operabatur effectum: Ergo &c.

Respondeo primo, argumentum nimis probare; inde enim sequeretur nulla fuisse in veteri lege sacramenta.

Respondeo secundo, distinguendo: Gratis Christus mortuus esset, si sacramenta veteris legis gratiam independenter a Christo contulissent, concedo: si fide in Christum, & in ejus merita, nego. Circumcisio, & alia sacramenta non alio modo gratiam causabant nisi per fidem in Christum: Solutio est divi Thomæ hic q. 70. art. 4. ad 1. " Dicendum quod ratio illa procederet, si ex circumcisione esset justitia aliter, quam per Passionem Christi. "

Ad primam probationem dico, Circumcisionem aperuisse cœlos dispositive, quatenus præparabat Judæos ad recipiendum Messiam, & fidem in eum stimulabat. Ceterum erat impedimentum ad introitum in regnum cœlorum, ex parte totius naturæ corruptæ; hinc nullus etiam baptizatus ante Christi Passionem poterat intrare in cœlum; sic respondet ibidem divus Thomas art. 4. " Dicendum quod in Circumcisione auferebatur originale peccatum, ex parte personæ: remanebat tamen impedimentum intrandi in regnum cœlorum ex parte totius naturæ: quod fuit sublatum per Passionem Christi, & ideo etiam Baptismus ante Passionem Christi non introducebat in regnum; sed & Circumcisio si haberet locum post Passionem Christi introduceret in regnum. "

Ad alteram probationem idem sanctus Doctor art. 5. facit satis his verbis: " Dicendum, quod adulti quando circumcidebantur, consequebantur remissionem, non solum originalis peccati, sed etiam actualium peccatorum: non tamen ita quod liberarentur ab omni reatu pœnæ, sicut fit in Baptismo, in quo confertur copiosior gratia. "

Dices: Quidam Christiani ut Æthiopes non animo superstitioso, etiam nunc servant Circumcisionem, & tamen nihil eis prodest. Ergo &c.

Respondeo Legalia abrogata fuisse; hinc etiam si animo fidei servarentur, esset superstitio. Quidquid sit de Æthiopibus Christianis, melius esset si a Circumcisione abstinerent.

Fit satis objectionibus contra secundam conclusionem.

OBJICIT Jveninus: Circumcisio delebat peccatum originale vi propria: Igitur ex opere operato. Probatur antecedens: Illa cæremonia vi propria delebat culpam originalem, qua omissa, anima peribat, & masculus a populo Dei ejiciebatur: Atqui res ita se habebat, juxta illud Gen. 17. *Masculus cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo.* Ergo &c.

Respondeo negando antecedens. Ad probationem distinguo: Anima cujus caro non erat circumcisa, peribat propter transgressionem legis, concedo: subdit enim Deus, *Quia pactum meum irritum fecit:* ex eo quod omitteret cæremoniam quæ haberet ex se virtutem justificandi hominem, nego. Et sic distincta minore, nego consequentiam. Auctoritas ista ab auctore laudata, ne minimum quidem pro opinione contraria probare potest; tametsi enim veteris legis sacramentum produceret gratiam solum ex opere operantis, verum erat dicere illud gratiam producere, & Circumcisionem omittentes perire, quia legem a Deo sancitam transgrediebantur.

Instat: Sanctus Augustinus L. 2. de nuptiis, & concupiscentia cap. 11. asserit per Circumcisionem populum Judaicum fuisse a peccato originali liberatum, quemadmodum nunc Catechumeni Baptismate mundantur: sed Baptismus gratiam ex opere operato producit: Igitur & sic producebat Circumcisio. Verba sancti Doctoris sic citat Jveninus: " Instituta est circumcisio in populo Dei, quod erat tunc signaculum justitiæ fidei, ad significationem practicam, *Nonnulla enim exemplaria habent sanctificationem*, purgationis valebat, & parvulis originalis, veterisque peccati, sicut & Baptismus

ex

„ ex illo valere cœpit ad invocationem „ hominis ex quo institutus est. Ergo &c.

Respondeo primo, textum Augustini non nihil fuisse defloratum, nam juxta editionem Parisiensem ad signum Navis pag. 390. habetur : " Ad innovationem „ hominis ex quo est institutus. „ Minime vero *ad invocationem hominis ex quo institutus est*.

Respondeo secundo distinguendo majorem: Et comparatio Circumcisionis est inadæquata, concedo : & est omnimoda, nego : & sic distincta minore, nego consequentiam. Augustinus ait quidem per Circumcisionem peccatum originale fuisse deletum, & in hoc cum Baptismo assimilari concedit : sed de modo quo peccatum deleretur, non agit : Num ex opere operato hoc fieret, vel non, silet : subindigitat tamen Circumcisionem non nisi ex opere operantis fidem in Christum profitentis hunc habuisse effectum, cum eo loci duo dicat; primo quidem, Circumcisionem fuisse signaculum justitiæ fidei : Secundo eamdem fuisse institutam ad significandum Christum, quatenus parentes fidem in illum profitebantur; hinc circumcisio Christi passionem præludebat, & per fidem in Christum justificabantur, tam pueri, quam adulti : Sic ibi habet Augustinus : " *Traditus est enim Christus* „ *propter delicta nostra, & resurrexit pro-* „ *pter justificationem nostram*; ex quo enim „ instituta est Circumcisio in populo „ Dei, quod *erat tunc signaculum justi-* „ *tiæ Dei* ad significationem purgationis „ valebat. „ Audis Augustinum dicentem Circumcisionem valuisse ad significandam, purgationem per fidem Christi conferendam : Baptismus vero nedum significat gratiam regenerativam, sed & virtute sibi intrinseca eam producit, juxta illud ejusdem Augustini : " Quænam est „ tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, „ & cor abluat. „ Rursus L. 19. contra Faustum cap. 13. pag. 148. " Sacramen- „ ta quæ observabantur, & celebrabantur „ ex lege... ablata sunt... alia sunt in- „ stituta virtute majora. „ Si virtute majora, dubio-procul Circumcisio ex ipso Augustino non erat ejusdem cum Baptismo virtutis, ut vi sua, & ex opere operato produceret gratiam : ex quo liquet Juveninum, suo nutu contra sancti Doctoris mentem inter scribendum ipsius textum, ad vocem, *significationem* addidisse *practicam*, quod nedum cogitavit sanctus ille Pater.

Instatur: Sacramentum quod per se gratiam regenerationis producit, illam ex opere operato producit : Atqui Circumcisio sic producebat gratiam: Et probatur ex sancto Augustino, qui Lib. 4. de Baptismo cap. 24. pag. 57. columna 1. sic loquitur : " Tamen conjicere possumus, „ quid valeat in parvulis Baptismi sacra- „ mentum, ex circumcisione carnis, „ quam prior populus accepit, quam prius- „ quam acciperet, justificatus est Abra- „ ham .... Ipsum Sacramentum per sei- „ psum multum valebat. „ Eo loci infert sanctus Doctor efficaciam Baptismi ex energia Circumcisionis: sed Baptismus gratiam producit ex opere operato : Igitur & Circumcisio. Quid plura ? ait sacramentum Circumcisionis per se ipsum valere.

Respondeo negando minorem. Ad auctoritatem beati Augustini distinguo : Infert S. Augustinus ex effectu Circumcisionis effectum Baptismi, concedo: efficaciam, seu modum producendi gratiam per se, & ex opere operato, nego. Ibi non movet quæstionem de modo producendi gratiam, sed solum de gratiæ productione secundum se spectata, & quia Circumcisio fuerat solemnis, & omnibus nota, probat argumentando a simili Baptismum producere gratiam ; sed pensate quæso, quomodo ibidem loquatur de efficacia qua Circumcisio producebat gratiam, scilicet ex fide, & non ex opere operato, ac virtute intrinseca, quippe quæ esset vacuum, & egenum elementum, & nihil ad perfectum, teste Apostolo, perduceret.

Juvat verba sancti Præsulis hic texere: " Et sicut in Isaac, qui octavo suæ nati- „ vitatis die circumcisus est, præcessit si- „ gnaculum justitiæ fidei : & quoniam „ patris fidem imitatus est, secuta est in „ crescente ipsa justitia, cujus signacu- „ lum in infante præcesserat : ita & in „ baptizatis infantibus præcessit regeneta- „ tionis Sacramentum. „ Observes velim Augustinum regenerationem tribuere fidei, quæ vel præcedebat, vel concomitabatur Circumcisionem, Baptismo vero secundum se spectato.

Ad probationem distinguo: Sacramentum Circumcisionis per seipsum multum valebat ad excitandam fidem, concedo; ad producendam gratiam ex vi sibi intrinseca, & ex opere operato, nego: nondum enim illud opus cujus virtute producebatur gratia, erat operatum, sed tantum fide apprehensum. Quid igitur habebat Circumcisio supra alia signa, considerate; scilicet quod propter pactum Dei, ejusque promissionem promoveret Fideles ad credendum in Christum, ut hujusmodi fide justificarentur, propter hoc Gonetus hic Disp. 5. art. 2. pag. 161. col. 1. concedit Circumcisionem produxisse gratiam ex opere operato, non active quidem, sed passive, quatenus erat signaculum justitiæ: Non igitur illam producebat, sed per Christum producendam annuntiabat & significabat.

Replicari potest: Secundum multos Theologos, vel ipsa novæ legis Sacramenta producere gratiam solum moraliter, & tamen ex opere operato, tametsi illam causent excitando fidem: Igitur eo ipso quo Circumcisio ex se stimulabat Fideles ad credendum, gratiam ex opere operato producebat.

Respondeo negando paritatem: Ratio discriminis non una est. I. Passio Christi jam peracta est: Igitur ex opere operato Sacramenta novæ legis gratiam conferunt. II. Virtutem Christi actu eadem recipiunt ad agendum, quia moventur ab eo ut causæ instrumentales, in quibus profluit virtus causæ principalis meritoriæ, scilicet Christi. III. Gratiam producunt, non excitando fidem, cum parvulus non sit capax eliciendi fidei actus, sed movendo Deum, ut intuitu meritorum Christi, quæ continent, conferat gratiam, cum qua, modo non ponatur obex, necessariam habent connexionem; quæ quidem omnia non reperiebantur in Circumcisione. Addo cum sancto Thoma Sacramenta novæ legis, nedum moraliter, sed & physice producere gratiam ex opere operato, ut supra ostensum est.

Dices: Parvulus in veteri lege non poterat elicere actum fidei: Igitur Circumcisio in eo producebat gratiam ex opere operato, scilicet ipsiusmet Circumcisionis virtute.

Respondeo, quod parentes pro eo, & sacramenti Minister producebant fidei actum in justitiam Christi, cujus, teste Scriptura, Circumcisio erat signaculum; hinc propter legem fides conjungi debebat Circumcisioni: Igitur, neque fides sola, neque Circumcisio sola, sed fides elicita, Circumcisiu applicata, & justitia Christi apprehensa justificabant puerum.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Circumcisio habebat rationem Baptismatis pro masculis in veteri Lege, non tamen gratiam ex opere operato producebat.

PRIMUM asserit Gregorius Magnus L. 4. Moral. cap. 1. his verbis: " Quod apud „ nos valet aqua Baptismatis, hoc egit „ pro illis, qui de Abrahæ stirpe prodie„ rant, Mysterium Circumcisionis. „ Ratio est, quia præludebat Baptismum, & annexam habebat gratiæ promissionem, ut legitur Gen. 17.

Alterum caput patet ex definitione Concilii Florentini dicentis, nostra Sacramenta in hoc differre a sacramentis veteris legis, in eo quod gratiam ex opere operato producant, e contra vero ista. Ratio in promptu est: Opus nondum erat in veteri lege operatum, scilicet Passio Christi: Igitur hujus legis Circumcisionis sacramentum non poterat vim ab ea habere gratiam producendi ex opere operato.

SYNOPSIS OBJECTIONUM ET RESPONSIONUM.

PRIMO: SS. Patres nonnumquam Circumcisionem signum distinctionis vocant, sed hoc ut probent non producere gratiam ex opere operato, & virtute sibi intrinseca. Si reponas Agnum Paschalem, & sacrificia illos nominare sacramenta, nusquam vero Circumcisionem sacramentum, dico Circumcisionem, ex eo quod notius erat ab eis nominatam fuisse, videlicet ex signo distinctionis filiorum Abrahæ, sed non negant tamen gratiam ex opere operantis eam produxisse.

Secundo objicitur adversus secundam conclusionem. I. Circumcisio delebat pec-

peccatum originale, cum hac seclusa, perirent de populo Dei masculi, ut habetur Gen. 17. & hoc ipsum dicit S. Augustinus L. de nupt. & concup. c. 11. 20. Idem Augustinus L. 4. de Bapt. cap. 24. ait Circumcisionem per se valore ad justificandum hominem. III. Non potest dici Circumcisionem non a se, sed ex fide habuisse justificandi virtutem, cum parvuli actum fidei elicere non valerent.

Respondeo ad 1. Circumcisionem delevisse peccatum originale ex opere operantis. Ad 2. ex se habuisse excitare fidem, sed non producere gratiam. Ad 3. Parentes parvulorum, vel Circumcisionis Ministrum eorum nomine & pro eis actum fidei in Christum venturum produxisse, sicque justificabantur ex opere operantis, videlicet in fide parentum.

SECTIO SECUNDA.

Utrum Baptismus Joannis sit idem cum Baptismo Christi?

PUTABANT Pharisæi cum populo Baptismum Joannis esse de cœlo, adeoque esse ejusdem saltem efficaciæ cum Baptismo Christi: contra quem errorem sit

CONCLUSIO.

Baptismus Joannis erat a Christi Baptismate distinctus.

Probatur auctoritate, & ratione.

Primo, ex Scriptura sacra.

PRIMO: Joannis I. ipse Joannes secernit suum Baptisma a Christi Baptismate, eo quod ipse solum in aqua, Christus vero in Spiritu sancto baptizaret: *Quia vidi*, inquit, *Spiritum descendentem quasi columbam de cœlo: & mansit super eum, & ego nesciebam eum: sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto.*

Secundo: Christi baptisma erat in nomine sanctissimæ Trinitatis, juxta illud Matth. 28. *Euntes ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*. Nusquam vero Joannis, cum ipse dicat Joan. 1. se nescire Christum. *Quia vidi Spiritum descendentem quasi columbam de cœlo: & mansit super eum, & ego nesciebam eum.*

Tertio: Ephesii baptizati Joannis Baptismate, rursus propter hujus Sacramenti insufficientiam Christi Baptismate tincti sunt: Sic enim habetur Act. 19. *Factum est autem cum Apollo esset Corinthi, ut Paulus peragratis superioribus partibus veniret Ephesum, & inveniret quosdam discipulos, dixitque ad eos: Si Spiritum sanctum accepistis credentes: at illi dixerunt ad eum: Sed neque si Spiritus sanctus est, audivimus. Ille vero ait: In quo ergo baptizati estis? Qui dixerunt, in Joannis Baptismate. Dixit autem Paulus: Joannes baptizavit Baptismo pœnitentiæ populum, dicens in eum qui venturus esset post ipsum ut crederent, hoc est in Jesum. His auditis, baptizati sunt in nomine Domini Jesu.*

Secundo, ex sanctis Patribus.

PRIMO, ex Patribus Græcis, ita censet Origenes L. 5. in Epistolam ad Romanos exponens caput sextum. Gregorius Nazianzenus oratione in sancta lumina; Chrysostomus Hom. 10. & 12. Cyrillus Alexandrinus L. 2. in Joan. c. 7. & inter alios Basilius L. 1. de Baptismo, & in oratione 13. exhortatoria, ad Baptismum, ubi sic loquitur: " Joannes pœnitentiæ Baptismum prædicavit, Domi„ nus autem adoptionis filiorum Baptisma „ longe excellentius annuntiat. „ Ergo &c.

Secundo, ex Patribus Latinis, Tertullianus L. de Baptismo c. 10. sic loquitur: " Possumus quidem de Baptismo Joannis „ existimare divinum quidem eum fuisse „ mandato, & potestate; ceterum hu„ manum conditione; nihil enim cœle„ ste præstabat, sed cœlestibus præmini„ strabat. „ Similia profert Hieronymus dialogo contra Luciferianos: " Ego, in„ quit Joannes, vos baptizo in aqua, ille „ vos baptizabit Spiritu sancto: Si autem „ ut confessus est ipse, non baptizavit „ in Spiritu, consequenter neque pecca„ ta dimisit. „ Ergo &c.

Inter omnes eminet Augustinus L. 5. de Bapt. cap. 9. ubi ex professo hanc tractat materiam, & variis probat rationibus

Baptismum Joannis esse prorsus a Baptismate Christi distinctum. I. Quia Baptismus Joannis non erat Christi Baptismus, sed a Christo, ipsi concessus. Sic loquitur pag. 59. col. 2. " *Baptizatos* enim *a Paulo* „ *eos qui jam Baptismo Joannis baptizati fuis-* „ *sent, legimus in Actibus Apostolorum*; non „ ob aliud, nisi quia Joannis Baptismus „ non fuit Christi Baptismus, sed Joan- „ ni a Christo concessus, qui Joannis „ proprie diceretur, sicut idem Joannes „ dicit, *Non potest homo accipere quic-* „ *quam, nisi datum fuerit ei de cœlo*. Et „ ne forsitan hoc sic a Deo Patre acci- „ pere videretur, ut a Filio non accipe- „ ret, de ipso Christus idemtidem lo- „ quens ait: *Nos omnes de plenitudine ejus* „ *accepimus*. Accepit autem hoc Joannes „ certæ dispensationis gratia, non diu „ mansurum, sed quantum satis esset ad „ parandam viam Domino, cujus eum „ esse præcursorem oportebat. „ II. Quia baptizati a Joanne indigebant ulterius a Christo baptizari, ex quo liquet Joannis Baptisma non habuisse eamdem cum Christi Baptismate efficaciam. Ibidem pag. 60. " Joannes autem tali Baptismo prætinge- „ bat, quo accepto esset Baptisma etiam „ Dominicum necessarium, non ut illud „ repetatur, sed ut eis qui Baptismum „ Joannis acceperant, etiam Christi Ba- „ ptismus cui viam præparabat ille, tra- „ deretur. Si enim Christi humilitas com- „ mendanda non esset, nec Baptismo Joan- „ nis opus esset. „ III. Quia Joannis Baptisma finem non pertingebat, bene vero Christi, ibidem: " Rursum, si in Joan- „ ne finis esset, post Joannis Baptisma „ Christi Baptismate opus non esset: Sed „ quia *finis legis Christus ad justitiam omni* „ *credenti*, ab illo demonstratum est ad „ quem pergeretur; ad hunc cum per- „ ventum fuerit, permaneretur. Idem „ igitur Joannes, & celsitudinem Domini „ prædicavit, cum eum sibi longe præ- „ posuit: & humilitatem, cum eum tam- „ quam infimum baptizavit. Sed si .... „ Joannes dispensator fuisse putaretur, quo „ ipse Christus solus tinctus esset, quam „ Christi est quo Christiani tinguntur: & „ rursus si omnes prius Baptismo Joan- „ nis, & deinde Christi baptizari opor- „ teret, minus plenus, minusque per- „ fectus Christi Baptismus merito vide- „ retur, quia non sufficeret ad salu- „ tem. „

Continuant Patres Tridentini Sess. 7. can. 1. his verbis: *Si quis dixerit Baptismum Joannis habuisse eamdem vim cum Baptismo Christi, anathema sit*.

Tertio, rationibus Theologicis.

PRIMA hæc est: Sacramenta novæ legis essentialiter distinguuntur a sacramentis veteris legis, quippe quæ essent vacua & egena elementa, ex Apostolo ad Galat. 4. Illa vero, ait Florentinum, gratiam quam præcontinent, producunt: Sed Baptismus Joannis erat sacramentum veteris legis, cujus Joannes erat ultimus Propheta, juxta illud Matt. 11. *Lex & Prophetæ usque ad Joannem*. Ergo &c.

Secunda: Sacramenta veteris legis non nisi ex opere operantis gratiam producebant, ut supra ostensum est; Sed Baptismus gratiam ex opere operato producit. Ergo &c.

Tertia: Figura non est ejusdem efficaciæ cum veritate; alias non esset figura, sed ipsa veritas: Sed ex Patribus Baptismus Joannis erat figura Baptismi Christi: Igitur non poterat gratiam ex opere operato producere.

Quarta: Baptisma Joannis reiterari poterat, & hoc propter ejus insufficientiam; e contra vero Baptismus Christi. Igitur Baptismus Joannis prorsus distinguebatur a Baptismate Christi. Probatur antecedens ex divo Thoma, qui hic quæst. 66. art. 9. in argumento *Sed contra*, ex professo docet Baptismum Christi non reiterari, juxta illud Ephesior. 4. *Una fides, unum Baptisma*. Tum in corpore sic probat Baptismum Christi non posse reiterari. " Dicendum quod Baptismus ite- „ rari non potest. Primo quidem quia „ Baptismus est quædam spiritualis rege- „ neratio, prout scilicet quis moritur „ veteri vitæ, & incipit novam vitam „ agere. Unde dicitur Joan. 3. Nisi quis „ renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, „ non potest introire in regnum Dei. „ Unius autem non est nisi una generatio; „ & ideo non potest Baptismus iterari, „ sicut nec carnalis generatio. Unde Au- „ gustinus dicit super illud Joan. 3. Num- „ quid potest in ventrem matris suæ ite- „ rato

„ rato introire, & renasci? Sic tu, in„ quit, intellige nativitatem spiritus, „ quomodo intellexit Nicodemus nativi„ tatem carnis; quomodo enim uterus „ non potest repeti, sic nec Baptismus. „ *Pergit*; " Secundo, quia in morte Chri„ sti baptizamur, per quam morimur pec„ cato, & resurgimus in novitatem vi„ tæ; Christus autem semel tantum mor„ tuus est, & ideo Baptismus iterari non „ debet: propter quod Hebr. 6. contra „ quosdam rebaptizari volentes dicitur: „ Rursus crucifigentes sibimetipsis Fi„ lium Dei. Ubi Glossa dicit, una „ Christi mors, unum baptisma conse„ cravit. „ *Subjicit*: " Tertio, quia Baptismus im„ primit characterem qui est indelebilis, „ & cum quadam consecratione datur. „ Unde sicut aliæ consecrationes non ite„ rantur in Ecclesia, ita nec Baptismus. „ Et hoc est quod Augustinus dicit in 2. „ contra Epistolam Parmeniani, quod cha„ racter militaris non repetitur, & quod „ non minus hæret Sacramentum Chri„ sti, quam corporalis hæc nota, cum „ videamus nec apostatas carere baptisma„ te, quibus utique per pœnitentiam red„ euntibus, non restituitur. „ *Demum ait*: Quarto, quia Baptismus „ principaliter datur contra originale pec„ catum; & ideo sicut originale pecca„ tum non iteratur, ita etiam nec Ba„ ptismus iteratur; quia ut dicitur Ro„ man. 5. Sicut per unius delictum in „ omnes homines in condemnationem, sic „ per unius justitiam, in omnes homines „ in justificationem vitæ. „

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

OBJICIES: Ille Baptismus erat a Christi Baptismo indistinctus. Ergo &c. Probatur antecedens: I. Christus seipsum illi Sacramento subjecit, & illud recepit. II. Erat in remissionem peccatorum; habetur enim in Scriptura Marci 1. de Joanne: *Prædicavit baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum*. Ergo &c.

Respondeo negando antecedens. Ad primam probationem distinguo: Christus se subjecit Baptismo Joannis ad humilitatis exemplum, concedo: propter ejus eminentiam supra suum Baptismum, nego. Ita August. ibidem pag. 59. " Quam ille „ humiliter ingressurus, & se humiliter „ sequentes ad excellentiam deducturus, „ sicut servis pedes lavit, ita servi ba„ ptismo tingi voluit; sicut enim se sub„ jecit pedibus eorum quos ipse dirige„ bat, sic Joannis muneri quod ipse do„ naverat: ut intelligerent omnes, quan„ to superbiæ sacrilegio quisque contem„ neret baptisma quod a Domino deberet „ accipere, quando ipse Dominus acce„ pisset, quod servo ut proprium dare „ posset, ipse præstiterat. „

Ad secundam probationem similiter distinguo: Baptismus Joannis erat in remissionem peccatorum ex opere operantis, concedo: ex opere operato sicut Baptismus Christi, nego. Solutio colligitur ex eodem Augustino ibidem pagina 60. ' Quæro itaque, si Baptismo Joannis „ peccata dimittebantur, quid amplius „ præstare potuit Baptismus Christi eis „ quos Apostolus Paulus post Baptismum „ Joannis Christi Baptismo voluit bapti„ zari? .... Quid ergo? Joannes non erat „ in unitate, amicus ille sponsi, viæ „ Dominicæ præparator, & ipsius Do„ mini baptizator? Quis hoc dementis„ simus dixerit? Quapropter quamquam „ ita credam baptizasse Joannem in aqua „ pœnitentiæ in remissionem peccatorum, „ ut ab eo baptizatis in spe remitteren„ tur peccata, reipsa vero in Domini Ba„ ptismo id fieret: sicut resurrectio quæ „ expectatur in finem, in nobis facta est, „ sicut dicit Apostolus, *Quia simul nos ex„ citavit, & simul sedere fecit in cælesti„ bus*: & idem dicit: *Spe enim salvi facti „ sumus*: nam & ipse Joannes cum dicat: „ *Ego quidem baptizo vos in aqua pœnitentiæ „ in remissionem peccatorum*: Dominum vi„ dens ait: *Ecce agnus Dei, ecce qui tol„ lit peccata mundi*. Tamen ne quisque „ contendat etiam in Baptismo Joannis „ dimissa esse peccata, sed aliquam am„ pliorem sanctificationem eis quos jussit „ Paulus Apostolus denuo baptizari, per „ Baptismum Christi esse collatam, non „ ago pugnaciter. „

Insistes: Joannes pertinebat ad novam legem, erat enim Angelus spiritu, & præcursor præparans viam Domini. Igitur ejus Baptisma ejusdem erat efficaciæ ac Baptisma novæ legis. Confirmatur:

Habe-

Habebat Christum præsentem, ipsum demonstravit & confessus est; ergo sicut quando Petrus baptizavit ceteros Discipulos, vel alios ante passionem Christi, Baptisma ab ipso collatum operabatur ex opere operato propter præsentiam Christi, ita & Baptismus Joannis.

Respondeo distinguendo: Joannes pertinebat ad novam legem ut præcursor terminans veterem legem, illamque cum nova conjungens, concedo: ut membrum, subdistinguo: tamquam auctoritatem habens in lege nova, nego; ut servus illius, concedo. Ceterum occisus est ante Christum, adeoque in tempore quo nondum lex nova erat perfecte stabilita & promulgata. Ad confirmationem, nego paritatem; Petrus enim conferebat Baptisma Christi, adeoque vim habens ex institutione Christi: quæ quidem conditio præter præsentiam requiritur.

Instabis: Tertullianus Lib. de Bapt. c. 4. pag. 257. sic loquitur: " Nec quicquam „ refert inter eos quos Joannes in Jorda„ ne, & quos Petrus in Tiberi tinxit. „ Ergo &c.

Respondeo I. opponendo Tertullianum Tertulliano. II. Distinguendo: Nihil refert quoad materiam, an scilicet aqua sumatur vel in Jordane, vel in Tiberi, vel in alio flumine, concedo: nihil refert quoad formam & efficaciam, nego. Ad primum solum attendit Tertullianus.

Repones: Baptismus Joannis vi ablutionis remittebat peccata. Igitur ex opere operato. Probatur antecedens ex Patribus: Basilius Lib. de Bapt. cap. 10. ait: " Ba„ ptismus Joannis nullam prorsus faciebat „ ad gratiam Dei perveniendi dilationem; „ simul accelerat quis, & peccata sua „ quantacumque & qualiacumque fuisset „ confessus, in Jordanis flumine baptiza„ batur, & confestim peccatorum remis„ sionem accipiebat. „ Rursus Homil. 13. " Baptisma, *inquit*, Joannis exuit pecca„ tis, Baptisma Christi nos Christo familia„ res reddit; a peccato illud avocabat, „ istud cum Deo conjungit. „ Idem dicit Ambrosius Lib. 1. de Spiritu santo c. 3. idem Cyrillus Jerosolymitanus catechesi mystagogica 2. Ergo &c.

Respondeo negando antecedens. Ad probationem distinguo: Baptismus Joannis remittebat peccata ex opere operantis, & dispositive, concedo: formaliter & ex opere operato, nego. Primum solummodo volunt Patres; Basilius enim dicit Baptismum Joannis non habuisse ex se vim dandi Spiritum sanctum, & nos conjungendi cum Deo, ut habetur in secundo objectionis loco; vel ipse Cyrillus dicit non dedisse adoptionem filiorum Dei.

Insurges: Baptismus Joannis majorem habebat efficaciam, quam opus operantis, scilicet actus virtutum; alias non fuisset sacramentum. Igitur operabatur ex opere operato.

Respondeo distinguendo majorem: Habebat in ratione dispositionis, concedo: in ratione sacramenti, subdistinguo; Præparatorie, concedo: formaliter efficaciter, nego. Sicut ergo calor ut octo excedit alias dispositiones, & attingit ultimate ignitionem, remanendo tamen semper in genere dispositionis; ita Baptismus pœnitentiæ Joannis erat ultima dispositio ad remissionem peccatorum, etiam aliqualiter in ratione sacramenti, quatenus movebat & excitabat ad pœnitentiam qua peccata abstergerentur.

Persistes: Baptisma quod Discipuli Christi contulerunt ante passionem, operabatur ex opere operato; sed illud erat Baptisma Joannis. Ergo &c. Probatur minor: Tertullianus Lib. de Baptismo c. 12. pag. 260. loquendo de tempore ante Christi passionem, sic ait: " Tingebant Di„ scipuli ejus ut ministri, ut Joannes an„ te præcursor, eodem Baptismo Joan„ nis, ne quis alio putet, quia nec ex„ tat alius nisi postea Christi, qui tunc „ utique a discentibus dari non poterat, „ utpote nondum adimpleta gloria Do„ mini, nec instructa efficacia lavacri per „ passionem & resurrectionem. „

Respondeo primo, Discipulos potuisse baptizare batismate Joannis; sed illud baptisma habuisset effectum tantum ex opere operantis.

Respondeo secundo, negando absolute minorem. Augustinus enim, & alii Patres asserunt Discipulos baptizasse solum Baptismo Christi, qui quidem erat idem cum Joannis Baptismo materialiter; aqua enim erat in utroque, sed non formaliter.

SY-

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Baptismus Joannis erat a Christi Baptismate distinctus.

PRIMO: Sic habetur Mat. 28. ubi Baptismus Christi in nomine sanctissimæ Trinitatis fieri commemoratur; Joannes vero solum in aqua baptizabat, cum se nescire Christum asserat Joannes. Rursus Act. 19. legitur Ephesios Joannis Baptismate tinctos tunc ignorasse Spiritum sanctum, quocirca Paulus eos Christi Baptismate abluit.

Secundo: Sic propugnant & docent Patres, in primis Origenes Lib. 5. in Epist. ad Romanos: Gregorius Nazianzenus. Oratione in sancta lumina: Tertullianus Lib. de Baptismo cap. 10. Hieronymus Dialogo adversus Luciferianos; Augustinus Lib. 5. de Baptismo c. 9.

Tertio: Non una ratio hoc ipsum probat; namque Bapisma Joannis erat Baptismatis Christi solum figura, & veteris legis sacramentum, adeoque prorsus a Baptismate Christi distinctum. Ergo &c.

SYNOPSIS OBJECTIONUM ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Tametsi Christus Joannis susceperit Baptismum, non inde sequitur Baptisma Joannis a Christi Baptismate non distingui, cum Dominus Jesus non ex necessitate, sed ut sanctificaret aquas, a Joanne baptizari voluerit.

Secundo: Joannes quidem tempore Christi floruit, adeoque ad novam legem quodammodo pertinebat, sed ut veterem terminans legem, & in nova auctoritatem non habens, cum occisus sit ab Herode, antequam lex Christi promulgaretur.

Tertio: Ultro concedimus Baptismum Joannis fuisse quidem in remissionem peccatorum, sed ex opere operantis; minime vero ex opere operato, cum Ephesii Joannis Baptismate loti opus habuerint ipso Christi Baptismate, ut Mediatori incorporarentur.

ARTICULUS NONUS.

De Ministro Baptismi.

CERTUM est neminem posse seipsum baptizare, quia, inquit Innocentius III. interrogatus, an Judæus qui seipsum immerserat in aquam esset baptizatus? debet esse distinctio inter baptizatum & baptizantem; lex enim dicit: Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, id est, baptizate.

Minister duplex est, alter solemnitatis & ordinarius, & ille est qui cum cæremoniis in conventu Ecclesiæ baptizat: alter extraordinarius, pro casu necessitatis, & est ille qui in quocumque loco ubi necessitas exigit, baptizat. Quæstio procedit de utroque; pro cujus resolutione sit

CONCLUSIO PRIMA.

Episcopus est Minister ordinarius & solemnitatis Baptismi, sicut & Presbyter.

Probatur auctoritate & ratione.

PRIMO ex Patribus: Tertullianus Lib. de Baptismo c. 17. dicit baptizandi jus habere summum Sacerdotem, qui est Episcopus, deinde Presbyteros. " Superest, *inquit*, ad concludendum materiolam, de observatione quoque dandi & accipiendi Baptismum commonefacere; dandi quidem habet jus summus Sacerdos, qui est Episcopus, dehinc Presbyteri, non tamen sine Episcopi auctoritate, propter Ecclesiæ honorem, quo salva pax est. „

S. Hilarius idem dicit in Psal. 67. ibi enim vocat officium sacerdotale, & Apostolicum, munus baptizandi. Idem Hieronymus, ut patet ex ejusdem verbis in Dialogo adversus Luciferianos: " Non quidem abnuo hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos qui longe in minoribus urbibus per Presbyteros baptizati sunt &c. „ Idem Isidorus Lib. 2. de officiis cap. 24. sicut & Aug. Lib. 3. de Bapt. cap. 18. ubi sic loquitur: " Non nisi in Ecclesia Præpositis & in „ Evan-

„ Evangelii lege fundatis licet baptiza- „ re . „ Unde S. Carolus in actibus Ecclesiæ Mediolanensis part. 4. de Sacerdote ait, ipse novit sibi licere baptizare etiam præsente Episcopo, intelligo de Parocho, cui ratione tituli hoc competit, postquam approbatus est ab Episcopo pro Parochia sua; ceteri enim Presbiteri non nisi ex ipsius commissione possunt, in quantum accipiunt subditos ab illo ad baptizandum; idem dic de ceteris Clericis. Ergo &c.

Secundo ex divo Thoma, qui hic q. 67. ex professo docet conclusionem articulo 2. his verbis: " Dicendum quod Sacer- „ dotes ad hoc consecrantur ut Sacra- „ mentum corporis Christi conficiant, „ sicut supra dictum est. Illud autem est „ Sacramentum Ecclesiasticæ unitatis, „ secundum illud Apostoli 1. Cor. 10. „ Unus panis & unum corpus multi su- „ mus, omnes qui de uno pane & de „ uno calice participamus. Per Bapti- „ smum autem aliquis fit particeps Ec- „ clesiasticæ unitatis, unde & accipit „ jus ad mensam Domini accedendi; „ & ideo sicut ad Sacerdotem pertinet „ consecrare Eucharistiam, ad quod prin- „ cipaliter Sacerdotium ordinatur, ita „ ad proprium officium Sacerdotis perti- „ net baptizare; ejusdem enim videtur „ esse operari totum, & partem in to- „ to disponere. „

Tertio ratione: Episcopi & Presbyteri sunt ex officio suo dispensatores mysteriorum Dei, & habent potestatem expeditam & completam super corpus Christi mysticum. Igitur sunt ministri solemnitatis Baptismi. Solebant Episcopi quondam conferre Baptismum in diebus festivis, maxime in vigilia Paschæ & Pentecostes; ita Theodoretus Lib. 2. Hist. Eccles. cap. 24. ubi refert Constantinum Magnum misisse vestem auream ad Macharium Jerosolymæ Episcopum, qua indutus solemniter baptizaret. Gregorius Magnus Lib. 1. Epist. 31. rogat Romanum Italiæ Exarchum, ut dimittat Episcopum Ravennæ, quia, inquit, multi infantes sine Baptismo moriuntur, id est sine Baptismo solemni. Hincmarus Opusc. 5. refert morem antiquum baptizandi diebus festivis.

CONCLUSIO SECUNDA.

Diaconus ex commissione potest baptizare solemniter.

Probatur multis momentis.

PRIMO ex Scriptura: Actuum cap. 8. legitur de Samaritanis, quod accepta fide per Diaconum Philippum, ab eo fuerint baptizati: *Philippus autem descendens in civitatem Samariæ, prædicabat illis Christum. Intendebant autem turbæ iis quæ a Philippo dicebantur unanimiter audientes, & videntes signa quæ faciebat. Multi enim eorum qui habebant spiritus immundos, clamantes voce magna exibant. Multi autem paralytici, & claudi curati sunt. Factum est ergo gaudium magnum in illa civitate.... Cum vero credidissent Philippo evangelizanti de regno Dei, in nomine Jesu Christi baptizabantur viri ac mulieres. Tunc Simon, & ipse credidit, & cum baptizatus esset adhærebat Philippo. Videns etiam signa, & virtutes maximas fieri, stupens admirabatur.*

Ibidem habetur quod Eunuchus Reginæ Candacis, baptizatus a Philippo gaudens in patriam redierit. *Et ecce vir Æthiops Eunuchus potens Candacis Reginæ Æthiopum, qui erat super omnes Gazas ejus, venerat adorare in Jerusalem, & revertebatur sedens supra currum suum, legensque Isaiam Prophetam. Dixit autem Spiritus Philippo: Accede, & adjunge te ad currum istum. Accurrens autem Philippus, audivit eum legentem Isaiam Prophetam, & dixit: Putas ne intelligis quæ legis? Qui ait: Et quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi? . . . Et ait Eunuchus; Ecce aqua, quid prohibet me baptizari? Dixit autem Philippus: Si credis ex toto corde licet. Et respondens, ait: Credo Filium Dei esse Jesum Christum. Et jussit stare currum, & descenderunt uterque in aquam, Philippus, & Eunuchus, & baptizavit eum. Cum autem ascendissent de aqua, spiritus Domini rapuit Philippum, & amplius non vidit eum Eunuchus. Ibat autem per viam suam gaudens.*

Secundo, ex Ecclesia Doctoribus.

TERTULLIANUS loco in præcedenti con-

conclusione citato Diaconibus post Episcopum, & Presbyterum jus in Baptismum adscribit. Necnon & sanctus Hieronymus, qui Dial. adversus Luciferianos hæc scribit: " Inde venit ut sine Episcopi „ jussione neque Presbyter, neque Dia- „ conus, jus habeant baptizandi. „

His adde divum Thomam: sic enim confirmat nostram conclusionem q. 67. art. 1. " Sed contra est quod Gelasius Papa „ dicit & habetur in decreto 3. distinct. „ Diaconos propriam constituimus obser- „ vare mensuram, & infra. Absque Epi- „ scopo, vel Prebytero baptizare non au- „ deant, nisi prædictis ordinibus fortasse „ longius constitutis, necessitas extrema „ compellat. „ Rursus in corpore: " Di- „ cendum, quod sicut cœlestium ordinum „ proprietates, & eorum officia ex eo- „ rum nominibus accipiuntur, ut Dion. „ dicit 7. cap. cœlest. Hier. ita etiam ex „ nominibus Ecclesiasticorum Ordinum ac- „ cipi potest quid ad unumquemque per- „ tineat ordinem. Dicuntur autem Dia- „ coni, quasi Ministri. „

Tertio, ratione: Diaconus ex officio legit Evangelium, offert cum Sacerdote Sacrificium, porrigit sacram Eucharistiam, prædicat verbum Dei, & stola etiam induitur: Igitur potest solemniter baptizare; quandoquidem omnia requisita habet, & offert sacrificium quod est aliquid saltem æqualiter solemne ac baptizare. Notandum tamen quod non possit chrismare sicut Episcopi olim vulgo faciebant; dando enim Baptismum, dabant & Eucharistiam; hinc tria illa Sacramenta pertinebant ad eamdem solemnitatem.

CONCLUSIO TERTIA.

Minister extraordinarius pro casu necessitatis est omnis homo, etiam Laicus & Paganus, etiam mulier.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo, ex Scriptura: Exodi 4. Sephora circumcidit filium suum, Circumcisio autem rationem Baptismi pro masculis tunc obtinebat. Igitur etiam mulier potest baptizare, immo & quandoque etiam saltem in occulto prædicare, legitur enim Actuum 18. quod Priscilla instruxerit Apollonem de fide.

Secundo, ex Conciliis: Id determinat Lateranense 4. sub Innocentio III. capite *Firmiter*, & Eugenius IV. in decreto unionis sic loquitur: " In casu necessita- „ tis non solum Sacerdos, & Diaconus; „ sed etiam Laicus, vel mulier, immo „ Paganus & Hæreticus baptizare pos- „ sunt. „ Ergo &c.

Tertio, ex Patribus: Tertullianus libro de Baptismo cap. 17. ait: Sufficiat, sci- „ licet in necessitatibus utaris, sicuti, aut „ loci, aut temporis, aut personæ con- „ ditio compellit. Tunc enim constantia „ succurrentis excipitur cum urget cir- „ cumstantia periclitandi. „

Idem dicit Hieronymus contra Luciferianos: " Baptizare, si necessitas cogat, „ scimus etiam licere laicis. „ Tum Gelasius Papa in Epistola ad universos Episcopos c. 9. " Quod & Laicis, *inquit*, „ de Baptismate necessitatis dato, Fide- „ libus plerumque permittitur, ne quis- „ quam sine remedio salutari de sæculo „ evocetur. „ Ergo &c. Unde sanctus Augustinus libro de unico Baptismo cap. 53. postquam dubius mansit circa hanc praxim sic concludit: " Si quis urgeret, „ ut dicerem, quod ipse sentirem; si eo „ modo affectus essem, quo eram cum „ ista dictarem, nequaquam dubitarem „ habere eos Baptisma qui ubicumque, „ & a quibuscumque, illud Evangelicis „ verbis consecratum, sine sua simulatio- „ ne, & cum aliqua fide excepissent. „

Quarto, ex consuetudine Ecclesiæ firmata in Nicæno, & aliis Conciliis recipiendi Baptisma Hæreticorum modo verbis Evangelicis esset datum; multi autem ut Marcionitæ & alii permittebant mulieribus baptizare: Igitur licitum est in necessitatis casu cuicumque baptizare.

Quinto, ex Jure Canonico: Isidorus L. 2. de divinis officiis capite 24. cujus verba referuntur canone *constat* dist. 4. Joan. VIII. ut habetur canone *ad limina* causa 3. q. 2. docent conclusionem.

Sexto, ex D. Thoma hic q. 67. art. 3. ubi idem docet, De Laicis quidem in „ arg. *sed contra* ait: Gelasius Papa, *in-* „ *quit*, & Isidorus dicunt, quod bapti- „ zare necessitate imminente Laicis „ Christianis plerumque conceditur. „

„ Rur-

„ Rursus in corp. Dicendum, quod ad „ misericordiam ejus qui vult omnes ho- „ mines salvos fieri, pertinet, ut in „ his quæ sunt de necessitate salutis, „ homo de facili remedium inveniat. „ Inter omnia autem Sacramenta maxi- „ mæ necessitatis est Baptismus, qui est „ regeneratio hominis in vitam spiritua- „ lem: quia pueris aliter omnino sub- „ veniri non potest: & adulti non pos- „ sunt aliter quam per Baptismum ple- „ nam remissionem consequi, & quan- „ tum ad culpam, & quantum ad pœ- „ nam, & ideo ut homo circa reme- „ dium tam necessarium defectum pati „ non possit, institutum est, ut & ma- „ teria Baptismi sit communis, scilicet „ aqua, quæ a quolibet de facili haberi „ potest, & Minister Baptismi etiam sit „ quicumque non ordinatus, ne propter „ defectum Baptismi, homo salutis suæ „ dispendium patiatur. „

Mulieribus etiam D. Thomas eamdem potestatem in casu necessitatis concedi asserit art. 4. in argumento *sed contra*, ubi ita loquitur: " Urbanus Papa dicit, & „ habetur in Decreto 30. q. 3. Super qui- „ bus consuluit nos tua dilectio, hoc vi- „ detur nobis hac sententia responden- „ dum, ut Baptismus sit, si, instante ne- „ cessitate, femina puerum in nomine „ sanctæ Trinitatis, baptizaverit. „ Rur- „ sus in corp. art. " Dicendum, quod „ Christus est qui principaliter baptizat, „ secundum illud Joan. 1. Super quem vi- „ deris Spiritum descendentem, & ma- „ nentem, hic est qui baptizat. Dicitur „ autem Coloss. 3. quod in Christo non „ est masculus, & femina. Et ideo sicut „ masculus laicus potest baptizare quasi „ Minister Christi, ita etiam & femina. „ Quia tamen caput mulieris est vir, & „ caput viri est Christus, ut dicitur 1. „ Cor. 11. non debet mulier baptizare, „ si adsit copia viri: sicut nec Laicus præ- „ sente Clerico, nec Clericus præsente „ Sacerdote, qui tamen potest baptizare „ præsente Episcopo; eo quod hoc per- „ tinet ad officium Sacerdotis. „

Demum vel ipsos Paganos in necessitate posse baptizare, Sanctus Doctor in arg. *sed contra* ibidem art. 5. propugnat; " I- „ sidorus dicit, Romanus Pontifex non „ hominem judicat, qui baptizat, sed „ spiritum Dei subministrare gratiam „ Baptismi, licet Paganus sit qui bapti- „ zat; sed ille qui est baptizatus, non „ dicitur Paganus, ergo etiam non ba- „ ptizatus potest conferre Sacramentum „ Baptismi. „

Tum in corpore art. " Dicendum, „ quod, hanc quæstionem Augustinus in- „ determinatam reliquit. Dicit enim in „ 2. contra Epistolam Parmeniani: hæc „ quidem alia quæstio est, utrum & ab „ his qui numquam fuerunt Christiani, „ possit Baptismus dari: nec aliquid te- „ mere inde affirmandum est, sine aucto- „ ritate tanti Concilii, quantum tantæ „ rei sufficit. Postmodum vero per Eccle- „ siam determinatum est, quod non bapti- „ zati sive sint Judæi, sive Pagani, possunt „ sacramentum Baptismi conferre, dum- „ modo in forma Ecclesiæ baptizent. Un- „ de Nicolaus Papa respondet de consecr. „ dist. 4. ad Consul. Bulgar. cap. 3. A quo- „ dam Judæo nescitis, utrum Christiano „ an Pagano, multos in patria vestra as- „ seritis baptizatos: & quid inde sit agen- „ dum, consulitis. Hi profecto si in no- „ mine sanctæ Trinitatis baptizati sunt, „ rebaptizari non debent: si autem forma „ Ecclesiæ non fuerit observata, sacra- „ mentum Baptismi non confertur. Et sic „ intelligendum est, quod Gregorius se- „ cundus scribit Bonifacio Episcopo, Quos „ a Paganis baptizatos esse asseruisti, sci- „ licet Ecclesiæ forma non servata, ut „ de novo baptizes in nomine Trinita- „ tis, mandamus. Et hujus ratio est, „ quia sicut ex parte materiæ, quan- „ tum ad necessitatem Sacramenti, suf- „ ficit quæcumque aqua, ita etiam suf- „ ficit ex parte Ministri quicumque ho- „ mo. Et ideo etiam non baptizatus, „ in articulo necessitatis baptizare po- „ test. „ Idem habetur libro Capitula- riorum c. 6.

Septimo, ratione: Baptismus est absolutæ necessitais ad salutem, & præterea vult Deus omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem sui venire: Igitur conveniit quemlibet posse baptizare in necessitate, alias multi absque sua culpa perirent, nec fructum redemptionis percipe- rent; quod est contra Apostolum dicentem 1. Tim. 2. *Omnes homines vult salvos fieri*.

Hæc tamen regula observanda est, quod mulier

mulier non baptizet præsente viro: Paganus, præsente Catholico.

Juvat nunc referre quæ Catechismus Rom. de his momentis dicit n. 23. " Jam „ vero *ait*, a quibus Ministris hoc Sacramentum conficiatur, non utiliter modo, „ sed necessario tradendum videtur: Tum „ ut ii, quibus præcipue hoc munus commissum est, illud sancte, & religiose curare studeant: tum ut ne quis tamquam „ fines suos egressus, in alienam possessionem intempestive ingrediatur, vel superbe irrumpat: eum in omnibus ordinem servandum esse Apostolus admoneat. Doceantur igitur Fideles, triplicem esse eorum ordinem: ac in primo „ quidem Episcopos, & Sacerdotes collocandos esse, quibus datum est ut jure „ suo, non extraordinaria aliqua potestate, hoc munus exerceant. Iis enim in „ Apostolis præceptum est a Domino: *Euntes baptizate*; quamvis Episcopi, ne graviorem illam docendi populi curam deserere cogerentur, Baptismi ministerium „ Sacerdotibus relinquere soliti essent. „ Quod vero Sacerdotes jure suo hanc „ functionem exerceant, ita ut præsente „ etiam Episcopo, ministrare Baptismum „ possint, ex doctrina Patrum, & usu „ Ecclesiæ constat, nam cum ad Eucharistiam consecrandam instituti sint, quę „ est pacis & unitatis Sacramentum; consentaneum fuit, potestatem iis dari „ omnia illa administrandi, per quæ necessario hujus pacis, & unitatis quilibet „ particeps fieri posset. Quod si aliquando Patres Sacerdotibus, sine Episcopi „ venia, baptizandi jus permissum non „ esse dixerunt, id de eo Baptismo, „ qui certis anni diebus solemni cæremonia administrari consueverat, intelligendum videtur. Secundum Ministrorum „ locum obtinent Diaconi, quibus sine „ Episcopi, aut Sacerdotis concessu, non „ licere hoc Sacramentum administrare, „ plurima SS. Patrum decreta testantur. „ Extremus ordo illorum est, qui cogente necessitate, sine solemnibus cæremoniis baptizare possunt: quo in numero „ sunt omnes, etiam de populo, sive mares, sive feminæ, quamcumque illi sectam profiteantur: nam & Judæis quoque, & infidelibus & Hæreticis, cum „ necessitas cogit, hoc munus permissum „ est; si tamen id efficere propositum eis „ fuerit, quod Ecclesia Catholica in eo „ administrationis genere efficit. Hæc „ autem cum multa veterum Patrum, & „ Conciliorum decreta confirmarunt, „ tum vero a sacra Tridentina Synodo „ anathema in eos sancitum est, qui dicere audeant, Baptismum, qui etiam „ datur ab Hæreticis in nomine Patris, „ & Filii, & Spiritus sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non „ esse verum Baptismum. „

Tum num. 25. sic pergit: " Neque vero „ hoc munus ita omnibus promiscue permissum esse, Fideles arbitrentur, quin „ ordinem aliquem Ministrorum instituere maxime deceat. Mulier enim, si „ mares adsint, Laicus item præsente „ Clerico, tum Clericus coram Sacerdote, Baptismi administrationem sibi sumere non debent. Quamquam obstetrices, quæ baptizare consueverunt, improbandæ non sunt, si interdum præsente aliquo viro, qui hujus Sacramenti „ conficiendi minime peritus sit, quod „ alias viri magis proprium officium videretur, ipsæ exequantur. „

Quæres, Utrum plures simul unum hominem possint baptizare?

Respondet D. Thomas hic qu. 67. art. 6. in arg. *sed contra*: " Unius agentis est una „ actio. Si ergo plures unum baptizarent, videretur sequi, quod essent plures Baptismi: quod est contra id quod „ dicitur Ephes. 4. una fides, unum Baptisma. „

Idem confirmat in corpore ejusdem articuli: " Dicendum, quod Sacramentum „ Baptismi præcipue habet virtutem ex „ forma quam Apostolus nominat verbum vitæ, Ephes. 5. & ideo considerare oportet, si plures simul unum baptizarent, qua forma uterentur. Si enim „ dicerent, Nos te baptizamus in nomine „ Patris, & Filii, & Spiritus sancti, dicunt quidam, quod non conferetur Sacramentum Baptismi, eo quod non servaretur forma Ecclesiæ, quę sic habet, „ Ego te baptizo in nomine Patris, & „ Filii, & Spiritus sancti; sed hoc excluditur per formam baptizandi, qua utitur „ Ecclesia Græcorum: possent enim dicere, Baptizatur servus Christi N. in „ nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti,

„ sti, &c. sub qua forma Græci Baptismum suscipiunt: quæ tamen forma multo magis dissimilis est formæ, qua nos utimur, quam si dicatur, Nos te baptizamus: sed considerandum est, quod ex tali forma, te baptizamus, exprimitur talis intentio, quod plures conveniant ad unum Baptismum conferendum. Quod quidem videtur esse contra rationem ministerii: homo enim non baptizat, nisi ut Minister Christi, & vicem ejus gerens. Unde sicut unus est Christus, ita oportet esse unum Mistrum, qui Christum repræsentat: propter quod signanter Apostolus dicit, Ephes. 4. Unus Dominus, una fides, unum Baptisma. Et ideo contraria intentio videtur excludere Baptismi sacramentum. Si vero uterque diceret, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, uterque exprimeret suam intentionem, quasi ipse singulariter Baptismum conferret. Quod posset contingere in eo casu, in quo contentiose uterque aliquem baptizare conaretur. Et tunc manifestum est, quod ille, qui prius verba proferret, daret Baptismi sacramentum: alius vero quantumcumque jus baptizandi haberet, nihil faceret: & si verba pronuntiare præsumeret, esset puniendus tamquam rebaptizator. Si autem omnino simul ambo verba proferrent, & hominem immergerent, aut aspergerent, essent puniendi de inordinato modo baptizandi, & non de iteratione Baptismi: quia uterque intenderet non baptizatum baptizare, & uterque quantum est in se baptizare. Nec traderent aliud, & aliud sacramentum, sed Christus qui est unus interius baptizans, unum Sacramentum per utrumque conferret. „

Solvuntur objectiones contra tertiam conclusionem.

OBJICIES: Christus his verbis: *Euntes ergo docete....baptizantes &c.* loquitur solum ad Sacerdotes: Igitur soli possunt baptizare. Confirmatur: excepto Matrimonio, soli Sacerdotes ministrant alia Sacramenta: Ergo idem dicendum pro Baptismo.

Respondeo in genere ad omnes auctoritates distinguendo: Solus Sacerdos est Minister ordinarius, & extra casum necessitatis, concedo: extraordinarius, & in casu necessitatis, nego. Vel aliter: Solus est Minister solemnitatis, concedo. Privatus, nego. Ad auctoritatem distinguo: Et Christus constituit Ministros ordinarios, concedo; Legislator enim instituendo aliquid, vulgo loquitur solum de lege communi: & loquitur de Ministris extraordinariis, nego. Ad confirmationem nego paritatem, cum enim cetera Sacramenta non sint ciusdem necessitatis cum Baptismo, habent solos Sacerdotes pro Ministris, eam propter rationem dantur semper solemniter, adeoque hoc munus solis competit Sacerdotibus; at vero Baptismus in casu necessitatis datur privatim, & sine cæremoniis.

Instabis: Eucharistia, & Pœnitentia sunt etiam absolute ad salutem necessaria, juxta illud Joan. 6. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis &c.* Et istud Luc. 13. *Nisi pænitentiam habueritis, omnes simul peribitis*: Atqui, non obstante hac necessitate, soli Sacerdotes possunt conferre Pœnitentiam, & Eucharistiam: Igitur & Baptismum: Confirmatur: Baptismus pertinet ad officium sacerdotale ut Eucharistia, & Confirmatio. II. Est quid majus quam sacramentalia: sed solus Sacerdos potest conficere sacramentalia v.g. aquam benedictam: Igitur & solus potest conferre Baptismum.

Respondeo negando Eucharistiam, & Pœnitentiam esse ejusdem simpliciter necessitatis cum Baptismo, quia vota Eucharistiæ, & Pœnitentiæ supplent pro ipsis; unde non est paritas, quandoquidem votum non supplet pro pueris, sunt enim voti emittendi incapaces. Quid plura adjiciam, Eucharistia est sacramentorum consummatio, Pœnitentia vero totius salutis adulturum fundamentum, hinc Sacerdotibus ex jure & officio incumbit & peccatores reconciliare, & reconciliatos divina Eucharistiæ alimonia cibare.

Ad primam confirmationem distinguo: Baptismus extra necessitatis casum ad officium sacerdotale spectat, concedo: Posita necessitate & deficiente Sacerdote, vel alio de Clero, nego: Hac enim facta hypothesi dispensat Ecclesia, ut quilibet præ-

præsens cujuscumque aut status, aut sexus, id faciat.

Ad alteram confirmationem utique distinguo: Baptismus est quid sacramentalibus majus, & majoris simul necessitatis, concedo: secus, nego. Quia igitur, secluso Baptismo, actum est de salute pueri, licitum est unicuique in necessitatis casu baptizare.

Instabis: 1. Corinth. 14. habetur: *Mulieres in Ecclesiis taceant*. Igitur mulier non debet baptizare. Hoc ipsum statuitur Lib. 3. Const. Apost. can. 10. " Immo „ neque Laico permittimus facere aliquod „ opus sacerdotale, ut sacrificium, aut „ Baptismum, &c. „ Sic docet Tertullianus Lib. de Bapt. cap. 17. & in probationem affert sententiam Apostoli mox laudatam, qua quidem S. Paulus præcipit mulieribus ut in Ecclesiis taceant: sic Epiphanius, qui Hær. 42. increpat Marcionitas, Colliridianos, & Pepuzianos, eo quod permitterent mulieribus tingere infantes. Concilium Carthaginense 4. prohibet etiam mulieribus baptizare can. 100." Mu„ lier, *ait*, in Ecclesia baptizare non „ præsumat. „

Respondeo ut supra juxta solutionem generalem. Ad Apostolum dico, loqui de lege ordinaria, quæ nonnumquam suscipit exceptionem, cum ipse Act. 18. approbet Priscillam, quæ una cum Aquila sponso suo Apollonem jam credentem de fide Incarnationis fundatius edocuerat.

Ad auctoritatem ex Lib. 3. Const. excerptam eadem est responsio, cum vel ista verba, *solos Episcopos*, *ministrantibus Diaconis*, subindigitent sermonem ibi esse de Baptismo solemniter dato.

Idem respondetur ad Tertullianum; eo quippe loci quamdam increpat mulierem quod & docendi, & tingendi in conventu Ecclesiæ potestatem non sine magna temeritate usurparet. Quod autem hic sit Tertulliani sensus, ex ipsius verbis liquet. Loco citato pag. 263. primum nominat Baptismi Ministros, videlicet Episcopum, Presbyterum, Diaconum vero ex commissione, tum pro necessitate quemlibet cujuscumque sexus & conditionis, ita ut extra necessitatis casum nullus laicus aut laica audeat baptizare, immo & solemniter vel in isto casu. Tum subdit: " Sufficiat scilicet, in necessita„ tibus ut utaris, sicuti aut loci, aut tem„ poris, aut personæ conditio compellit. „ Tunc enim constantia succurrentis ex„ cipitur, cum urget circumstantia peri„ clitantis. Quoniam reus erit perditi „ hominis, si supersederit præstare quod „ libere potuit. Petulantia autem mu„ lieris quæ usurpavit docere, utique non „ etiam tingendi jus sibi pariet: nisi si „ quæ nova bestia evenerit similis pristi„ næ: ut quemadmodum illa Baptismum „ auferebat, ita aliqua per se eum confe„ rat. Quod si quæ Paulo perperam ad„ scripta sunt, ad licentiam mulierum do„ cendi, tingendique defendunt; sciant in „ Asia Presbyterum, qui eam Scripturam construxit, quasi titulo Pauli de „ suo cumulans, convictum atque confes„ sum id se amore Pauli fecisse, loco de„ cessisse. Quam enim fidei proximum vi„ deretur ut is docendi & tingendi daret „ feminæ potestatem, qui ne discere qui„ dem constanter mulieri permisit.

In eodem prorsus sensu explicandus est Epiphanius; nam Marcionitæ, Collyridiani & Pepuziani permittebant mulieribus baptizare solemniter in conventu Ecclesiæ. Idem est Canonis Carthaginensis sensus, quem subindigitant ista varba: *In Ecclesia baptizare non præsumat*. In Ecclesia, hoc est solemniter & in conventu Ecclesiæ. Hunc canonem sic explicat Binius in notis ad illud Concilium pag. 557. " Intellige, *ait*, Sacerdotibus aut „ Clericis præsentibus, ut patet can. „ præced. vel etiam extra casum neces„ sitatis, ut citant & exponunt hunc „ canonem Petrus Lombardus 4. Lib. „ Sent. dist. 6. Gratianus can. *Mulier*, „ dist. 4. de consecr. „

Instabis: Plures canones videntur negare Paganis licentiam baptizandi etiam in necessitate: Ergo &c. Probatur antecedens: Canon *quos a Paganis* dist. 4. qui Gregorii II. ad Bonifacium sic habet: " Quos a Paganis baptizatos esse asserui„ sti, ut denuo baptizes in nomine san„ ctissimæ Trinitatis mandamus. „ Idem habetur Lib. 3. Capitulariorum cap. 41. Idem in Concilio Eliberitano; vult enim ut iis ex Laicis, quibus concedit baptizandi facultatem I. In justitia quam in Baptismate receperunt, sine labe vixerint. II. Ne sint bigami: " Peregre navigan-

„ tes, *ait can.* 38. aut si Ecclesia in pro„ ximo non fuerit, posse fidelem, qui „ lavacrum suum integrum habet, nec „ sit bigamus, baptizare in necessitate „ infirmitatis positum Catechumenum. „ Ergo &c.

Respondeo primo, opponendo auctoritatem auctoritati, & canones canonibus: Et licet aliqua concilia particularia, vel etiam aliqui Patres contrarium sentirent, prævalet traditio & constitutio Ecclesiæ.

Respondeo secundo, distinguendo: Gregorius jubet rebaptizare, quia Pagani illi de quibus fit mentio non observaverunt formam Evangelicam, concedo: & hoc patet ex hoc, quod jubeat rebaptizari pueros in nomine sanctissimæ Trinitatis: mandat rebaptizare præcise quia Pagani baptizaverant, nego.

Respondeo secundo ad eamdem difficultatem, canonem esse suspectum, & non fideliter referri; Canon enim *si quis per ignorantiam ordinetur* causa 1. q. 1. tamquam ex Isidoro Lib. 5. Capitulariorum, c. 94. vel etiam Lib. 4. c. 100. citatur, & tamen in operibus Isidori non invenitur. Præterea ille canon idem videtur esse cum canone: *Si quis Presbyter*, qui refertur absque clausula ista, *ut omnes quos prius baptizavit rebaptizentur*. In libro 3. Decretalium titulo 42. ab Innocentio III. canone *Unicus*; ab ipso Gratiano causa prima quæstione 1. Denique Antonius Augustus in notis ad primam compilationem decretalium, dicit illam clausulam omissam esse a Bernardo Papiensi, & a sancto Raimundo.

Respondeo ad Concilinm Eliberitanum distinguendo: Et exigit laicum justitia ornatum & non bigamum, in hypothesi quod sit hujusmodi viri copia, concedo: Et excludit tum impium, tum bigamum si non sit alius, nego. Sic interpretatur canonem 38. Synodi Elib. doctissimus Albaspineus in notis ad istud Concilium: " Hujus Canonis sensus est, *inquit*, si „ cui Cathecumeno, terra vel mari cer„ to occumbendum sit: posse eum a „ laico sacro fonte ablui, si copia Sacer„ dotis non sit, neque vero canon iste „ nisi sola Cathecumeni necessitate com„ movetur, hoc est, non ait si in mor„ te Cathecumeni, unus laicus tantum „ adesse videatur, immo contra subin„ intelligi vult, si plures laici tali tempo„ re non defuerint, tum statui omnino „ vult unus ut e laicis qui nondum pœ„ nitentiam exolverit, neque bigamus „ fuerit, baptizet: idque ob eam rem, „ quod neque Sacerdotes pœnitentiam „ peragere, neque ea peracta absolutaque „ ad id eligi, neque bigami esse poterant, „ quas quidem conditiones in uno laico „ qui baptizet, requirit ille canon, quod „ eo modo sit Sacerdotis partes aucturus; „ si tamen tunc temporis intervenisset „ bigamus unus tantum idemque pœni„ tens, canon ille decrevisset, vel si omnia „ illa impedimenta se se obtulissent, ab eo „ potuisse sacrum Baptisma conferri. „

Instabis: Tertullianus & Hieronymus ideo concedunt Laicis fidelibus baptizandi potestatem, quia habent & Baptismum, & Spiritum sanctum: Sed Pagani non habent: Ergo ex illis Doctoribus non possunt baptizare.

Respondeo ut supra. Licet enim quidam Patres de hoc videantur dubitare, cum plures alii id propugnent, & Ecclesia hoc ipsum determinaverit: dicendum est Paganum in necessitatis casu posse sacrum Baptisma conferre.

Respondeo secundo, distinguendo: Et rationes, tum Tertulliani, tum Hieronymi probant solum Fideles convenientius assumi ad baptizandum, concedo: solos assumi posse, etiam in casu necessitatis, nego.

Ad probationem distinguo: Pagani non habent Spiritum sanctum habitualiter, & radicaliter, concedo: transeunter, & per modum motus & impressionis, nego. Possunt moveri ab Ecclesia, quæ, inquit Augustinus, quandoque utitur utero alieno ad gignendos filios. Sic Spiritus sanctus assumpsit Caipham pessimum virum ad prophetandum. Nonne Sacerdotes impii carent Spiritu sancto, & tamen vere conficiunt Sacramenta? Quidni igitur & Pagani in necessitate possent infantem tingere?

Repones: Ipse Aug. abnegat Paganis baptizandi facultatem. Igitur ea fuit tunc temporis traditio neminem præter Clericum posse baptizare. Probatur antecedens: Sanctus Doctor dubitat num vel ipse laicus fidelis non peccet, cum infantem ne-

necessitate compulsus tingit. Sed si laicus tametsi fidelis & necessitate compulsus peccet baptizando, ut ait Augustinus, a fortiori juxta sancti Præsulis doctrinam Paganus etiam in necessitatis casu non potest baptizare: Ergo &c. Probatur major; sanctus Doctor sic loquitur libro 2. contra Epist. Parmeniani cap. 13. pag. 19. " Quamquam etsi laicus aliquis pereunti „ dederit necessitate compulsus, quod „ cum ipse acciperet, dandum esse addi- „ dicit, nescio an pie quisquam dixerit es- „ se repetendum. „ Immo non audet definire an laicus qui, urgente necessitate, baptizat, saltem venialiter, aut nullo modo peccet: " Si autem, *inquit*, necessitas „ urgeat, aut nullum, aut veniale deli „ ctum est. „

Respondeo negando antecedens. Ad probationem distinguo: Dubitat Augustinus num ipse laicus non peccet tingendo infantem, si sufficiens non facta sit ad Sacerdotem accersendum diligentia, concedo: tunc enim est alieni juris usurpatio quæ citra peccatum non exercetur; si facta sit, nego. S. Doctor est sui ipsius interpres, cum dicat in necessitate vel nullum, vel ad summum veniale peccatum esse; nullum quidem, si diligentia ad conquirendum pro Baptismo conferendo Sacerdotem facta sit; veniale vero, si satis exacta non apparet. Tum concludit Baptisma in utroque casu valere, tametsi non sit licitum, cum absque negotio potest advocari ad tingendum Sacerdos. Igitur non manet circa hujusmodi quæstionem anceps & dubius. Ecce S. Doctoris subsequentia verba: " Nulla enim, „ cogente necessitate si fiat, alieni mu- „ neris usurpatio est; si autem necessitas „ urgeat, aut nullum, aut veniale deli- „ ctum est. Sed etsi nulla necessitate u- „ surpetur, & a quolibet cuilibet detur, „ quod datum fuerit non potest dici non „ datum, quamvis recte dici possit illici- „ te datum. „

Quæres, Utrum in Baptismo requiratur aliquis qui baptizatum levet de sacro fonte?

Respondeo affirmative; & probatur assertio primo ex sanctis Patribus, qui susceptores puerorum variis nominibus appellant. Justinus q. 56. ad Orthodoxos vocat eos προσφέροντας, id est, offerentes; Tertullianus de Baptismo cap. 18. *Sponsores:* Augustinus sermone 215. de tempore *Fidejussores:* Hyginus Papa can. *in Catechismo*, de consecr. dist. 4. *Patrinos:* & Synodus Moguntina can. 27. *Compatres*, jubetque illos veluti filios suos spirituales in fide instituere.

Secundo ex sancto Thoma, qui hic qu. 67. art. 7. in argum. *Sed contra*, in testem affert Dionysium capit. 2. de Eccles. Hierarchia dicentem, quod: " Sacerdotes „ assumentes baptizatum, tradunt eum „ ad educationem susceptori & duci. „ In corpore vero articuli sic respondet: " Dicendum, quod spiritualis regenera- „ tio quæ fit per Baptismum, assimilatur „ quodam modo generationi carnali: un- „ de dicitur 1. Petr. 2. Sicut modo geni- „ ti infantes rationabiles & sine dolo, „ lac concupiscite. In generatione autem „ carnali parvulus nuper natus indiget „ nutrice & pedagogo; unde & in spiri- „ tuali generatione Baptismi requiritur „ aliquis qui fungatur vice nutricis & pe- „ dagogi, informando & instruendo eum „ ut novitium in fide, de his quæ perti- „ nent ad fidem & vitam Christianam. „ Ad quod Prælati Ecclesiæ vacare non „ possunt, circa communem curam populi „ occupati; parvuli enim & novitii indi- „ gent speciali cura præter communem, „ & ideo requiritur quod aliquis suscipiat „ baptizatum de sacro fonte, quasi in „ suam instructionem & tutelam; & hoc „ est quod Dionysius dicit ultimo capite „ Eccles. Hier. Divinis nostris ducibus, „ id est Apostolis, ad mentem venit & „ visum est suscipere infantes, secundum „ istum sanctum modum, quod naturales „ pueri parentes traderent puerum cui- „ dam docto in divinis pedagogo, & re- „ liquum sub ipso puer ageret, sicut sub „ divino Patre & salvationis sanctæ sus- „ ceptore. „

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Episcopus & Presbyter sunt Ministri ordinarii Baptismi: Diaconi, ex commissione: Extraordinarii, Laici cujuscumque secta & sexus.

PRIMA PARS constat ex Patribus: Sic enim docent Hilarius in Ps. 67. Hiero-

nymus Dial. adversus Luciferianos, Isidorus Lib. 2. de officiis c. 24. Ratio divi Thomæ hic q. 67. art. 2. est. quod Episcopus & Presbyter habeant potestatem super corpus Christi verum, adeoque & super mysticum, & hoc patet ex ipsa traditione & Conciliis.

Altera pars expresse habetur Act. 8. ibi enim legitur Philippum Diaconum baptizasse Samariæ cives, tum & Eunuchum Æthyopum potentem Candacis Reginæ. Suffragantur Ecclesiæ Doctores, ut Tertullianus Lib. de Baptismo cap. 17. Hieronymus Dial. adversus Luciferianos. Ratio est: Diaconus ex officio legit Evangelium, & offert cum Sacerdote sacrificium. Igitur ex commissione saltem potest baptizare. Sic docet divus Thomas ibidem art. 1.

Tertia pars a sanctis Doctoribus utique propugnatur, maxime a Gelasio Papa Epist. ad universos Episcopos c. 9. ab Augustino Lib. de unico Baptismo c. 53. a divo Thoma hic q. 67. art. 3. & 4. Ratio hæc est, quia Baptismus est absolute ad salutem necessarius: cum autem Deus non deficiat in necessariis, & impossibilia non jubeat, convenit quemcumque in necessitate posse baptizare.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET RESOLUTIONUM.

PRIMO: Tametsi Christus Dominus solos Sacerdotes miserit & ad docendum, & ad baptizandum, non inde sequitur hanc legem non suscipere exceptionem in casu necessitatis; hoc ipsum exigit bonitas Creatoris, hoc & misericordia Redemptoris.

Secundo: Non eodem modo ratiocinandum est de Baptismo, sicut de Eucharistiæ & Pœnitentiæ sacramentis; sacrum enim lavacrum non potest per votum suppleri in infantibus, bene vero tum Pœnitentia, tum Eucharistia quæ spectant adultos.

Tertio: Neque vero quidquam ab hac veritate detrahunt Concilia & Patres; nam dum a ministris Baptismi excludunt laicos & mulieres, loquuntur de ministris solemnitatis.

ARTICULUS DECIMUS.

De Baptismi Subjecto.

QUÆSTIO procedit de pueris Fidelium, de pueris infidelium, & de adultis; quæ quidem capita speciales habent difficultates, adeoque & separatim discutiendæ. Unde sit

SECTIO PRIMA.

Utrum Pueri sint baptizandi?

PRIMO, contrarium propugnavere duodecimo sæculo VValdenses, juxta illud Ermengardi, opusc. c. 18. contra illos, in quo hæc scribit: " Dicunt etiam Hæ„ retici, quod nulli, nisi proprio ore & „ corde hoc sacramentum petat, potest „ prodesse. Inde adducentes hunc erro„ rem, quod parvulis Baptismus aquæ ni„ hil prosit. „ Contra quos sit

CONCLUSIO.

Pueri Fidelium sunt baptizandi.

Probatur multis momentis.

Primo, ex Scriptura sacra.

PRIMO: Pueri Fidelium novæ legis non sunt pejoris conditionis veteris legis infantibus: Sed masculi octavo die recipiebant circumcisionem, quæ erat pro eis quod est Baptismus pro novæ legis infantibus, hinc & figura nostri Baptismi erat. Ergo &c. Lex circumcisionis habetur Genes. 17. & Luc. 2. ait Evangelista: *Postquam completi sunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus Jesus.*

Secundo: Lex Baptismi est pro omnibus universim, juxta illud Matt. 28. *Euntes ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*, Quod absque restrictione dicitur non solum pro adultis, sed etiam pro pueris. Ergo &c.

Tertio: Christus, teste Apostolo, vult omnes homines salvos fieri, & Christus mortuus est pro omnibus. Baptismus vero est

est ad salutem absolute necessarium, dicente Christo Joann. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*. Igitur infantes baptizandi sunt; sin minus a beneficio redemptionis excluderentur, quod adversatur misericordiæ Dei volentis omnes homines salvos fieri, & efficaciæ mortis Christi participes esse. Ergo &c.

Quarto: Ab actu ad posse valet consequentia; sed Apostoli nedum adultos, sed & pueros non semel baptizaverunt; & probatur. Act. 16. dicitur Lydia baptizata & domus ejus, & ibidem de custode carceris: *Baptizatus est ipse, & omnis domus ejus continuo*. 1. Cor. 1. *Baptizavi*, inquit Paulus, *Stephanæ domum*, in domo autem sunt pueri.

Quinto: Christus volebat parvulos ad se venire, & in eorum gratiam pronuntiavit regnum cœlorum esse pro eis, quod non foret verum, si non essent baptizandi, cum multi moriantur, sicque vita privarentur æterna, quippe qui absque Baptismo e vita migrarent; & tamen Mat. 19. & Luc. 18. Christus ait: *Sinite parvulos venire ad me: talium est enim regnum cœlorum*.

Secundo, ex Traditione.

TRADITIO est fidei regula; sed ex traditione habemus baptizandos esse parvulos. Ergo &c. Probatur minor multis Patrum sententiis.

S. Dionysius agmen ducet: Lib. Eccles. Hier. cap. ult. ait: " Divini nostri duces, *scilicet Apostoli*, probaverunt infantes recipi ad Baptismum. "

Succinit Origenes Lib. 5. in cap. 6. Epist. ad Rom. " Ecclesia, *inquit*, ab Apostolis traditionem accepit etiam parvulis dare Baptismum. "

S. Cyprianus Epist. ad Fidum hæc scribit: " Si in gravissimis delictoribus, & in Deum multum ante peccantibus, cum postea crediderint, remissa peccatorum datur, & a Baptismo & a gratia nemo prohibetur; quanto magis prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccavit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus contagium mortis antiquæ prima nativitate contraxit. "

Quarto loco venit in veritatis testimonium S. Augustinus Lib. 10. de Gen. cap. 23. his verbis: " Consuetudo matris Ecclesiæ de baptizandis parvulis nequaquam spernenda est, nec ullo modo superflua deputanda, nec omnino credenda, nisi Apostolica esset traditio. " Concinit sanctus Prosper Lib. 2. de vocatione Gentium c. 8.

Tertio, ex Decretis summorum Pontificum.

SUMMI Pontifices eamdem confirmant fidem, in primis Clemens I. Lib. 6. Constit. Apost. cap. 15. Siricius Epist. 1. ad Himerium c. 2. Innocentius I. Epist. 26. ad Concilium Milevitanum, Leo I. Epist. ad Episcopum Aquilejensem 84. alias 86. Gregorius I. Lib. 3. Epist. 9. ad Joannem Calaritanum, Innocentius III. in Epist. ad Episcopum Arelatensem, & habetur cap. *Majores*, de Baptismo & ejus effectu. Ergo &c.

Quarto, ex Conciliis.

PRIMO: Concilium Milevitanum can. 2. definit his verbis: *Placuit, ut quicumque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, anathema sit*. Secundo, Gerundense ante mille annos celebratum, can. 5. ait infantes ipso die quo nascuntur, posse baptizari, si periculum mortis immineat. Tertio, Bracarense II. can. 7. Quarto, Viennense generale idem docent. Demum Tridentinum Sess. 7. can. 13. etiam probat infantium Baptismum. *Si quis dixerit parvulos, eo quod actum credendi non habent, suscepto Baptismo inter fideles computandos non esse, ac propterea cum ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos, aut præstare omitti Baptisma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiæ, anathema sit*.

Quinto, ex rationibus Divi Thomæ.

PRIMA est: Gratia Christi abundavit ubi peccatum regnavit: sed peccatum originale etiam in pueris regnavit, juxta illud Apostoli Rom. 5. *Regnavit mors ab Adam usque ad Moysem, etiam in eos qui* non

non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ. Igitur baptizandi sunt, sin minus gratia non abundaret ubi mors regnavit.

Secunda: Christus est secundus Adam, qui ad hoc venit, teste D. Joanne, ut dissolveret opera Diaboli, & repararet malum a primo Adam inductum in mundum: Sed primus Adam omnes homines perdidit. Igitur Christus omnes venit salvare, & maxime infantes per Baptismum, qui non aliud peccatum præter originale habent.

Tertia: *Bonum est viro*, ait Jeremias Propheta Thr. 3. *cum portaverit jugum ab adolescentia sua*; scilicet ut enutriatur in vita spirituali. Igitur convenit pueros baptizari. Istæ rationes sunt sancti Thomæ hic q. 68. art. 9. " Dicendum, *inquit*, quod sicut Apostolus dicit Rom. „ 5. si unius delicto mors regnavit per „ unum, scilicet per Adam, multo ma„ gis abundantiam gratiæ, & donatio„ nis, & justitiæ accipientes, in vita „ regnabunt per unum Jesum Christum. „ Pueri autem ex peccato Adæ pecca„ tum originale contrahunt; quod patet „ ex hoc quod sint mortalitati subjecti, „ quæ per peccatum primi hominis in „ in omnes pertransiit, ut Apostolus ibi„ dem dicit. Unde multo magis pueri „ possunt per Christum gratiam accipere, „ ut regnent in vita æterna: ipse autem „ Dominus dicit Joan. 1. quod, nisi quis „ renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, „ non potest introire in regnum Dei. „ Unde necessarium fuit pueros baptizari, „ ut sicut per Adam damnationem incur„ rerunt nascendo, ita per Christum sa„ lutem consequantur renascendo. „

Pergit: " Fuit etiam conveniens pue„ ros baptizari, ut a pueritia nutriti in „ his quæ sunt Christianæ vitæ, firmius „ in ea perseverent, secundum illud Pro„ verb. 22. Adolescens juxta viam suam, „ etiam cum senuerit, non recedet ab „ ea. „

De diversis Baptismi subjectis.

QUÆRES I. Utrum pueri mortui sint baptizandi, & pro eis quis possit suscipere Baptismum?

Respondeo I. Infantes mortuos non esse baptizandos. Probatur ex canone 18. Concilii III. Carthaginensis, & refertur in codice Ecclesiæ Africanæ, cujus meminit Valafridus Strabo de rebus Ecclesiasticis cap. 26. his verbis: " Placuit „ ut corporibus defunctorum Eucharistia „ non detur; scriptum enim est: *Accipite & comedite*: cadavera etiam nec „ accipere possunt, nec edere. „ Idem dicendum pro Baptismo, eadem est enim ratio: I. quia Christus dixit solum pro vivis Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit &c.* cadaver autem non est amplius homo. Ergo &c.

Respondeo II. Neminem posse pro alio baptizari. Sic propugnat S. Chrysostomus Homil. 40. in cap. 15. 1. Cor. ubi dicit fuisse superstitionem Marcionitarum, quod vivi susciperent baptisma pro mortuis. Ratio est, quia Ecclesia non habet jurisdictionem in mortuos; sunt enim in judicio Dei, immo & judicati. II. Non est in inferno redemptio, posset autem esse, si pro mortuo aliquis posset suscipere baptismum. III. Lex seu præceptum vult baptismum dari viventi, juxta illud Mat. 28. *Euntes ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos &c.* Ergo &c.

Quæres II. Utrum pueri in utero materno sint baptizandi?

Respondeo negative cum divo Augustino, qui Epist. ad Dardanum sic loquitur: " Nec renasci quisquam potest, antequam natus sit. „ Ibidem sic pergit: " Si quis dicat jam natum hominem, „ etiam cum adhuc est in utero mater„ no, numquid huic nativitati accedit „ secunda nativitas? „ Idem repetit Lib. 2. de peccatorum meritis & remiss. c. 27. Sic docent Isidorus Lib. 1. de summo bono, Magister Sententiarum Lib. 4. dist. 6. & Divus Thomas hic q. 68. ex professo art. 11. Ratio divi Augustini est, quia homo non denuo solum, sed ter nasceretur: I. in utero quando fœtus est animatus: II. in utero per Baptismum collatum: III. extra uterum, videlicet cum nasceretur in mundo; sed hoc est contra oraculum Christi, qui duplicem solum statuit nativitatem, unam scilicet naturalem, quando infans egreditur ex utero: alteram vero supernaturalem cum baptizatur, juxta illud oraculum Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit denuo ex aqua & Spiritu san-*

sancto, non potest introire in regnum Dei. Ergo &c.

Confirmatur: Infans in utero non est subjectum certum; forsan est solum massa carnis, ut pluries experientia comprobavit: forsan non animatum, quandoque etiam monstrum. Igitur nec decet, nec oportet puerum baptizare in utero.

Quæres III. Utrum monstra sint initianda?

Respondeo negative, & probatur. Monstrum non est homo; sed solus homo baptizandus est. Igitur non est baptizandum. Si tamen prædominetur natura humana, inquiunt Theologi, puta si habeat caput humanum, brachia, ventrem, & sola extrema declinent a specie humana, baptizari debet absolute; si vero est dubium, v. g. si sit partim humanum, & partim animale, sub conditione baptizandum est, dicendo: *Si es capax Baptismi, ego te baptizo &c.* Si vero totum est animal, & habeat solum pedes humanos, non est baptizandum: si vero sint duo pueri, quorum caput, humeri, & brachia, & pectus sint distincta, licet habeant unicum ventrem, baptizandi sunt in particulari, quia ex principalioribus partibus distinctis apparent duo homines distincti in specie. Tutius foret sub conditione utrumque per formam & materiam repetitam baptizare.

Solvuntur objectiones Anabaptistarum.

OBJICIUNT: Vox illa, *baptizantes*, est solum pro adultis. Igitur pueri non sunt baptizandi. Probatur antecedens: Baptizandi sunt prius instruendi, juxta illud Mat. 28. *Euntes ergo, docete*. II. Debent prius credere; scriptum est enim Marci 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit*. III. Prius pœnitentiam agere, sic enim habetur Actuum 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum*. Sed doctrina & pœnitentia respiciunt solum adultos. Igitur soli adulti baptizandi sunt; & de facto, mos quondam fuit illos solum baptizare, ut legitur de Constantino Magno, & Theodosio, & Valentiniano.

Respondeo I. negando antecedens. Ad probationem distinguo: Doctrina, fides & charitas pertinent solum ad adultos immediate, concedo: mediate, nego. Cum enim habeant usum rationis, debent se convertere ad Deum, & credere; pueri vero per patrinos hæc omnia faciunt: quando vero ad auroram rationis perveniunt, tenentur, inquit D. Thomas, sub peccato mortali credere, & se ad Deum per actum amoris convertere.

Respondeo II. distinguendo: Et infantes habent fidem habitualem per Baptismum, & actualem per patrinos, & fidem Ecclesiæ, concedo: & non habent, nego. Solutio est Divi Augustini, qui Lib. 6. contra Julian. c. 10. ita loquitur: " Alieno opus est, cum credit per alterum, sicut alieno opus fuit, cum peccavit in altero. " Rursus Lib. 1. operis imperfecti contra Julianum c. 36. sic ait: " Verum est quod per alium credunt infantes, propter hoc enim & fideles per totam Ecclesiam nuncupantur, profecto non pertinet ad illud quod Deus ait: *Qui autem non crediderit, condemnabitur*. " Sermone 14. de verbis Apostoli dicit auctoritate Ecclesiæ eos fidelibus copulari. Lib. 3. de peccatorum meritis & remissionibus cap. 2. asserit justitiam Christi illis prodesse; postea addit: Sacramentum fidei est; nihil autem aliud est credere, quam fidem habere, & per hoc respondetur I. parvulum credere, tametsi fidei nondum habeat effectum: II. fidem habere propter fidei Sacramentum: III. Se ad Deum convertere propter conversionis Sacramentum, quia & ipsa responsio ad celebrationem pertinet Sacramenti. Idem dicit Bernardus sermone 66. in Cantica, & Petrus Venerabilis Epist. contra Petrobusianos.

Respondeo ad aliud distinguendo: Mos fuit Ecclesiæ quandoque differre Baptismum, ut magis præpararentur homines ad illum suscipiendum, concedo: universaliter & in casu periculi, nego. Probavimus enim pueros ab initio baptizatos fuisse; immo Concilium Neocæsariense can. 12. Gregorius Nazianzenus Orat. 4. Chrysostomus Homil. 1. in Acta, improbant dilationem Baptismi, tum quia multi morte præveniebantur, ut de Valentiniano patet; tum quia ipsi Catechumeni differebant Baptismum ut molliter viverent, vel etiam & ut plurimum, ad vitandas pœnas contra peccata adultorum.

Sic intelliguntur Patres quando dicunt Baptismum esse procrastinandum, sic Augustinus, cum Lib. 4. de Baptismo contra Donatistas dicit Baptismum parvulorum jam fuisse Conciliis stabilitum, & incepisse Origenis tempore; non enim vult illum improbare, sed potius esse de Traditione Apostolica & ante Concilia, juxta regulam ab ipso traditam ibidem: Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur.

Instant: Tertullianus Lib. de Baptismo c. 18. sic loquitur: " Pro cujusque personæ conditione ac dispositione, etiam ætate, cunctatio Baptismi utilior est, præcipue tamen circa parvulos. Quid enim necesse est, si non tam necesse sponsores periculo ingeri? quia & ipsi per mortalitatem destituere promissiones suas possunt, & proventu malæ indolis falli. Ait quidem Dominus: Nolite illos prohibere ad me venire. Veniant ergo dum adolescunt, veniant dum discunt, dum quo veniant docentur: fiant Christiani, quum Christum nosse potuerint. Quid festinat innocens ætas ad remissionem peccatorum? Cautius agetur in sæcularibus, ut cui substantia terrena non creditur, divina credatur. Norint petere salutem, ut petenti dedisse videaris. " Igitur ex Tert. debet Baptismus differri, I. Quia non æquum est puerum obligari ad jugum laboriosum absque rei cognitione. II. Et Patrinos respondere pro eo qui mutabit forsan voluntatem. III. Quia ipse homo debet petere Baptismum &c.

Respondeo I. ut supra. II. Tertullianum eo loci non dicere infantes non esse baptizandos, sed quod *cunctatio Baptismi utilior est*, propter rationes quas subjicit, & modo laudatas. Tametsi enim infantes tingantur, non inde sequitur aliquid incommodi aut ex parte baptizati, aut ex parte patrinorum. Ex parte quidem baptizati, cum Baptismus cedat in ejus bonum, namque adhuc parvulus mori potest, & secluso Baptismo non salvaretur: immo vel in ipsis temporalibus, Tutores celebrant nomine parvulorum contractus, quos lex ratos habet, ut primum sunt ipsis utiles; a fortiori igitur, ubi periclitatur salus, patrini pro infante recte spondent ut baptizetur. Sed neque vel ipsis patrinis hoc grave est, cum Deus sit eorum merces. Tum quia si puer adultus factus, & propriæ pravitatis pondere a fide deficiat, sponsoribus non imputatur ad culpam. Quod autem Tertullianus non neget absolute infantes esse baptizandos, ibidem cap. 14. ait Paulum tinxisse *Cajum*, *& Crispum*, *& Stephanæ domum*: certe ut dictum est, in una domo adsunt parvuli. Ceterum tametsi Tertullianus adversaretur conclusioni, Ecclesiæ, pueros ab Baptismum suscipienti, potius quam illi credendum est.

Repones: Christus annos circiter triginta natus baptizatus est in Jordane. Igitur soli adulti baptizandi sunt.

Respondeo distinguendo: Et Christus ad humilitatis exemplum, non ex necessitate baptizatus est, concedo: secus, nego. Porro parvuli ex necessitate initiantur, ne in periculum salutis morte præventi veniant; ceterum, inquit Sanctus Gregorius Nazianzenus Orat. in sacrum lavacrum, cuncta quæ fecit Christus nec opus est agere, nec semper possumus. Sic quadraginta diebus jejunavit, quod nullus hominum absque miraculo potest facere.

Insistes: S. Augustinus Lib. 4. de Bapt. scribit Baptismum parvulorum non fuisse Conciliis stabilitum, sed incepisse Origenis tempore. Ergo &c.

Respondeo sanctum Doctorem jure merito dicere Baptismum non esse Conciliis stabilitum; addo nec etiam tempore Origenis incepisse, cum asserat esse a Christo institutum, & trad. Apostol. firmatum; ibidem enim de Bapt. sermonem instituens, ait, ut dictum est: " Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi traditione Apostolica traditum rectissime creditur. " Quando vero ad Baptismum suscipiendum Scriptura exigit fidem, bonam conscientiam, & similes dispositiones, loquitur de adultis qui cum propria voluntate peccaverint, etiam proprio conatu ad Deum debent sese convertere; e contra vero parvuli qui solum aliena voluntate contraxerunt peccatum; hinc ait passim Augustinus, sanctam matrem Ecclesiam accommodare

eis

eis aliorum cor ut credant, similiter & & aliorum pedes ut accedant & quærant Baptismum: qua quidem responsione solvuntur omnia Anabaptistarum sophismata.

Dices: 1. Petri 3. habetur: *Vos nunc similis formæ salvos facit Baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum*. Sed pueri ratione nondum utentes non habent conscientiam bonam, & interrogationem in Deum. Igitur non sunt baptizandi.

Respondet D. Thomas hic q. 68. art. 9. ad 3. his verbis: " Dicendum, quod sic- „ ut puer cum baptizatur, non per se „ ipsum, sed per alios credit, ita non „ per seipsum, sed per alios interroga- „ tur, & interrogati confitentur fidem „ Ecclesiæ in persona pueri, qui huic fi- „ dei aggregatur per fidei Sacramentum. „ Conscientiam autem bonam consequi- „ tur puer etiam in se ipso, non quidem „ actu, sed habitu per gratiam justifican- „ tem. „

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Pueri Fidelium sunt baptizandi.

PRIMO: Act. 16. legitur Paulum baptizasse domum Lydiæ; porro in domo & familia adsunt semper parvuli: Igitur parvuli baptizandi sunt, maxime cum Christus dicat: *Sinite parvulos venire ad me*. Et Matt. 28. hæc lex, *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes &c.* sit universaliter pro omnibus.

Secundo: Hoc ipsum traditio docet; Dionysius Lib. 1. de Eccles. Hier. ait: " Divini nostri duces probaverunt infan- „ tes recipi ad Baptismum. „ Origenes L. 5. in cap. 6. Epist. ad Romanos, Cyprianus Ep. ad Fidum, idem docent.

Tertio: Apostol. Rom. 5. ait gratiam Christi superabundasse, ubi abundaverat delictum: sed in parvulis abundant delictum originale: Igitur & gratia Baptismi abundare debet.

SYNOPSIS OBJECTIONUM ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Ne miremini si Christus Matth. 28. præcipiat Apostolis ut doceant & postea baptizent, quandoquidem eos mittebat principaliter ad adultos, videlicet ad gentes, ut prius instituerentur in fide antequam baptizarentur; sed non ideo a Baptismo excludit parvulos, ut ex probationibus liquet, quandoquidem vult omnes homines salvos fieri.

Secundo: Dum Patres consulunt ut Baptismus procrastinetur ad adultam usque ætatem, præcipiunt tamen ut ubi contigerit mortis periculum, baptizentur pueri.

Tertio: Neque magis proficiunt Anabaptistæ, laudantes ista 1. Petri verba, *Salvos facit baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientia bona interrogatio in Deum*. Nam, inquit Divus Thomas hic q. 68. art. 9. ad 3. parvuli & per alios interrogantur, & per alios, scilicet per patrinos respondent.

SECTIO SECUNDA.

Utrum pueri infidelium sint baptizandi invitis parentibus?

NOMINE infidelium intelligimus omnes qui non agnoscunt Christum, immo & Hæreticos corrumpentes formam Baptismi.

Suppono I. Filios infidelium posse baptizari, si pater aut mater consentiat, licet una pars nolit, quia utrique incumbit instruere prolem, & curam ipsius vitæ & salutis agere. Sic declaravit Gregorius XIII. II. Si ita filii sint abstracti a parentibus, ut non sit spes reditus ad ipsos ne corrumpantur in fide. III. Si sint in extremis positi, & possint occulte sine scandalo & jurgio baptizari, quia non censentur moraliter pertinere ad parentes. IV. Si sint filii mancipiorum, cum enim Domini jus habeant in vitam parentum, possunt, illis invitis, curare ut baptizentur. V. Si sint adulti, licet nondum emancipati: quia homo, inquit Divus Thomas, est sui juris pro sua salute, & ut primum habet rationis usum, tenetur ad Deum se convertere. His præmissis, sit

CON-

CONCLUSIO PRIMA.

Pueri Infidelium non sunt, invitis parentibus baptizandi.

Probatur auctoritate, & ratione.

PRIMO, ex Scriptura sacra. I. Cor. 5. habetur: *Quid enim mihi de iis qui foris sunt, judicare?* Igitur non debet curare Princeps fidelis, ut pueri Infidelium invitis parentibus baptizentur.

Secundo, ex consuetudine Ecclesiæ, quæ prævalet omni Patrum auctoritate, Teste D. Thoma 2. 2. q. 10. art. 12. S. Sylvester non petiit a Constantino, sicut nec Ambrosius a Magno Theodosio, ut filii Infidelium, invitis parentibus, baptizarentur: Immo summi Pontifices permittunt Judæis vel in ipsa urbe Roma vivere secundum ritus suos. Unde Concilium Toletanum 4. can. 16. reprobat factum Sizebuti Regis, qui quosdam Judæos sibi subditos baptizari coegereat: & canone 56. ut refertur in decretalibus de Judæis dist. 46. sic habet: " Præcipit „ sancta Synodus nemini deinceps ad „ credendum vim inferre: non enim ta- „ les inviti salvandi sunt, sed volentes, „ ut integra sit forma justitiæ.„ Ergo &c.

Tertio, Divus Thomas hic quæst. 68. art. 10. duas pro isto momento affert rationes. Prima, quia filii sunt bona parentum: Igitur nemo potest de illis disponere contra eorum voluntatem. Secunda, auctoritas Ecclesiæ est in ædificationem & non in destructionem: Sed in hypothesi foret in destructionem, ex eo quod parentes corrumperent filios in fide suscepta: Ergo &c. Alteram hanc dat rationem S. Chrysostomus, sermone 3. in die Pentecostes, redderetur religio Christi exosa, quippe quæ mansuetudine potius quam vi, & minis introducenda sit: Ecce divi Thomæ verba: " Dicen- „ dum, quod pueri Infidelium, aut ha- „ bent usum rationis, aut non habent: „ si autem habent, jam quantum ad ea „ quæ sunt juris divini, vel naturalis, „ incipiunt suæ potestatis esse. Et ideo „ propria voluntate, invitis parentibus, „ possunt Baptismum suscipere, sicut & „ Matrimonium contrahere, & ideo tales „ licite moneri possunt, & induci ad sus- „ cipiendum Baptismum; si vero nondum „ habent usum liberi arbitrii, secundum „ jus naturale sunt sub cura parentum, „ quandiu ipsi sibi providere non possunt, „ unde etiam, & de pueris antiquorum „ dicitur, quod salvabantur in fide pa- „ rentum. Et ideo contra justitiam na- „ turalem esset, si tales pueri invitis pa- „ rentibus baptizarentur: sicut etiam si „ aliquis habens usum rationis baptizare- „ tur invitus, esset etiam periculosum „ taliter filios Infidelium baptizare: quia „ de facili ad infidelitatem redirent, pro- „ pter naturalem affectum ad parentes. „ Et ideo non habet hoc Ecclesiæ con- „ suetudo, quod filii infidelium, invitis „ parentibus, baptizentur. „

CONCLUSIO SECUNDA.

Pueri Infidelium mancipaliter subditorum Principibus Christianis baptizari possunt, invitis parentibus, in quo casu ab eis separandi sunt, ne corrumpantur in fide.

Probatur rationibus Theologicis.

PRIMO ex Script. L. 1. Mach. cap. 2. refertur Mathathiam jussisse pueros jure belli captos circumcidi, inter quos certe erant Gentiles. Rursus Exodi 12. præcipitur ut omnis colonus, & advena circumcidatur; manducet Pascha, & cohabitet cum populo &c. Igitur a simili Princeps Christianus potest injungere ut filii infidelium qui sunt vel jure belli, vel emptione servi, baptizentur.

Secundo, ratione: Princeps plenum habet dominium super eos, cum jus habeat, & super parentes, & in eorum bona. Igitur potest, vel ipsis invitis parentibus, filios ad sanctum lavacrum perducere.

Confirmatur: Si ratio aliqua prohiberet baptizare illos pueros, maxime propter periculum fidei: Sed non est timendum quod redeant ad parentes, & in fide ab eis corrumpantur, quia nec sunt in eorum potestate, sed solum sub Dominio Principis Christiani, cui vel ipsi parentes tenentur obedire, unde si quævis, aut violentia obrepéret ex parte illorum, aut punirentur,

aut

aut e regno propellerentur a Principe qui jus vitae & mortis in eos habet. Ergo &c.

Solvuntur objectiones contra primam Conclusionem.

Objicies: Judaei Act. 5. adversus Apostolos obstrepentes, eo quod Christum praedicarent, prohibuerunt eis ne in posterum id facerent: *Respondens autem Petrus & Apostoli dixerunt, obedire oportet Deo magis quam hominibus.* Igitur etiam, renitentibus parentibus, baptizandi sunt pueri infidelium. Non una ratio hoc probat 1. est praeceptum de baptizandis omnibus infidelibus, Matt. 28. *Euntes ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos &c.* 2. Illud praeceptum omnes & singulos obligat, ut habetur Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* 3. Homo magis pertinet ad Deum quam ad parentes, cum sit omnium Creator. 4. Praeceptum divinum est de gloria Dei consulenda, & praevalet vel ipsi juri naturali quod habent in prolem parentes. 5. Omnia Dei Dominio subjiciuntur, & illi serviunt, ut habetur Apoc. 7. *Benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, &c.* Pater potest abjici ut puer baptizetur, cum Christus a servitute nos liberaverit. Ergo.

Respondeo generaliter ad omnia distinguendo: Si jus naturale non violetur, concedo, secus, nego. Violaretur autem in hypothesi, quia parentes habent jus naturale in filios, hinc soli possunt disponere ad nutum de eis.

Respondeo secundo, aliter distinguendo: Si non sequatur incommodum & scandalum, concedo: si sequatur, nego. Sequeretur autem, eo quod parentes filios corrumperent in fide: hinc postea abominationes, sicut contigit in Calvinistis, qui vi ad religionem conversi, ficte non semel susceperunt tum poenitentiae, tum Eucharistiae Sacramenta.

Respondeo tertio, adhuc aliter distinguendo: Si Deus non praecipiat servari jus naturale, concedo: si velit servari, nego: Praecipit autem quod nulli fiat injuria in bonis suis: reliquit enim hominem in manu consilii sui, ut bene, vel male utatur, ita ut si bene agat compensetur, si vero male puniatur. Sic enim scriptum est Rom. 12. *Mihi vindicta: ego retribuam.*

Jam respondeo ad singula. Ad primum quidem nego paritatem; erat quidem praeceptum pro fide praedicanda, juxta illud: *Docete ergo omnes gentes*; sed ad eam amplectendam nullus cogitur, unde inter Athenienses audientes Paulum, ut refertur Act. 17. *Quidam quidem irridebant; quidam vero dixerunt, audiemus te de hoc iterum .... quidam vero viri adhaerentes ei, crediderunt.*

Unde in forma sic distinguo: Et praeceptum divinum non opponitur juri naturali, immo illud confirmat, concedo: & opponitur, nego.

Ad secundum distinguo: Praeceptum Baptismi obligat omnes volentes, concedo: nolentes, nego. Scriptum est enim Psal. 53. *Voluntarie sacrificabo tibi*: cum autem voluntas pueri inclusa sit in voluntate parentum, vel Tutorum, censetur nolle Baptismum quando ipsi nolunt: deinde dicit Apostolus Gal. 4. *Quanto tempore haeres parvulus est, nihil differt a servo .... Sed sub tutoribus & actoribus est, usque ad praefinitum tempus a patre.*

Ad tertium distinguo: Deus est omnium creator, & Deus suum cedit jus parentibus, ut dominentur filiis suis, concedo: & non cedit, nego. D. Thomas hic art. 10. ad 3. sic solvit argumentum: " Dicendum quod homo ordinatur „ ad Deum per rationem, per quam „ Deum cognoscere potest. Unde puer „ antequam usum rationis habeat, natu„ rali ordine ordinatur in Deum per ra„ tionem parentum, quorum curae na„ turaliter subjacet; & secundum eorum „ dispositionem sunt circa ipsum divina „ agenda. „

Ad quartum distinguo: Praeceptum divinum praevalet omni juri, si est absolutum, concedo: si sit solummodo conditionatum, nego. Sic autem Deus praecipit Baptismum puerorum, ut velint parentes.

Ad quintum distinguo: Omnia serviunt Deo voluntarie facta, concedo; hilarem enim datorem solum vult Deus; necessario, & coacte, subdistinguo: si creaturae sint irrationales, concedo: secus, nego.

nego. Ad aliud distinguo: licet adulto calcare patrem, concedo; quia est juris sui pro supernaturalibus: puero, nego; est enim incapax. Ad sextum patet ex dictis solutio, cum enim Christus liberaverit nos a servitute diaboli, iam non mancipia, sed amici & filii Dei evadunt; ii inquit, Joannes cap. 1. *Qui non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.*

Instabis: Pueri debent baptizari, invitis parentibus, propter Christum. Et probatur I. Quia vult omnes salvos fieri, & redemptionem suam actu applicari: non applicatur autem pueris nisi per Baptismum. II. Quia in ordine salutis omnes homines sunt servi Christi mancipales, quandoquidem nos emit ut serviamus illi, juxta illud 1. Cor. 6. *Empti enim estis pretio magno: glorificate, & portate Deum in corpore vestro*: puer autem sine Baptismo nequit glorificare Christum utpote servus diaboli. III. Filii Fidelium nondum baptizati, sunt filii diaboli & extranei sicut pueri infidelium, & tamen propter titulum redemptionis licitum est, invitis parentibus, illos baptizare, quidni, & licebit baptizare, & alios. IV. Ipse Christus præcipit in Evangelio ut nemini fiat injuria, fit autem puero, si non baptizatur. V. Negotium salutis principaliter spectat Christum qui Ecclesiam acquisivit sanguine suo: Igitur, invitis parentibus infidelibus, baptizandi sunt parvuli.

Respondeo distinguendo: Et Christus vult redemptionem suam applicari cum fructu, & ad ædificationem concedo: secus, nego. Dat gratias sufficientes interiores vel ipsis parentibus ut possint ipsum agnoscere, & properare ad Baptismum cum filiis suis, qui sic in parentibus habent quodam modo gratiam sufficientem ad Baptismum suscipiendum.

Ad secundum, distinguo: Christus emit homines salvo eorum jure, concedo: secus nego. Homines non sunt servi mancipales per Christum, sed potius, si velint jugum eius suave portare, amici Dei, juxta illud Eph. 2. *Fratres, jam non estis hospites, & advenæ: sed estis cives Sanctorum, & domestici Dei.*

Ad tertium, nego paritatem; quia enim filius est bonum parentum, Ecclesia habet jus in filios Fidelium qui sua sunt membra, unde invitis parentibus, eos baptizare potest, sed non sic alios.

Ad quartum, distinguo: Fieret injuria puero in hypothesi quod non baptizaretur, si gratia foret illi debita, concedo: sin minus, nego. Porro gratia est mere gratuita, & illi non debetur: quia vero filius est patris, & matris bonum, citra juris naturalis leges, ipsis naturales, baptizaretur.

Ad quintum, distinguo: Negotium salutis principaliter spectat Christum, & ipse vult ut homines ultro consentiant illi servire & famulari concedo: Et independenter ab hominibus vult hoc fieri; nego. Pueri autem censentur nolle baptizari, quando parentes renuunt: hinc votum emissum ab adolescentibus ante decimum quintum annum, licet sit de meliori bono, nullum tamen est, si non accedat parentum voluntas.

Dices: Ergo a parentibus dependent res spirituales.

Respondeo distinguendo: Indirecte, in quantum possunt illas impedire ex jure avito libertatis, concedo: directe, ita ut sint causæ rerum supernaturalium, nego.

Insistes: Ecclesia est tutrix omnium hominum pro bonis spiritualibus, quia Christus redemit omnes; sed volente tutore, cuncta quæ cedunt in bonum parvuli, recte fiunt: Igitur invitis parentibus baptizandi sunt pueri infidelium. Confirmatur I. Licitum est bona omnibus facere & consulere. II. Pro conversione peccatoris, etiam ipso renuente, orare. III. Impedire malum imminens & avertere ab aliquo mortis imminentis periculum: Baptizare autem parvulum est magnum bonum illi facere, ipsum ad Deum totius justitiæ & salutis fontem convertere. Quid plura? Eum ipsum a morte æterna eripere. Ergo &c.

Respondeo distinguendo: Ecclesia est tutrix hominum salva eorum libertate, concedo: secus, nego. Religio autem sancta, inquiunt Patres, non est vi inducenda, & cum voluntas filii sit in voluntate parentum conclusa, ipsis abnuentibus Baptismum, vel ipsi parvuli censentur abnuere.

Ad confirmationem, distinguo: Licitum est omnibus bona facere, si velint, con-

concedo : Ipsis reluctantibus , nego : ad probationem nego paritatem. Cum enim oratio non inducat obligationem , sed ad gratias a Deo obtinendas pro conversione peccatoris ordinetur , Ecclesia potest orare pro infidelibus , minime vero ipsis invitis eorum baptizare filios.

Ad secundam utique distinguo : Licitum est impedire malum imminens quod est contra jus naturale, concedo: contra positivum supernaturale subdistinguo. Salva personarum libertate , concedo ; non salva , nego . Qui nomen dat religioni Christianæ legem naturæ corruptæ adversam observare tenetur , unde nisi velit, ad hoc non cogendus est.

Repones : Pueri censentur velle Baptismum ; si enim usum haberent rationis , & cognoscerent , certe vellent tantum bonum. II. Non fit injuria in hoc parentibus, quia filii Christiani melius obediunt parentibus quam alii. III. Dominus potest invitis parentibus baptizare servos suos, & tamen jus naturale non violatur, cum illis semper remaneat. IV. Licitum est Principibus depravatos infidelium mores corrigere , immo exercitium religionis idololatriæ impedire , juxta illud Augustini Epist. 48. " Quis, *inquit Donatistis* , „ non laudat leges ab Imperatoribus latas „ adversus sacrificia Paganorum . „ Sed impedire Baptismum , est usus malæ religionis : Igitur pueri infidelium possunt baptizari, invitis parentibus.

Respondeo ad primum , negando antecedens , quia parvuli in voto habent id solum quod ipsi parentes volunt ; cum isti nolint baptizari filios suos , vis non est eis inferenda.

Ad secundum , nego in hoc non fieri parentibus injuriam . Ad probationem , distinguo : Filii Christiani melius obediunt parentibus , & hoc ipsi ignorant parentes infideles , concedo : & hoc cognoscunt , nego. Si tamen puer esset in extremis positus , posset baptizari in occulto invitis parentibus , quia propter mortem imminentem , non censeretur amplius bonum parentum, nec foret perversionis in fide periculum.

Ad tertum distinguo : Dominium Domini in servos non dat illi jus naturale radicale, concedo: acquisitum nego: nam ex divo Thoma 1. 2. q. 8. art. 5. jus naturale suscipit restrictionem , & modificationem per jus gentium : unde usus ipsius potest transferri ad alium , & de facto transfertur Domino , & victori : unde non est paritas , quia Ecclesia nullum habet jus in parentes, & consequenter , nec in filios.

Ad quartum , distinguo : Principes possunt corrigere & compescere malos mores qui sunt contra tranquillitatem publicam quam sibi proponunt in gubernatione, & etiam id quod est contra jus naturale, concedo: malos mores qui sunt solum contra bonum privatum , nego . Rejicere autem Baptisma pro pueris , est contra bonum dumtaxat privatum familiæ . Possunt utique Reges impedire usum idololatriæ , quippe qui sit contra jus naturale : siquidem ratione naturali demonstrari potest Deum existere.

Replicabis : Magis debet homini subveniri contra periculum mortis æternæ , quam contra periculum vitæ temporalis. Sed licitum est e periculo vitæ temporalis eripere infantem, vel ipsis invitis parentibus, qui ex malitia vellent eum perire : Igitur & a fortiori, invitis parentibus licet baptizare infantem , quem in infidelitate enutriendo ipsi æternam vitam tollerent.

Respondeo negando paritatem: ratio discriminis est , quod vita temporalis jus naturale spectet , hinc invitis parentibus servari, & defendi potest, puerum a periculis eripiendo: sed eum enutrire in bona, vel mala religione non ita spectat jus naturale , sed magis supernaturale ; cum autem parvulus sit bonum naturale parentum, cum non convenit ab eorum subripere imperio ut baptizetur , maxime cum non ita affulgeat vita æterna per Baptismum susceptum , cum parvulus adultus factus, absque negotio possit corrumpi in fide a parentibus , qui ex innato pondere tendunt ad depravatam religionem. Sanctus Thomas hic q. 68. art. 10. hanc sibi proponit difficultatem , quam sic solvit ad 1. " Dicendum , quod a morte cor„ porali non est aliquis eripiendus contra „ ordinem juris civilis : puta , si aliquis „ a suo judice condemnetur ad mortem, „ nullus debet eum violenter a morte „ eripere : Unde nec aliquis debet cor„ rumpere ordinem juris naturæ, quo filius „ est

„ est sub cura patris, ut eam liberet a „ periculo mortis æternæ. „

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Pueri infidelium non sunt baptizandi, invitis parentibus, secus vero si sint sub dominio Principum.

PRIMUM patet juxta illud 1. Cor. 5. *De iis qui foris sunt, quid ad nos?* hinc sanctus Sylvester non petiit a Constantino ut pueri Gentilium baptizarentur. Ratio est, quia nemini facienda est injuria; cum autem filii sint bona parentum infidelium, nullus, seclusa eorum licentia, de iis potest disponere.

Alterum non minus constat, cum Princeps dominium habeat in mancipia, & eorum bona: tum quia non est timendum quod parentes contra voluntatem Principis corrumpant filios in fide, maxime cum pœnas criminis luerent.

SYNOPSIS OBJECTIONUM ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Est quidem præceptum ut omnes indiscriminatim homines baptizentur, sed salvo uniuscujusque jure; læderetur autem jus parentum, si vel ipsis invitis, baptizarentur filii.

Secundo: Creatori potius obediendum est quam creaturæ in iis quæ citra fidei periculum possunt fieri: Jam si baptizentur parvuli infidelium qui sunt sub parentum potestate, ut plurimum a patre & matre pervertentur in fide, quod quidem in Ecclesiæ, & ipsius Christi dedecus vergit.

Tertio: Tametsi melius sit secundum se parvulum baptizari, relative tamen ad circumstantias, & periculum in fide pro subsequenti tempore, non ita est.

SECTIO TERTIA.

Utrum adulti sint baptizandi?

CERTUM est votum Baptismi adultorum reatum maculæ originalis & pœnæ æternæ ad eam consequentis remittere. Hinc dubium quoddam oriri potest circa tria. Primo quidem num de facto baptizandi sint adulti? Secundo, quandonam? Tertio, quæ conditiones ad hoc requirantur?

PUNCTUM PRIMUM.

De Baptismo Adultis conferendo.

CONCLUSIO.

Adulti sunt baptizandi.

Probatur rationibus Theologicis.

PRIMA: Deus vult omnes homines salvos fieri: Sed hoc fit per Baptismum, quippe qui ad salutem necessarius sit necessitate medii, juxta illud Christi effatum Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Igitur adulti sunt baptizandi.

Secundo: Adultus debet Christo incorporari ut ad finem beatum perveniat: Sed hoc fit per Baptismum, Apostolo dicente Gal. 3. *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Ergo &c.

Tertio: Homo est natura filius iræ: Sed absque Baptismo non potest Deo reconciliari, seclusa vero justificatione, peribit in æternum. Et probatur: Non potest peccator justificari nisi per Sacramenta: Sed Baptismus est omnium janua, nec ea ante susceptum Baptismum potest aliquis suscipere, ne quidem Pœnitentiam, cum Sacerdos non habeat jurisdictionem in eum qui non est initiatus, hinc & absolutionis sententiam ferre non valet. Superest igitur, ut adultus baptizetur ad hoc ut per Christum justificetur. Hoc ipsum docet Apostolus Rom. 5. his verbis: *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ.* Ergo &c.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

OBJICIES: Homo non est deterioris conditionis in lege nova quam erat in lege naturæ & Mosaica: Sed in his duabus legibus absque Baptismo adulti salvabantur. Igitur & in præsenti statu possunt, omisso Baptismate, salvari.

Respon-

Reſpondeo diſtinguendo minorem: Et erat quoddam Sacramentum in illis legibus quod vices Baptiſmi ſubibat, concedo: & non erat nego. Teſte Apoſtolo nihil ad perfectum ducebat lex, ſed gratiam & perfectionem per Chriſtum dandam expectabant homines; hine per fidem in Chriſtum & ſacrificia in lege naturæ, per eadem pro feminis, & per Circumciſionem pro maſculis in lege Moſaica a peccato originali ſanabantur: ſed per Baptiſmum majorem gratiam, majoremque perfectionem in nova lege conſequuntur: juxta illud Joan. 1. *Lex per Moyſen data eſt, gratia, & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt*.

Solutio eſt D. Thomæ hic q. 68. art. 1. ad 1. his verbis: " Dicendum, quod „ numquam homines potuerunt ſalvari „ etiam ante Chriſti Adventum, niſi fierent membra Chriſti, quia ut dicitur „ Act. 4. non eſt aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos „ fieri. Sed ante Adventum Chriſti, homines Chriſto incorporabantur per fidem futuri Adventus: eujus fidei ſignaculum erat circumciſio, ut Apoſtolus „ dicit Rom. 4. Ante vero quam Circumciſio inſtitueretur, ſola fide, (ut „ Gregorius dicit) cum ſacrificiorum „ oblatione quibus ſuam fidem antiqui „ Patres profitebantur, homines Chriſto „ incorporabantur. Poſt Adventum etiam „ Chriſti, homines per fidem Chriſto incorporantur, ſecundum illud Epheſ. 3. „ habitare Chriſtum per fidem in cordibus veſtris. Sed alio ſigno manifeſtatur „ fides rei jam præſentis, quam demonſtraretur, quando erat futura: ſicut „ etiam aliis verbis ſignificatur præſens, „ præteritum & futurum: & ideo licet „ ipſum ſacramentum Baptiſmi non ſemper fuerit neceſſarium ad ſalutem; fides tamen ejus Baptiſmus ſacramentum eſt, ſemper neceſſaria fuit. „

Inſtabis: Atqui abſque Baptiſmo adultus foret melioris conditionis: Et probatur. Facilius eſt juſtificari per contritionem, quam per Baptiſmum, cum aqua & Miniſter poſſint deficere, maxime quia non ſine apparatu Baptiſmus celebratur, quod longum exigit tempus: At vero in inſtanti & citra laborem elicitur actus contritionis. Igitur non oportet baptizare adultos. Confirmatur: Ad juſtificationem ſufficit eonverſio per contritionem amore perfecto formatam, in hoc enim adulti ab infantibus diſcrepant, quod propria voluntate poſſint ad Deum ſeſe convertere. Rurſus eo ipſo quo adultus ad Deum perfecte convertitur, jam eſt juſtificatus, ut Ambroſius ſcripſit de Imperatore Valentiniano. Quid plura? Multi Martyres abſque Baptiſmo ſalvati ſunt. Ergo &c.

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad primam probationem dico primo, facilius eſſe juſtificari per Baptiſmum, quam per ſolam contritionem perfectam, quia attritio ſufficit cum Sacramento; porro non levior eſt labor pro adulto qui nuſquam Sacramentis munitus eſt, & in peccatis veluti habitualiter jacet, prorumpere in actum perfectæ eontritionis. Secundo eſt præceptum in lege nova de Baptiſmo ſuſcipiendo, hine, illo ſecluſo, non patet adulto ſalutis janua. Ad id vero quod dicitur, quandoque & Miniſtrum & aquam deficere, hoc non apparet veritati conſonum, cum aqua naturalis ubique adſit, & quilibet, etiam Hæreticus, etiam Paganus, deficiente Catholico, poſſit conferre Baptiſmum. Neque vero concedimus facillimum eſſe actum contritionis perfectum elicere. Quid plura? Quum neceſſitas urget, Baptiſma, omiſſis cæremoniis, conferri poteſt.

Ad primam confirmationem ultro fatemur adultum propria voluntate ad Deum ſe poſſe convertere, ſed & hoc ei incumbit facere ante ipſam Baptiſmi ſuſceptionem, tum baptizari; præceptum enim iſtud Chriſtus poſuit Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit &c.* & non præteribit.

Ad alteram confirmationem, diſtinguo: Adultus contritus abſque Baptiſmate juſtificatur, modo illius habeat votum, concedo: ſin minus, nego. In caſu quo adultus ſubito ex hoc raperetur mundo, vellet baptizari, ſi poſſet, cum actu contritionis perfectæ ſalvaretur: Secus e contra. Valentinianum S. Ambroſius non ſine fundamento ſalvum putavit, ſed ea ductus ratione, quod ille Imperator Catechumenus, adeoque eum voto Baptiſmi obiiſſet; a fortiori idem dicendum de Martyribus, cujus Baptiſmi tanta voluntas fuit, ut & pro Chriſto, & pro ejus

lege

lege proprium sanguinem fundere non dubitaverint.

Hanc tradit solutionem & doctrinam S. Thomas hic q. 68. art. 2. his verbis : "
„ Dicendum, quod sacramentum Baptismi dupliciter potest alicui deesse. Uno
„ modo, & re, & voto, quod contingit illis qui nec baptizantur, nec baptizari volunt : quod manifeste ad contemptum Sacramenti pertinet, quantum ad illos qui habent usum liberi arbitrii : Et ideo hi quibus hoc modo deest Baptismus, salutem consequi non possunt: quia nec sacramentaliter, nec mentaliter Christo incorporantur, per quem solum est salus. Alio modo potest Sacramentum Baptismi alicui deesse re, sed non voto: sicut cum aliquis baptizari desiderat, sed aliquo casu prævenitur morte, antequam Baptismum suscipiat, & talis sine Baptismo actuali, salutem consequi potest, propter desiderium Baptismi, quod procedit ex fide per dilectionem operante: per quam Deus interius hominem sanctificat, cujus potentia Sacramentis visibilibus non alligatur; Unde Ambros. dicit de Valentiniano, qui Catechumenus mortuus fuit. Quem regeneraturus eram, amisi: verum tamen ille gratiam quam poposcit non amisit. „

Insistes: Non omnis adultus habet peccatum originale : Igitur non omnis indiscriminatim baptizandus est, nam illud Sacramentum ordinatur potissimum ad peccatum originale delendum. Probatur antecedens. Adultus v. g. qui patrem habet catholicum, & jam regeneratum non potuit ab eo contrahere peccatum, juxta illud axioma, *Nemo dat quod non habet* ; hinc de filiis Catholicorum ait 1. Cor. 7. Apostolus, *Nunc autem sancti sunt*. Ergo &c.

Respondeo negando antecedens. Ad probationem dico, infantem eatenus contrahere peccatum originale, quatenus ex carne corrupta & maledicta formatur ; quæque solo Baptismate sanatur; unde non dicitur sanctus ratione sui, sed extrinsece, & ratione parentum justorum a quibus profluxit: Baptizandus est igitur omnis adultus quicumque sit. Ita respondet D. Thomas ibidem art. 1. ad 2. " Dicendum, *inquit*, quod sicut in 2. parte dictum est, illi qui baptizantur, renovantur per Baptismum secundum Spiritum, corpus tamen remanet subjectum vetustati peccati: secundum illud Romanor. 8. corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus vero vivit propter justificationem. Unde & Augustinus probat in libro contra Julianum, quod non baptizatur in homine, quidquid in eo est. Manifestum est autem, quod homo non generat generatione carnali secundum spiritum, sed secundum carnem; & ideo filii baptizatorum, cum peccato originali nascuntur; unde indigent baptizari. „

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Adulti sunt baptizandi.

PRIMO: Quia Joannis 3. habetur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*. Ergo &c.

Secundo: Ut homo salvetur, debet Christo incorporari : Sed hoc fit per Baptismum, juxta illud ad Gal. 3. *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis*. Ergo &c.

Tertio: Homo est natura filius iræ adeoque sine Sacramentis non potest justificari : Sed Baptismus est janua omnium Sacramentorum. Igitur adultus baptizandus est.

SYNOPSIS OBJECTIONUM ET SOLUTIONUM.

PRIMO : Tametsi adultus indigeat Baptismo ut regeneretur, non ideo deterioris conditionis homine in veteri lege, evadit, cum & Circumcisio vicem Baptismi subiret : & nostra Sacramenta, teste Augustino, sint actu faciliora, & virtute efficaciora.

Secundo: Facilius est baptizari, quam conteri, cum contritionem perfectam ante susceptum Baptismum sit difficile elicere propter invalescentes passiones jugo Domini nondum subditas.

Tertio: Homo nasci quidem potest ex parentibus justis, sed formatur ex materia fœdata ; hinc eo ipso quo anima infunditur in corpus, ex unione cum illo

illo resultat peccatum originale, quod non deletur absque Baptismo, vel in re vel in voto habito.

PUNCTUM SECUNDUM.

Utrum adultis procrastinandus sit Baptismus?

CERTUM est neminem teneri ad aliquam suscipiendam religionem nisi prius tum de ejus veritate, tum de sanctitate edoctus sit: ait enim Apostolus Rom. 1. *Quomodo credent ei quem non audierunt; quomodo autem audient sine prædicante.* Hinc ipse Christus suos mittens Discipulos, qui novam legem suam per omnem terram disseminarent, jussit eos gentes edocere, priusquam illas tingerent, Matth. 28. *Euntes*, inquit, *ergo, docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, docentes eos servare &c.*

Isti regulæ ab ipso Legislatore datæ insistens Ecclesia voluit accedentes ad Baptismum ante omnia sacris Mysteriis imbui; hinc & tempus quo instructioni vacandum est, nomine Catechumenatus celebratur. Quia vero non eadem semper fuit pro quantitate illius temporis disciplina, operæ pretium est antequam quidquam concludamus, varios Catechumenatus gradus hic texere.

§. I.

Historia critica Catechumenatus.

Ortus.

CATECHUMENATUS ortum habuit a Christo, qui injunxit Apostolis ut docerent priusquam baptizarent Gentes, ut modo diximus. Initio hoc paucis absolvebatur, cum Apostoli tingerent absque mora eos, qui, una aut altera eorum audita prædicatione, credebant: legitur Act. 2. quod S. Petrus vix absoluta prima prædicatione, plura hominum millia sacro fonte expiaverit, similiter & repetita concione, eumdem ferme numerum baptizaverit: sic enim habetur Act. 4.

Rursus, Act. 10. idem Petrus mittitur ad Cornelium, cui absque procrastinatione sacrum contulit Baptismum. Idem legitur Act. 8. de Eunucho Candacis Reginæ Æthiopum, qui vix de Mysterio Incarnationis a Philippo Diacono edoctus, petiit baptizari, ut refertur his verbis: *Aperiens autem Philippus os suum: & incipiens a Scriptura ista, evangelizavit illi Jesum, & dum irent per viam, venerunt ad quamdam aquam. Et ait Eunuchus: Ecce aqua, quis prohibet me baptizari? Dixit autem Philippus: Si credis ex toto corde, licet; & respondens, ait: credo Filium Dei esse Jesum Christum: & jussit stare currum, & descenderunt uterque in aquam, Philippus & Eunuchus, & baptizavit eum.*

Rursus, Act. 16. habetur Paulum baptizasse Lydiæ domum. Idem Romæ cum B. Petro in carcere detentus, utique & Nicostratem, & ejus familiam, ut eorum Martyrii ferunt acta, initiaverunt. Nec cuiquam mirum videri debet, si vagiente adhuc Ecclesia, paucis adhibitis concionibus, baptizarentur populi, quia visis Apostolorum & Discipulorum Christi miraculis, in fide ita firmabantur, ut suum pro Christo sanguinem, fundere non dubitarent. Quandiu charitatis ardor perduravit, breve fuit Catechumenatus exercitium, cum, teste Tertulliano, sanguis Martyrum foret semen Christianorum. Nec semel contigit multos Paganos, qui videntes Confessores vel audacter & lætabundos ad martyrium properantes; vel probis & sanctis moribus ita institutos, ut pro ipsis persecutoribus orarent, de repente mutatos, modo erumpente voce coram Tyrannis clamasse se esse Christianos, modo ad sacrum fontem, ut tingerentur, accessisse.

Progressus.

CRESCENTE Fidelium numero sub finem secundi sæculi, & tertio inchoante, majori probatione opus fuit, ea potissimum ratione, quod, refrigescente paululum fide, tum charitate, quidam ex levitate animi, vel etiam præ nimio erga terrena amore, mysteria non multi facerent; hinc & suppliciorum comminationibus perterriti, vel fidem simulabant, vel quod pejus, absolute persecutionibus cedentes, eam abnuebant: Nonnulli etiam sacra Mysteria non sine gravissimo peccato

pandebant Infidelibus; inde enim improperia erga sanctam Christi religionem, quam subsannando pessundabant Pagani, subsequebantur.

Tum Patres cœperunt Catecheses seu Homilias, in quibus sacra religionis Mysteria explicabantur, efformare. Inter illas quædam erant pro Catechumenis audientibus, quædam vero ad competentes seu electos dirigebantur. Illas pronuntiabant coram Catechumenis nondum de religione sufficienter edoctis, inter quos sæpe aderant Pagani, seu Gentiles, quibus erat aliquod de fide Christi votum seu desiderium, hinc subobscure de Mysteriis ibi loquebantur: istas prædicabant coram electis & initiatis, unde absque parabolis sinam de Mysteriis aperiebant mentem; sicque suaviter simul & fortiter Catechumenos in Religione Christiana instituebant.

Catechumenatus gradus.

Non unum erat Catechumenorum agmen. Bellarm. L. 1. de Bapt. c. 25. distinguit duplicis generis Catechumenos: alii enim conciones audiebant, & baptizari desiderabant, sed nondum pro isto momento suum dederant nomen, & auditores vocabantur: Alii vero sacrum petebant lavacrum, & appellabantur competentes, seu etiam electi. Ita colligitur ex S. Leone Epist. 4. can. 5. & ex sancto Augustino Lib. de cura pro mortuis. Cap. 12. " Pascha appropinquabat, dedit no„ men inter alios competentes. „ Isti, electorum nomine etiam insigniebantur propter scrutinium, hoc est probationem, namque scrutinium importabat examen & explorationem vitæ Catechumenorum; complectebatur etiam Catechismum, Exorcismum, aliasque cæremonias, quæ fiebant a die quo Catechumeni nomen dabant Militiæ Christianæ, usque ad diem quo tingebantur.

Observes velim, benevole Lector, septem fieri scrutinia, quorum principale est tertium, & fieri solet feria 4. post Dominicam quartam Quadragesimæ, quandoquidem tunc temporis omnes ferme cæremoniæ peraguntur.

Plures Historici sacri in tres classes dividunt Catechumenos. Quidam enim desiderio Religionis Christianæ tenebantur, sed nomen, ut in albo Catechumenorum describeretur, nondum dederant, & dicebantur auditores, quippe quibus lectionem Scripturæ, & conciones audire licitum eis erat, sed cum Paganis & pœnitentibus tempore sacrificii ejiciebantur; quidam alii nomen dederant Militiæ Christi inscribendum; isti in templis flectebant genua, super eos multæ orationes fundebantur: iis dicebat Diaconus: *Quicumque Catechumeni discedite*. Quidam demum, prævio maturo examine, parati erant ad Baptismum suscipiendum in proxima vel Paschæ vel Pentecostes solemnitate.

Audientibus fides exponebatur: ab eis vitæ melioris propositum exigebatur: in eorum ora insufflabatur, frons signo crucis muniebatur: sal eis degustandum præbebatur. Hunc ritum describit S. Gregorius Papa in Sacramentario sub titulo *Ad Catechumenum ex Pagano faciendum*: Ecce verba: " Gentilem hominem cum suscepe„ peris, primo Catechizes eum divinis „ sermonibus, & des monita quemadmo„ dum post cognitam veritatem vivere „ debeat. Post hæc facias eum Catechu„ menum, & exuffles in faciem ejus, & „ facias ei crucem in fronte, & ponas „ manum super caput ejus his verbis; „ *accipe signum crucis*.... Inde vero post„ quam gustaverit medicinam salis, & „ ipse se signaverit, benedices eum his „ verbis: *Domine sancte Pater*, &c. „

Secundi ordinis Catechumenis, quique proprie loquendo, nomen Catechumeni sibi vindicabant, eo quod nomen suum Militiæ Christi inscribendum dederant, lectionem utrius sacramenti, nec non & Homilias, Mysteria quibusdam terminis mysticis conclusa audire fas erat, ut habetur apud S. Augustinum L. de Catechizandis rudibus cap. 3. Competentes vero symbolum, Orationem Dominicam, & cetera quæ Baptismi, Confirmationis, Eucharistiæ sacramenta suscipienda spectant, clare noverant. Sic docet Concilium Laodicenum can. 46. sic S. Augustinus L. de fide & operibus cap. 10. Sic Martinus Braccarensis capitulo 49. sic Theodulphus & alii.

Labores Catechumenorum.

Nec abs re erit hic subnotare Catechumenos

menos primæ & secundæ classis nulli speciali pœnitentiæ, nullisve laboribus fuisse addictos. Non sic de electis; canonicæ enim pęnitentiæ incumbebant, quippe qui publico Fidelium cętui nudis pedibus, tonso capite, cilicio coopertos, vel etiam sacco indutos se præsentare tenerentur. Neque vero omittendum quod iidem a vino, carnibus, uxoribus, mandato Ecclesiæ temperarent. Testes sunt de hac disciplina plurimi: testes Patres Concilii IV. Carthaginensis can. 85. " Nomen suum dent, *inquiunt*, & diu abstinentia vini & carnium, ac manus impositione, crebra examinatione Baptismum percipiant. " Testis S. Augustinus Libr. de fide & operibus capit. 6. ubi de Competentibus seu electis sic loquitur: " Sine dubio non admitterentur, si per ipsos dies quibus eamdem gratiam percepturi, suis nominibus datis, abstinentia, jejuniis, exorcismisque purgantur, cum suis legitimis & veris uxoribus se concubituros, atque hujus rei, quamvis alio tempore licitæ, paucis ipsis solemnibus diebus nullam continentiam servaturos profiterentur. "

Verum si forte Catechumeni eo ipso tempore quo suam percurrebant stationem, in aliqua graviora prolaberentur peccata, pęnitentiæ labor juxta peccati gravitatem augebatur. Hoc ipsum declarant primi Concilii generalis Patres can. 14. his verbis: " De Catechumenis, qui & lapsi sunt, visum est sanctæ & magnæ Synodo, ut ii tribus tantum annis audientes, postea orent cum Catechumenis: " hoc est, cum Catechumenis secundi ordinis. Declarant Patres Concilii Neocæsar. can. 5. " Catechumenus, *inquiunt*, si in Dominicum ingrediens, in Catechumenorum ordine steterit, is autem peccat, si genu quidem flectens audiat, non amplius peccans; sin autem etiam audiens adhuc peccet, extrudatur. " Declarant Patres Concilii Eliberitani in Hispania canon. 73. " Si Catechumenus, *delator fuerit*, post quinquennium admittatur ad Baptismum. " Rursus canon. 68. " Catechumena si per adulterium conceperit, & conceptum necaverit, placuit in fine baptizari. "

Ex his liquet Patres iterum atque iterum distulisse Baptisma Catechumeno lapso, & quandoque etiam pensata peccati vel gravitate, vel frequentiori reiteratione, ad ultimum usque vitæ terminum illum procrastinasse.

Tempus in Catechumenatu juxta diversas stationes percurrendum.

Dictum est supra non unam fuisse in Catechumenatu percurrendam stationem, cum inter Catechumenos alii solum audiebant, alii, repetitis lectionibus, fide imbuti nomen suum in albo Catechumenorum ascribendum præbebant, alii demum post multas probationes via scrutinii ad Baptismum suscipiendum eligebantur.

Primo igitur Catechumenis secundi ordinis tres menses probationis determinabantur, juxta Clementis Papæ decretum; sic enim habetur Epist. 3. " Si quis Fidelis voluerit existere, & desiderat baptizari... det nomen suum... jejuniis frequentibus operam impendat, ac seipsum in omnibus probet, ut tribus mensibus jam consummatis, in die festo possit baptizari. "

Secundo, ab iis qui in gentilitate nati, sed probis moribus instituti fuere, Concilium Eliberitanum can. 42. biennium exigit. " Qui ad primam credulitatis fidem, *ait*, si bonæ fuerint conversationis, post biennium temporis placuit ad Baptismi gratiam admitti debere. "

Tertio, quia vero Judæi in sacris Scripturis jam sunt versati, & unum Deum creatorem cęli & terræ confitentur, Synodus Agathensis anno 506. adunata, Catechumenatus tempus ad octo menses restringit can. 34. his verbis: " Judæi si ad legem Catholicam venire voluerint, octo menses inter Catechumenos Ecclesiæ limen introeant. "

Quarto, Græci catechumenatus stationem intra quadraginta dies concludebant, ut patet ex sancto Cyrillo Jerosoym. præfat. in Catechesi. mystagog.

Quinto, Latini Græcorum vestigiis inhærentes ad eamdem metam perduci Catechumenatum concedebant, ut patet ex Epistola Siricii Papæ ad Hymerium Episcopum Tarraconensem cap. 2. " Genera-

E 2 " lia,

„ lia, *inquit*, Baptismatis tradi convenit „ Sacramenta, his dumtaxat electis, qui „ ante quadraginta vel eo amplius dies „ nomen dederint, & exorcismis, quoti- „ dianisque orationibus, atque jejuniis „ fuerint expiati. „ Suffragatur S. Augustinus Serm. 13. ad Neophytos. " Per om- „ nem Quadragesimam vacaverunt oratio- „ nibus & jejuniis in facco, & cinere dor- „ mierunt, futuram vitam peccatorum „ suorum confessione quærentes. „

Ceterum Synodus prima Nicæna Episcoporum commisit prudentiæ vel protrahere, vel etiam abbreviare juxta personarum dispositionem Catechumenatus tempus.

Sexto: Catechumenis animam agentibus qui stationum discurrendarum tempus nondum adimpleverant, Baptismum concedebat Ecclesia. Sic propugnat S. Cyprianus Epistol. 13. " Si qui fuerint, *in-* „ *quit*, periculo præventi, & in exitu „ constituti, vigilantia vestra non desit. „ Immo juxta sanctum Augustinum, non debet denegari vel illis Catechumenis qui gravioribus peccatis sunt conscii, immo etiam si voce extincta, & ceteris impeditis sensibus, nec lingua, nec signis sanctum lavacrum expostulare queant; sic loquitur Lib. 1. de adult. conjug. capit. 28. " Ego non solum alios Catechumenos, „ verum etiam ipsos qui viventium con- „ jugiis copulati retinent adulterina con- „ sortia, cum salvos corpore in his per- „ manentes non admittamus ad Bapti- „ smum, tamen si desperati & intra se „ pœnitentes jacuerint, nec pro se re- „ spondere potuerint, baptizandos puto, „ ut etiam hoc peccatum cum ceteris „ lavacro regenerationis abluatur. „

Septimo. Ea etiam fuit sanctæ matris Ecclesiæ indulgentia, ut Paganis, qui in ultimo vitæ periculo positi, Baptismi votum habent, quod vel per se, vel per testes fide dignos annuntiant, ipsis tametsi nusquam Catechumenis, Baptisma concedi injungit, ut habetur in Concilio I. Arelatensi can. 6. " De his qui in infir- „ mitate, *ait*, credere volunt, placuit „ his debere manum imponi. „ Concinit Concilium Eliberitanum can. 39. his verbis: " Gentiles, si in infirmitate desi- „ deraverint sibi manum imponi, si fue- „ rit eorum ex aliqua parte vita honesta, „ placuit eis manum imponi. „ Non diffitemur utranique Synodum sermonem de Confirmatione instituere: sed si Gentilibus qui per votum Baptismi tenentur, concedunt Confirmationem, consequenter & Baptismum, quippe qui sit omnium Sacramentorum janua. Eliberitani Patres hunc produnt sensum: namque post verba laudata immediate subjungunt, *& fieri Christianos*.

Octavo denique: Siricius Papa Epistola 1. ad Hymerium Episcopum Tarraconensem capit. 2. concedit quemcumque indiscriminatim baptizandum esse, ubi adest vitæ periculum, ea solum conditione, quod Sacramentum aut petierit, aut sibi concedi nutu vel signo, vel per testes significaverit. Ecce verba apud Binium tom. 1. pag. 530. " Quicumque etiam in discri- „ men naufragii, hostilitatis incursum, „ obsidionis ambiguum, vel cujuslibet „ corporalis ægritudinis desperationem „ inciderint, & sibi unico credulitatis au- „ xilio poposcerint subveniri, eodem quo „ poscunt momento temporis, expetitæ „ regenerationis præmia consequantur. „

Remissio seu imminutio canonici Catechumenatus.

CATECHUMENATUS tempus quotidie adest, & necessarius semper erit; sed canonici varias per stationes discurrendi vix aliquod superest vestigium, cum Catechumeni nec in multas audientium, inscriptorum & electorum classes ordinati appareant, nec Competentes pœnitentiæ laboriosæ stationem percurrere teneantur. Quomodo pristina circa istud momentum declinaverit disciplina, paucis dicemus.

Hoc incepisse a Nectario probabilissimum est, quippe qui pœnitentiam publicam, in qua Audientium & competentium pro laboribus pœnitentiæ satisfactoriæ adimplendis stationes, quæ erant percurrendæ, abrogaverit; quæ quidem stationes non multum absimiles etiam a Catechumenis, antequam initiarentur, subeundæ incumbebant; ad quid enim tot labores, nisi ut Catechumeni, digna pro peccatis adhibita satisfactione, ad sacrum lavacrum disponerentur. Rescissis igitur pro lapsis pœnitentiæ laboribus, utique languescere

cœpit

cœpit pro Catechumenis percurrendarum pœnitentiæ ſtationum diſciplina.

Revera quidem, ſexto Sæculo maniſeſte apparuit Catechumenatus remiſſio; tunc enim paucis diebus ſtatio Competentium concluſa erat, nam a feria tantum quarta tertiæ Quadrageſimalis hebdomadæ cœpta, finiebat Sabbato ſancto, quo ex ſeptem ſcrutiniis ultimum illudque præcipuum celebrabatur, hoc peracto, tingebantur Catechumeni. Tandem decurſu temporum Catechumenatus eo devenit remiſſionis gradu, ut quidam Catechumeni non ſufficienter probati, baptizati ſint. Hinc ut cuncta recte fiant, nullus Catechumenus, juxta Concilii Nicæni I. regulam, ad ſanctum lavacrum ſuſcipiendus eſt, donec Epiſcopi accedat & judicium & licentia. His præmiſſis, ſit

§. II.

Quæſtio propoſita de procraſtinatione Baptiſmi adultorum ſolvitur.

CERTUM eſt Eccleſiam nuſquam probaſſe morem, quo nonnulli adulti vel ad multos annos, & quod pejus eſt, ad ſummam uſque ſenectutem, ſuum, ut ſibi indulgerent, procraſtinabant Baptiſmum; hinc controverſia præſens de hujuſmodi inordinata Baptiſmatis dilatione non movetur: ſed quæritur num v. g. Baptiſmus procraſtinandus ſit uſque ad tempus quo Neophyti ſufficienter ſicut Catechiſmo edocti, ſic & bonis operibus preparati ſeu diſpoſiti judicentur.

CONCLUSIO PRIMA.

Nullus ad ſacrum Lavacrum recipiendus eſt, donec de myſteriis tum ſanctiſſimæ Trinitatis, tum Dominicæ Incarnationis plene ſit edoctus, & bonis inſudaverit operibus.

Probatur rationibus Theologicis.

PRIMO: Heb. 11. *Oportet credere accedentem ad Deum*: & iterum: *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo*: nam, *Fides ſine operibus mortua eſt*, ut habetur Jacobi 2. e contra vero fides viva abundat virtutibus: hinc ibidem, *Oſtendam tibi ex operibus fidem meam*. Et cap. 1. *Omne gaudium exiſtimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis: ſcientes quod probatio fidei veſtræ patientiam operatur: patientia autem opus perfectum habet*. Igitur & fides de myſteriis principalibus, & bona opera prærequiruntur adultis ad Baptiſmum recipiendum.

Secundo: Utrumque exigit ſacra Synodus Tridentina Seſſ. 6. cap. 6. Non abs re erit hic aurea quæ de Catechumenis diſponendis profert, verba texere. " Diſponuntur autem, *inquit*, ad ipſam juſtitiam, dum excitati divina gratia, & adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera eſſe quæ divinitus revelata & promiſſa ſunt, atque illud in primis, a Deo juſtificari impium per gratiam ejus, per redemptionem quæ eſt in Chriſto Jeſu, & dum peccatores ſe eſſe intelligentes, a divinæ juſtitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe convertendo in ſpem eriguntur, fidentes Deum ſibi per Chriſtum propitium fore, illumque tamquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adverſus peccata per odium aliquod & deteſtationem, hoc eſt, per eam pœnitentiam quam ante Baptiſmum agi oportet; denique dum proponunt ſuſcipere Baptiſmum, inchoare novam vitam, & ſervare divina mandata. "

Tertio: Patres has exegere ab adultis conditiones, ut recens baptizati juxta legem novam viverent; ſed ad hoc omni tempore requiritur fides, ſpes, charitas, & ceteræ virtutes ad mandata adimplenda utiles. Ergo &c. Non omittendum quod de iſto momento dicit beatus Auguſtinus Lib. de fide & operibus cap. 6. " Quid autem aliud agit totum tempus, quo Catechumenorum locum & nomen tenent, niſi ut audiant, quæ fides, & qualis vita debeat eſſe Chriſtianis, ut cum ſe ipſos probaverint, tunc de menſa Domini manducent, & de calice bibant .... quod autem fit per omne tempus, quod in Eccleſia ſalubriter conſtitutum eſt, ut ad nomen Chriſti accedentes, Catechumenorum gradus accipiant. Hoc fit multo diligentius " & in-

„ & instantius his diebus quibus compe-
„ tentes vocantur, cum ad percipiendum
„ Baptismum sua nomina jam dederunt.„

Observes igitur velim, quod licet Ecclesia a stationibus laboriosis percurrendis in gratiam Catechumenorum temperaverit, non tamen instructionem, mysteriorum doctrinam ediscendam, & bonorum operum fructus rescindere voluit.

CONCLUSIO SECUNDA.

Baptismus procrastinandus est adultis, non tamen semper.

Probatur rationibus Divi Thomæ.

PRIMA est: Illud est differendum, quod antecedentem prærequirit probationem, ne sancta canibus dentur: Sed susceptio Baptismi magnam exigit præviam probationem, quia non semel contigit multos non sufficienter ponderatis legis Christi oneribus, ab ea cito defecisse. Ergo &c. S. Thomas hic q. 68. art. 3. hanc tradit rationem his verbis: " Adultis non statim, cum convertuntur, est sacramentum Baptismi conferendum: sed oportet differre usque ad aliquod certum tempus; primo quidem propter cautelam Ecclesiæ, ne decipiatur Sacramentum ficte accedentibus conferens, secundum illud 1. Joan. 4. Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint. Quæ quidem sumitur de accedentibus ad Baptismum, quando per aliquod spatium eorum fides & mores examinantur. „

Altera ratio: Consulendum est & saluti, & perfectioni accedentium ad sanctum lavacrum, quod potissimum consistit in eo quod instruantur in fide, & in mandatis tum Dei, tum Ecclesiæ exerceantur, ut jugum Christi per Baptisma susceptum suavius evadat; leve quippe est quod jam ex habitu fieri solet: sed & Instructio & debita in bonis operibus exercitatio exigit sufficiens tempus; non enim hoc in instanti debite peragitur. Ergo &c. Hæc ratio utique est divi Thomæ ibidem, ubi sic pergit: " Secundo, hoc est necessarium ad utilitatem eorum qui baptizantur, quia aliquo temporis spatio indigent, ad hoc quod plene instruantur de fide, & exercitentur in his quæ pertinent ad vitam Christianam. „

Tertia: Sacra mysteria solemniter tractanda sunt, & cum prævio apparatu, ut accedentes, ea pluris faciant: Sed Baptismi solemnitas nedum consistit in pompa concomitante ex parte ministri cum variis cæremoniis ad baptizandum adhibitis, sed & ex parte suscipientis, qui præviis catechismi & virtutum omnium lectionibus mysterii, contemplans majestatem, mirabundus simul & tremebundus ad ipsum accedit. Ergo &c. Prosequitur ibidem S. Doctor: " Tertio, hoc est necessarium ad quamdam reverentiam Sacramenti dum in solemnitatibus præcipuis, scilicet Paschæ & Pentecostes, homines ad Baptismum admittuntur, & ita devotius Sacramentum suscipiunt. „

Altera pars conclusionis jam probatur, videlicet quod quandoque non sit procrastinandus Baptismus, puta cum urget necessitas, & imminet vitæ periculum: dictum est autem Ecclesiam absque longa probatione tunc tingere adultos: fieri etiam potest istam probationem longius exercitam inutilem esse; sic erat iis, qui auditis Apostolis, & visis eorum miraculis, in fide stabiles ita inveniebantur, ut etiam non sine magna gratia prophetarent; sic enim habetur Act. 19. *His auditis, baptizati sunt in nomine Jesu, & cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos, & loquebantur linguis, & prophetabant.*

S. Thomas hujus est sententiæ; ibidem enim subdit: " Hæc tamen dilatio est prætermittenda duplici ratione. Primo quidem, quando illi qui sunt baptizandi, apparent perfecte instructi in fide, & ad Baptismum idonei: sicut Philippus statim baptizavit Eunuchum, (ut habetur Act. 8.) & Petrus Cornelium, & eos qui cum eo erant, (ut habetur Actor. 10.) Secundo propter infirmitatem aut aliquod periculum mortis; unde Leo Papa dicit: Hi qui necessitate mortis, ægritudinis, obsidionis, persecutionis & naufragii urgentur, omni tempore debent baptizari. Si tamen aliquis morte præveniatur, articulo necessitatis Sacramentum exclu-

„ den-

„ dente, dum expectat tempus ab Ecclesia institutum, salvatur, licet per ignem, „ ut supra dictum est. Peccat autem, si „ ultra tempus institutum ab Ecclesia „ differat accipere Baptismum, nisi ex „ causa necessaria & licentia Prælatorum „ Ecclesiæ; sed tamen & hoc peccatum „ cum aliis deleri potest per succedentem contritionem, quæ supplet vicem „ Baptismi. „

Neque vero denegandus est Baptismus amentibus qui tales sunt a nativitate, quippe qui sint ejusdem conditionis cum pueris quibus conceditur; neque etiam furiosis, si dum erant sui compotes desideraverunt Baptisma; e contra vero si non petiere: si tamen habeant lucida intervalla, in hac rationis aurora possunt baptizari, si velint. Ita S. Thomas ibidem art. 12. quod probat isto ratiocinio argum. *Sed contra*. " Augustinus dicit 4. „ Confess. de amico suo, qui cum desperaretur, baptizatus est nesciens: & „ tamen Baptismus in eo efficaciam habuit. Ergo carentibus usu rationis aliquando Baptismus dari debet. „ Tum in corpore articuli sic prosequitur: "Dicendum, quod circa amentes & furiosos est distinguendum: quidam enim „ sunt a nativitate tales, nulla habentes „ lucida intervalla, in quibus etiam nullus usus rationis apparet: & de talibus quantum ad Baptismi susceptionem, „ videtur esse idem judicium & de pueris qui baptizantur in fide Ecclesiæ, „ ut supra dictum est. Alii vero sunt „ amentes, qui ex sana mente quam habuerunt prius, in amentiam inciderunt; & tales sunt judicandi secundum „ voluntatem quam habuerunt, dum sanæ mentis existerent: & ideo si tunc „ apparuit in eis voluntas suscipiendi Baptismum, debet eis exhiberi in furia & „ amentia constitutis, etiam si tunc actu „ contradicant; alioquin si nulla voluntas „ suscipiendi Baptismum in eis apparuit, „ dum sanæ mentis essent, non sunt baptizandi. Quidam vero sunt, qui etsi „ a nativitate fuerint furiosi vel amentes, habent tamen aliqua lucida intervalla, in quibus recta ratione uti possunt; unde si tunc baptizari voluerint, „ baptizari possunt etiam in amentia constituti: debet eis tunc sacramentum conferri, si periculum timeatur: alioquin „ melius est ut tempus expectetur, in „ quo sint sanæ mentis, ad hoc quod „ devotius suscipiant sacramentum: si autem tempore lucidi intervalli non apparcat in eis voluntas suscipiendi Baptismum, baptizari non debent in amentia constituti. Quidam vero sunt qui „ etsi non omnino sanæ mentis existant, „ in tantum tamen ratione utuntur, quod „ possunt de sua salute cogitare, & intelligere Sacramenti virtutem; & de „ talibus idem est judicium, sicut de his „ qui sanæ mentis existunt, qui baptizantur volentes, non autem inviti. „

SYNOPSIS CONCLUSIONUM.

PRIMO: Adulti non debent baptizari, nisi fidem bonis operibus probatam de SS. Trinitate & Dominica Incarnatione habeant, quia ex Apostolo Heb. 11. *Oportet enim credere accedentem ad Deum*: certe per Baptismum propius accedunt adulti ad Deum, cum per illud Sacramentum Christo configurentur.

Secundo: Ex hoc sequitur Baptisma procrastinandum esse Adultis, quandoquidem debent & probari, & in fide ac bonis operibus exerceri, priusquam militiæ Christi ascribantur.

Tertio: Non procrastinandus est Baptismus, cum adest vitæ periculum; sic declaravit Siricius Papa Epist. ad Hymerium: sic docet S. Thomas hic 3. part. q. 68. art. 12. ubi ait Baptismum esse concedendum I. amentibus a nativitate, siquidem sunt ejusdem cum infantibus conditionis, qui baptizantur in fide Ecclesiæ. II. Amentibus cum habent lucida intervalla in quibus possunt votum habere Baptismi, vel etiam modo antequam amentia furiosa corriperentur, sanctum desideraverint lavacrum.

ARTICULUS UNDECIMUS.

De effectibus Baptismi aquæ.

BAPTISMUS varios & mirabiles habet effectus: idem dicendum de Martyrio, quod defectu aquæ vel etiam Ministri,

nistri, ipsius Baptismatis subit vicem; hinc de utriusque efficacia in speciali agendum incumbit.

SECTIO PRIMA.

Quinam sint Baptismi effectus?

CONCLUSIO.

EFFECTUS Baptismi sunt remissio omnis culpæ tum originalis, tum actualis, II. Remissio ab omni reatu pœnæ æternæ, & temporalis. III. Infusio gratiæ sanctificantis, virtutum, & omnium donorum. IV. Aditus ad regnum cœlorum. V. Character.

Probatur multipliciter.

Primo, ex Scriptura sacra.

EZECHIELIS 36. habetur: *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris* 1. Cor. 6. *Abluti estis, sanctificati estis.* Ad Titum 3. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis.* Ad Gal. 3. *Quicumque baptizati estis, Christum induistis.* Rom. 6. *Baptizati sumus in Christo, consepulti enim per Baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* Jam sic argumentor. Mundari ab omnibus inquinamentis, sanctificari, regenerari, renovari, Christum induere, mortuum esse peccatis, est vitam perfectam habere, novum induere hominem, omni gratiarum supellectili donari, adeoque ab omni labe & culpæ, & pœnæ esse absolutum: Sed per Baptismum homo habet hæc omnia: Igitur effectus Baptismi sunt remissio &c.

Secundo, ex Conciliis.

IN Nicæni primi Symbolo habetur: *Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum.* Carthag. 4. can. 1. dicit omnia peccata tum originale, tum actualia per Baptismum dimitti. Idem asserit Florentinum in Decreto unionis. Denique Trident. Sess. 5. can. 5. sic loquitur: *Si quis per Jesu Christi D. N. gratiam quæ in Baptismo confertur, peccati originalis reatum remitti negat, aut etiam asserit non id totum tolli quod veram & propriam peccati rationem habet: sed illud dicit tantum radi, aut non imputari; anathema sit.* Porro in renatis nihil odit Deus, quia nihil est damnationis iis qui consepulti sunt cum Christo per Baptismum in mortem, & non secundum carnem ambulant. Sess. 6. cap. 7. dicit justificationem non esse solam peccatorum remissionem, sed & sanctificationem, & renovationem hominis per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum. Demum capit. 14. hoc ponit discrimen inter Baptismum & Pœnitentiam, quod Pœnitentia non remittat omnem reatum pœnæ. Ergo &c.

Tertio, ex sanctis Patribus.

TERTULLIANUS Lib. de Baptismo cap. 1. sic loquitur: " Felix sacramentum „ aquæ nostræ, qua abluti delictis pristi„ næ cæcitatis in vitam æternam libera„ mur. „

Clemens Alexandrinus Libr. 1. pedag. capit. 6. vocat Baptismum gratiam per quam abstergimur a reatu culpæ & pœnæ, illuminationem, perfectionem, & lavacrum.

Cyprianus Epistola ad Donatum appellat Baptismum mortem criminum. Chrysostomus Hom. 24. sic loquitur: " In a„ qua Baptismi tamquam in sepulchro ca„ put immergentibus, vetus homo sepe„ litur, emergentibus inde novus resur„ git. „ Idem dicit Gregorius Nazianzenus orat. 40. ubi gratiam Baptismi incorruptionis & indumenti nomine celebrat.

Hieronymus Epistol. 83. ad Oceanum: " Omnia scorta, *inquit*, & publicæ col„ lusionis sordes, impietas in Deum, par„ ricidium, & incestus in parentes, at„ que in extraordinarias voluptates utri„ usque sexus, mutata natura, Christi „ fonte purgantur. „

Concinit Augustinus verbis expressis in Enchiridio capit. 64. Libr. 3. de Symbolo capit. 10. Demum Libr. 1. ad Bonifacium capit. 13. his verbis: " Dicimus Bapti„ smum dare omnium indulgentiam pec„ catorum, & auferre crimina, non ra„ dere. „ Ex his sequitur istud argumentum. Ex Patribus perfecte abluimur per

Bapti-

Baptismum, vetus homo totaliter sepelitur: Igitur per eum remittitur omnis culpa, & pœna &c.

Quarto, ex rationibus divi Thomæ.

Divus Thomas hic tota quæstione 69. docet conclusionem quoad omnes partes.

Primo quidem fit remissio omnis culpæ tum originalis, tum actualis, quia inquit S. Doctor hic art. 2: " Per Baptismum „ aliquis incorporatur passioni & morti „ Christi, secundum illud Rom. 6. *Si mortui sumus cum Christo, credimus, quia simul „ etiam vivemus cum eo*: Ex quo patet, „ quod omni baptizato communicatur passio Christi ad remedium. „

Audiendus est de hoc momento Catechismus Romanus n. 42. " De his igitur „ quoniam sæpe agendum est, ut Fideles „ magis perspiciant, se in altissimo di„ gnitatis gradu positos esse, nec se ab „ eo dejici ullis adversarii insidiis, vel im„ petu, ullo unquam tempore patiantur: „ hoc primum tradere oportet, pecca„ tum, sive a primis parentibus origine „ contractum, sive a nobis ipsis commis„ sum, quamvis etiam adeo nefarium sit, „ ut ne cogitari quidem posse videatur, „ admirabili hujus Sacramenti virtute re„ mitti, & condonari. Id vero multo an„ te ab Ezechiele prænuntiatum est, per „ quem Dominus Deus ita loquitur: Ef„ fundam super vos aquam mundam, & „ mundabimini ab omnibus inquinamentis „ vestris. Et Apostolus ad Corinthios, „ post longam peccatorum enumeratio„ nem subjecit: Et hæc quidem fuistis: „ sed abluti estis, sed sanctificati estis. At„ que hanc doctrinam perpetuo a sancta „ Ecclesia traditam esse, perspicuum est. „ Sanctus enim Augustinus in libro, quem „ de Baptismo parvulorum conscripsit, ita „ testatur: generante carne tantum con„ trahitur peccatum originale: regene„ rante autem spiritu non solum origina„ lium, sed etiam voluntariorum pecca„ torum fit remissio. Et S. Hieronymus „ ad Oceanum: Omnia, inquit, in Bapti„ smate condonata sunt crimina: ac ne „ dubitate amplius ea de re cuiquam li„ ceret: post aliorum Conciliorum defini„ tionem, sacra etiam Tridentina Syno„ dus idem declaravit, cum anathema iis „ eos decrevit, qui aliter sentire auderent, „ quive asseverare non dubitarent, quam„ vis peccata in Baptismo remittantur, „ ea tamen prorsus non tolli, aut radici„ tus evelli, sed quodam modo abradi, „ ita ut peccatorum radices animo infixæ „ adhuc remaneant. Namque, ut ejusdem „ sanctæ Synodi verbis utamur, in rena„ tis nihil odit Deus: quia nihil damna„ tionis est his, qui vere consepulti sunt „ cum Christo per Baptisma in mortem, „ qui non secundum carnem ambulant: „ sed veterem hominem exuentes, & „ novum, qui secundum Deum creatus „ est, induentes, innocentes, immacu„ lati, puri, innoxii, ac Deo dilecti ef„ fecti sunt. „

Alter effectus est remissio omnis pœnæ etiam temporalis; ita definitum est de fide in Florentino in Decreto Eugenii, quod sic habet: " Hujus Sacramenti ef„ fectus, est remissio omnis culpæ origi„ nalis & actualis omnis quoque pœnæ „ quæ pro ipsa culpa debetur. Propterea „ baptizatis nulla pro peccatis præteritis „ injungenda est satisfactio. Sed morientes „ antequam culpam aliquam committant, „ statim ad regnum cœlorum, & Dei vi„ sionem perveniunt. „ Apud Bin. p. 494.

S. Augustinus L. 2. de peccatorum meritis, & remissionibus capite 28. sic loquitur: " Si continuo, *post Baptismum* consequatur ex hac vita migratio, non erit „ omnino quod obnoxium hominem te„ neat, solutis omnibus, quæ tenebant. „ Ratio divi Thomæ hic art. 2. est, quia homo per Baptismum incorporatur Christo secundum illud Roman. 6. *Si autem mortui sumus cum Christo: credimus quia simul etiam vivemus cum Christo*. Nec mirum, passio Christi est satisfactio sufficiens pro culpa, & pœna, & ibi applicatur pro utraque omnimode, quia omnimode per Baptismum Christo incorporamur.

Non omittendum quod de hoc momento Catechismus Rom. dicit n. 44. ' Jam „ vero, *ait*, in Baptismo non solum pec„ cata remittuntur, sed peccatorum „ etiam, & scelerum pœnæ omnes a Deo „ benigne condonantur. Nam & si om„ nibus Sacramentis hoc commune est, ut „ per illa virtus passionis Christi Domini „ communicetur, de solo tamen Baptismo „ dictum

„ dictum est ab Apostolo, nos per ipsum „ Christo commori & sepeliri, ex quo „ sancta Ecclesia semper intellexit, sine „ maxima Sacramenti injuria fieri non „ posse, ut ei, qui Baptismo expiandus „ sit, ejusmodi pietatis officia, quæ usitato „ nomine sancti Patres opera satisfa„ ctionis vocarunt, imponantur. „

Tertius effectus est infusio gratiæ & virtutum; sic propugnat Concilium Tridentinum citatum. Ratio divi Thomæ hæc est, homo per Baptismum Christo incorporatur, sicut membrum capiti, unde illius participat influxum: Sed Christus est plenus gratia, & veritate: Igitur Baptismus dat gratiam, & omnia dona. Primo quidem fidem juxta illud 1. Petri 2. *Qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum*: Deinde gratiam quæ purgat animam ab omni inquinamento, & charitatem quæ est vinculum perfectionis, ad quam omnes sequuntur virtutes, omniaque dona juxta Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis*. Quocirca purgatio, illuminatio, & perfectio, inquiunt SS. Patres, pertinent ad Baptismum.

Suffragatur Catechismus Rom. nu. 49. " Sed ut ad Baptismi effectus oratio red„ eat, exponendum erit, hujus Sacra„ menti virtute, nos non solum a malis „ quæ vere maxima dicenda sunt, libe„ rari: verum etiam eximiis bonis, & „ muneribus augeri. Animus enim noster „ divina gratia repletur, qua justi, & „ Filii Dei effecti æternæ quoque salutis „ hæredes instituimur. Nam ut scriptum „ est, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit*, „ *salvus erit*: mundatamque Ecclesiam la„ vacro aquæ, in verbo Apostolus testa„ tur. Est autem gratia, quemadmodum „ Tridentina Synodus, ab omnibus cre„ dendum, pœna anathematis proposita „ decrevit, non solum per quam pecca„ torum fit remissio, sed divina qualitas „ in anima inhærens, ac veluti splendor „ quidam, & lux, quæ animarum nostra„ rum maculas omnes delet, ipsasque ani„ mas pulchriores & splendidiores reddit: „ atque id ex sacris litteris aperte colli„ gitur, cum gratiam effundi dicant, „ eamque Spiritus sancti pignus soleant „ appellare. „

Pergit n. 50. " Huic autem additur no„ bilissimus omnium virtutum comitatus, „ quæ in animam cum gratia divinitus „ infunduntur. Quare, cum Apostolus „ ad Titum ait: *Salvos nos fecit per lava„ crum regenerationis, & renovationis Spiri„ tus sancti, quem effudit in nos abunde per „ Jesum Christum Salvatorem nostrum*. D. „ Augustinus verba illa, *abunde effudit*, „ explanans: Nimirum, inquit, ad re„ missionem peccatorum, & copiam vir„ tutum. „

Rursus n. 51. " Jam vero per Bapti„ smum, etiam Christo capiti tamquam „ membra copulamur, & convertimur. „ Quemadmodum igitur a capite vis ma„ nat, qua singulæ corporis partes ad pro„ prias functiones apte exequendas moven„ tur: ita etiam ex Christi Domini ple„ nitudine in omnes, qui justificantur, „ divina virtus, & gratia diffunditur, quæ „ nos ad omnia christianæ pietatis officia „ habiles reddit. „

Quarto: Est apertio regni cœlorum, qui quidem effectus designatus est cum cœli aperti sunt in Baptismo Christi: unde Beda ponderans verba ista Luc. 4. *Jesu baptizato apertum est cœlum*, dicit: " Vir„ tus hic Baptismatis ostenditur, de quo „ quisque cum egreditur, regni cœlestis „ ei janua aperitur. „ Ratio D. Th. hic q. 69 art. 7. est, quia Baptismus removet impedimentum, scilicet peccatum originale quo cœlum claudebatur universæ naturæ humanæ: " Aperire januam regni „ cœlestis, *ait sanctus Doctor*, est amovere „ impedimentum, quo quis impeditur re„ gnum cœleste introire. Hoc autem impe„ dimentum est culpa, & reatus pœnæ. „ Ostensum est autem supra, quod per „ Baptismum omnis culpa, & omnis rea„ tus pœnæ tollitur. Unde consequens „ est, quod effectus Baptismi sit apertio „ januæ regni cœlestis. „

Quintus est character; sic enim definivit Concilium Tridentinum. Ratio divi Thomæ est; per Baptismum, abrenuntiato Satana, homo Christo consecratur, & in illo consignatur, unde per hunc fit capax recipiendi alia Sacramenta: Succinit Catechismus n. 53. " Præterea, per „ Baptismum consignamur charactere, „ qui ex anima deleri numquam potest: „ de quo, nihil est, ut plura hoc loco „ differantur; cum liceat ex his quæ supra

dicta

„ dicta sunt, cum universe de Sacra„ mentis ageretur, satis multa, quæ ad „ hoc argumentum pertinent, in hunc „ locum transferre. „

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objicies: Remanet concupiscentia in renatis, fomes peccati. & inclinatio ad malum. Item homo adhuc subditus remanet miseriis, puta morbis, siti, & fami: Sed concupiscentia est peccatum, sicut & inclinatio ad malum juxta illud Rom. 7. *Non enim quod volo bonum, hoc ago; sed quod odi malum, illud facio*. Aliæ pœnalitates sunt effectus peccati originalis. Igitur peccatum originale non tollitur per Baptismi sacramentum saltem ex integro.

Respondet August. Lib. 2. contra Julianum c. 3. remanere concupiscentiam in renatis ut virtus in infirmitate perficiatur virtutum exercitio; sic enim loquitur: " Ne si redderetur carni felicitas, „ imminueretur fidei fortitudo. „ Aliam rationem affert Lib. 13. de civ. Dei capite 4. " Ut intelligeremus, *inquit*, Sa„ cramenti fructum, non ad istam præ„ sertim vitam temporalem, sed æter„ nam referri debere. „ Et Lib. 1. de peccatorum meritis, & remissione cap. 7. dicit renovationem incipere in hac vita, & liberationem a malis per Baptismum, sed perfectam per eumdem nos habere in spe pro alia vita, quandoquidem gloria debetur baptizato ratione hereditatis, quia est filius juxta illud Rom. 8. *Si autem filii, & heredes: heredes quidem Dei &c.*

Respondet D. Thomas hic q. 69. art. 3. per Baptismum non auferendas esse pœnalitates præsentis vitæ propter tria. I. Quia per hoc sacramentum homo incorporatur Christo qui passus est: Igitur, & baptizatus debet pati. II. Ut per exercitium concupiscentiæ, & passionum habeat victoriæ materiam. Denique ne homines ad Baptismum accederent propter impassibilitatem præsentis vitæ, & non propter gloriam quam nullus habebit nisi legitime certaverit.

Resp. in forma distinguendo primam minoris partem; Concupiscentia est peccatum causaliter, in quantum inclinat ad malum, concedo: formaliter, & in se, subdistinguo: ut est inordinata concedo: ut est ordinata per rationem & per gratiam baptismalem, sub quo solum respectu consideratur, nego. Est enim secundum se appetitus naturalis ad bonum conveniens. Solutio est divi Thomæ.

Respondeo secundo aliam distinguendo partem: Pœnalitates sunt effectus peccati originalis, quia per illud homo amisit immortalitatem, & illud peccatum est remissum, per Baptismum, concedo: secus, nego. Dictum est autem concupiscentiam remanere ad exercitium.

Instabis: Innocens plene purgatus debet esse ab omni pœna immunis etiam temporali. Sed Baptismus non remittit omnem pœnam: Ergo &c. Confirmatur: Si Baptismus remitteret renatis omnia peccata, delictum perpetratum, v. g. homicidium ante Baptismum, non foret puniendum: Sed leges civiles hoc non patiuntur. Ergo &c.

Respondeo distinguendo: Si statim renatus moriatur post Baptismum, concedo: evolabit enim illico in cœlum; si remaneat in vita, subdistinguo: debet esse immunis ab omni pœna, ut pœna, concedo: ut est materia exercitii, ac meriti, nego. Decet enim nos gloriam habere, & jure hæreditatis, & jure meriti, sicut habuit Pastor noster admirabilis Christus Jesus, unde ablato peccato originali, fomes & miseriæ remanent ad exercitium.

Ad confirmationem nego paritatem, quia inquit D. Th. hic art. 2. ad 3. in crimine debet attendi id quod est offensa Dei, & hoc plene remittitur per Baptismum; deinde id quod est causa scandali, & offensa hominibus facta: & istud debet puniri civiliter, ne facilitas veniæ sit causa majoris mali: nam ut fert axioma: *Non sunt facienda bona, ut eveniant mala*.

Repones: Sublata causa, tollitur effectus: Igitur si peccatum originale omnium malorum causa tollatur per Baptismum, debent & omnia mala auferri.

Respondeo distinguendo antecedens: Sublata causa physica, concedo; cum enim necessario, & ex natura res suum producat effectum, illa sublata, tollitur necessario effectus: sic extincto igne tollitur calefactio: sublata causa morali, subdistinguo: tollitur effectus sub ratione qua

qua erat effectus, concedo: sub alia, nego. Remanent miseriæ, ut iterum atque iterum dictum est, ad exercitium.

Insistes: Patres passim dicunt procrastinantes usque ad mortem Baptismum evitaturos quidem esse supplicia, gloriam tamen non assecuturos esse, ita Gregorius Nazianzenus oratione exhortatoria ad Baptismum: ita Basilius in simili oratione circa finem: denique Gregorius Nyssenus exhortatione ad eos qui procrastinant Baptismum, homines futuræ vitæ dividit in tres classes. Prima est dignorum & illustrium: Altera eorum qui nec honore, nec supplicio afficiuntur. Tertia eorum qui peccatorum pœnas luunt. Procrastinantes autem ponit in secundo ordine: Igitur effectus Baptismi non est apertio regni cœlestis, saltem semper, & pro omnibus.

Respondeo primo opponendo Patres Patribus: & si quis contrarium sentiret, standum est traditioni Ecclesiæ, & Conciliorum decretis, in quibus Baptisma omnem culpam auferre definitum est.

Respondeo secundo distinguendo: Et volunt Patres procrastinantes non tanta donari gloria, quali donantur alii, concedo. Et volunt privari absolute gloria, nego.

Respondeo tertio, aliter distinguendo: Et contendunt dumtaxat procrastinantes non habere gloriam jure meriti, sed solum jure hæreditatis, concedo: cum enim nullo modo meruerint, ut supponunt Patres, nec honore, nec supplicio afficiuntur; supponunt enim quod etiam mala non perpetrent, sed quod moriantur immediate post susceptum Baptismum: nullus autem potest mereri nisi prius habeat Baptismum; & putant procrastinantes gloria absolute privari, nego. Habent enim illam jure hæreditatis, & propter Christum, eo simili modo quo pueri decedentes post Baptismum, illam possident.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Effectus Baptismi sunt remissio omnis culpæ & pœnæ, infusio gratiæ, donorum, aditus ad regnum cœlorum, & character.

PRIMO QUIDEM remissio culpæ & pœnæ juxta illud Symboli Nicæni; *Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum*. Sic de fide definitum est in Concilio Tridentino Sess. 5. cap. 5. Hoc ipsum propugnat Tertullianus Lib. de Bapt. cap. 1. Hoc Clemens Alex. 1. Pedag. cap. 6. Hoc & ceteri Patres docent.

Secundo: Infusio gratiæ & donorum. Hanc dotem suso sermone explicat Catechismus Romanus 2. p. de Baptismo n. 49. Ratio D. Thomæ hic q. 69. art. 2. est, quia per Baptismum Christo incorporamur.

Tertio: Aditus ad regnum cœlorum, namque, baptizato Domino, apertum est cœlum, ut habetur Luc. 4. quo facto, ait V. Beda in ista verba: " Virtus hic „ Baptismatis ostenditur, de quo quisque „ cum egreditur, regni cœlestis ei ja- „ nua aperitur. „ Ratio D. Tomæ hic art. 7. hæc est, Baptismus removet impedimentum, peccatum scilicet originale, quo aditus regni cœlorum homini claudebatur.

Quarto: Character, ut docet Catechismus Romanus n. 53.

SYNOPSIS OBJECTIONUM ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Remanent quidem miseriæ, & pœnalitates, sed ad virtutis exercitium; unde non concludendum ex eis inesse baptizato peccatum originale.

Secundo: Sublata causa physica, aufertur utique effectus, v. g. remoto igne, cessat ligni combustio; effectus enim physicus necessariam habet cum causa connexionem, unde ista destructa, ipse quoque destruitur; sed non sic de causa morali ratiocinandum est; quocirca, remisso peccato originali, potuit Deus ad exercitium virtutum relinquere baptizato peccati pœnas aliquas temporales, quales sunt concupiscentia & miseriæ.

Tertio: Neque vero mirandum est, si Patres quandoque asserant procrastinantes ad finem usque vitæ Baptismum gloria non donari, intelligunt enim non donari titulo meriti, cum nullum acquisierint, sed non negant eos jure hæreditatis illam possidere.

SECTIO SECUNDA.

De effectibus Baptismi sanguinis.

Utrum Martyrium producat gratiam ex opere operato, & totam remittat culpam?

BAPTISMUM sanguinis producere gratiam, omnes ultro conveniunt cum Ecclesia, quæ Martyres nedum colit ut Sanctos, sed inter omnes eos ut insignes habet: At de modo & de extensione remissionis pœnæ disputant Theologi. Unde fit

CONCLUSIO PRIMA.

Baptismus sanguinis seu Martyrium producit gratiam regenerativam ex opere operato.

Probatur rationibus Theologicis.

PRIMA: Producere gratiam ex opere operato, est vi sibi intrinseca illam producere. Atqui Baptismus sanguinis gratiam regenerativam sic producit: Et probatur. Hoc intercedit discrimen inter Baptismum flaminis & Baptismum sanguinis, quod ille solum ex opere operantis, scilicet vi contritionis producat gratiam, iste vero per realem Christi passionis imitationem, quod est opus operatum. Ergo &c. Ista ratio est D. Thomæ in 4. q. 3. art. 3. quæstione 3. ad 1. " Baptismus sanguinis non habet hoc tantum ex opere operantis, sed hoc habet ex imitatione passionis Christi, & ideo pueri, quamvis liberum arbitrium non habeant, si occidantur pro Christo, in suo sanguine baptizati salvantur. "

Altera: Baptismus aquæ producit gratiam ex opere operato propter duo: Primo quidem, quia passio Christi a qua omnis virtus productiva gratiæ profluit, operatur in eo per quamdam singuralem repræsentationem: Secundo ex eo quod aqua operetur ut mota per Christum, cui conjungitur per virtutem ab ipso acceptam: Sed istæ dotes excellenti modo Baptismo sanguinis conveniunt, quando quidem reali imitatione passioni Christi Martyr Christo conjungitur, & consequenter maxime ab ea movetur ad gratiam producendam: Ergo &c. Ista exinde ratione probat S. Thomas hic 3. p. q. 66. art. 2. Baptisma sanguinis producere gratiam ex operato.

Non abs re erit hic verba sancti Doctoris texere: " Dicendum, quod sicut dictum est, effusio sanguinis pro Christo, & operatio interior Spiritus sancti, dicuntur Baptismata, in quantum efficiunt effectum Baptismi aquæ. Baptismus autem aquæ efficaciam habet a passione Christi, & a Spiritu sancto, ut dictum est. Quæ quidem duæ causæ operantur in quolibet horum trium Baptismatum: excellentissime tamen in Baptismo sanguinis. Nam passio Christi operatur quidem in Baptismo aquæ, per quamdam singuralem repræsentationem, in Baptismo autem flaminis, vel pœnitentiæ, per quamdam affectionem: sed in Baptismo sanguinis, per imitationem operis. Similiter etiam virtus Spiritus sancti operatur in Baptismo aquæ, per quamdam virtutem latentem: in Baptismo autem Pœnitentiæ, per cordis commotionem, sed in Baptismo sanguinis, per potissimam dilectionis & affectionis fervorem: Secundum illud Joan. 15. Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. "

Rursus in 4. Dist. 4. q. 3. art. 3. quæstione 3. ad 1. " Baptismus sanguinis non habet hoc, (id est liberare ab omni præcedente culpa, & pœna,) tantum ex opere operantis: neque quantum ad pœnam qua aliquis Martyrium explet, quam contingit non esse sufficientem ad satisfaciendum pro peccato: neque quantum ad devotionem justæ voluntatis, quia contingit quod voluntati majori charitate informata, aliquis sine Martyrio non potest ab omni pœna liberari, sed hoc habet ex imitatione passionis Christi, unde de Martyribus dicitur Apocal. 5. Lavaverunt stolas suas in sanguine Agni. "

Rursus in 4. ad Annibaldum dist. 4. q. unica art. 4. ad 3. " Baptismus sanguinis, *inquit*, non habet supplere effectum Baptismi fluminis ex opere operante, sicut objiciebatur, sed ex imitatione passionis Christi. "

Ter-

Tertia : Efficacia Baptismi in immensum superat efficaciam Baptismi flaminis. Igitur producit gratiam ex opere operato. Probatur antecedens. I. Quia non operantis operi, sed sibi sacra tribuitur regeneratio, ut dicit Tertullianus in Apoleg. sub finem his verbis: " Quis non pati exoptet ut totam Dei gratiam redimat, ut omnem veniam ab eo compensatione sui sanguinis expediat ? omnia enim delicta huic operi donantur. " II. Similem habet cum Baptismo aquæ ad regenerandum spiritualiter virtutem. Igitur sicut iste, gratiam ex opere operato producit, ita & iste. Sic docet S. Augustinus L. 13. de civ. cap. 7. " Quicumque non percepto regenerationis lavacro, pro Christi confessione moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur sacro fonte baptismatis. " III. Baptismus aquæ non habet majorem Martyrio vim ad producendam gratiam, immo Baptisma sanguinis teste S. Cypriano Exhort. ad Martyres : " In gratia majus, in potestate sublimius, in honore pretiosius est. " Rursus Ep. 73. dicit : " Vim Baptismi non esse majorem Martyrio. "

Quarta : Baptismus sanguinis justificat ex opere operato infantes : Igitur & adultos; eadem enim est pro utrisque ratio. Ideo enim Baptismus sanguinis producit gratiam ex opere operato, quia est realis Christi passionis imitatio. Porro fortior est in adultis, quippe qui seipsos ad patiendum pro Christo fide & amore moveant, nec sine majori lucta ad palmam perveniunt. Probatur igitur antecedens ex disciplina Ecclesiæ, quæ pueros omnes ab Herode impio necatos ut beatos & sanctos collit, tametsi fieri potuerit ut nonnulli circumcisionem, quæ tunc temporis locum Baptismi obtinebat, nondum recepissent. Hinc Sanctus Augustinus Lib. 3. de lib. arbr. cap. 13. ait : " Etiam infantes illos, qui, cum Dominus Jesus Christus necandus ab Herode quæreretur, occisi sunt, in honorem martyrum receptos commendat Ecclesia. " Ergo &c.

CONCLUSIO SECUNDA.

Baptismus sanguinis totam remittit pœnam.

Probatur rationibus auctoritate suffultis.

Prima : Illud cui annexa est ex promissione Gloria, absque ulla conditione eam, nulla intermedia pœna, producit : Atqui ulla absque conditione Baptismus sanguinis annexam habet gloriæ promissionem. Et probatur ex ipso oraculo Christi, qui Matt. 10. in gratiam Martyrum sic pronuntiat : *Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.* Audis Christum nihil ultra præter confessionem fidei proprio signatam sanguine exigere. Ergo &c.

Secunda : Qui plene & ad juris apices justitiæ divinæ facit satis, nihil illi pro peccatis expiandis luendum superest: quæ quidem satisfactio per charitatem perfectam eatenus redditur, quatenus tantum de conversione ad Deum reddit, quantum per aversionem ab eo ablatum est : Sed non datur major charitas quam Martyris amor ; scriptum est enim Joan. 15. *Majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Ergo &c.

Tertia : Ecclesia non orat pro quiete animæ Martyris : Igitur non credit aliquid de pœna temporali ipsi superesse luendum. Hanc veritatem annuntiat Innocentius III. c. *cum Martha*, de celebratione Missarum, his verbis : " Injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre. " Concinit S. Augustinus Tract. 84. in Joan. " Injuria est, *ait*, pro Martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendare. "

Quæres I. Num infans in utero vivens cum matre in odium Christi trucidatus mundetur a peccato originali ? II. Num requiratur in adulto nondum baptizato qui rapitur ad Martyrium, aliqua dispositio ut sanguinis proprii effusione justificetur ? III. Num martyrium gratiam regenerativam physice producat ?

Respondeo ad primam, infantem in utero materno cum matre in odium Christi occisum eodem gaudere privilegio cum alte-

altero, qui natus eodem motivo necatur, quippe qui puer simul & mater se habeant per modum unius victimæ: sicut igitur per privilegium omnem ordinariam transcendens regulam puer natus per impressionem passionis Christi proprio cruore regeneratur, quidni & in utero materno alter conclusus eamdem susciperet impressionis virtutem? cum Christus non sinat Martyres pro se ipso absque palma occidi. D. Bernardus Serm. de SS. Innocentibus non levius hoc subindigitat his verbis: " An de Innocentium corone quis dubitet? Ille pro Christo trucidatos infantes dubitet inter Martyres coronari, qui regeneratos in Christo non credit inter filios adoptionis numerari: alioqui quomodo coævos sibi pueros puer ille qui natus est nobis, non contra nos, pateretur occidi? quod utique solo nutu poterat prohibere, nisi melius aliquid eis prohiberet, ut quemadmodum ceteris infantibus tunc quidem circumcisio, nunc vero Baptismus, sine ullo propriæ voluntatis usu sufficit ad salutem, sic nihilominus pro eo susceptum martyrium illis proficeret ad sanctitatem."

Respondeo ad secundum, non requiri aliam in adulto subito ad martyrium rapto dispositionem, quam mortem pro Christo pati, cum mors illa voluntaria sit exercitium ipsius maximæ charitatis, quæ eminenter peccatorum actualium dolorem continet. Si tamen adultus habeat tempus, sufficit ut actum attritionis ex amore initiali a spe promanante eliciat, qui quidem amor imperfectus vi martyrii perfecta contritio evadit. Sic propugnant veteres Theologi, nec dissentiunt recentiores, maxime Gonetus disp. 1. de instit. & natura Baptismi art. 7. §. 11. pag. 132. col. 2.

Respondeo ad tertium quæsitum, Baptismum sanguinis producere gratiam ex opere operato solum moraliter: siquidem non est unum ex septem Sacramentis quæ moventur a Christo ut suæ virtutis instrumenta physica. Tum quia eatenus martyrium gratiam producit, quatenus opus operatum, scilicet violenta mors, movet Christum ut passionis ejus virtus propter realem imitationem producat gratiam & gloriam. Ceterum juxta multorum opinionem, non aliter vel ipsa Sacramenta producunt gratiam, & tamen, ut concedunt, illam ex opere operato causant. Igitur & Baptismus sanguinis illam sic producere valebit, tametsi sanguis martyris effusus habeat solum vi sua movere infallibiliter Christum ut conferat gratiam, quippe qui sicut sanguis Abel primi omnium Martyris clamet de terra ad eum.

Fit satis objectionibus.

OBJICIES contra primam conclusionem. Joan. 3. habetur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*. Igitur solum aquæ & non sanguinis Baptisma gratiam regenerationis producit ex opere operato.

Respondeo distinguendo antecedens: Et verba laudata continent regulam quæ per privilegium suscipit exceptionem, concedo: & non suscipit, nego antecedens & consequentiam. Sicut ad Principem spectat leges condere, & ab eis dispensare, sic a fortiori ad Christum Regum Regem & Dominum. Porro a prima lege quam universim pro omnibus fecit, dispensat, volens ut martyrium locum Baptismi teneat, juxta illud Matth. 10. *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo*.

Instabis: Præceptum charitatis & erga Deum amoris obligat pro semper; immo & secluso illo amore, vel ipsum martyrium nihil prodest, dicente Apostolo 1. Cor. 13. *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*. Idem dicendum de fidei lege, quæ obligat omnes, vel ipso Domino dicente Marc. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur*. Sed infans actum fidei amorisve non valet elicere: Sed non semel contigit quosdam infideles de repente mutatos raptos fuisse ad martyrium, & gladio statim animadversos, absque eo quod tempus habuerint hujusmodi actus eliciendi, vel de hoc cogitaverint. Igitur martyrium gratiam regenerativam, nisi adsint opera operantis, scilicet actus tum fidei, tum amoris, non potest producere,

Reſpondeo diſtinguendo majorem : Præceptum fidei & amoris vel antecedentis, vel concomitantis, obligat ubique & pro ſemper, concedo : fidei & amoris antecedentis, ſubdiſtinguo : de via ordinaria, quum nihil adeſt quod utriuſque virtutis actus poſſit ſupplere, concedo : ſin minus, nego. Et ſic diſtincta minore, nego conſequentiam. Ad quorum evidentiam obſervare juvat, Baptiſmum poſſe conſiderari duplici modo, videlicet ut eſt actus fortitudinis, & ut eſt realis Chriſti paſſionis imitatio : priori modo ſpectatus debet habere actum antecedentem fidei & amoris ſaltem imperfecti a ſpe fluentis, quo Deus ut totius juſtitiæ fons & creditur, & diligitur. Poſteriori vero modo ſufficit quod fides & amor comitentur martyrium, & certe in adulto hoc ſemper requiritur, cum non niſi fide mutatus convolet ad martyrium, vel ad illud ſe trahi patiatur. Ceterum jam diximus, quod rurſus obſervare non pigebit, ipſum martyrium eſſe ſummæ erga Chriſtum fidei & charitatis non dicam tantummodo argumentum, ſed & ipſum exercitium.

Jam vero ſi de infantibus ſermo eſt, accommodat eis Eccleſia, ait Aug. ſicut in Baptiſmo aquæ, ſic & in Baptiſmate ſanguinis, cor ut & in Chriſtum credant, & pro illo patiantur. Quid plura? Vox ſanguinis eorum clamat ad Deum de terra ; tametſi enim non habeant fidem & amorem active, habent tamen paſſive & executive : hinc cum Apoſtolo Gal. 6. infans martyr poteſt dicere : *Nemo mihi moleſtus ſit ; ego enim ſtigmata Domini Jeſu in corpore meo porto*. Iſta ſolutio colligitur ex divo Thoma jamjam laudato. Nec deſunt Theologi qui propugnent legem baptiſmi aquæ & pœnitentiæ, exceptionem ſuſcipere in Martyre, quia ab eis martyrii Baptiſmus ſpecie diſtinguitur ; quod quidem probant auctoritate ſancti Auguſtini, qui Lib. 3. de civ. cap. 7. explicans illa Chriſti verba : *Niſi quis renatus fuerit &c.* ait : " Alia ſententia „ illos fecit æquales, ubi non minus ge- „ neraliter dicit : *Qui me confeſſus fuerit* „ *coram hominibus, confitebor & ego eum* „ *coram Patre meo*. „ Concinit D. Thomas hic art. 12. ad. 2. ubi explicans locum Apoſtoli 1. Cor. 13. laudatum, ait: " Effuſio ſanguinis non habet rationem „ Baptiſmi, ſi ſit ſine charitate ; ex quo „ patet quod Baptiſmus ſanguinis inclu- „ dit Baptiſmum flaminis, & non e con- „ verſo. „ Audis ex ſancto Thoma martyrium eminenter continere & amorem, & contritionem.

Idem S. Doctor ad inſtantiam ex parte infantium Martyrum factam ſic reſpondet 2. 2. q. 124. art. 1. " Martyrii glo- „ riam quam in aliis propria voluntas „ meretur, illi parvuli occiſi per Dei „ gratiam ſunt aſſecuti. Nam effuſio ſan- „ guinis propter Chriſtum vicem gerit „ Baptiſmatis. Unde ſicut in pueris ba- „ ptizatis, per gratiam Baptiſmalem me- „ ritum Chriſti operatur ad gloriam ob- „ tinendam, ita & in occiſis propter „ Chriſtum, meritum martyrii Chriſti „ operatur ad palmam martyrii conſe- „ quendam .... Unde Auguſtinus dicit „ in quodam ſermone de Epiphania, quaſi „ eos alloquens : Ille de veſtra corona „ dubitabit in paſſione pro Chriſto, qui „ etiam parvulis Baptiſmum prodeſſe non „ æſtimat Chriſti. Non habebatis ætatem, „ qua in paſſurum Chriſtum credere- „ tis, ſed habebatis carnem, in qua „ pro Chriſto paſſuro paſſionem ſuſtine- „ retis. „

Inſiſtes : Si martyrium gratiam ex opere operato produceret, incaſſum Eccleſia exigeret ut lapſi reconciliarentur priuſquam ad martyrium ducerentur, cum omnis & culpa & pœna paſſione delerentur. Atqui tamen hoc ipſum Eccleſia prioribus ſæculis, ingraveſcente perſecutione, exigebat. Et probatur ex ſancto Cypriano, qui in ſua ad S. Cornelium Epiſtola hæc ſcribit : " Nec quiſquam „ dicat qui martyrium tollit, ſanguine „ ſuo baptizatur, nec pax illi ab Epiſco- „ po neceſſaria eſt, habituro gloriæ ſuæ „ pacem, & accepturo majorem de Do- „ mini dignatione mercedem. „ Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo minorem : Et Eccleſia hoc exigebat ad melius, concedo : ita ut crederet martyrium ad juſtificationem non ſufficere, nego. Obſervandum eſt eo loci ſanctum Cyprianum non movere quæſtionem de adulto baptizando, de quo eſt præſens controverſia, ſed de lapſo jam baptizato, cui per tempus licebat facere ſatis Eccleſiæ : ſicut igitur Eu-

Eucharistia muniebantur Confessores, ne inermes, ait ipse Cyprianus, descenderent in prælium, sic & reconciliabantur ad cautelam, ne aliquibus peccatorum vinculis irretiti, deficerent in certamine: sicut legitur de Sapricio in act. Sanctorum mensis Augusti apud Bollandum: tametsi enim multa jam tormenta pro Christo passus fuisset, quia tamen noluit condonare injuriam sibi irrogatam a Nicephoro veniam ab illo flagitanti, dum ipso tempore quo carnifex levata securi caput abscissurus erat, in fide non perseveravit. Verum Nicephorus charitate sicut & fide fervens, rapuit coronam, & ejus loco Martyr occubuit.

Replicabis: Non potest dici quandonam martyrium producat gratiam ex opere operato. Ergo &c. Probatur antecedens: Certe non in ipsa passione, cum multis quandoque diebus perduret; legitur enim de sancto Andrea quod biduo vivus pependerit in cruce: non sub finem tormentorum, namque multi ab eis erepti dormierunt in pace, ut habetur de sancto Joanne Evangelista, qui Romæ missus in ferventis olei dolium, illæsus evasit, ait Tertullianus, & tamen ut Apostolus simul & Martyr colitur: neque etiam cum patiens ultimam claudit diem, quippe qui amplius non sit Martyr viator.

Respondeo martyrium gratiam finalem involvere, cum in morte violenta pro Christi nomine tolerata sita sit. Igitur gratia regenerativa producitur in mortis procinctu. Quia vero non unus vi passionis nondum defunctus, sed in pace quievit, & tamen ut Martyr celebratur, adjiciendum esse videtur: primo, illum esse vere Martyrem, qui quamvis post passionem adhuc in terris aliquandiu superstes fuerit, moritur tamen vel propter ærumnas ad passionem consequentes, vel quia perseverat in gratia quam initio passionis accepit, quæ augetur crescente supplicio, propter patientiam, quæque consummatur morte consecuta. Secundo, si istam gratiam in passione acceptam ad finem usque vitæ conservat, potest etiam ut Martyr celebrari in hoc sensu Ecclesia quosdam colit ut Martyres; tametsi ultimum vitæ diem in ipsis cruciatibus non clauserint: sufficit enim quod ad pœnam inflictam & pro Christo perpessam mors consequatur; quod vero uno aut altero elapso mense hoc fiat, parum refert, si Ecclesia talem habere ut Martyrem voluerit.

Hæc leguntur in Breviario Romano de sancto Marcello Papa Martyre: " Qui-
„ bus coguitis, Maxentius in eam Ec-
„ clesiam Catabuli bestias transferri. &
„ a Marcello custodiri jubet, ubi loci
„ fœditate multisque ærumnis afflictus,
„ obdormivit in Domino. „

Persistes: Si martyrium gratiam produceret ex opere operato, foret inter Sacramenta annumerandum, sicque essent plusquam septem; sed hoc dici non potest. Ergo &c.

Respondeo negando sequelam propter multa: Primo quidem, quia non est signum sacrum, constans materia simul & forma. Secundo, Sacramenta sunt causæ gratiæ, ut sunt actiones Dei per suos ministros; at vero martyrium est actio Diaboli per suum satellitem Confessoribus mortem inferentis. S. Thomas hic art. 11. ad 2. ad hanc difficultatem sic respondet: " Sacramentum habet rationem
„ signi: alia vero duo, *scilicet Baptismus*
„ *flaminis & sanguinis*, conveniunt cum
„ Baptismo aquæ, non quidem quantum
„ ad rationem signi, sed quantum ad
„ effectum Baptismatis, & ideo non sunt
„ Sacramenta. „

Dices: Qui mortem ex peste in obsequium languentium oppetunt, non dicuntur Martyres, tametsi in curandis infirmis immensos subeant propter Deum & proximum labores. Dico & propter Deum, cum mortis periculo sese exponant, ut ejus de charitate erga proximum adimpleant legem. Igitur nec illi qui propter Christum supplicia mortem infligentia patiuntur.

Respondet Gonetus hic disp. 1. de Bapt. art. 7. §. 4. his verbis, " Proprie dictum
„ martyrium quatuor habet præcipua pri-
„ vilegia, nimirum justificationem ex
„ opere operato, remissionem omnis cul-
„ pæ & pœnæ, exemptionem a precibus
„ Ecclesiæ, & aureolam ultra auream
„ victori donandam: sed hæc privilegia
„ Ecclesia nusquam concessit iis qui mo-
„ riuntur inter ministrandum ægris, ut pa-
„ tet præcipue de tertio & quarto; Ecclesia

„ enim pro illis orat, & Missæ sacrificium offert, & nusquam illos cum „ martyrii aureola depingit. Ergo mors „ ex peste in obsequium languentium „ oppetita non est verum & proprie dictum martyrium. Aliud privilegium „ martyrii est, quod si mater propter „ Christum occidatur, filius quem gestat „ in utero, a peccato originali mundetur; „ at nemo Catholicorum id unquam dixit „ de filio quem in utero gestat mulier quę „ immoritur ministerio peste laborantium .... Verus & legitimus Martyr „ non debet sponte prodire ad ultroneam „ mortem, sed ad id cogendus aut vocandus est, & est communis doctrina Patrum a Christo accepta, qui prohibet „ ne ultro ad certamen accedamus, sed „ ab una civitate ad aliam fugiamus, tum „ ut nostræ infirmitati, tum etiam ut „ persecutorum bono consulamus, ne nos „ in periculum temere, & illos ad sævitiam propellamus; sed hæc proprietas „ martyrii deest morienti peste, dum ex „ charitate inservit proximo. „

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Baptismus Sanguinis gratiam regenerativam ex opere operato producit.

PRIMO: Quia est opus operatum, cujus virtute producitur gratia.

Secundo: Quia vel ipsa Ecclesia colit ut sanctos infantes qui ex nulla prævia dispositione ex parte eorum data salvantur & glorificantur.

Tertio: Quia martyrium est imitatio realis passionis Christi; hinc fideles ex istius impressione specialem habent gratiam.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET RESOLUTIONUM.

PRIMO: Lex generalis suscipit regulam; hinc licet Christus pronuntiaverit universim pro omnibus: *Nisi quis renatus &c.* etiam universim, ait Augustinus, dixit: *Qui me confessus fuerit &c.*

Secundo: Reconciliabat quidem Ecclesia lapsos ante martyrium, sed ad cautelam & melius, nec inde concludendum Baptisma sanguinis non sufficere ad regenerationem.

Tertio: Tametsi Baptisma sanguinis gratiam ex opere operato producat, non inde inter Sacramenta annumerandum: non enim habet materiam & formam, nec est signum permanens gratiæ, nec per Ministros Ecclesiæ confertur, sed per ipsos crucis inimicos; quia vero diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, prodest passio Martyris ipsi, & quidem ex opere operato, cum ipse voluntarie seipsum Deo ut victima offerat.

SECTIO TERTIA.

De effectibus Baptismi Flaminis.

Ex Scriptura sacra, cuncta sunt credenti possibilia, maxime si fidei accedat amor Dei; non enim cor contritum & humiliatum, ait Propheta Psal. 50. projiciet Deus. Cum igitur Deus velit omnes & singulos homines salvare, hujus autem voluntatis, ait S. Thomas, sunt media in finem: hinc quæritur primo, num urgente necessitate adultus, deficiente aqua, vel etiam Ministro, animam agens possit voto Baptismi salvari? Secundo, num voto accedere debeant actus virtutum, maxime fidei, spei, charitatis & pœnitentiæ? Pro quorum resolutione sit

CONCLUSIO PRIMA.

Adultus, urgente necessitate, salvatur per votum Baptismi.

Probatur auctoritate & ratione.

PRIMO: Deus *omnes homines vult salvos fieri*, ut habetur 1. Tim. 1. sed frustranea foret ista voluntas, si votum Baptismi, urgente necessitate, non remitteret peccata quibus salus præpediretur. Igitur cum hoc adversetur bonæ voluntati Dei, dicendum est adultum, urgente necessitate, voto Baptismi salvari. Suffragantur huic veritati aliæ Scripturæ sacræ auctoritates; namque Joelis 2. habetur: *Omnis quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit*. Rursus Mat. 7. *Omnis qui petit, accipit*. Igitur qui desiderat, imminente morte, Baptismum, accipit regenerationis & justificationis gratiam.

Se-

Secundo: " Deus, *ex Concilio Tridentino*, „ impossibilia non jubet, sed jubendo mo-„ net & facere quod possis, & petere „ quod non possis, & adjuvat ut possis. „ Sed adultus nondum baptizatus, mortis doloribus accinctus, & urgente necessitate, non alia via quam voto Baptismi potest salvari. Igitur per votum Baptismi de facto salvabitur.

Tertio: Qui Christo configurantur, salvantur: Sed qui habent Baptismi votum, Christo configurantur saltem per affectum. Sic propugnat S. Thomas hic q. 66. art. 12. " Baptismus autem aquæ, *ait*, ef-„ ficaciam habet a passione Christi & a „ Spiritu sancto, ut dictum est; quæ „ quidem duæ causæ operantur in quo-„ libet horum trium Baptismatum, excel-„ lentissime tamen in Baptismo sanguinis; „ nam passio Christi operatur quidem in „ Baptismo aquæ per quamdam figura-„ lem repræsentationem: in Baptismo „ autem fluminis vel pœnitentiæ, per „ quamdam affectionem. „

Expressius ibidem art. 11. " Præter Ba-„ ptismum aquæ, potest aliquis consequi „ sacramenti effectum ex passione Chri-„ sti, in quantum quis ei conformatur, „ pro Christo patiendo; unde dicitur A-„ poc. 7. *Hi sunt qui venerunt ex magna* „ *tribulatione, & laverunt stolas suas, &* „ *dealbaverunt eas in sanguine Agni*. Ea-„ dem etiam ratione aliquis per virtutem „ Spiritus sancti consequitur effectum „ Baptismi, non solum sine Baptismo „ aquæ, sed etiam sine Baptismo san-„ guinis, in quantum alicujus cor per „ Spiritum sanctum movetur ad creden-„ dum, & diligendum Deum, & pœ-„ nitendum de peccatis: unde etiam di-„ citur Baptismus pœnitentiæ, & de hoc „ dicitur Isaiæ 4. *Si abluerit Dominus sor-„ des filiarum Sion, & sanguinem Jerusalem* „ *laverit de medio ejus, in spiritu judicii*, „ *& spiritu ardoris*. Sic igitur utrumque „ aliorum Baptismatum nominatur Ba-„ ptismus, in quantum supplet vicem „ Baptismi aquæ: unde dicit Augusti-„ nus in 4. lib. de unico Baptismo par-„ vulorum: Baptismi vicem aliquando „ implere passionem de latrone illo, cui „ non baptizato dictum est, Hodie me-„ cum eris in paradiso. Beatus Cypria-„ nus non leve documentum assumit quod „ etiam atque etiam considerans, inve-„ nio non tantum passionem pro nomine „ Christi, id quod Baptismo deerat posse „ supplere, sed etiam fidem confessionem-„ que cordis, si forte ad celebrandum „ mysterium Baptismi in angustiis tem-„ porum succurri non potest. „

Quarto: Quod Ecclesiæ praxis innuit, tale haberi debet: Sed ex praxi Ecclesiæ Catechumeni, qui secluso Baptismo defuncti sunt, habentur ut fideles & amici Dei, & pro eorum refrigerio Ecclesia fundit preces. Ergo &c. Audiendi sunt de hoc momento S. Cyprianus & sanctus Ambrosius: prior ait illos a Deo non separari: posterior habet ut justum Imperatorem Valentinianum, qui morte præoccupatus, Catechumenus obierat. S. Cyprianus Epist. ad Jubajanum sic loquitur: " Quid ergo fiet de his qui in „ præteritum de hæresi ad Ecclesiam ve-„ nientes sine Baptismo admissi sunt? „ Potens est Dominus misericordia sua „ indulgentiam dare, & eos qui simpli-„ citer admissi in Ecclesia dormierunt, „ ab Ecclesiæ muneribus non separa-„ re. „

Ambrosius Orat. funeb. laudati Imperatoris, sic alloquitur populum: " Audivi „ vos dolere quod non acceperit sacra-„ menta Baptismatis. Dicite mihi quid „ aliud in nobis est, nisi voluntas, nisi pe-„ titio? Atqui etiam dudum hoc votum „ habuit, ut antequam in Italiam venis-„ set, initiaretur, & proxime baptizari „ se a me velle significavit, & ideo præ „ ceteris causis me accipiendum putavit. „ Non habet ergo gratiam quam desidera-„ vit? non habet quam poposcit? & „ quia poposcit, accepit? & ubi illud „ est: Justus quacumque morte præven-„ tus fuerit, anima ejus in refrigerio „ erit? „

CONCLUSIO SECUNDA.

Requiritur fides cum voto Baptismi in adulto ut salvetur.

Probatur hoc ratiocinio.

APOSTOLUS Hebr. 11. ait: *Sine fide autem impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum*. Hinc com-

communiter docent Theologi fidem in sanctissimam Trinitatem & in Deum incarnatum absolute ad salutem requiri. Igitur Catechumenus voto adjungere debet fidem. Ratio est quia peccator debet recedere a malo ut justificetur, & sese ad Deum convertere: Sed conversio initium habet a fide; *nihil enim amatum, quin praecognitum*, ut fert commune adagium. Igitur voto Baptismi debet accedere fides; eo enim fine Catechumeni instruuntur de mysteriis, ut de eis habeant fidem, antequam initientur.

CONCLUSIO. TERTIA.

Adultus cum voto Baptismi debet habere perfectam de peccatis actualibus gravibus contritionem.

Probatur rationibus Theologicis.

PRIMO: Quia communiter docent Theologi contritionem imperfectam non sufficere extra Sacramentum: porro simplex Baptismi votum non est Sacramentum: Igitur si adsint peccata gravia, requiritur perfecta contritio: quia sicut adultus per peccata mortalia voluntarie commissa absolute & simpliciter a Deo aversus est, ita & perfecte ad ipsum sese debet convertere, quod non nisi perfecta contritione adimpletur. Quod quidem non levius subinde gitat S. Thomas, dum propugnat adultum solo peccato originali inquinatum, sub poena peccati mortalis, & consequenter damnationis, teneri ad Deum per actum amoris sese convertere, ut primum ad auroram rationis pervenerit.

Secundo: Hoc ipsum insinuat Concilium Tridentinum Sess. 15. cap. 4. ubi & votum sacramenti, & contritionem perfectam exigit his verbis: " Docet praeterea sancta Synodus, etsi contritionem " hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum " actu suscipiatur, ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine Sacramenti voto quod in illa includitur, " non esse adscribendam." Nec dissentit S. Pius V. qui hanc damnavit Baji propositionem quae est 31. his conceptam terminis: " Charitas perfecta & sincera, " quae est ex corde puro & conscientia " bona, & fide non ficta tam in Catechumenis quam in Poenitentibus potest esse sine remissione peccatorum."

S. Augustinus Lib. 4. de Baptismo cap. 22. similiter propugnat votum Baptismi salvare adultum, sed modo adsit charitas & amor. " Invenio non tantum passionem pro nomine Christi, id quod ex " Baptismo deerat posse supplere, sed " etiam fidem conversionemque cordis, " si forte celebrandum mysterium Baptismi in angustiis temporum succurri non potest. "

CONCLUSIO QUARTA.

Baptismus flaminis gratiam producit solum ex opere operantis: nec totam semper dimittit poenam temporalem, sed juxta gradum Contritionis.

PROBATUR prima pars: Votum non est Sacramentum, sed in actibus poenitentis situm est, sive spectetur in se, cum nihil aliud sit praeter Sacramenti desiderium: sive in actibus qui illum comitantur, qui sunt fides & amor. Igitur Baptismus flaminis non nisi ex opere operantis gratiam producit. Hoc ipsum liquet ex S. Thoma supra laudato, qui in 4. q. 3. art. 2. quaestiunc. 3. ad 1. & hic 3. part. q. 66. art. 12. docet Baptismum sanguinis excellentiorem esse Baptismo flaminis, eo quod ille, & non iste, producat gratiam ex opere operato.

Probatur secunda pars: scilicet quod Baptismus flaminis non remittat totam poenam. Quoties poena remittitur solum per actus poenitentis, non nisi juxta gradus fidei, contritionis & amoris remittitur: qui quidem actus si sint intentissimi remittent totum poenae temporalis reatum; sin minus, e contra. Hujusmodi autem actus quandoque sunt valde intensi, saepius vero etiam remissiores, ita ut non attingant ad gradum in quo factum est peccatum. Sed Baptismus flaminis in actibus suscipientis positum est. Igitur non semper omnem culpam remittit.

Re-

Respondetur Objectionibus.

Objicies contra primam conclusionem. S. Fulgentius contendit Baptismum flaminis sine Baptismo aquæ hominem non salvare. Igitur Baptismus ille gratiam justificationis seu regenerationis, etiam urgente necessitate, non confert. Probatur antecedens: Interrogatus a Ferrando num Æthiops Catechumenus, & quidem pius & devotus, qui amisso rationis usu, postea baptizatus fuerat, salvus foret? sic respondet: " Non dicimus illum sine Baptismi Sacramento sola confessione potuisse salvari.. Qui enim crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit. Illum utique adolescentem, quia credidisse & confessum fuisse novimus, ideo per Sacramentum Baptismatis salvum fuisse firmamus: qui si non baptizaretur, non solum nesciens, sed etiam sciens, nullatenus salvaretur; via enim salutis in confessione, salus in Baptismate. " Ergo &c.

Respondeo distinguendo antecedens: S. Fulgentius vult neminem salvari, secluso aquæ Baptismo, quando quis valet illum recipere, concedo: si urgeat necessitas, & non possit, nego antecedens. Exemplum supra allatum ne nullum quidem facessit negotium. Et vero S. Fulgentius interrogatus de Catechumeno, qui amisso rationis usu, fortassis nullum actum contritionis saltem perfectæ pro peccatis elicere potuerat; in isto dubio ait, secluso baptismo aquæ, illum non fuisse salvum: ratio quam affert hunc producit sensum: " Via enim salutis in confessione, salus in Baptismate: " Hoc est, sola professio fidei cum Baptismo flaminis non sufficit, sed insuper requiritur dolor perfectus de peccatis; quod si desit, necessarium est aquæ Baptisma. Quia vero istud consequutum est votum Æthiopis Catechumeni, ideo eum ut salvum habet sanctus Præsul.

Instabis: Si Baptismus in voto, urgente necessitate, Catechumenis, secluso flaminis Baptismate, ad salutem sufficeret, in pace Ecclesiæ e vita migrarent. Atqui praxis disciplinæ antiquæ contrarium annuntiat; & probatur triplici auctoritate: prima Leonis Magni Epist. 91. ad Theodorum Foro Juliensem Episcopum: altera Gelasii Papæ in Concilio Romano pro Miseni Cumani Episcopi absolutione adunato: tertia Vigilii summi Pontificis, qui sub finem suæ constitutionis anno circiter 559. subscribit decretis S. Leonis & Gelasii, quippe qui vel ipsum Theodorum Mopuestenum, tametsi mortuum, immo & in pace Ecclesiæ vita functum excommunicaverit. Ergo &c. Primus loco citato sic loquitur: " Si autem aliquis eorum pro quibus Dominum supplicamus, quocumque interceptus obitaculo, a munere indulgentiæ præsentis exciderit, & priusquam ad constituta remedia perveniat, temporalem vitam humana conditione finierit, quod manens in corpore non recepit, consequi exutus carne non poterit. " Secundus hæc in Synodo protert: " Nec nos jam mortuis veniam præstare deposcant, quod nobis possibile non esse manifestum est. Alia est causa superstitum, alia defunctorum. "

Respondeo primo Ecclesiam habere potestatem & vivos absolvendi, & ipsos mortuos, si æquum duxerit, ad pœnam temporalem ligandi, puta vel Ecclesiastica sepultura eos privando, vel eorum nomen e sacris Diptychis expungendo, quod excommunicationem spirat, ut patet ex quinta Synodo ann. 553. celebrata quæ Theodorum Mopuestenum, & Sexta, quæ in multos Episcopos, nondum damnatos, mortuos tamen anathematis gladio animadverterunt.

Innocentius III. utrumque faciendi potestatem laudat. Priorem quidem pro absolutione mortui, qui dum viveret excommunicatus fuerat *Extra* de sententia excommunic. cap. 28. ad casum enim illi propositum sic respondet: " Potest tamen & debet ei Ecclesiæ beneficio subveniri, ut si de ipsius viventis pœnitentia per evidentia signa constiterit, defuncto etiam absolutionis beneficium impendatur. "

Respondeo secundo disciplinam decursu temporum variasse juxta diversas convenientiæ rationes, & quod in una Ecclesia erat licitum, in altera illicitum non semel legitur: Sed pœna temporalis non semper est perditionis, at aliorum potius correctionis argumentum, ut mali, seu etiam

etiam in bono titubantes a peccando deterreantur. Dato igitur, & non concesso, SS. Pontifices supra laudatos abstinuisse ab ipsis Catechumenis, qui, omisso Baptismate, obierant, non inde sequeretur votum Baptismi eis ad salutem non profuisse.

Respondeo tertio negando minorem. Ad probationem dico, S. Leonem & Gelasium non prohibere orare pro Catechumenis, qui absque Baptismo ultimum clauserant diem, sed tantum indicare se de eorum salute esse incertos, & hoc tremendo Dei judicio relinquere; quod quidem sonant S. Leonis verba: " Si *quis* manens „ in corpore non receperit *salutis remedium*, consequi exuptus carne non poterit. „ Certe inter salutis remedia annumeratur votum Baptismi quod si Baptisma, & ipsius Baptismi votum omiserit, salvus esse non poterit. Hinc Gelasius de his qui sic moriuntur, ait: " Nec „ non jam mortuis veniam præstare possint, „ quod nobis possibile non esse „ manifestum est. „

De his solum qui absque Baptismo etiam in voto moriuntur loqui Gelasium explicat Innocentius laudatus ibidem istis subsequentibus verbis, quibus docet Ecclesiam, si velit, posse succurrere defunctis adultis cum Baptismo vel fluminis, vel flaminis vita functis, eos scilicet absolvendo a censuris quas contraxerant: " Nec obstat, *inquit*, quod Ecclesiæ le„ gitur attributa potestas ligandi atque „ solvendi homines super terram tam„ quam non possit solvere & ligare sub „ terra sepultos. Et quod legitur, non „ communicetur mortuo cui non est com„ municatum & vivo: cum etsi com„ municatum non fuerit, communican„ dum tamen illi fuisset, quem non con„ temptus religionis, sed necessitatis ar„ ticulus impedivit, & in certis casibus „ a canonibus denotatis ligasse legatur „ Ecclesia mortuos, & solvisse. „ Ceterum exemplum Vigilii non urget, quia non de Catechumeno, sed de Episcopo tametsi in pace Ecclesiæ mortuo, ipsi tamen censuræ labem inussit, eo quod blasphemias, quas in Christum & Deiparam, dum viveret, evomuerat, non retractasset.

Praxis Ecclesiæ de precibus pro defunctis Catechumenis.

Pro Coronide, & ad solutionem multorum quæ possent proponi contra Baptismi flaminis efficaciam, observandum est Ecclesiam Occidentalem omni tempore pro eis & orasse & pie admodum sensisse. Insigne est Ecclesiæ Mediolanensis exemplum. S. Ambrosius qui 4. florebat sæculo Orat. funeb. pro Imperatore Valentiniano ait: " Pio requiem ejus po„ scamus affectu ... Animam piam matris „ oblationibus prosequamur. „

In Ecclesia Africana eadem floruit consuetudo ut liquet ex IV. Concilio Carthaginensi, quinto adunatum sæculo, ut subindigitant ista can. 79. verba: " Pœ„ nitentes qui attente leges pœnitentiæ „ exequuntur, si casu in itinere, vel „ in mari mortui fuerint, ubi eis subve„ niri non possit, memoria eorum & ora„ tionibus, & oblationibus commende„ tur. „ Ex quo liquet Ecclesiam semper communicasse & cum pœnitentibus qui ante expletam penitentiam publicam, & cum Catechumenis, qui ante remedium salutis susceptum scilicet Baptisma, moriuntur.

Eamdem cum illis communicandi praxim obtinuit Ecclesia Gallicana; sic enim habetur in Concilio Arelatensi can. 12. " De „ his qui in pœnitentia positi, vita „ excesserunt, placuit nullum vacuum „ communione debere dimitti, sed pro „ eo quod honoravit pœnitentiam, ob„ latio illius recipiatur. „

Similia dicit Ecclesia Hispaniæ in Concilio 11. Toletano can. 12. " De his au„ tem, *inquiunt Patres Synodici*, qui ac„ cepta pœnitentia, antequam reconci„ lientur, ab hac vita recesserint, quam„ quam diversitas præceptorum de hoc „ capitulo habeatur. „

Replicabis: Joan. 3. habetur, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*: Ergo &c.

Respondeo distinguendo: Nisi renatus fuerit ex aqua formaliter, vel virtualiter, & per votum concedo: formaliter absolute, nego: Ecclesia Scripturæ interpres, sic explicat.

Dices contra secundam partem quartæ conclusionis: Videtur quod Baptismi vo-

votum totam remittat pœnam. Ergo &c. Probatur antecedens. I. Quia plus debet tribui voto Baptismi quam contritioni perfectæ secundum se spectatæ, quæ tamen justificat impium baptizatum, eumque a reatu & culpæ & pœnæ æternæ, & pœnæ temporalis juxta gradum amoris liberat, si habeat pœnitentiæ votum: Sed Baptisma habet hanc super Pœnitentiam dotem, quod deleat totum pœnæ reatum: Igitur & ejus votum, sin minus, non foret discrimen inter votum Pœnitentiæ & votum Baptismi. II. Hoc ipsum innuere videtur Innocentius III. cap. *Debitum*, ubi sic loquitur de Judæo, qui animam agens defectu Ministri, se ipsum baptizavit, sicque votum Baptismi expressum habebat. *Si continuo*, ait, *decessisset*, *ad cœlestem patriam*, *protinus evolasset*. Hoc S. Ambrosius, qui Orat. fun. Valentiniani, ait eum fuisse gloria donatum. Hoc demum vel ipse Christus, qui Latroni pœnitenti, ut habetur Luc 23. dixit: *Hodie mecum eris in Paradiso*.

Respondeo negando antecedens. Ad primam probationem dico, votum Baptismi esse sicut votum Pœnitentiæ actum pœnitentis suam operantis salutem, nec in efficacia ab isto distingui, sed penes relationem quam habet ad Sacramentum quod remittit, si recipiatur, peccatum originale & totam pœnam, at illa relatio nihil ponit in re, sed bonam tantum voluntatem adimplendi Baptismi legem demonstrat. Sicut igitur votum Pœnitentiæ tametsi relationem importet ad Sacramentum quod ex opere operato & vi propria delet peccatum actuale, & confert gratiam, non tamen hæc nisi ex opere operantis facit: Ita & dicendum de voto Baptismi.

Ad secundam similiter distinguo: Et vox *protinus* intelligitur moraliter, ita ut propter ardens Baptismi desiderium, Judæus in brevi gloria foret donandus, concedo: cito-citius & immediate, nego; cum enim nemo possit se baptizare, non nisi voto Baptismi Judæus, si decessisset, salvus fuisset. Innocentius est sui ipsius interpres cap. *Apostolicum*; ibi enim postquam asseruit quemdam Presbyterum non baptizatum *incunctanter* post mortem gloria fuisse donatum, præcipit preces pro ejus requie fundi. & sacrificium Deo offerri. Eadem est solutio ad verba S. Ambrosii, cum subjiciat, *animam piam* Imperatoris *matris oblationibus prosequamur*. Porro nec sacrificium offertur, nec preces funduntur pro requie animæ quæ visione Dei perfruitur.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Adultus urgente necessitate, voto Baptismi salvatur, modo fidem & contritionem perfectam habeat, &c.

Primo: Quia Joel. 2. habetur: *Omnis quicumque nomen Domini invocaverit, salvus erit*.

Secundo: Deus vult omnes & singulos homines voluntate sincera & beneplaciti salvari, nec impossibilia jubet. Igitur quum adultus mortis hora præoccupatur, & solum illi superest Baptismi votum, poterit eo salvari. Hoc subindigitat Concilium Trident. Sess. 14. cap. 4.

Tertio: Sic docent summi Pontifices, ut Innocentius III. cap. *Apostolicum*, & cap. *Debitum*. Sic S. Ambrosius Orat. funeb. de Imperatore Valentiniano: dixi modo habeat fidem, spem & contritionem perfectam, siquidem præceptum illarum virtutum tunc obligat. Immo docet sanctus Thomas passim adultum ad auroram rationis pervenientem teneri sub peccato mortali ad Deum per amorem perfectum se convertere: debet igitur omnia detestari peccata actualia, addo & peccatum originale, in quantum fieri potest.

SYNOPSIS OBJECTIONUM ET SOLUTIONUM.

Primo: Si qui sint Patres qui dicant Baptismi votum non sufficere ad salutem, urgente necessitate, loquuntur de iis qui non habent charitatem & fidem perfectam.

Secundo: Falsum est, juxta antiquam disciplinam, Ecclesiam non communicasse cum mortuis solo voto Baptismi initiatis, ut liquet ex Ecclesia Mediolanensi, quæ obtulit pro Valentiniano defuncto adhuc solum Catechumeno sacrificium; quod si hæc disciplina erga quosdam defecit, non tamen universim apud

omnes Eccleſias : ſic dum S. Leo videbatur cum Catechumens mortuis non communicare, Eccleſia Africana, Gallicana, & Hiſpanica communicabat. Concilium Toletanum II. can. 12. ait : " Illorum „ tamen ſententia nobis placuit, qui „ multiplices numero de hujuſmodi hu„ manitus decreverunt, ut & memo„ ria talium in Eccleſiis commende„ tur, & oblatio pro eorum *Catechume„ norum* delicto a Presbyteris recipia„ tur. „

Tertio: Eccleſia fidelis Scripturæ interpres illa Chriſti verba, *Niſi quis renatus fuerit &c.* intelligit de Baptiſmo actuali ſimul & virtuali, ſeu per votum,

DISSERTATIO SECUNDA
DE
MATERIA, FORMA,
MINISTRO, EFFECTIBUS,
SUBJECTO ET NECESSITATE
SACRAMENTI
CONFIRMATIONIS.

DALLÆUS Calvinista cuncta movit, ut Confirmationem e numero Sacramentorum exsufflaret, & ad hoc in variis libris omnes hujus sacramenti partes & effectus debellat. Sed contra quod dicitur Joel. 2. *Effundam spiritum meum super omnem carnem.*

Dogmata quæ partes hujus Sacramenti spectant, sex potissimum capitibus probantur & explicantur: ostendendo scilicet Confirmationem, non secus ac alia Sacramenta stricte sumpta, habere.

PRIMO, Sua nomina, suamque definitionem.
Secundo: Materiam.
Tertio: Formam.
Quarto: Ministrum.
Quinto: Effectus.
Sexto: Subjectum.

ARTICULUS PRIMUS.

De nomine & definitione Sacramenti Confirmationis.

ILLUD Sacramentum variis a sanctis Patribus insignitur nominibus. Primo, illud appellant Confirmationem, eo quod vim roburque suscipientibus conferat, ad hoc ut fidem constanter, nedum in conspectu Paganorum ceterorumque infidelium, sed & hæreticorum profiteantur, immo sanguinem & vitam, si necesse sit, pro defendenda vera religione, læto sacrificent animo. Ita Catechismus Romanus part. 2. de Sacram. Confirmat. num. 17. his verbis: " Chrismatis sacramento „ adversus omnes carnis, mundi, & Diaboli impetus robustiores fiunt: & eorum animus in fide omnino confirmatur ad confitendum & glorificandum nomen Domini nostri Jesu Christi, ex quo etiam nomen ipsum (scilicet Confirmatio) inventum esse nemo dubitarit. „

Secundo, appellatur impositio manuum, quia manus in ipsius collatione imponuntur. Ita legitur Actor. 8. *Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum.* Sic propugnat S. Augustinus Lib. 3. contra Donatistas cap. 16. his verbis: " Per manus impositionem modo datur „ Spiritus sanctus. „

Tertio, nuncupatur etiam Domini sigillum, quatenus Episcopus per modum crucis ungit suscipientes. S. Cornelius Epistola ad Fabium Antiochenum apud Eusebium Lib. 6. hist. Eccl. cap. 43. loquens de Novatiano, ait: " Neque Domini sigillo „ ab Episcopo obsignatus fuit. „

Quar-

Quarto, sæpius donatur nomine Sacramenti unctionis; namque per unctionem, tamquam per materiam proximam partialem confertur. Sanctus Cyprianus in isto sensu hæc scribit: " Ungi quoque necesse est eum qui baptizatus est, ut accepto chrismate, id est unctione, esse unctus Dei, & habere gratiam Dei in se possit. "

Quinto, dicitur ab effectu suo perfectio, ut legere est apud Guillelmum Antissiod. l. 4. tract. 4. capit. de sacramento Confirmationis. " Distinguitur, *inquit*, duplex plenitudo, scilicet plenitudo sufficientiæ, & hæc datur in Baptismo, & plenitudo copiæ, & hæc datur in Confirmatione. "

Confirmatio definitur sacramentum novæ legis, quo per impositionem manuum, & unctionem chrismativam, sub præscripta verborum forma, utrique materiæ correspondente, datur Spiritus sancti robur, quo Christianus omnes hostium fidei impetus propellere queat. De tanti Sacramenti essentia egimus in secunda parte: nunc ordo rerum postulat ut de partibus & proprietatibus disseramus. Unde sit:

Synopsis contentorum in articulo.

PRIMO: Illud Sacramentum quandoque vocatur Confirmatio, eo quod det robur ad fidem coram tyrannis profitendam: quandoque impositio manuum, quia in ejus collatione manus imponuntur: quandoque etiam sigillum, quatenus Episcopus per modum crucis inungit suscipientes.

Secundo: Definitur Sacramentum novæ legis, quo manuum impositione & chrismatione, sub præscripta verborum forma, datur robur ad fidem, sæviente mundo, audacter profitendam.

ARTICULUS SECUNDUS.

De materia Sacramenti Confirmationis.

CIRCA materiam hujus Sacramenti duo discutienda veniunt: Primum, quænam sit? Secundum, quænam ex iis ex quibus chrisma conficitur, sint essentialia, & cui competat illud consecrare?

SECTIO PRIMA.

Utrum unctio & manuum impositio sint materia adæquata Confirmationis?

CIRCA materiam Confirmationis alia est Heterodoxorum, alia Catholicorum sententia. Irridet Lutherus Doctores Catholicos, eo quod manuum impositionem assignent pro istius Sacramenti materia; sic enim habet Libr. de captivit. Babil. " Mirum est quod in mentem illis venerit, ut sacramentum Confirmationis facerent ex manuum impositione.... cur non ex sacramento panis etiam Confirmationem fecerunt, quando scriptum est Act. 9. Et cum accepisset cibum, confortatus est. "

Secundo: Calvinus Lib. 4. instit. cap. 19. §. 6. asserit. I. manuum impositionem quæ in confirmandis Neophytis adhibetur, nihil habere simile cum ea quam Apostoli usurpabant. II. Confirmationem neque esse a Christo, neque ab Apostolis. III. Eos qui oleum salutis eam vocant, Christum abnegare, & partem non habere in regno Dei.

Inter Theologos Catholicos non una est etiam circa istud momentum sententia. Quidam enim post Alexandrum Alensem & Divum Bonaventuram asserunt Christum, nec quoad materiam, nec quoad formam, instituisse illud Sacramentum: addunt Apostolos fuisse immediate a Spiritu sancto confirmatos, tum & constitutos ab eo ministros hujus sacramenti, quod primum absque materia elementari præstiterunt, postea vero quamdam designasse materiam. Sic propugnat Alensis part. 4. q. 24. membro 1. Sic S. Bonaventura in 4. dist. 7. art. 1. q. 1. & quidam alii.

Sæculo proxime elapso dissidium fuit inter Petrum Aurelium sub nomine Abbatis San-Cyrani notum, & Jacobum Syrmundum ex Societate Jesu Theologum. Prior in dissertatione sua excludit impositionem manuum a materia hujus Sacramenti. Alter e contra propugnat solam manuum impositionem esse Confirmationis materiam essentialem, unctionem vero pro integritate adhiberi. Huic opinioni sub-

ſubſcribit Sanbovius Lib. de Confirm. & Extr. Non deſunt qui unctionem manu Epiſcopi factam ut ipſam impoſitionem manuum habeant. Contra quos omnes ſit

CONCLUSIO PRIMA.

Manuum impoſitio una cum unctione ſunt materia eſſentialis & adæquata remota Sacramenti Confirmationis.

Probatur prima pars auctoritate.

ILLUD eſt materia illius Sacramenti, qua uſi ſunt Apoſtoli, quam adhibuere Patres, & præceperunt Concilia. Atqui talis eſt impoſitio manuum: & probatur.

Primo, ex Scriptura.

ACTUUM 8. legitur Apoſtolos Neophytis impoſuiſſe manus, & per illam manuum impoſitionem eis contuliſſe Spiritum Sanctum. *Tunc*, inquit Lucas, *imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum ſanctum*. Rurſus Act. 19. *His auditis, baptizati ſunt in nomine Domini Jeſu, & cum impoſuiſſet illis manus Paulus, venit Spiritus ſanctus ſuper eos*. Sancti Patres hæc teſtimonia intelligunt de Confirmatione, in primis D. Cyprianus Epiſt. 73. his verbis: " Tantummodo quod „ deerat, id a Petro & Joanne factum „ eſt, ut oratione pro eis habita, & ma„ nu impoſita, invocaretur & infunde„ retur ſuper eos Spiritus ſanctus, quod „ nunc quoque apud nos geritur, ut qui „ in Eccleſia baptizantur, Præpoſitis Ec„ cleſiæ offerantur, & per noſtram ora„ tionem & manus impoſitionem Spiri„ tum ſanctum conſequantur, & ſigna„ culo Dominico conſummentur. „ Concinit S. Chryſoſtomus in illum Scripturæ locum dicens: " Hoc nunc facere Epi„ ſcopos, quod Apoſtoli manuum impoſi„ tione & oratione ſuper Neophytos fa„ ciebant. „ Idem tradit S. Auguſtinus Lib. 15. de Trinit. c. 26. his verbis: " Neque enim aliquis Diſcipulorum ejus „ dedit Spiritum ſanctum; orabant quip„ pe ut veniret in eos quibus manum „ imponebant, non ipſi eum dabant; „ quem morem in ſuis Præpoſitis etiam „ nunc ſervat Eccleſia.

Secundo, ex Traditione.

Patres & Doctores Latini.

TERTULLIANUS Lib. de Baptiſmo cap. 7. ait: " Dehinc manus imponitur, per „ benedictionem advocans & invitans „ Spiritum ſanctum. „ Rurſus Lib. de reſur. carnis c. 6. " Caro manus impoſi„ tione adumbratur, ut & anima ſpiri„ tu illuminetur. „

Subſcribit S. Hieronymus Dial. adverſus Luciferianos his verbis: " Hæc eſt „ conſuetudo Eccleſiarum, ut ad eos qui „ in minoribus urbibus per Presbyteros „ & Diaconos baptizati ſunt, Epiſcopus „ ad invocationem Spiritus ſancti ma„ num impoſiturus excurrat. „

Aſſipulatur iterum S. Auguſtinus Lib. 3. de Baptiſmo c. 16. " Spiritus autem „ locutus, *inquit*, quod in ſola Catholi„ ca per manus impoſitionem dari dici„ tur. „

Favet Hilarius Arelatenſis Hom. de Pentecoſt. " Quod nunc, *ait*, in confir„ mandis Neophytis manus impoſitio tri„ buit ſingulis, hoc tunc Spiritus ſancti „ deſcenſio in credentium populo dona„ vit univerſis. „

Suum addit calculum Gregorius Magnus Homil. 17. in Evangelia his verbis: " Per impoſitionem noſtratum ma„ nuum a Deo Spiritum ſanctum per„ cipiunt. „

Eis ſeſe adiungit Iſidorus Hiſpalenſis Lib. 2. de officiis c. 26. " Poſt Bapti„ ſmum, *ait*, per Epiſcopos datur Spiri„ tus ſanctus cum manuum impoſitio„ ne. „ Et Lib. 6. originum capite ult. " Manus impoſitio ideo fit, ut per be„ nedictionem advocatus invitetur Spiri„ tus ſanctus. „

Idem tradit Beda in 1. Cantici Canticorum: " Quatenus fideles, *inquit*, om„ nes cum impoſitione manus Sacerdo„ talis, qua Spiritus ſanctus accipi„ tur. „

Eadem legimus apud Theodulphum Aurelianenſem Lib. de ordine Bapt. c. 16. Amalaricum Lib. de officiis c. 27. Rabanum Maurum Lib. 1. de juſtitia Clerico-

ricorum c. 30. Alcuinum Epist. ad Oduinum, Ivonem Carnotensem Serm. de excellentia sacrorum Ordinum, Rupertum Lib. 3. de operibus Spiritus sancti cap. 10.

Patres Græci.

AGMEN ducet Firmilianus, qui in sua ad Cyprianum Epistola sic habet: " Quando omnis potestas & gratia constituta „ sit, ubi præsident majores natu qui & „ baptizandi, & manus imponendi, & „ ordinandi possident potestatem: hæretico enim sicut ordinare non licet, „ nec manum imponere, ita nec baptizare. „

Succinit Chrysostomus jam supra citatus, similiter Theodoretus, qui in cap. 6. Epist. ad Hebr. & in cap. 19. Act. hæc scribit: " Per manuum sacerdotalem impositionem spiritus gratiam accipiunt. „

Favet Gennadius CP. qui apud Oecumenium in laudata Apostoli verba sic loquitur: " Neque enim licitum est ut „ si segniter vivas, rursum baptizeris, & „ per manuum impositionem accipias Spiritus sancti supperventionem. „

Ejusdem est labii Eulogius Alexandrinus Lib. 2. contra Novat. apud Phutium Bibliot. his verbis: " Deinde progressione facta, dignos reddi adventus Spiritus sancti, qui per impositionem manuum Apostolorum fiebat. „

Ipse Oecumenius ad eadem verba Apostoli Act. 19. hæc scripsit: " Vocavi quidem principium Baptisma, & manuum „ impositionem, ac signaculum quæ in „ eo sunt. „

Suffragatur Simeon Thessalonicensis L. de templo ubi sic habet: " Per manuum „ impositionem, & insufflationem unguenti gratiam impartitur. „ Rursus Lib. de septem Sacramentis: " A Philippo, *inquit*, baptizati, tamquam qui solum Baptisma Petro & Joanne imponentibus manus Spiritum sanctum accipiebant. „ Jamvero Firmilianus florebat secundo sæculo; Chrysostomus quarto, Theodoretus, & Gennadius, quinto, Eulogius Alexandrinus, sexto; Photius, nono, Oecumenius undecimo; Simeon Thessalonicensis duodecimo. Unde patet Morinum hallucinari, dum propugnat Græcos solum chrisma adhibuisse in collatione hujus Sacramenti.

Tertio, ex Conciliis.

PRIMUM Concilium quod non obscure hanc indigitat veritatem, est Illiberitanum; sic autem legitur can. 34. " Peregre navigantes, aut si Ecclesia non fuerit, posse fidelem, qui lavacrum suum „ integrum habet, nec sit bigamus, baptizare in necessitate infirmitatis positum Catechumenum, ita ut si supervixerit, ad Episcopum eum perducat, ut „ per manus impositionem perfici possit. „

Secundum est Arelatense I. can. 8. ubi de Afris sermonem instituens ait: " Et si „ perviderint eum in Patre, & Filio, & „ Spiritu sancto baptizatum, manus ei „ tantum imponatur, ut accipiat Spiritum sanctum. „

Meminit impositionis manuum Concilium Hispalense II. c. 7. recensendo enim ea quæ prohibita sunt Presbyteris, ait, cos: " Nec per impositionem manus Fidelibus „ baptizatis, vel conversis ex hæresi paracletum Spiritum tradere. „

Concilium Parisiense VI. L. 1. c. 33. sic habet: " Dignum quippe est, ut Pontifices Christi, primum jejunando & orando in cordibus suis domum præparent „ Spiritui sancto, & sic per impositionem manuum ceteris Fidelibus eum „ tradant orando. „

Synodus Moguntina anno 1569. celebrata ita loquitur: " Ut erant a Christo promissa ipsis Apostolis in die Pentecostes „ exhibita; & ab eisdem per manus impositiunem in alios transfundi cœpta, „ actus ipsorum satis testantur. Unde Ecclesia Catholica Spiritum sanctum per „ manus Episcoporum, Fidelibus tradendi normam accepit. „

Suffragatur Concilium Rhemense an. 1583. titulo de Confirmatione; nec non & Narbonense an. 1580. habitum: " Sanctorum Patrum, *inquit*, institutionibus „ constat nos in Baptismo regenerari ad „ vitam, & post Baptismum in hoc Sacramento, quo per impositionem manuum Episcopi Spiritus sanctus diffunditur in corda Fidelium, robur, atque „ fortitudinem dari. „

Ma-

Manuum impositio essentialis Confirmationi est distincta ab unctione manu Episcopali facta in fronte.

Probatur auctoritate, & ratione.

TAMETSI Episcopus qui ungit, imponat manum, tamen in Scriptoribus Ecclesiasticis impositionis manuum nomine intelligitur peculiaris quædam actio qua sursum manus elevatur super aliquem. Igitur illa impositio est essentialis, & quidem ab impositione manus ungentis prorsus distincta.

Primo, utrumque sejungit Tertullianus libro de resurrectione carnis capit. 8. his verbis: " Caro ungitur ut anima consecretur, caro signatur ut & anima muniatur; caro manus impositione adumbratur, ut & anima spiritu illuminetur. "

Ita similiter S. Cyprianus Epist. 72. ad Jubajanum: " Nunc quoque, *ait*, apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, Præpositis Ecclesiæ offerantur, & per nostram orationem, & manus impositionem Spiritum sanctum consequantur, & signo Dominico consumentur. " Signaculum autem illud, est sacrum chrisma quod ibi distinguitur ab impositione manuum.

Idem docet Alcuinus capite de Sabbato Paschæ ex more Romano his verbis: " Dicit Pontifex super eos orationem, imposita scilicet manu super capita eorum.... finita oratione facit crucem de chrismate cum pollice in singulorum frontibus. "

Eis accedit Rabanus Maurus Lib. 1. de inst. Cleric. hoc modo: " Novissime autem a summo Sacerdote per impositionem manus Paraclitus illi traditur Spiritus sanctus; signatur enim baptizatus cum chrismate per Sacerdotem in capitis summitate, per Pontificem vero in fronte. "

Eamdem prodit veritatem S. Gregorius in suo Sacramentario, in quo quidem refertur ritus baptizandi, & confirmandi. Eo loci scribit Episcopum levatam manum habere super confirmandos. " Et levata manu sua super capita eorum. " Fundere super eos orationem, qua recitata, pollice in chrismate tincto imprimere crucem fronti uniuscujusque. Idem legitur in Pontificali Romano.

Æthyopes, qui Alexandrinam Ecclesiam imitantur, utrumque ritum usurpant, & alterum ab altero distinguunt, ut constat ex ordine Baptismi, & Confirmationis, qui latine editus est tom. 6. Bibliothecæ Patrum; hinc Ecclesia etiam nunc præmittit manuum impositionem Chrismationi.

His adde luculentas rationes. Primo nemo cordatus dixerit unctionem verticalem quæ fit in Baptismo, esse manus impositionem, tametsi fiat manu Presbiteri a quo Baptismus administratur: Igitur nec unctio baptizati in fronte manu Episcopi facta, manus impositio censeri debet. Secundo quilibet contactus manus, non est manus impositio: Igitur unctio Episcopalis non est manus impositio, eo quod manu fiat. Antecedens constat ex eo, quod Extrema-Unctio numquam vocetur impositio manuum, licet hujus Sacramenti concomitetur ministrationem: similiter ablutio facta in Baptismo, non appellatur manus impositio, quamvis Minister abluens tangat baptizatum.

Chrismatis unctio est altera pars essentialis Sacramento Confirmationis.

Probatur multis momentis.

Primo, ex Patribus Latinis.

PRÆIT omnibus Tertullianus, qui libro de Baptismo c. 7. sic habet: " Exinde egressi de lavacro perungimur benedicta unctione .... sic & in nobis carnaliter currit unctio, sed spiritualiter proficit: quomodo & ipsius Baptismi carnalis actus, quo in aqua mergimur; spiritualis effectus. " Ibi ut claret, effectum spiritualem tribuit unctioni, sicut & aquis, & consequenter eam partem esse essentialem Confirmationis arbitratur.

Tertullianum sequitur Cyprianus Epist. 70. ad Januarium his verbis: " Ungi quoque necesse est eum qui baptizatus sit, ut accepto chrismate, id est, unctione, esse unctus Dei, & habere in se gratiam Christi possit. " Unctio ex illo Pa-

tre

tre confert gratiam, & sic est pars essentialis hujus Sacramenti.

Suum eis addit suffragium Optatus Lib. 7. adversus Donatistas, ubi reprehendit Machar. quemdam Episcopum quod chrismationem in confirmando omisisset. Tum ibidem sic loquitur: " Oleum.... confe„ ctum jam Chrisma vocatur in quo est „ suavitas, quæ cutem conscientiæ mol„ lit, exclusa duritie peccatorum, quæ „ animum innovat lenem. „ Hæc verba virtutem inesse oleo indigitant. Jam dixerat Lib. 4. de Christo: " Descendit in „ aquam, non quia erat quod in Deo „ mundaretur, sed venturum oleum aqua „ debuit antecedere ad Mysteria initian„ da, & ordinanda, & implenda Bapti„ smatis. „ Loquitur de Confirmatione quæ erat Baptismi complementum.

Favet Patianus Barcinonensis sermone ad Fideles, & Catechumenos de Baptismo: " Lavacro, *inquit*, peccata purgan„ tur, chrismate Spiritus sanctus super„ funditur. " Quod autem tribuit Spiritum sanctum, est de essentia Sacramenti.

Ejusdem est Labii S. Ambrosius Libr. 2. de initiand. cap. 6. " Post hæc utique a„ scendisti ad Sacerdotem, considera quid „ secutum sit, nonne illud, quod ait Da„ vid: Sicut unguentum in capite, quod „ descendit in barbam, prope barbam Aa„ ron, hoc est, unguentum. „

Eodem modo loquitur S. Augustinus de Chrysmate ac de Baptismo Lib. 2. contra litteras Petiliani capit. 104." In hoc un„ guento, *ait*, sacramentum Chrismatis, „ vultis interpretari, quod quidem inge„ nere visibilium signaculorum sacro-san„ ctum est, sicut ipse Baptismus. „

Testimonia Ecclesiæ Græcæ.

MENTEM hujus Ecclesiæ exponunt Patres Concilii Laodicæni can. 48. his verbis: „ Oportet eos qui illuminantur post „ Baptismum inungi supercœlesti chri„ smate, & esse regni participes. „ Ibi ut patet, Patres Laodicæni docent chrismate hominem adipisci regnum cœlorum, quod non posset fieri, nisi foret pars essentialis hujus Sacramenti. Hinc Zonaras commentario ad hunc canonem sic loquitur: " Cœleste chrisma appella„ vit, quippe quod & sacris precationi„ bus, & sancti Spiritus invocatione san„ ctificatum sit, & qui eo inunguntur, „ sanctos ac regni cum Christo participes „ efficiat. „

Eodem modo loquitur S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 4. mystagog. ubi sermonem faciens de Christo, ad Catechumenos sic habet: " Ille spiritali oleo „ exultationis unctus est, hoc est Spiritu „ sancto. Vos vero uncti estis unguento „ facti participes, & consortes Christi... „ Corpus quidem isto visibili unguento „ perungitur, anima vero sancto, vivifi„ coque spiritu sanctificatur. „

Vel ipse Theodoretus Libr. 1. in cant. pag. 279. col. 1. " Sacri Baptismatis my„ sterium, *ait*, recordare, in quo qui ini„ tiantur, post Satanæ abnegationem, & „ Dei confessionem, veluti signo, ac no„ ta quadam regia, spiritalis unguenti „ chrismate inuncti, sub ea visibili un„ guenti specie, invisibilem sanctissimi „ Spiritus gratiam suscipiunt. „

His adde Euchologium editum Venetiis ann. 1636. in quo relata oratione qua Sacerdos Deum deprecatur, ut in vivifico chrismate divinam sanctificationem tribuat, & ut concedat illi signaculum doni sancti: postea ungit sancto unguento baptizatum, facit crucis figuram in fronte, in oculis, & in naribus, & in ore, & in utraque aure, & in pectore, & in manibus, & in pedibus, dicens, *signaculum Spiritus sancti*. Idem habetur in antiquiss. MS. Barberino; sic ille codex: " Et „ oratione finita, dicit, Quicumque in „ Christo baptizati estis, Christum indui„ stis, ungitque Sacerdos baptizatos sacro „ unguento...... dicens *Signaculum doni* „ *Spiritus sancti*. „ Idem de verbo ad verbum habetur de Patriarcha confirmante in antiquissimo manuscripto Monasterii Cryptæ Ferratæ, idem in codice Vaticano.

Ita similiter Cabasilas translatus, & relatus ab Arcudio: " Quippe, *inquit*, im„ ponentibus manus Apostolis sacramento „ Baptismatis imbutis Spiritus exhibeba„ tur: nunc similiter in unctos Paracle„ tus accedit. „

Ora-

Oracula Conciliorum.

In Concilio Constantiensi Sess. 14. inter errores Joannis Hus hic numeratur, & proscribitur: *Quantum ad oleum quo Episcopi ungunt pueros videtur quod sit ritus levis, non habens fundamentum in Scriptura sacra, & quod ista confirmatio introducta super Apostolos blasphemat in Deum*. Contradictoria hæc est, *oleum quo Episcopi ungunt, non est ritus levis, habetque fundamentum in Scriptura*, quod non obscure indicat chrisma esse materiam hujus Sacramenti.

Hæc in Decreto pro Armenis in Concilio Florentino leguntur: " Secundum „ Sacramentum est Confirmatio, cujus „ materia est chrisma confectum ex oleo „ quod nitorem significat conscientiæ, „ & balsamo quod odorem significat bonæ famæ. „

Denique, Concilium Tridentinum Sess. 7. de Confirmatione can. 2. sic ait: *Si quis dixerit injuriosos esse Spiritui sancto qui sacro Confirmationis chrismati virtutem aliquam tribuunt, anathema sit*. Si igitur chrisma est sacrum, & virtute donatur, haud dubie est materia Confirmationis, inde patet falsitas opinionis Sanbovii, chrisma esse dumtaxat de integritate hujus Sacramenti propugnantis.

CONCLUSIO SECUNDA.

Materia proxima Sacramenti Confirmationis, est applicatio materiæ.

Probatur isto brevi ratiocinio. Sacramentum Confirmationis fit & consistit in usu materiæ: sed applicatio materiæ sub præscripta verborum forma est ipse materiæ usus; ita ut acta & translata ista applicatione, verum est dicere, nunc est Confirmationis sacramentum, immediate vero antea non erat. Igitur materia proxima est applicatio materiæ.

Solvuntur Objectiones.

Objicies primo contra primam partem conclusionis: Innocentius Papa III. capite, *Cum venisset*, de sacra unctione scribens ait: " Per frontis chrismationem „ designari manus impositionem Apostolorum. „ Similiter Eugenius IV. in Decreto pro Armenis asserit: " Loco „ manus impositionis per quam Apostoli „ dabant Spiritum sanctum, in Ecclesia „ dari Confirmationem. III. in Pontificali Romano, nulla fit mentio impositionis manuum, hoc enim unum in eo legitur. Tum extensis versus confirmandos manibus. „ Extensio autem non est manuum impositio: igitur non est essentialis sacramento Confirmationis.

Respondeo ad primum, illud unum dumtaxat Innocentium intendere, scilicet Sacramentum quod prioribus sæculis, nomine impositionis manuum vocabatur, posterioribus chrismationis aut Confirmationis nomine fuisse donatum, quod claret ex ipsius verbis: " Per frontis chrismationem, *inquit*, manus impositio designatur, quæ alio nomine dicitur Confirmatio. „ Hoc est tria hæc nomina; frontis unctio, manus impositio, & Confirmatio, unam eamdemque rem significant.

Ad secundum eadem est mens Eugenii, ac Innocentii III. Ibi enim tantum loquitur de nomine. Quare sensus decreti ab eo editi, hic est, Sacramentum quod Apostolorum tempore vocabatur impositio manuum, decursu temporum relative ad effectum quem operatur, dictum est Confirmatio; unde non dicit Pontifex unctionem, sed Confirmationem unctioni manuum successisse.

Ad tertium dico his terminis: " Extensis versus confirmandos manibus. „ Et ut habet hodiernum Pontificale, *levata manu*, sicut legitur in sancti Gregorii Sacramentario, idem significari ac si legeretur: " Impositis supra confirmandos „ manibus, extensio enim est manus impositio, ita Augustinus L. 3. de Baptismo c. 16. quid est, inquit, aliud manus impositio, quam oratio super hominem. „

Insistes: Græcis, aliisque Orientalibus ignota est manuum impositio: Ergo &c. Probatur antecedens. Multi Patres Græci inter quos fulget sanctus Cyrillus Hierosolymitanus, & post ipsum Cabasilas solam unctionem olei commemorant, eodem prorsus modo se explicant circa istud mo-

momentum varia Euchologia relata a Morino; non absimilia continet confessio Ecclesiæ Orientalis, a Nectario Patriarcha Hierosolymitano data an. 1662. quæque approbata est ab aliis Sedibus: art. 104. sic habet: " Hæc unguenti unctio, „ seu unctionis efficacia ævo Apostolico, „ per impositionem manuum fiebat, ut „ habetur Actuum 4. postmodum un- „ ctione unguenti fieri cœpit. „ Ergo &c.

Respondeo falsum esse impositionem manuum nusquam fuisse frequentatam in Ecclesia Græca; ex omnibus enim ferme sæculis Scriptores illam non omittunt. II. Tametsi Doctores modo laudati nihil dicant de impositione manuum, non inde sequitur, illam non esse necessariam fuisse arbitratos, quippe quæ includatur in oratione advocatoria Spiritus sancti, quam omnes Græci Præsules extendendo manus supra confirmandos adhibuerunt, hæc autem in omnibus eorum Euchologiis continetur. Si tamen recentiores Græci eam nunc non adhibent, eorum est error peculiaris, antiquis ignotus.

Oppones II. contra secundam conclusionis partem: Ab octavo sæculo plerique Scriptores Ecclesiastici unctionem per impositionem manuum Episcoporum fieri declarant: Igitur non putant eam distingui a chrismatione. Probatur antecedens: Venerabilis Beda in Psal. 26. sic loquitur: " Unctio quæ per manus impositionem fit „ ab Episcopo vulgo Confirmatio dici- „ tur. „ Carolus Magnus capitulari 18. præcipit ne quis a Co-episcopis per manus impositionem se confirmari, vel consignari sinat. Docet Amalarius illum ab Episcopis solis inungendum esse, qui vult Sacramentum impositionis manuum ab Apostolis præceptum recipere; ita pariter Haymo Alberstatensis in feriam secundam Paschæ, Rupertus L. 5. de divinis officiis c. 16. Yvo Carnotensis sermone de convenientia novi & veteris Testamenti, Hugo a sancto Victore L. 2. p. 15. demum Innocentius III. Ergo &c.

Confirmatur: Hæc verba in Scriptura sacra, tangere, benedicere, manus imponere synonime usurpantur. Sic Matth. 9. Jairus rogat Christum juxta textum Græcum, versionem Vulgatam, & Syriacam, ut imponat manus super filiam; & tamen ibidem narratur Christum apprehendisse solum manum ejus; & *tenuit manum ejus*, inquit Scriptura, *& surrexit puella*. Igitur pro eodem accipitur & tangere, & manus imponere.

Respondeo frustra adhiberi testimonium Auctorum octavi sæculi, cum certo certius sit illis temporibus manuum impositionem fuisse realiter ab unctione distinctam. Hoc ipsum patet ex Ordine Romano, ex Rabano Mauro, & aliis Auctoribus qui Ordinem Romanum & secuti, & interpretati sunt. Sic autem habetur in illo ordine: " Pontifex veniens „ ad infantes elevata, & imposita manu „ super caput eorum dicit orationem „ super eos; deinde oratione expleta, „ tincto pollice in chrismate, facit cru- „ cem in frontibus singulorum, ita di- „ cendo, confirmo te. „ Cum ergo memorati Scriptores ajunt per manus impositionem baptizatos consignari, nomine impositionis intelligunt integrum Confirmationis ritum, a præcipua vero parte illud Sacramentum denominant.

Ad id demum quod ex Scriptura sacra profertur, dico illud nostram non infirmare assertionem, nec enim probat non dari impositionem distinctam a contactu, vel benedictione. Equidem rogavit Christum Jairus, ut manus imponeret, sed Salvator æquum non duxit ejus filiam eodem modo sanare: Sic in aures surdi & muti digitos immisit, & tamen oraverant illum parentes, ut ei imponeret manus.

Instabis: Sancti Patres ut Cyprianus Epist. 73. Augustinus L. 5. de Trinitate c. 15. & alii dicunt per chrismationem dari Spiritum sanctum. Ergo &c.

Respondeo distinguendo: Per Chrismationem datur Spiritus sanctus tamquam per partem inadæquatam, concedo: adæquatam, nego: hoc ultimo sensu chrismatio est pars essentialis Confirmationis.

Objicies III. contra tertiam partem. Apostolorum tempore sola manuum impositio erat adæquata, & essentialis materia Confirmationis; de ea enim solum fit mentio Act. 8. Igitur unctio non est de ejus essentia.

Respondeo cum D. Thoma, quod cum chrismatio significet descensum invisibilem

lem Spiritus sancti, illam materiam tunc non fuisse necessariam ad significandum illum effectum, cum Spiritus sanctus visibiliter descenderet super confirmatos; cum autem postea visibili modo illapsus non fuerit, Ecclesia debuit hanc usurpare materiam, quæ robur spirituale collatum per illud Sacramentum designaret, illud autem apprime denotat unctio chrismatis. Quia vero Christus Dominus non determinavit in particulari hujus Sacramenti materiam, reliquit hoc faciendum Ecclesiæ, quæ hanc selegit: Prioribus autem sæculis chrismationem adhibitam fuisse ex auctoritatibus Patrum, & Conciliorum eruitur.

Instat Syrmundus: Primus primi Concilii Arausicani canon habet: " Nullum „ Ministrorum, qui baptizandi recipit officium, sine chrismate usquam debere „ progredi: quia inter nos placuit semel „ chrismari. De eo autem qui in Baptismate, quacumque necessitate faciente „ non chrismatus fuerit, in Confirmatione Sacerdos commonebitur, nam inter „ quoslibet chrismatis ipsius non nisi una benedictio est, non ut præjudicans „ quicquam, sed ut non necessaria habeatur repetita chrismatio. „ Ex quibus sic arguit ille Theologus: Si unctio esset pars essentialis sacramenti Confirmationis, Concilium duplicem distingueret chrismationem, scilicet baptismalem, & confirmativam, diversamque benedictionem esse pronunriaret. Atqui tamen non facit. Ergo &c. Confirmatur: Asserit Synodus illa quod quando chrismatio facta est in baptismate, non sit reiteranda ab Episcopo confirmante. Ergo &c.

Respondeo opponendo editionem vetustiorem editioni Coloniensi, quam sequutus est Syrmundus; hæc autem facta est ex Manuscriptis, ad quorum fidem Gratianus, Merlinus, Surius, Crabus, & Binius suas editiones adornarunt, quæ quidem differt ab altera his verbis: " Placuit semel in Baptismate chrismari.... „ (deinde) Inter nos chrismatis ipsius, „ non nisi una est benedictio; non ut „ præjudicans quicquam dico, sed ut necessaria habeatur chrismatio repetita. „ ibi ut patet in duobus differt hæc editio; Syrmundus simpliciter legit (*placuit semel chrismari*) altera, addit (*in Baptismate*) secunda ponit particulam (*non*) altera, non admittit. Hic ergo est sensus canonis; si Diaconus baptizaverit, & non chrismaverit, chrismet Sacerdos priusquam Episcopus confirmando unctionem faciat, vel ille Episcopus verticalem prius faciat chrismationem, deinde frontalem; mens enim Ecclesiæ est, ut omissæ Baptismi cæremoniæ suppleantur, vel a Presbytero, vel ab Episcopo, ita præcepit Innocentius III. cap. *Pastoralis*: hæc ergo canonis interpretatio chrismationis non nisi una benedictio est; id est chrisma sive quod Baptismum, sive quod ad Confirmationem adhibetur, ab Episcopo consecratur: illa autem verba: *non præjudicans quidquam*, significant chrismationem quæ fit in vertice, non præjudicare frontali, quæ fit in Confirmatione.

Dices: Manus impositio sola etiam multis sæculis fuit in usu: labente enim sæculo 6. chrismatis unctio non censebatur vel apud ipsos Occidentales essentialis materia Confirmationis, quandoquidem Arianis in Ecclesia Larira Confirmatio sola manuum impositione conferebatur juxta illa Gregorii Magni verba L. 4. Epist. 61. ad Quirinum, & alios Catholicos Iberiæ Episcopos: " Arianos, per impositionem manus, Occidens; per unctionem vero sancti chrismatis Oriens „ reformat. „ Ergo &c.

Respondeo distinguendo: Et loquitur Gregorius de manuum impositione reconciliativa, qua Ariani pœnitentes recipiebantur, concedo: chrismativa, nego; sed dato; & non concesso tunc temporis Hæreticos quandoque fuisse impositione manuum confirmatos, non tamen omnes, ut patet ex Concil. 1. Arausic. can. 2. his verbis: " Hæreticos in mortis discrimine positos, si Catholici esse desiderant si desit Episcopus a Presbyteris „ *tamquam Ministris extraordinariis* cum „ chrismate & benedictione consignari „ placet. „ Idem dicit Arelatense 2. can. 17. Ergo &c.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Materia adæquata Confirmationis remota est manuum impositio cum chrismatione.

PRIMO : Act. 8. Apostoli imponebant manus, & absque mora Spiritus sanctus descendebat super Fideles. Cyprianus Epist. 73. Chrysostomus in caput laudatum assignant pro materia hujus Sacramenti impositionem manuum. De chrismatione vero loquitur Tertullianus Lib. de Bapt. c. 7. Optatus Milevitanus Lib. 7. contra Donatistas.

Secundo : Concilium Tridentinum & Florentinum assignant utrumque pro materia hujus Sacramenti. Florentinum quidem in Decreto unionis : Tridentinum vero Sess. 7.

Tertio : Impositione manuum optime designatur robur & Spiritus sancti descensus : per chrismationem vero gratiæ plenitudo, quæ quidem ad robur prærequiritur.

SYNOPSIS OBJECTIONUM ET SOLUTIONUM.

PRIMO : Incassum aliqui impositionem manuum cum actione chrismativa confundunt, cum auctoritates in probationibus laudatæ contrarium aperte manifestent; hinc loca alia paululum obscuriora unum solummodo indigitant, videlicet Sacramentum quod prioribus sæculis impositio manuum nuncupabatur, decursu temporum nomine chrismationis celebratum fuisse.

Secundo : Quod Scriptura nihil præter impositionem manuum commemoret, arguit solum tempore Apostolorum Sacramentum Confirmationis solam manuum impositionem pro materia habuisse; quia vero Christus reliquit Ecclesiæ potestatem determinandi materiam hujus Sacramenti in individuo, optime sequititur chrismationem habere etiam rationem partis essentialis.

Tertio : Frustra Syrmundus objicit unctionem non esse de essentia Sacramenti Confirmationis, eo quod Canon 1. Concilii I. Arausf. solum commemoret chrismationem Bapsmi verticalem: sed hallucinatur maxime, quandoquidem non loquitur Concilium nisi de chrismatione verticali omissa in Baptismo, non excludendo confirmativam; illam prius a simplici Sacerdote vult suppleri: tum modo solito & in Ecclesia tunc usitato, fidelem confirmari & chrismari per Episcopum.

SECTIO SECUNDA.

Quanam ex iis ex quibus Chrisma conficitur, sint essentialia : & cui competat illud conficere?

NOTANDUM est primo chrisma esse vocem græcam, quæ unctionem significat; venit quippe a verbo græco χρίω quod latine significat *ungo*: hinc in Epistola Innocentii ad Decentium, materia unctionis infirmorum, quæ est oleum purum, chrisma nuncupatur : porro unguentum illud est mixtura quædam ex oleo & aliquibus aliis.

Jam vero illud oleum, juxta divum Thomam 3. part. q. 72. art. 2. ad 3. debet esse olivarum: " Nam, *inquit*, pro„ prietates olei quibus significatur Spiri„ tus sanctus, magis inveniuntur in oleo „ olivarum, quam in quolibet alio oleo: „ unde & ipsa oliva semper frondibus „ virens, virorem & misericordiam Spi„ ritus sancti semper significat. Hoc et„ iam oleum proprie dicitur oleum, & „ maxime habetur in usu. „ Huic immiscetur balsamum : Judaicum sit vel Persicum, perinde est. Ita Eugenius IV. in Decreto de unione Armenorum : " Materia Confirmationis est, *inquit*, „ Chrisma confectum ex oleo quod nito„ rem significat conscientiæ, & balsamo „ qui odorem significat bonæ famæ. „ Ita Pontificalia Ecclesiarum Occidentalium, & Scriptores Ecclesiastici, qui de ritibus sacris tractaverunt, scilicet Honorius Augustodunensis Lib. 1. de antiquo Missæ ritu c. 81. Rupertus Lib. 3. de divinis Officiis c. 16. Liber Sacramentorum Divi Gregorii Magni, Amalarius, Fortunatus Lib. de Ecclesiasticis officiis c. 12.

Græci, ut subindigitant eorum Euchologia, præter oleum & balsamum, triginta quinque genera herbarum fragrantis odoris

odoris admiſcent, una cum vini quadam quantitate: ſpecies autem illas omnes infra Quadrageſimam coacervant; & primo, ſtatutis diebus, per miniſtros ad id deſtinatos tundunt, ac cribrant: tum compoſitionem faciunt, demum decoctionem, decoctumque ac confectum unguentum ſervant uſque ad feriam quintam in Cœna Domini, qua illud conſecrant ritu ſolemni; ita legitur in antiquo Euchologio Barberino ante octingentos circiter annos exarato: & ſic illa mixtio a Græcis Catholicis fluxit. Id etiam colligitur ex ſancto Cyrillo Jeroſolymitano Catech. Myſtag. ibi enim unguentum illud comparat unguento Moſaico ex variis aromatum ſpeciebus conflato, quo quidem Sacerdotes & Reges ungebantur.

Non abſimili modo Syri, ut innuit Severus de ritu Baptiſmi, unguentum ad confirmandos Fideles præparant; in id tendit vox τὸ μύρον qua Græci utuntur, quæ ſignificat compoſitionem ex variis odoribus & liquoribus cum oleo mixtum, ſuavem ſpirans odorem. Commixtio illa fuit etiam in uſu apud Afros, juxta Optatum Mil. Lib. 7. contra Donatiſtas.

De confectione unguenti pretioſi pro materia Confirmationis aſſumpti audiendus eſt S. Dionyſius, qui Lib. de Eccleſ. Hierar. c. 4. his verbis mirabilem hanc materiam delineat: " Dicimus igitur „ unguenti confectionem eſſe collectio„ nem quamdam ſuaviter ſpirantium ma„ teriarum, quæ in ſe magnam vim & „ copiam fragrantium qualitatum conti„ neat, cujus, qui facti ſunt participes, „ odorem bonum eſſe afflant propor„ tione fragrantis communionis quæ eis „ ineſt. „

Obſervandum II. modum unctionis faciendæ diverſum eſſe in Eccleſia Romana, & in Eccleſiis Orientalibus: unctio enim chriſmatis in Eccleſia Latina fit tantum in fronte; Græci vero ungunt primo frontem, deinde oculos, nares, os, utramque aurem, pectus, denique manus, & pedes. Ita canon 7. ſecundi Concilii generalis, & canon 95. Concilii in Trullo.

Idem confirmatur ex ſancto Cyrillo Jeroſol. Syri, Alexandrini & Æthyopes inungunt adhuc plura quam Græci corporis membra; ſcribit quippe Severus in fine ritus Baptiſmi, Sacerdotem ſacro unguento inungere: " Omnia baptizatorum „ membra, eorumque frontem tribus vi„ cibus. „ In ordine Æthyopico adminiſtrationis Sacramenti Confirmationis ſigillatim enumerantur corporis partes quæ ſacro unguento in figuram crucis liniuntur: ſcilicet frons, dorſum, oculi, nares, labia, aures, os, ſtomachum, tibiæ, ulnæ, genua & omnes juncturæ eorum, planta pedum & ſpina.

Prænotandum eſt III. Chriſma quod in utraque Eccleſia adhibetur in Confirmatione, eſſe benedictum ſeu conſecratum; hinc enim appellatur a Concilio Tridentino Chriſma ſacrum. His præmiſſis ſit

CONCLUSIO PRIMA.

Admixtio balſami cum oleo eſt tantum de præcepto Eccleſiæ.

Probatur auctoritate & ratione.

PRIMO: Si balſamum foret de neceſſitate præcepti divini, ſummi Pontifices Paulus III. & Pius IV. non permiſiſſent Miſſionariis ut in India, ubi balſamum Syriacum non creſcit, illius regionis aromata balſamo non multum abſimilia oleo miſcerent ad Sacramentum illud conficiendum: cujus diſpenſationis fidem faciunt Henriquez Lib. 3. de Confirm. c. 2. & Suarez de Confirm. art. 4. ſect. 1. Ergo &c.

Secundo: Sancti Patres Sacramentum Confirmationis vocant Sacramentum olei, nihil dicendo de balſamo. Ita Tertullianus Lib. 3. contra Marcionem c. 14. Auguſtinus Lib. 15. de Trinit. c. 26. & Lib. 17. de civ. Dei c. 10. ibi enim comparat chriſma cum chriſmate quo Reges in veteri lege ungebantur. " Dicebantur, *in„ quit*, Chriſti a chriſmate. „ Certum eſt autem quod ſolo oleo Reges illi ungerentur. Ergo &c.

Tertio: Innocentius III. extrav. de Sacramentis non iterandis, cap. *Paſtoralis*, conſultus an Confirmatio data cum ſolo oleo valida eſſet? " In talibus, *ait*, non „ eſt aliquid iterandum, ſed caute ſup„ plendum quod incaute fuerat omiſſum. „ Unde ſic argumentor: Si Confirmatio

collata sine balsamo non valeret, dubio procul injunxisset summus Pontifex Sacramentum iterare, quod tamen non fecit: Sequitur igitur balsamum non esse de substantia Sacramenti.

CONCLUSIO SECUNDA.

Ad Episcopos solos pertinet chrisma conficere.

Probatur auctoritate Conciliorum.

PRIMO: in Concilio Carthagin. II. can. 2. hæc leguntur: " Chrismatis confectio, „ & puellarum consecratio a Presbyteris „ non fiant. „ In tertio can. 36. dicitur: " Ut Presbyter, inconsulto Episcopo, „ virgines non consecret, chrisma vero „ numquam conficiat. „ Toletanum I. can. 20. sic ait: " Placuit ex hac die „ nullum alium nisi Episcopum chrisma „ conficere. „ Idem vetat Concilium Meldense can. 44. idem Hispalense II. can. 7.

Inferes primo, chrismatis consecrationem non esse necessariam necessitate Sacramenti, sed dumtaxat præcepti Ecclesiastici; nullum quippe est fundamentum in Scripturis astruendi hanc consecrationem esse de jure divino, immo nec in Conciliis aut in traditione apparet.

Secundo, nunc esse in more positum chrisma consecrari feria quinta in Cœna Domini, tametsi quondam usus obtinuisset illud omni die conficere, ut colligitur ex can. 20. Concilii I. Toletani; ideo autem hæc dies fuit assignata, quia, inquit Rupertus, agnus hac die immolabatur, & ejus sanguine postes obsignabantur: vel ut habet S. Thomas 3. part. q. 72. art. 12. ad 3. " Dies ille satis congruit ad materias Sacramentorum benedicendas, in quo fuit Eucharistiæ Sacramentum institutum, ad quod omnia „ alia Sacramenta ordinantur. „

SYNOPSIS CONTENTORUM.

Admixtio balsami cum oleo est tantum de præcepto Ecclesiastico, & ad solum Episcopum spectat chrisma conficere.

PRIMUM patet, cum summi Pontifices, Paulus III. & Pius IV. permiserint Missionariis ut in India, ubi balsamum Syriacum non crescit, illius regionis aromata balsamo non multum absimilia miscerent: tum quia plures Patres, ut Tertullianus Lib. 3. contra Marcionem cap. 14. & Augustinus Lib. 15. de Trinit. cap. 26. solum commemorent oleum.

Secundum utique claret: sic enim definivit Concilium Carthaginense II. can. 2. Toletanum I. can. 20. Meldense can. 44. tum & Hispalense II. can. 7.

ARTICULUS TERTIUS.

De Forma Sacramenti Confirmationis. Quæritur in quo consistat.

CIRCA formam Sacramenti Confirmationis varia sunt Hæreticorum placita. Kemnitius in examine Concilii Tridentini contra ipsam insurgit, dicendo, neque ab Apostolis fuisse usurpatam, neque in antiquis Scriptoribus exprimi, sed fabricatam fuisse a posteris, vel saltem adulteratam. Videmus, inquit Calvinus institut. lib. 4. c. 29. oleum crassum & pingue, prætereaque nihil; ubi autem Dei verbum, quod Spiritus sancti præsentiam hic promittat? ne jota ostendere possunt. Marcus Antonius de Dominis l. 5. de Republica Eccles. c. 5. n. 44. dicit ex Scriptura nihil certi haberi, quibus verbis sit utendum, vel usi sint Apostoli in danda Confirmatione; ita similiter Dallæus lib. 1. c. 11.

De verbis quibus forma debet constare disceptant inter se Theologi: cum enim duplex sit hujusce Sacramenti materia inadæquata, qui illam admittunt duplicem, pariter utrique materiæ formam correspondentem agnoscunt; impositioni quidem manuum orationem Spiritus sancti advocatoriam, quam fundit Episcopus, dum imponit manus supra confirmandos; deinde vero cum ungit chrismate frontem singulorum, verba ab ipso prolata; eamque unctionem denotantia, pro altera forma recipiunt: quæ quidem licet in substantia idem sonent, diversa tamen sunt in diversis Ecclesiis. Voluit quidem

dem Christus ut oratio foret hujus Sacramenti forma: sed in potestate Ecclesiæ reliquit eam in individuo determinandi. Hanc juxta varias regiones & tempora, variis modis expressit.

Ex Græcis Gabriel Philadelphiæ in suo tractatu de Sacramentis, docet formam Sacramenti Confirmationis esse verba quæ dicuntur a Pontifice super unguentum, quando illud consecrat. His positis, fit

CONCLUSIO.

Forma Confirmationis est oratio advocatoria Spiritus sancti supra confirmandos, quæ duplici materiæ correspondet, quam tamen Ecclesia vario modo, pro variis temporibus ac regionibus expressit, vel duplicavit.

Probatur multipliciter.

PRIMO ex Scriptura sacra: Act. 8. hæc leguntur: *Cum autem audissent Apostoli qui erant Jerosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Joannem: qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum .... Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum.* Eo loci fit mentio de materia & forma Confirmationis; ibi manus impositio tenet locum materiæ: oratio vero locum formæ.

Confirmatur: Sanctus Jacobus Apostolus promulgando Sacramentum Extremæ-Unctionis utitur his verbis: *Et orent super eum ... & oratio fidei alleviabit infirmum.* Inde colligit S. Thomas formam hujus Sacramenti esse deprecatoriam. Igitur a pari idem dicendum de Confirmatione.

Secundo ex Patribus. Tertullianus L. de Baptis. capit. 8. sic habet: " Dehinc „ manus imponitur, per benedictio- „ nem, advocans & invitans Spiritum „ sanctum. „ Quid clarius? S. Cyprianus Epist. 73. " Ut, *inquit*, qui in Ecclesia „ baptizantur Præpositis Ecclesiæ offeran- „ tur, & per nostram orationem, ac ma- „ nus impositionem Spiritum sanctum „ consequantur. „ Similia tradit sanctus Ambrosius, seu auctor librorum de Sacramentis. 3. c. 11. " Sequitur, *ait*, spi- „ ritale signaculum, quia post fontem su- „ perest ut perfectio fiat, quando ad in- „ vocationem Sacerdotis Spiritus sanctus „ infunditur. „

Suum addit calculum S. Hieronymus Dial. adversus Luciferianos, ubi de Luciferiano respondet: " Non abnuo hanc „ esse Ecclesiarum consuetudinem ... ut „ Episcopus ad invocationem Spiritus „ sancti manum impositurus excurrat. „ Ejusdem est Labii sanctus Augustinus L. 15. de Trinitate c. 26. his verbis: " Ne- „ que enim aliqui Discipulorum ejus de- „ dit Spiritum sanctum: orabant quippe „ ut veniret ad eos, quibus manum im- „ ponebant, non ipsi eum dabant: Quem „ morem in suis Præpositis nunc servat „ Ecclesia. „

S. Isidorus L. 6. originum c. ultimo hæc de hoc momento scribit: " Manus impo- „ sitio ideo fit, ut per benedictionem ad- „ vocatus invitetur Spiritus sanctus. „

Tertio ex Pontificalibus plurimarum Ecclesiarum, in quibus ubi agitur de ritu administrandæ Confirmationis, non nisi de formis deprecatoriis sermo habetur. Sacramentarium S. Gregorii Romæ editum, nihil habet præter orationem, quæ incipit ab his verbis: " Omnipotens sempiterne Deus, qui re- „ generare dignatus es hos famulos „ tuos ... emitte in eos septiformem Spi- „ ritum; tum Pontifex tincto pollice in „ chrismate, facit crucem in fronte unius, „ similiter in omnes sigillatim. „ Vetus Ordo Romanus, ut refertur ab Amalario præter orationem nihil habet nisi hæc verba, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*; &c. In libro isto qualis nunc est editus habetur: *Confirmo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*: Pontificale quod putatur esse Anglicanum octingentis annis antiquius, & servatur in Ecclesia Rothomagensi nihil utique præter benedictionem continet.

Nunc vero probatur secunda pars, videlicet orationem illam variam fuisse pro variis temporibus ac regionibus.

Primo: Græci non utuntur formula qua nunc utuntur Latini, namque dum Fideles ungunt, dicunt orationem, ungendo vero sic loquuntur: *Signaculum donationis Spiritus sancti*: hujus formæ validitatem multis probat argumentis Arcu-

dius; attamen nullus unquam dixit eos numquam habuisse Sacramentum Confirmationis, de hoc quippe accusati non fuerunt in controversiis, quas cum Latinis habuere sæculo 9. & 11. neque vero in Concilio Lugdunensi, & Florentino, id eis fuit objectum. Ergo &c.

Secundo: Forma quæ refertur in variis Pontificalibus longe discrepat ab hodierna. In Ordine Romano qualis nunc habetur, his verbis concipitur: *Confirmo te in nomine Patris*, In Ordine Gallicano, & antiquioribus quibusdam libris sacramentorum, quæ in Regia Bibliotheca asservantur, hæc leguntur: *Signum Christi in vitam æternam*. Pictaviense ante an. 800. *Signat te Deus sigillo fidei consignationis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*. Cadurcense ab an. 800. *Pax & benedictio Domini sit semper tecum*. Senonense. *Confirmo, & consigno te signo sanctæ crucis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, ut habeas vitam æternam, & vivas in sæcula sæculorum, pax tecum*. Tolosanum vetustissimum. *Pontifex*, inquit, *facit crucem de chrismate, in frontibus dicendo, signat te Deus sigillo fidei suæ, in consignatione fidei in nomine Patris, &c.*

Synopsis eorum quæ complectitur Articulus.

Forma Confirmationis est deprecatoria, sed variis explicatur modis in diversis Ecclesiis.

PRIMUM colligitur ex Actibus cap. 8. Petrum & Joannem advocasse oratione Spiritum sanctum super Samaritanos. Tertullianus L. de Bapt. c. 7. Ambrosius L. 3. de Sacramentis cap. 11. & Pontificalia, tum Latina, tum Græca, solum referunt formam deprecatoriam.

Jam vero si de modo quo illa forma exprimitur, Latini sic pronuntiant: *Signaculum donationis Spiritus sancti*. Græci vero aliis terminis explicant formam, de hoc tamen inter eos & Latinos nulla mota est controversia: Ergo &c.

ARTICULUS QUARTUS.

De Ministro Confirmationis.

CIRCA istam controversiam duæ quæstiones resolvendæ veniunt; una scilicet de Ministro ordinario, altera vero de extraordinario. Prior de Episcopo instituitur, posterior fit de simplici Sacerdote.

SECTIO PRIMA.

Utrum Episcopus sit Minister ordinarius Confirmationis?

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

Probatur ratione Theologica, eaque multiplici.

PRIMA in hac forma proponitur. Quod Scriptura sacra explicata per summos Pontifices, per Concilia & Patres declarat, hoc ipsum a cunctis Fidelibus teneri debet: Atqui Episcopum esse ordinarium Confirmationis Ministrum ita declaratur: Ergo &c. Probatur minor variis momentis. Primo quidem ex Scriptura sacra his verbis Actuum 8. *Cum audissent Apostoli, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Joannem, qui cum venissent, oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum sanctum: nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu: Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum*. Audis Samaritanos a Philippo Diacono baptizatos? Audis nondum tunc accepisse Spiritum sanctum, scilicet ad robur? Audis ea de causa ad eos mitti Episcopos ut confirmarentur. Igitur ad eos solum spectat ordinarie loquendo, hoc administrare Sacramentum. Sic explicat textum sanctus Chrysostomus homilia 18. in Acta, ubi sic loquitur: " Mea sententia hic Philippus unus " e septem erat, secundus a Stephano, " ideo & baptizans Spiritum sanctum " non dabat, neque enim facultatem " habebat, hoc enim donum solorum A- " postolorum erat; nam virtutem quidem " acceperant faciendi signa, non autem " dandi

„ dandi aliis Spiritum ſanctum. Igitur „ hoc erat in Apoſtolis ſingulare: unde „ & præcipuos & non alios videmus hoc „ facere. „ Sic etiam docet Hieronymus Dialogo adverſus Luciferianos cap. 4. Sic Iſidorus Peluſiota Lib. 1. Epiſtolarum Epiſt. 45. & alii communiter Patres.

Summi Pontifices huic ſubſcribunt explicationi, & Epiſcopum Miniſtrum eſſe ordinarium Confirmationis tradunt. In primis Urbanus Epiſt. ad omnes Chriſtianos; Innocentius I. Epiſt. 1. capit. 3. Sanctus Leo I. Epiſt. 88. ad Germaniæ & Galliæ Epiſcopos; Melchiades Epiſt. ad Epiſcopos Hiſpaniæ. Inſtar omnium ſit Euſebius Papa & Martyr Epiſtol. 3. ad Epiſcopos Iſtriæ, & refertur, de conſecratione diſtinct. 5. capit. 4. ubi ſic habetur: „ Manus impoſitionis Sacramentum magna veneratione tenendum eſt, quod „ ab aliis perfici non poteſt, niſi a ſummis Sacerdotibus, nec tempore Apoſtolorum ab aliis quam ab ipſis Apoſtolis legitur aut ſcitur eſſe peractum. „ Idem verbis expreſſis docet Innocentius IV. in Epiſt. ad Epiſcopum Tuſculanum.

Secundo, Concilia eamdem explicationem ſuo muniunt calculo, maxime vero Meteuſe cap. 8. Eliberitanum can. 38. & 77. ſed inter omnia eminet Florentinum, quod in inſtructione Armenorum ſic pronuntiat de Confirmatione: " Ordinarius „ Miniſter eſt Epiſcopus. Et cum cæteras unctiones ſimplex Sacerdos valeat „ exhibere, hanc nonniſi Epiſcopus debet „ conferre, quia de ſolis Apoſtolis legitur, quorum vicem tenent Epiſcopi, „ quod per manus impoſitionem Spiritum „ ſanctum dabant. „ Tridentinum rem de fide definit Seſſ. 7. can. 3. his verbis: *Si quis dixerit ſancti Sacramenti Confirmationis ordinarium Miniſtrum non eſſe ſolum Epiſcopum, ſed quemvis ſimplicem Sacerdotem, anathema ſit.*

Altera ratio hæc eſt, Quod uſu perpetuo Eccleſiæ firmatum eſt, tamquam de fide habendum eſt, juxta hanc divi Auguſtini Regulam: cujus rei non invenitur initium, a Chriſto per Apoſtolos eam deſcendiſſe non dubitatur. Atqui uſus Eccleſiæ perpetuus Confirmationis ordinarium Miniſtrum, ſolum Epiſcopum eſſe ſemper tenuit: Ergo &c. Probatur minor auctoritate SS. Patrum.

Primus hujuſce traditionis aſſertor nobis occurrit ſanctus Cyprianus Epiſtol. 73. ad Jubajanum pag. 184. his verbis: " Ut „ qui in Eccleſia baptizantur, Præpoſitis „ Eccleſiæ offerantur, ut per noſtram „ orationem, & manus impoſitionem Spiritum ſanctum conſequantur. „

S. Hieronymus Dialogo adverſus Luciferianos fol. 50. ſic ſcribit: " Quod ſi hoc „ loco quæris, quare in Eccleſia baptizatus niſi per manus Epiſcopi non recipiat Spiritum ſanctum? .... Diſce hanc „ obſervationem ex ea auctoritate deſcendere, quod poſt aſcenſum Domini Spiritus ſanctus ad Apoſtolos deſcendit. „

Auguſtinus eſt ejuſdem ſententiæ Libr. 15. de Trinitate cap. 26." Quem morem, „ *inquit*, in ſuis Præpoſitis etiamnum ſervat Eccleſia. „ Intellige pro confirmandis baptizandis.

Iſidorus Hiſpalenſis L. 2. de officiis cap. 26. ita docet, & ſic loquitur: " Spiritum ſanctum accipere poſſumus, dare „ autem non poſſumus, ſed ut detur invocamus. Hoc autem a quo potiſſimum „ fiat, quemadmodum Papa ſanctus Innocentius ſcribit, ſubjiciam. Dicit enim, „ non ab alio quam ab Epiſcopo fieri licere. „

Venerabilis Beda in caput 8. Actuum Apoſtolorum ejuſdem eſt labii: " Hoc enim, „ *ait*, ſolis Pontificibus debetur, nam „ Presbyteri ſive extra Epiſcopum, ſeu „ præſente Epiſcopo baptizent, ... non „ tamen eis licet frontem ex eodem oleo ſignare, quod ſolis debetur Epiſcopis. „

Jeſſe Ambianenſis Epiſtol. de Baptiſmo, Theodulphus Aurelianenſis cap. de ordine Baptiſmi, Amalarius Lib. 1. de officiis cap. 7. VValafridus Strabo Lib. de rebus Eccleſiaſticis cap. 26. Auctor libri de divinis officiis cap. 19. Alcuinus in Epiſt. ad Odorinum; Jonas Aurelianenſis Lib. 1. de inſtitutione laicorum cap. 7. idem ſicut & alii multi docent. Ergo &c.

Tertia ratio: Sicut ad artifices ligna ſtruere pro ædificatione domus ſpectat, ad architectum vero eam complere & perficere: ad Notarium ſcribere, ſed ad Dominum Epiſtolas ſubſignare: ita inferioribus Miniſtris competit ſpirituale inchoare ædificium per Baptiſma, perficere vero & ſubſignare Epiſcopi munus eſt.

Igitur præter Baptismum ad perfectionem spiritualis vitæ datur Confirmationis Sacramentum.

Illa ratio est D. Thomæ hic quæst. 72. art. 11. ubi ex professo sic loquitur: " Dicendum quod in quolibet opere ultima consummatio supremæ arti aut virtuti reservatur, sicut præparatio materiæ pertinet ad inferiores opifices, superior autem dat formam; supremus autem est ad quem pertinet usus artificiatorum, & Epistola quæ a Notario scribitur, a Domino Papa signatur. Fideles autem Christi sunt quoddam divinum opus secundum illud primæ ad Corinthios 3. Dei ædificatio estis. Sunt etiam quasi quædam Epistola Spiritu Dei scripta sicut dicitur 2. ad Corinth. 3. hoc autem Confirmationis sacramentum est quasi ultima consummatio sacramenti Baptismi, ita scilicet quod per Baptismum ædificatur homo in domum spiritualem, & conscribitur quasi quædam spiritualis Epistola, sed per Sacramentum Confirmationis quasi domus ædificata dedicatur in templum Spiritus sancti, & quasi Epistola conscripta signatur signo crucis, & ideo collatio hujus Sacramenti Episcopis reservatur, qui obtinent summam potestatem in Ecclesia. " Eadem prorsus ratione Catechismus Romanus parte 2. numer. 9. probat Episcopum esse jure divino ordinarium Confirmationis Ministrum.

Diluuntur objecta.

Objicies: Qui præcipiente Domino est Confirmationis Minister, citra dubium ordinarius censetur: Atqui simplex Sacerdos talis est: Et probatur. Ananias præcipiente Domino imposuit manus Paulo de novo converso, & tamen non erat Episcopus Act. 9. Ergo &c.

Respondeo negando minorem. Ad probationem distinguo: Et impositio manuum Ananiæ super Saulum fuit tantummodo curativa, ut scilicet visum reciperet, concedo. Confirmativa, nego. Namque his peractis baptizatus est; sic enim habetur: *Saule frater, Dominus misit me Jesus, qui apparuit tibi in via, qua veniebas, ut videas, & implearis Spiritu sancto. Et confestim ceciderunt ab oculis ejus tanquam squamæ, & visum recepit: Et surgens baptizatus est.*

Instabis: Atqui illa impositio manuum erat confirmativa: Ergo &c. Probatur suusumptum. Qui replerur Spiritu sancto per aliquam cæremoniam, illa profecto nonnisi confirmatoria censeri debet: Atqui eo loci Scripturæ dicitur in gratiam Pauli: *ut videas & implearis Spiritu sancto*: Ergo &c. Confirmatur: non legitur Paulum alias fuisse confirmatum: Ergo &c.

Respondeo negando subsumptum. Ad probationem distinguo majorem: Cæremonia est confirmatoria qua quis repletur Spiritu sancto ad robur, concedo: ad regenerationem & vitam, nego. Et sic distincta minore, nego consequentiam. Saulus fuit quidem Spiritu sancto repletus, sed illam primam plenitudinem accepit per Baptismum, quo nova creatura evasit, & ex persecutore vas electionis factus est.

Ad confirmationem dico, Paulum ab eodem potuisse confirmari a quo consecratus est & Sacerdos & Episcopus, videlicet a Petro, quem, ut ipse testatus est, invisit: Sicut enim Actuum 9. non dicitur confirmatus, ita nec inauguratus Episcopus, quod certe Ananias peragere non poterat: Igitur ab alio ad Sacerdotii dignitatem evectus est.

Insistes: Atqui ad simplicem Sacerdotem de jure pertinet confirmare: Ergo &c. Probatur subsumptum. 1. ad Timotheum 4. Paulus Discipulum sic alloquitur: *Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per Prophetiam cum impositione manuum Presbyterii.* Igitur munus Presbyterii est manus imponere, adeoque & confirmare.

Respondeo, nego subsumptum. Ad probationem, distinguo. Et eo loci agitur de ordinatione Timothei, nusquam vero de Confirmatione, concedo. Nam & Sacerdos per manuum impositionem Episcopi ordinatur; ipse enim Paulus Timotheum consecraverat. Et ibi agitur de Confirmatione, nego. Quid plura adjiciam? Juxta Bibliorum correctionem a Clemente VIII. factam non Presbyterii, sed Presbyterii habetur; quocirca ibi non designatur Minister, sed potius species illius manus impositionis, quæ non confirma-

firmativa, sed ordinativa fuit. At dato & non concesso, ut observat D. Thomas lect. 3. in hunc locum, quod habeatur simpliciter *Presbyteri*; isto eodem vocabulo intelligitur Episcopus, quatenus Presbyter idem est ac senior. Sic in primis sæculis nomine Sacerdotis intelligendus veniebat Episcopus. Ita Sidonius Apollinaris Lib. 9. Epist. 3. ad Faustum.

Repones: Innocentius I. Epist. 1. cap. 6. permittit Presbytero ut, absente Episcopo, alios ungere & chrismare queat. Igitur & simplex Sacerdos est Minister ordinarius Confirmationis. Confirmatur: Innocentius III. prohibet Parochis civitatis Constantinopoleos confirmare. Igitur absque privilegio hoc ipsum antea faciebant.

Respondeo distinguendo: Et ibi Innocentius I. loquitur de cæremonia qua ungebantur Energumeni, ut dæmon expelleretur, concedo; de confirmatoria, nego. Hujus rei argumentum est, quod nequidem baptizare licitum esset simplici Sacerdoti, ut primum aderat Episcopus: a fortiori, confirmare. Hoc ipsum patet ex Epistola 88. sancti Leonis ad universos Germaniæ atque Galliæ Episcopos, ubi sub finem hæc leguntur: " Sed neque coram Episcopo licet Presbyteris in baptisterium introire, nec præsente Antistite, infantem tingere aut signare. " Ad confirmationem, distinguo: Innocentius III. prohibuit Parochis Latinis qui tunc Constantinopoli aderant chrismare, eo quod absque privilegio istud facerent, concedo. Prohibuit Græcis privilegio munitis, nego. Sic respondet Arcudius Lib. 2. cap. 15. his verbis: " Respondeo revocasse a Latinis, non a Græcis; quandoquidem illo tempore Latini dominabantur Constantinopoli, ut tradunt Hæretici. Quod ipsemet Pontifex clarissime in suis litteris exprimit, cum ad quemdam Lucium suum Vicarium ita scribit: Mandamus quatenus omnibus Latinis Presbyteris apud Constantinopolim constitutis, districte prohibeas, ne talia de cætero sua temeritate præsumant. " Et vero Latini videntes Græcos chrismare, æmulatione ducti, utpote eorum Domini, etiam jus chrismandi sibi arrogabant.

Urgebis: Atqui vel ipsi Græci nono circiter sæculo absque privilegio ex quodam solito more chrismabant: Ergo &c. Probatur antecedens. Photius asserit suos Presbyteros jus habuisse confirmandi, ut refert Arcudius Lib. 2. cap. 11. Idem sensisse Joannem Nataelem ibidem cap. 12. scribit. Ergo &c.

Respondeo negando subsumptum. Ad probationem, distinguo: Et tunc fuit abusus, concedo: & mos iste qui nono inoleverat sæculo, erat legitimus, nego. Constat enim ex sancto Chrysostomo & aliis Patribus Græcis, solum Episcopum fuisse ordinarium Confirmationis ministrum: hoc ipsum fuso calamo probat Arcudius Lib. 2. c. 15. Et vero ipse Photius in 2. Epist. contendebat ex eadem ratione qua Presbyteri sacram conferebant Eucharistiam, eadem conferre Confirmationem. Verum ei fortiter restitit Nicolaus I. Epist. 70. his verbis: " Insimulare tentant, quoniam eosdem Presbyteros chrismate linire baptizatorum frontes inhibemus. " Tum & Ecclesia Gallicana per Ratramnum, qui in suo opere adversus Græcos istum perstringit abusum. Photius a summo Pontifice reprehensus, Pseudo-Concilium adunavit adversus summum Pontificem & Latinos; sed ipse in octava Synodo generali damnatus est, & propter schisma, & propter errores; si quid igitur moris reperiatur apud Armenos & alios Orientales circa administrationem Confirmationis a simplici Sacerdote, dicendum profecto vel ex abusu intolerabili, vel ex dispensatione hoc fuisse factum.

Perges: S. Gregorius Lib. 3. Epist. indictione 12. Epist. 26. ad Januarium Episcopum Calaritanum sic loquitur: " Pervenit quoque ad nos quosdam scandalizatos fuisse, quod Presbyteros chrismate tingere in fronte eos qui baptizati sunt, prohibuimus, & nos quidem secundum usum veteris Ecclesiæ nostræ fecimus; sed si omnino hac de re aliqui contristantur, ubi Episcopi desunt, ut Presbyteri etiam in frontibus baptizatos chrismate tingere debeant, concedimus. " Observes velim, S. Pontificem non jubere iterum chrismari a simplici Sacerdote chrismatos: Igitur non solus Episcopus, sed & simplices Sacerdotes sunt ordinarii Confirmationis ministri.

Re-

Respondeo sanctum Gregorium ibi redarguere Presbyteros, qui audebant linire chrismate baptizatos, attamen ad duritiam cordis & ad scandalum vitandum, concedit eis chrismandi privilegium & facultatem. Ad id vero quod subjungitur sanctum Pontificem non jussisse iterum chrismari a simplici Sacerdote chrismatos, dico eos de facto fuisse iterum chrismatos. Ita Sanbovius disput. 7. de Ministro Confirm. art. 1. ubi sic habet: " Sæ„ culo nono Græcorum Presbyteri eam „ adhibebant, scilicet Confirmationem, „ & Latinos culpabant Episcopos, qui „ chrismatos a Presbyteris Græcis rechri„ smabant: quod patet ex Epist. 2. Pho„ tii his verbis: Chrismate inunctos per „ Sacerdotes, denuo chrismate inungere „ non horruerunt. „

Persistes: Ambrosiastes in cap. 4. ad Ephesios hæc habet: " Apud Ægyptum „ Presbyteri consignant, si præsens non „ sit Episcopus. „ Igitur jure avito Orientales Presbyteri chrismabant.

Respondeo I. Auctorem illum esse suspectæ fidei, quandoquidem & Chrysostomus & Oecumenius, aliique Græci Patres solum Episcopum ut ordinarium Confirmationis ministrum semper habuere. Neque vero hac in re magis Ambrosiasti credendum est, quam cum supra scripsit ab Ecclesiæ exordio concessum fuisse Presbyteris omnibus & evangelizare, & baptizare, & Scripturas in Ecclesiis explanare. Ceterum si mos chrismandi perduravit in Ægypto pro simplici Sacerdote, aut per dispensationem, aut per abusum factum fuisse tenendum est.

Petavius Lib. 3. dogmatum, tract. de Hierar. Lib. 2. cap. 6. n. 12. contendit Ambrosiastem loqui de unctione verticali, & non confirmativa, quæ quidem chrismatio quondam fiebat in pectore.

Insistes: Atqui hoc debet intelligi de chrismatione confirmatoria. Ergo &c. Probatur subsumptum: Auctor quæstionum ex utroque Testamento apud Augustinum quæst. 101. sic loquitur: " In Alexandria & per totam Ægyptum si desit Episcopus, consignat Presbyter. „ Ergo &c.

Respondeo negando subsumptum. Ad probationem respondeo, legendum esse, *consecrat*, ut omnes ferunt editiones, & non *consignat*: sic evanescit objectio. Si quis tamen cum Bellarmino contenderet legendum esse *consignat*, respondendum est ut supra.

Insurges: Si Episcopus est minister Confirmationis ordinarius, maxime quia hoc illi jure divino competit. Atqui res non ita se habet, sed solummodo ex privilegio jus illud possidet; sic enim B. Sylvester habet in Pontificali, quod Damaso tribuitur, dicens: " Episcopis contulisse „ privilegium ut baptizatos consignarent, „ Presbyteris vero concessisse ut chrisma„ te linirent baptizatos in mortis ar„ ticulo. „ Ergo &c.

Respondeo negando subsumptum. Ad probationem distinguo: Et eo loci privilegium sumitur lato modo, & pro declaratione juris aviti Episcoporum, concedo: ad litteram & stricto modo, nego. Quia vero quidam Presbyteri id muneris sibi arrogabant, ut etiam chrismare possent in fronte, eorum compescit audaciam S. Sylvester, declarando illud privilegium, seu potius illam functionem non nisi Episcopis convenire: Presbyteris vero chrismare in vertice, & etiam per privilegium in mortis articulo chrismare posse ad reconciliationem. Huic solutioni suum addit calculum Innocentius I. Epist. ad Decentium c. 3.

Opponitur ex Conciliis: Arausicanum I. can. 2. & refertur de consecratione dist. 4. cap. *Nullus Ministrorum*, sic habet: " De eo qui in baptismate, quacumque „ necessitate faciente, non chrismatus „ fuerit, in Confirmatione Sacerdos com„ monebitur. „ Igitur ex illo Concilio simplex Sacerdos est quoque minister ordinarius Confirmationis. Confirmatur: Can. 2. si loquuntur Patres: " Hæreti„ cos in mortis discrimine positos si Ca„ tholici esse desiderent, si desit Episco„ pus, a Presbyteris cum chrismate & „ benedictione consignari præcipimus. „ Ergo &c.

Respondeo I. primum canonem dubiæ admodum esse fidei, cum varie a variis referatur.

Respondeo II. eo loci sermonem haberi de unctione verticali, quæ quandoque inter baptizandum omittitur; cujus de omissione monendus est Episcopus, antequam chrismet in fronte; mos enim inoleverat, ut in hoc casu accerseretur Presby-

Presbyter, ut illam faceret, quippe quæ sit præparatio ad Confimationem.

Ad probationem respondeo, Concilium loqui de signatione reconciliativa, ut colligitur ex textu tum secundi tum tertii canonis, qui inscribitur de solemnitate servanda pro moribundis pœnitentibus.

Replicabis: Post verba allata canonis primi ista subsequuntur: " Nam inter, nos chrismatis ipsius non nisi una benedi-„ ctio est. „ Concinit Beda in Psalmum 26. his verbis: " Illa unctio quæ per „ manuum impositionem ab Episcopis, „ quasi alia a duabus prædictis, & vulgo „ Confirmatio dicitur: eadem est cum „ secunda, propter arrogantiam tamen „ non concessa est singulis Sacerdotibus, „ sicut & multa alia. „ Igitur Concilium loquitur de chrismatione confirmatoria, quæ certe unica eatenus est, quatenus Confirmationem reiterare non licitum sit.

Respondeo distinguendo: Chrismatio quoad materiam una est, concedo: formaliter, nego. Quocirca Concilium non unam simpliciter chrismationem dicit, sed unam benedictionem: quibus verbis attendit ad confectionem sancti chrismatis, quod quidem inservit & ad unctionem verticalem in Baptismo, & ad perfectiorem in fronte in Confirmatione dandam.

Ad confirmationem eadem est solutio: si quis tamen contendere velit Bedam loqui de confirmativa chrismatione, respondemus eam quoque posse a simplici Sacerdote fieri, sed dispensatione munito: quod quidem subindigitant verba: " Propter arrogantiam tamen non „ concessa est singulis Sacerdotibus. „

Urgebis: Toletanum I. cap. 20. præcipit simplicem Presbyterum, absente Episcopo, chrismare; sed dubio-procul loquitur de chrismatione confirmativa, alias incassum poneretur, *absente Episcopo*. Et vero si agatur de chrismatione verticali, præsens vel absens sit Episcopus, nihil refert. Ergo &c. Confirmatur: Concilium Barcinonense VI. can. 2. sic pronuntiat: " Statutum est ut cum chri-„ sma Presbyteris Diœcesanis pro Neo-„ phytis confirmandis detur, nihil pro li-„ quoris pretio accipiatur. „ Igitur per id temporis Presbyteri in Hispania ex jure innato chrismabant etiam ad robur.

Respondeo Concilium Toletanum sermonem habere de unctione verticali, quæ ut plurimum, præsente Episcopo accincto ad chrismandum in fronte, fiebat, maxime quando illa cæremonia inter baptizandum fuerat omissa. Neque enim Episcopi chrismabant aliquem, nisi prius Baptismum cum omnibus cæremoniis suscepisset. Ad confirmationem dico, Concilium Barcinonense non illud pronuntiare de confirmandis per Presbyteros, sed simpliciter asserere nihil pecuniæ dandum esse pro chrismate quod inservit ad unctionem verticalem per Sacerdotem, ad chrismationem vero in fronte per Episcopum faciendam; ceterum si agatur de Confirmatione etiam per simplicem Sacerdotem collata, respondendum est ut supra, hoc non nisi dispensatione factum fuisse.

Replicabis: Illud convenit simplici Sacerdori vi suæ ordinationis, & non soli Episcopo, quod non nisi præceptis Ecclesiasticis prohibetur simplicibus Sacerdotibus. Et vero si hoc jure divino soli competeret Episcopo, etiam jure divino prohiberetur simplici Sacerdoti. Atqui prohibitum est solummodo Ecclesiasticis præceptis, ne simplex Sacerdos chrismaret in fronte: & hoc probatur ex Concilio Hispalensi cap. 7. quod ait: " No-„ vellis & Ecclesiasticis regulis prohibi-„ tum esse simplicibus Sacerdotibus Pa-„ racletum Spiritum tradere Fidelibus „ baptizatis per impositionem manuum, „ & chrismate baptizatorum frontem si-„ gnare. „ Ergo &c.

Respondeo negando minorem. Ad probationem distinguo: Novellis & Ecclesiasticis regulis nedum in veteri, sed & in novo Testamento fundatis, prohibitum est simplicibus Sacerdotibus chrismare in fronte, concedo: Novellis, hoc est jure mere humano, nego. Synodus suam firmat definitionem, primo quidem auctoritate veteris Testamenti, deinde etiam auctoritate novi; namque editio vulgata sic legit: " Quædam tamen auctoritate „ veteris legis, quædam Novellis, & „ Ecclesiasticis regulis sibi prohibita no-„ verint. „ *Novellis*, hoc est novi Testamenti: namque in veteri Testamento

solus

ſolus Moyſes & Aaron in Sacerdotibus ejus offerebant ſacrificia, ſicut in novo legitur Act. 8. quod ſolus Petrus & Joannes dederint Samaritanis Spiritum ſanctum.

Oppones ex SS. Patribus: Chryſoſtomus Hom. 18. in Acta, ait Philippum noluiſſe dare Spiritum ſanctum Samaritanis, ut illud honoris Apoſtolis deferret. Igitur ſimplex Sacerdos poteſt eſſe ordinarius Confirmationis Miniſter. Confirmatur: D. Hieronymus Epiſt. 85. ad Evagrium, hoc ipſum inſinuat his verbis: " Quid enim facit excepta ordinatione „ Epiſcopus, quod Presbyter non fa„ ciat? „ Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Et Chryſoſtomus loquitur in aliena ſententia, concedo: in propria, nego; eſt enim ipſe ſui ipſius interpres, tradens: " Unde mea „ ſententia, hic Philippus unus e ſe„ ptem, ſecundus a Stephano, ideo & „ baptizans Spiritum ſanctum non da„ bat, hoc enim donum ſolis duodecim „ Apoſtolis datum erat. „ Ceterum ſi in rigore loquamur, ſenſus eſt hanc poteſtatem ſolis Epiſcopis fuiſſe conceſſam, ut inde ſummum eorum Sacerdotium honore afficeretur.

Ad confirmationem diſtinguo: Cuncta fere facit ſimplex Sacerdos, excepta ordinatione & chriſmatione confirmatoria, quæ facit Epiſcopus, concedo: omnia, nego; neque enim chriſma conficere, altaria conſecrare, & chriſmate in fronte poteſt. Igitur verba Hieronymi intelligenda ſunt per diſtributionem accommodam.

Dices: Sacramentum Baptiſmi eſt majoris efficaciæ quam Sacramentum Confirmationis: Sed ſimplex Sacerdos poteſt baptizare vi ſuæ ordinationis; igitur & a fortiori confirmare.

Reſpondet D. Thomas ad hanc difficultatem hic quæſt. 72. art. 2. ad 2. his verbis: " Dicendum, quod Sacramentum „ Baptiſmi eſt efficacius quam Sacramen„ tum Confirmationis, quantum ad re„ motionem mali, eo quod eſt ſpiritua„ lis regeneratio, quæ eſt mutatio de „ non eſſe in eſſe. Hoc autem Sacra„ mentum eſt efficacius ad perficiendum „ in bono, quia eſt quoddam ſpirituale „ augumentum de eſſe imperfecto ad eſſe „ perfectum; & ideo hoc Sacramentum „ digniori miniſtro committitur. „

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Miniſter ordinarius Confirmationis eſt Epiſcopus.

PRIMO, ita colligitur ex Actuum 8. ubi ſanctus Lucas ſcribit Petrum & Joannem miſſos fuiſſe ad Samaritanos jamjam a Philippo Diacono baptizatos, ut ſanctum reciperent Spiritum ad robur.

Secundo, ſic definitum eſt in Concilio Florentino, ſic in Tridentino, ſic ab Innocentio III. & aliis ſummis Pontificibus.

Tertio, Hieronymus & Chryſoſtomus aſſerunt Chriſtum hanc ſolis Epiſcopis conceſſiſſe poteſtatem ad honorem ſummi Sacerdotii. Ratio divi Thomæ ea eſt, quod ſicut perfectio ædificii ſpectat Architectum, ſic & vitam ſpiritualem perfectam tribuere, ſummum ſpectat Sacerdotem.

SYNOPSIS OBJECTIONUM ET RESPONSIONUM.

PRIMO, non ſemel dicitur ſimplices Sacerdotes chriſmaſſe in fronte, ſed vel ex abuſu, vel ex diſpenſatione ſic factum eſſe reſpondemus.

Secundo, neque vero nos movet Canon primus Concilii Arauſicani, ubi præcipitur ſimplici Sacerdoti chriſmare; hoc quippe intelligitur de chriſmatione verticali, quæ eſt Baptiſmi cæremonia. Nec majus faceſſit negotium Canon ſecundus, ubi ſermo fit de conſignatione chriſmativa: ibi enim ſolam chriſmationem reconciliativam commemorat.

Tertio, tametſi Baptiſmi Sacramentum ſit efficacius Confirmatione, quantum ad remotionem mali, nuſquam tamen quantum ad perfectionem hominis.

SE-

SECTIO SECUNDA.

Utrum simplex Sacerdos ex dispensatione possit administrare Sacramentum Confirmationis?

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

Probatur multiplici ratione.

Prima : Non licitum est adversus doctrinam Conciliorum insurgere : Sed ex Conciliis liquet simplicem Sacerdotem privilegio Apostolico munitum Confirmationem administrare posse : Ergo &c. Probatur minor variis momentis . I. Ex Concilio Florentino , quod de Ministro Confirmationis in decreto pro instructione Armenorum disserens , ait : " Legi- „ tur tamen aliquando per Apostolicæ „ sedis dispensationem ex rationabili & „ urgente admodum causa, simplicem Sa- „ cerdotem , chrismate per Episcopum „ confecto , hoc administrasse Confirma- „ tionis Sacramentum. " Idem manifeste colligitur ex Tridentino Sess. 7. can. 3. quando enim loquitur de ministro Confirmationis , dicit duplicem esse , ordinarium unum , extraordinarium alterum : dum enim ait Episcopum esse ministrum, semper hanc particulam addit , *Ordinarium* . Igitur per extraordinarium intelligit simplicem Sacerdotem. III. Idem dicit Concilium Senonense in decretis morum c. 38. Eo loci docet Confirmationis administrationem solis Episcopis a Christo Domino esse reservatam , ita tamen ut aliquibus Abbatibus privilegio munitis competere posse asserat ; de iis sic loquitur : " Si qui sint qui contendant sibi „ competere facultatem confirmandi ex „ privilegio, volumus quod cum primum „ fuerint requisiti , de privilegio fidem „ facere teneantur . „

Secunda ratio hæc est : Ab actu ad posse valet consequentia : Sed manifestum est simplices Sacerdotes non semel ex privilegio chrismasse in fronte baptizatos , & Sacramentum ab Ecclesia ratum habitum fuisse ; quod probatur multis exemplis : I. Ex auctoritate sancti Gregorii , qui Ep. 27. Lib. 3. ad Januarium , hanc chrismationem simplicibus Sacerdotibus permittit his verbis : " Pervenit quoque „ ad nos quosdam scandalizatos fuisse , „ quod Presbyteros chrismate tingere in „ fronte eos qui baptizati sunt , prohi- „ buimus ... Ubi Episcopi desunt , ut „ Presbyteri etiam in frontibus baptiza- „ tos chrismate tingere debeant concedi- „ mus. „ II. Plures summi Pontifices eadem auctoritate præditi , eamdem chrismandi potestatem diversis Presbyteris concesserunt : hanc habuit R. P. Ludovicus Fonseca ex Societate Jesu Sacerdos Missionarius : hanc & habuerunt quidam Religiosi ex Minoritis pro Indiis & regionibus ubi non sunt Episcopi , concedente Adriano VI. cujus authenticum habetur Hispali in Monasterio sancti Francisci.

Tertia sic exponitur : Certum est summum Pontificem ratione plenitudinis potestatis Christi qua donatus est , in multis posse dispensare : sed potest privilegium dare simplici Sacerdoti ut confirmare queat . Ergo &c. Probatur minor ex divo Thoma , qui hic quæst. 72. artic. 2. ad 1. ait : " Ad primum ergo dicendum , „ quod Papa in Ecclesia habet plenitudi- „ nem potestatis ... & ex hac plenitudi- „ ne potestatis concessit B. Gregorius Pa- „ pa , quod simplices Sacerdotes hoc Sa- „ cramentum conferrent , quamdiu scan- „ dalum tolleretur . Ergo &c.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objicies : Eusebius Papa Ep. 3. ad Episcopos Tusciæ & Campaniæ , dicit Confirmationem perfici non posse nisi a summis Sacerdotibus . Melchiades Epist. ad Episcopos Hispaniæ , hoc spectare solos Episcopos pronuntiat . Damasus Epist. ad Episcopos Numidiæ sic loquitur : " Non „ licet Sacerdotes consecrare , nec Dia- „ conos aut Subdiaconos , nec virgines , „ nec altare erigere , nec ungere & sa- „ crare , nec Ecclesias dedicare , nec „ chrisma conficere , nec chrismate bapti- „ zatorum frontem signare &c. „ additque hoc ipsum solis Apostolorum successoribus Episcopis competere . Quibus positis, sic argumentor : Eodem modo loquitur Damasus de Confirmatione conferenda , ac de conficiendo chrismate & sacrandis Altaribus : Sed simplex Sacer- dos

dos etiam per dispensationem ne quidem chrisma potest conficere, nec Diaconos ordinare. Igitur pari & consimili ratione neque chrismare in fronte potest; maxime vero cum ceteri Pontifices uno veluti ore pronuntient hoc ad solos pertinere Episcopos. Porro nemo non novit vocem *solos*, quemlibet alium excludere.

Respondeo, primo, non ignoti nominis Theologos revocasse in dubium Decretales supra laudatas.

Respondeo secundo distinguendo: Et istae auctoritates unum tantummodo probant, videlicet Episcopum esse ordinarium Confirmationis ministrum, concedo: Sacerdotem ex dispensatione non posse esse, nego. Vox *solos*, tantummodo excludit simplices Sacerdotes a jure avito & ordinario chrismandi in fronte. Hujusce solutionis ipsum Concilium Florentinum auctor est: & vero dicit Episcopum solum esse Sacramenti Confirmationis ordinarium Ministrum; deinde subjungit posse simplicem Sacerdotem dispensationis privilegio munitum rite chrismare.

Dico tertio, auctoritatem Damasi, eadem adhibita solutione, rite explicari, quippe qui non considerata dispensatione loquatur. Ad exempla vero, nego paritatem. Ratio discriminis est, quod non semel ex ipso jure canonico habeamus simplices Sacerdotes quandoque vere chrismasse, nusquam vero legitur eisdem concessum fuisse Diaconos & virgines consecrare, altaria erigere, Ecclesias dedicare, & chrisma conficere: quinimmo can. *Presbyter*, q. 6. prohibetur ne Presbyter chrisma unquam conficiat. Idem statuit Concilium VVormatiense cap. 2. ubi sic habetur: " Chrisma conficere nullus prae„ ter Episcopum praesumat. „

Instabis: Innocentius III. cap. 4. de consuetudine, statuit ut Fideles potius careant Confirmationis Sacramento, quam ut a Presbyteris illud acciperent. Innocentius vero IV. scribens ad Episcopum Tusculanum Sedis Apostolicae in regno Cypri legatum, cujus litterae extant in registro Bullarum, Pontificatus sui anno 2. in Bibliotheca Vaticana, ad consulta Graecorum sic loquitur pro Confirmationis confectione: " Soli autem Episcopi „ consignent chrismate in frontibus ba„ ptizatos, quia hujus unctio non de„ bet nisi per Episcopos exhiberi, quo„ niam soli Apostoli, quorum vices ge„ runt Episcopi, per manus impositio„ nem, quam Confirmatio vel frontis „ chrismatio repraesentat, Spiritum san„ ctum tribuisse leguntur. „ Non omittendus Clemens VIII. qui in instructione pro Graecorum ritibus, solis Episcopis chrismare fas esse definit; sed si hoc ipsum licitum foret per dispensationem etiam simplici Sacerdoti, incassum Innocentius III. dispensationem revocasset, ut inanem redderet consuetudinem confirmandi per simplices Sacerdotes; sed Innocentius IV. absque fundamento probaret hoc solos spectare Episcopos, eo quod sint Apostolorum successores: sed Clemens VIII. hoc adhibito privilegio, non debuisset pronuntiare solos Episcopos confirmare posse. Ergo &c.

Respondeo I. cum eadem solutione, videlicet laudatos Pontifices non nisi habita lege ordinaria locutos fuisse.

Ad primum respondet Arcudius Lib. 2. c. 15. pag. 95. summum Pontificem revocasse quidem Latinis propter abusum dispensationem chrismandi in fronte, non Graecis, ut patet ex ejus litteris ad Lucium suum Vicarium, ubi sic ait: " Man„ damus quatenus omnibus Latinis Pre„ sbyteris apud Constantinopolim consti„ tutis districte prohibeas, ne talia de „ cetero sua temeritate praesumant. „ Pergit Arcudius: " Eodem modo ex„ plicandus est Gregorius IX. qui hac de „ re aliorum Pontificum, atque adeo „ ipsius Innocentii placita refert, ut est „ in lib. 1. Decretalium de consuetudine „ titulo 4. „

Respondet idem Auctor ibidem, Innocentium IV. tentasse quidem hanc abrogare in Oriente consuetudinem, ut simplices Sacerdotes non chrismarent in fronte, sed ejus decretum non fuisse executioni mandatum, tum quia consuetudo quamdam vim legis habet, tum quia privilegium semel concessum, morte concessoris non rescinditur, donec accedat aliud decretum oppositum & publicatum; quocirca Gregorius Magnus intelligens citra scandalum chrismandi morem per simplices Sacerdotes non posse abrogari in Graecia, eum potius suo calculo munire dignatus est. " Ob eamdem difficul-

„ facultatem, *inquit Arcudius ibidem pag.* „ 96. tempore Clementis VIII. brevis in„ structio super aliquibus ritibus Græco„ rum, inter quos recensetur admini„ stratio hujus Sacramenti, facta est: „ sed ea dirigitur ad Episcopos Latinos, „ in quorum Diœcesibus Græci vel Al„ banenses Græco ritu viventes degunt, „ quod optime scirent in Græcia valde „ difficile fore, ut hæc constitutio acce„ ptaretur. „

Neque vero omittendum est summum Pontificem Eugenium IV. undecim quæstiunculas Græcis resolvendas proposuisse, inter quas sexta hæc est: *Quare Pontifices non inungunt sacro chrismate, sed Sacerdotes, cum hoc Pontificibus sit datum?* Addit deinde in fine Concilium: ait Arcudius ibidem pag. 95. " Hæc a Latinis „ objecta Mitylenensis Præsul legitime ac „ secundum canones omnia dissolvit, præ„ ter quam duo, videlicet separationem „ matrimonii quoad vinculum, & crea„ tionem Patriarchæ extra Constantino„ polim. „ Ex quibus patet Græcos suum probasse pro Confirmatione a simplici Sacerdote conferenda privilegium, quod quidem habebant a summo Pontifice vel immediate, vel mediate per suos Patriarchas; sic censet Arcudius ibidem p. 96. " Tutissimum est, *inquit*, dicere „ Græcorum Presbyteros per suos Pa„ triarchas & Antistites ejusmodi facul„ tatem a summo Pontifice obtinuisse; „ a quo omnis jurisdictio quasi a capite „ in alios veluti membra mediate vel im„ mediate derivatur & diffunditur. „

Replicabis: Atqui hujusmodi potestatem simplex Sacerdos nequit suscipere; & probatur ex Concilio Trident. Sess. 23. c. 4. ubi sic habetur: " Sacrosanta Syno„ dus declarat præter ceteros Ecclesiasti„ cos gradus, Episcopos qui in Aposto„ lorum locum successerunt, ad hunc „ Hierarchicum ordinem præcipue perti„ nere; & positos, sicut idem Aposto„ lus ait, a Spiritu sancto regere Eccle„ siam Dei, eosque Presbyteris superio„ res esse, ac Sacramentum Confirmatio„ nis conferre, Ministros Ecclesiæ ordi„ nare, atque alia pleraque peragere „ ipsos posse: quarum functionum pote„ statem reliqui inferioris ordinis nul„ lam habent. „ Eo loci probat sancta Synodus Episcopos esse Presbyteris superiores, maxime propter duo. Primo quidem ex eo quod possent confirmare, quæ quidem ratio non ponderaret, si hoc ipsum saltem ex dispensatione simplices Sacerdotes peragere valerent. Secundo, suam confirmat assertionem alio officio soli Episcopo proprio, quod quidem situm est in eo quod summus Sacerdos possit alios Ministros ordinare, & ipsam Christi Ecclesiam regere. Observandum est eodem modo eademque phrasi loqui Concilium de Confirmatione ac de aliorum Ministrorum consecratione. Atqui etiam per dispensationem simplex Sacerdos & Diaconos & Presbyteros consecrare non valet: Igitur nec chrismare.

Respondeo ad hanc auctoritatem & similes ut supra; videlicet Patres Synodicos, habita lege ordinaria, sic loqui; neque enim seclusa dispensatione illam habet simplex Sacerdos chrismandi potestatem. Quocirca istud officium Episcopo proprium dicitur, sed dubio-procul sacra Synodus non excludit Ministrum extraordinarium; quod si exclusisset, sicut de facto pro pœnitentia exclusit laicos, hoc ipsum expressisset pro priori sicut & pro posteriori momento; nam Sess. 14. cap. 6. de Ministro Pœnitentiæ sic loquitur: " Ceterum, quemadmodum confitendi „ secreto apud solum Sacerdotem &c. „ Initio capitis jam dixerat solos Sacerdotes esse in absolvendo a peccatis Christi Vicarios.

Respondeo secundo negando subsumptum. Ad probationem, distinguo: Probat Concilium Episcopos esse Presbyteris superiores ex eo quod innatam habeant chrismandi facultatem, concedo. Ita ut ceteri per privilegium eamdem non possint habere, nego. Sacerdotes enim habent radicalem & inchoatam, ratione characteris & potestatis in corpus Christi verum & misticum, quæ quidem compleri potest per dispensationem, qua jurisdictio summi Pontificis ad eos extenditur.

Ad alteram confirmationem, distinguo: Loquitur Tridentinum eodem modo de singulis quoad aliquid, concedo: quoad omnia, nego. Secernit sancta Synodus in gradu Episcopos, duplici quidem medio; primo quidem declarat Ordinationem Sacerdotum, Altarium erectionem,

nem, & Ecclesiarum dedicationem esse penes Episcopos, ita ut ne quidem ex dispensatione ea simplex Sacerdos peragere queat. II. Ea inconcussa ratione quod ad solos etiam Episcopos spectet chrismare in fronte ex jure avito; ad Presbyteros vero non nisi per privilegium.

Urgebis : Atqui vel ipsam potentiam remotam chrismandi non habet simplex Sacerdos : Ergo &c. Probatur subsumptum : Diaconus eam non habet : Igitur & a pari nec Sacerdos.

Respondeo negando subsumptum. Ad probationem, nego paritatem. Ratio discriminis est, quod character Diaconatus ne quidem physice sit completus; sacerdotis vero simplicis, est in se physice completus, quippe qui habeat vi ordinationis suæ potestatem super corpus Christi verum : quocirca per dispensationem compleri potest moraliter, ut crismet in fronte; nusquam vero id fieri potest etiam per privilegium in gratiam Diaconatus.

Solutio est D. Thomæ, qui in 4. dist. 7. quæst. 3. art. 1. quæstiunc. 3. sic loquitur : " Promovere ad illas perfectiones „ quæ non respiciunt corpus Domini verum, sed solum corpus mysticum, potest a Papa qui habet plenitudinem Pontificalis potestatis committi Sacerdoti, „ qui habet actum summum super corpus Domini verum, non autem Diacono, vel alicui inferiori, qui non habet perficere corpus Domini, verum sicut nec absolvere in foro pœnitentiali. „

Replicabis : Nullus præter Sacerdotem, etiam adhibita dispensatione, potest a peccatis absolvere : Igitur & a pari nullus præter Episcopum chrismare valet; quandoquidem chrismare in fronte, est officium Episcopo æque proprium, ac absolvere proprium est Sacerdoti.

Respondeo negando paritatem. Ratio discriminis est, quod nullus præter Sacerdotem potestatem habeat in corpus Christi verum & mysticum; quocirca etiam per dispensationem Diaconus nequit absolvere a peccatis; ista vero accedente, simplex Sacerdos chrismare potest propter rationem mox allatam.

Insistes : Atqui etiam per dispensationem non suppletur sufficienter Presbiteratus character, ut simplex Sacerdos chrismare possit : Et probatur : Confirmatio est actus ordinis simul & characteris; ita ut nova requiratur ordinatio ad operationem Hierarchicam : Igitur dispensatio non sufficit.

Respondeo negando subsumptum. Ad probationem distinguo : Requiritur nova ordinatio in Sacerdote, scilicet Episcopalis ut sit Minister Confirmationis ordinarius, concedo. Requiritur in simplici Sacerdote, ut sit extraordinarius, nego. Nova quidem ordinatio adhibetur ut aliquis sit Episcopus, non præcise ad confirmandum, sed ad consecrandos Sacerdotes, & alia Hierarchiæ munia subeunda.

Persistes : Ergo sine dispensatione valide saltem posset chrismare in fronte simplex Sacerdos, sicut absque approbatione in casu mortis potest absolvere simplex Sacerdos, deficiente copia Sacerdotis approbati; sic & Episcopus exauctoratus potest valide & chrismare, & Sacerdotes consecrare, tametsi non licite.

Respondeo negando sequelam; non enim simplex Sacerdos, seclusa dispensatione, habet potestatem completam ad chrismandum.

Ad primam probationem, nego utique paritatem. Ratio discriminis est, quod simplex Sacerdos habeat potentiam ex omni parte completam ad absolvendum, minime vero ad chrismandum; non enim ad hoc operandum sufficeret, sed dispensatio necessaria est ut compleatur ejus potestas ad confectionem Sacramenti Confirmationis. Quid plura adjiciam? Vel ipsa approbatio non deficit Sacerdoti, cum Mater Ecclesia, non deficiens in necessariis, quemlibet Sacerdotem approbet ad absolvendum in casu mortis, si non adsit jamjam approbatus.

Ad alteram probationem, iterum atque iterum nego paritatem : Episcopus quippe non amittit per censuram characterem & jus innatum conficiendi Sacramenta; unde censura eum taotummodo ligat, ut ea licite faciat.

Premes : Atqui dispensatio non valet ut simplex Sacerdos sit Minister extraordinarius Confirmationis : Et probatur : Summus Pontifex non potest dispensare in jure divino : Atqui ex jure divino competit Episcopo chrismare : Igitur dispen-

dispensatio dari non potest pro hoc momento simplici Sacerdoti.

Respondeo, negando subsumptum: Ad probationem, distinguo. Summus Pontifex non potest dispensare in jure divino determinato in individuo, concedo: Non sic determinato, nego. Dictum est in tractatu de Sacramentis in genere, Christum quædam reliquisse determinanda pro Sacramentis ab Ecclesia, & hoc potissimum circa Ministros; quorum numerus modo magnus, modo etiam parcior & fuit, & est: Igitur, urgente necessitate, & rationabili de causa, summus Pontifex privilegium chrismandi simplici Sacerdoti concedere potest.

Urgebis: Si summus Pontifex posset in hoc dispensare, maxime sui characteris ratione, eum scilicet ad simplicem Sacerdotem extendendo; namque confirmare est actus sacramenti Ordinis, ejusque effectus: Atqui non potest ex utraque parte: Ergo &c. Probatur minor multipliciter. Primo quidem, quia character Papalis communicari non potest. II. Ex eo quod character Presbyteri sit quid physicum spirituale, & indivisibile, & ideo extensionis incapax. III. Causa in hypothesi ageret in distans, puta summus Pontifex concederet Romæ dispensationem pro aliquo, v.g. in Oriente existente & commorante. IV. Episcopatus est ordo ita diversus a Presbyteratu, ut non sine consecratione nova, aliquis inauguretur in Episcopum; hinc illa nova ordinatione omissa, Presbyter ad ministerium Episcopi ascendere non valet.

Respondeo primo cum D. Thoma in probationibus laudato, summum Pontificem habere in hoc dispensandi potestatem ratione plenitudinis Sacerdotii Christi, quam veluti mare magnum in ceteros quasi fluvios perenniter extendere potest, & ratione consecrationis Papalis, qua constituitur totius Ecclesiæ caput, cujus virtutem ad alios veluti ad membra transmittere potest; & ratione jurisdictionis universalis super omne corpus Christi mysticum: Sicque dispensatio duo potissimum importat, aliquid scilicet physicum in charactere summi Pontificis; deinde aliquid morale supremam ipsius connotans potestatem, & Christi institutionem, eo non absimili modo, quo potestas regia supponit aliquid physicum, jus scilicet innatum pro filio, qui, mortuo patre, inauguratur in Regem: & aliquid morale quo ratione Dominii in subditos conjungitur eis quos elegit in Præfectos Provinciarum, qui ratione hujus electionis dominantur supra servos Regis: sic &c. Pontifex summus per dispensationem quæ explicatur in instrumento authentico, conjungitur simplici Sacerdoti absenti, ut chrismare valeat.

Respondeo secundo negando minorem. Ad primam probationem, distinguo: Character Papalis communicari nequit physice, concedo: Moraliter, & juxta datam explicationem, nego.

Ad secundam similiter distinguo: Character Presbyteratus est incapax extensionis physicæ, concedo; moralis, subdistinguo; ad consecrandos Sacerdotes, concedo, hoc quippe munus nonnisi summum Hierarcham spectat: ad chrismandum, nego.

Ad tertiam, nego in hypothesi causam agere in distans, quandoquidem summus Pontifex conjungitur per dispensationem in instrumento expressam cum simplici Sacerdote, qui & relationem ad eum ipsum habet, quatenus non agit nisi summi Pontificis privilegio munitus.

Ad quartam, distinguo: Presbyteratus est diversus ordo ab Episcopatu, & potest extendi, concedo: & non potest, nego. Quocirca ratione dispensationis potest assumi ad aliquam Episcopi Hierarchicam operationem, qualis est chrismatio in fronte; ceterum requireretur quidem nova ordinatio ut simplex Sacerdos evaderet ordinarius Confirmationis Minister, sed non extraordinarius.

Perges: Si dispensatio sufficit ad hoc ut simplex Sacerdos chrismet in fronte, sequitur summum Pontificem electum & nondum consecratum Presbyterum & Episcopum, posse hanc concedere dispensationem, adeoque exercere actum ordinis, quandoquidem ad jurisdictionem pertinet dare privilegium. Sed absurdum consequens: ergo & antecedens.

Respondeo negando sequelam; namque dispensare est actus characteris & ordinationis, quo summus Pontifex accipit plenitudinem potestatis super corpus Christi verum & mysticum; quocirca cum jurisdictio in his præcedentibus fundetur, sum-

summus Pontifex nondum consecratus nequit exercere jurisdictionem quantum ad dispensationem in gratiam simplicis Sacerdotis, ut iste illa munitus chrismare valeat in fronte.

Ex his sequitur solum summum Pontificem posse laudatam concedere dispensationem, namque hoc spectat universale Ecclesiæ bonum: unde ab eo solum profluit in quo est plenitudo Sacerdotii Christi.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Simplex Sacerdos potest per dispensationem chrismare in fronte.

PRIMO: Hoc expresse declarat sacra Synodus Florentina in instructione Armenorum.

Secundo Gregorius Magnus Papa ad hunc effectum concessit privilegium, & certe citra temeritatis livorem.

Tertio: Rationem affert D. Thomas, eo quod summus Pontifex per potestatem plenariam in totum Ecclesiæ corpus, hoc ipsum liquido possit concedere.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET RESOLUTIONUM.

PRIMO: Quotiescumque aut summi Pontifices, aut Concilia & Patres pronuntiant solum Episcopum esse Confirmationis Ministrum, dubio-procul loquuntur de jure innato & ordinario, adeoque non excludendo privilegium quod ipsa lex generalis quandoque suscipit.

Secundo: Non eodem modo ratiocinandum est de Diacono ac de Presbytero. Et vero ille non habet characterem etiam physice completum, quocirca neque consecrare panem, neque a peccatis absolvere potest, & ea munia a Tridentino solis Sacerdotibus per exclusionem inferiorum Ministrorum tribuuntur; at iste habet potestatem in corpus Christi verum & mysticum. Igitur non est inconveniens ut per dispensationem chrismet in fronte.

Tertio: Hoc privilegium a summo pronanat Pontifice consecrato, quatenus & virtutem characteris, & efficaciam jurisdictionis ad simplicem Sacerdotem potest extendere.

ARTICULUS QUINTUS.

De effectibus Sacramenti Confirmationis.

DUO sunt Confirmationis effectus, scilicet gratia, & character. De utroque seorsim agendum incumbit. Quare sit

SECTIO PRIMA.

Utrum gratiam peculiarem Confirmatio producat, & quanam sit?

LUTHERUS libro de Captivitate Babylonica scripsit Eucharistiam vim habere confirmandi. Idem præstare Baptismum docuit Kemnitius in examine Concilii Tridentini. Calvinus l. 4. inst. c. 29. §. 8. affirmat Baptismum sine Confirmatione rite perfici, illudque Sacramentum dare Spiritum sanctum ad robur, & plenitudinem christianitatis: idem tradit Dallæus l. 1. c. 11. ut autem convellantur, statuendum est primo gratiam peculiarem sibi soli propriam conferre Sacramentum Confirmationis; secundo gratiam illam non esse ad justificationem, sed ad augmentum: unde sit

CONCLUSIO PRIMA.

Gratiam singularem confert Baptizatis Confirmatio.

Probatur multipliciter.

PRIMO, ex Scripturis sacris. Act. 8. hæc leguntur: *Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum*: inde eruitur Confirmationem contulisse Spiritum sanctum: Sed nomine Spiritus sancti eo loci intelligitur gratia sanctificans, seu potius ejus augmentum: Et probatur. Dederunt Apostoli id quod receperunt in die Pentecostes: Sed in hac die nedum gratias gratis datas, sed & gratiam sanctificantem acceperunt, juxta illud Joannis c. 14. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum Spiritus veritatis, quem mundus non potest accipere*. Ergo &c.

Se-

Secundò, ex Traditione: Tertulianus L. de Baptismo c. 7. sic ait: " Egressi de lavacro perungimur benedictâ unctione: in nobis currit carnaliter unctio, sed spiritualiter proficit, quomodo & ipsius Baptismatis carnalis actus. " Ibi de spirituali progressu fit mentio, agnoscit igitur gratiam peculiarem dari in Confirmatione. Concinit sanctus Cyprianus, hęc scribens ad Jubajanum Epist. 73. pag. 184. " Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur præpositis Ecclesiæ offerantur, & per nostram orationem ac manus impositionem Spiritum sanctum consequantur, & signaculo Dominico consummentur. " S. Augustinus Tract. 6. in Joannem sic loquitur: " Si ergo per hæc miracula, *scilicet donum linguarum*, modo testimonium præsentiæ Spiritus sancti non fit; unde cognoscit quisque accepisse se Spiritum sanctum? Interroget cor suum; si diligit fratrem, manet spiritus Dei in illo. "

Suffragatur Innocentius Papa I. " Presbyteris, *inquit*, *in Epist. ad Decentium*. " Seu extra Episcopum, seu præsente Episcopo baptizent, chrismate baptizatos ungere licet: sed quod ab Episcopo fuerit consecratum, non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis cùm tradant spiritum Paracletum. " Porrò dare Spiritum santum & magnam conferre gratiam idem est.

Tertiò, ex ratione: Si gratiam sibi propriam non conferret Confirmatio, hæc dubio-procul daretur in unctione baptismali: sed hoc dici non potest, alias frustra commendasset Ecclesia sacramentum Confirmationis administrari; incassum solis Episcopis ut Ministris ordinariis hanc demandasset Provinciam. Ergo &c.

CONCLUSIO SECUNDA.

Gratia confirmatoria est gratia secunda quæ præbabitam justitiam auget.

Probatur multis mediis.

PRIMO: Ex modo loquendi Patrum, qui illam appellant nominibus perficientis, augmenti, confirmationis, roboris, & docent ea nos fieri perfecte Christianos Sic Patres Eliberitani tradunt can. 33. his verbis: " Ut per manum impositionem perfici possit. " Et canone 77. " Eos, *inquiunt*, per benedictionem perficere debebit. " Sic Auctor librorum de Sacramentis, apud D. Ambrosium L. 3. cap. 2. " Post fontem, *ait*, superest ut perfectio fiat, quando ad invocationem Sacerdotis Spiritus sanctus infunditur. "

Gratiam augmenti appellarunt Hilarius Arelatensis Homilia de Pentecoste: " In Confirmatione, *ait*, augmentum *præstat ad gratiam*. " Gofridus Vindocinensis Opusc. 9. " Tribuitur ad virtutis augmentum. "

Gratiam consummationis vocat sanctus Cyprianus Epist. 73. ad Julian. " Et signaculo Dominico consummentur, *inquit*: Nomine gratiæ roboris donatur ab Hilario Arelatensi jam citato his verbis: " Paracletus regeneratis in Christo custos, & consolator, & tutor est. Post Baptismum, confirmantur ad pugnam; post Baptismum roboramur. Victuris necessaria sunt Confirmationis auxilia. " Idem dicit Rabanus Maurus L. 1. c. 30. " Ut roboretur, *inquit*, per Spiritum sanctum ad prædicandum aliis idem donum quod ipse in Baptismate consecutus est. "

Secundo: Sacramentum illud conferre gratiam qua perfecte Christiani sumus, affirmat sanctus Cyrillus Hierosolymitanus catech. 3. Myst. his verbis: " Hujus chrismatis dono accepto merito appellamini Christiani, veram efficientes appellationem in ipsa regeneratione: ante enim quam hæc gratia vobis donata esset, non eratis proprie digni eo nomine, sed pergentes eo usque progressi estis, ut efficeremini Christiani.

Tertiò: Ex sancto Thoma, qui 3. p. q. 73. art. ait: " Sicut ad vitam corporalem requiritur generatio per quam homo vitam accipit, & augmentum, quo homo perducitur ad perfectionem vitæ; ita etiam requiritur alimentum quo homo conservatur in vita. Et ideo sicut ad vitam spiritalem oportuit esse Baptismum, quæ est spiritualis regeneratio, & Confirmationem, quæ est

„ spirituale augmentum; ita oportuit esse „ se Sacramentum Eucharistiæ, quod est „ spirituale alimentum. „ Et ad 1. " Dicendum, quod duplex est perfectio: „ Una quæ est in ipso homine ad quam „ perducitur per augmentum, & talis perfectio competit Confirmationi „ &c. „

Juvat istas probationes claudere miris Rabani verbis, qui L. 1. c. 30. sic loquitur: " Signatur baptizatus cum chrismate per Sacerdotem in capitis summitate, per Pontificem in fronte: ut priori „ unctione significetur Spiritus sancti super „ ipsum descensio ad habitationem Deo „ consecrandam; in secunda quoque, ut „ ejusdem Spiritus sancti septiformis gratia cum omni plenitudine sanctitatis, „ & scientiæ, & virtutis venire in homine declaretur. Tunc enim ipse Spiritus sanctus post mundata & benedicta corpora atque animas, libens a Patre descendit, ut vas suum sua visitatione sanctificaret, & illustraret: & „ nunc in hominem ad hoc venit, ut signaculum fidei quod in fronte suscepit, „ faciat eum donis cœlestibus repletum, „ & sua gratia consortatum intrepide, „ & audacter coram Regibus & Potestatibus huius sæculi portare, ac nomen Christi libera voce prædicare. „

Solvuntur objectiones contra primam conclusionem.

OBJICIES primo: Illud Sacramentum non habet peculiarem effectum, cujus effectus datur in Baptismate: Atqui in sensu Patrum, unctio verticalis quæ fit in isto Sacramento constituit recipientes perfecte Christianos. Ergo &c. Probatur minor: Censeri plene & perfecte Christianum & vocari Christianum, unum & idem est apud sanctos Patres: Atqui docent per Baptisma nos fieri perfecte Christianos, ita sanctus Cyrillus catechesi. 3. myst. " Hoc accepto, *inquit*, chrismatis „ dono, merito appellamini Christiani. „ Justinus Martyr in quæstionibus ad Orthodoxos q. 137. " Ungimus, *ait*, in „ Baptismo ut Christi, & uncti dicamur. „ Sanctus Cyprianus Epist. 70. " Ungi, quoque *ait*, necesse est cum qui „ baptizatus sit: ut accepto chrismate, „ id est, unctione, esse unctus Dei, & „ habere in se gratiam Christi possit. „ Ergo &c.

Respondeo negando minorem. Ad probationem distinguo minorem: Qui unguntur in Baptismate sunt Christiani formaliter, concedo: plene, nego minorem, & consequentiam. In mente SS. Patrum uncti in Baptismo sunt Christiani intrinsece & extrinsece: intrinsece quidem propter gratiam receptam in hoc Sacramento, extrinsece vero propter unctionem verticalem; sed nondum pervenerunt ad perfectionem Christianismi; quam habent dumtaxat a sacramento Confirmationis: hinc sanctus Cyrillus laudatus de chrismate confirmatorio, sic fatur: " Hu„ jus chrismatis dono accepto merito ap„ pelamini Christiani, &c. „ Quod ad Justinum spectat, conveniunt omnes, eum non esse auctorem præfati Operis. Ad D. Cyprianum distinguo: Qui unctus est in Baptismo habet gratiam, & est Christianus quoad filiationem adoptivam, concedo; est enim vere filius & hæres; quoad perfectionem Christianismi, nego: non enim evadit miles & fidei defensor, nisi per Confirmationis Sacramentum.

Instabis: Ex concessis baptizati uncti sunt exterius, & interius; habent quippe interius plenitudinem gratiæ: Igitur sunt plene & perfecte Christiani sine Confirmatione.

Respondeo distinguendo: Baptizati habent plenitudinem gratiæ ad salutem, concedo: ad robur ut fortiter resistant fidei inimicis, nego; talis autem datur per Confirmationem. Nam ex divo Thoma est plenitudo gratiæ christianæ sufficiens ad salutem, & hæc datur in Baptismo; & est plenitudo gratiæ ad fortiter resistendum, & hæc tribuitur in Confirmatione. Ab hac ultima plenitudine fideles denominantur perfecte Christiani.

Urgebis: Atqui baptizati habent plenitudinem christianitatis. Ergo &c. Probatur subsumptum. S. Augustinus L. 17. de civ. Dei. c. 4. eos vocat Christos: " Omnes chrismate unctos, *ait*, recte „ Christos possumus dicere. „ Sed qui ipsius Christi nomine insigniuntur, sunt plene & perfecte Christiani. Ergo &c.

Respondeo negando subsumptum. Ad probationem distinguo: Qui Christi nomine

mine insigniuntur, sunt perfecte Christiani quantum ad filiationem Dei adoptivam, concedo; sunt enim regenerati & vere filii: quantum ad perfectionem, nego. Perfectio quippe consistit ut quis in filiatione Dei constitutus, sit etiam miles & fidei Christi defensor, istum autem effectum sola producit Confirmatio: sanctus Augustinus loquitur in primo sensu, & non excludit alterum.

Persistes: Unctio Baptismatis nedum instituta est ut filios, & membra det Christo, sed & ut confirmet in gratia baptismali: Ergo &c. Probatur antecedens 1. ex divo Thoma, qui 3. p. q. 71. art. 3. ad 4. sic ait: " Eorum quæ aguntur post „ Baptismum circa baptizatum, aliquid „ est quod non solum significat, sed ef„ ficit; puta inunctio chrismatis in ver„ tice, quæ operatur conservationem „ gratiæ baptismalis. „ Præluserat Rabanus Maurus, qui Lib. 1. capite 28. sic docet: " Spiritus sanctus per unctionem „ chrismatis in Baptismate confert viro„ rem cœlestis gratiæ. „ Et prius c. 27. " A Sacerdote baptizatus inungitur, ut „ sacrum Baptisma cum fide accepta cu„ stodiatur. „ Ita similiter Gerson, qui 2. p. in compendio Theologiæ affirmat: " Chrismatione baptismali mentem reddi „ imputribilem Deo. „ Ergo &c.

Respondeo negando antecedens: Ad probationem distinguo: Uunctio baptismalis operatur ad conservationem gratiæ, pios scilicet animi motus & affectus excitando, quique fluunt a precibus Ecclesiæ, quæ eos impetrat pro illis qui in vertice inunguntur, concedo: unctio illa conservat gratiam quæ fluit a Spiritu sancto in anima regnante, eamque donis suis cumulante ad robur pro fide coram tyrannis defendenda, nego antecedens; iste enim effectus habetur dumtaxat a sacramento Confirmationis: Non diffitemur tamen Baptismum dare jus ad auxilia quibus vita christiana instituitur, sed dubio procul non confert gratiam quæ ex sua speciali energia det vim fidem fortiter, sæviente mundo, defendendi.

Ad secundum distinguo: Unctio chrismatis in Baptismate confert virorem gratiæ, id est spem majoris gratiæ, concedo: id est, plenitudinem, nego. Ad primum ibi intendit Rabanus Maurus, quippe qui alludat ad ramum olivæ viridem quem post diluvium columba detulit ad arcam: porro consecrat baptizatum Spiritus sanctus; corroborat autem per Confirmationem. In secundo testimonio non loquitur Rabanus de unctione verticali chrismatis, sed de unctione quæ fit in pectore, & inter scapulas ex oleo solo. Sic enim habet ibidem: " Ungetur illius tunc „ pectus de oleo sanctificato cum invo„ catione sanctissimæ Trinitatis, ut nul„ læ reliquiæ latentis inimici in eo resi„ deant, sed in fide sanctæ Trinitatis „ mens ejus consertur. Ungetur & in„ ter scapulas de eodem oleo, ut undi„ que muniatur. „

Ad auctoritatem Gersonii hæc sunt ejus verba: " Post Baptismum fit unctio „ chismatis in vertice ut appareat mens „ imputribilis Deo. „ Quæ procul-dubio non denotant mentem fieri imputribilem per illam unctionem: Sensus igitur ejus est, quod unctio Baptismatis signum sit gratiæ in hoc Sacramento collatæ; qua gratia mens redditur imputribilis Deo. Putat quidem Dominicus Soto unctionem baptismalem producere pios motus ex opere operato, sed ei singularis est hæc opinio.

Insistes: Hugo Victorinus L. 2. de Sacramentis p. 7. c. 3: Rupertus L. de divinis officiis c. 16. Amalarius L. 1. c. 27. & Rabanus L. 1. c. 27. docent omnes cæremoniam chrismatis fuisse institutam ut suppleret defectus Confirmationis. Igitur a tempore quo adhibita est unctio verticalis, inutilis est Confirmatio ad robur, sed Baptisma gratiam filiationis simul & roboris confert.

Respondeo distinguendo: Unctio fuit instituta, ut, qui non possunt ungi ab Episcopis in fronte, saltem ungerentur in Baptismate a Sacerdotibus, concedo: & putant illi auctores gratiam Confirmationis suppleri per unctionem baptismalem, nego. Porro necessitatem Confirmationis agnoscit Hugo Victorinus ibidem his verbis: " Timendum est iis qui per negligen„ tiam amittunt Episcopi præsentiam, „ & non suscipiunt manus impositionem, „ ne forte propterea damnentur, quia „ festinare debuerunt, dum potuerunt. „ Propter eos enim, qui articulo tem„ poris præveniuntur, instituta est illa, „ qua Sacerdos baptizatum statim in vertice li-

„ linit, sacri chrismatis unctio : ut in „ hoc ipso ostendatur, quantum Sacra„ mentum istud necessarium sit ad salu„ tem, cum tamen solicite, universis ca„ vetur, ne forte sine ipso ab hac vita „ substrahantur. „

Respondeo secundo Hugonem eo loci non loqui de Confirmatione, sed de unctione baptismali, quam vult conferri in articulo mortis quando fuit omissa, ne Fidelis absque Baptismo ex omni parte integro e vita migret : " Propter eos enim qui „ articulo temporis preveniuntur, insti„ tuta est illa, qua Sacerdos baptizatum „ in vertice linit. „ Quod autem non abnuat Confirmationis Sacramentum ibidem prius dixerat : " Sylvester Papa con„ stituit, ut baptizatum Presbyter in „ vertice chrismate liniat; propter occa„ sionem quidem transitus mortis ; ne „ forte per absentiam Episcopi, & diffi„ cultatem eum consequendi, sine manus „ impositione baptizatum ab hac vita mi„ grare contingeret; quod quidem omni„ no periculosum esset. „ Ibi non tacetur manus impositio, seu Confirmatio. Igitur Hugo vel vult per privilegium a sancto Sylvestro concessum simplicem Sacerdotem in articulo mortis, deficiente Episcopi copia, posse manus imponere & chrismare moribundum in fronte ; vel si loquatur solum de unctione verticali, intendit illam quodammodo, & secundum quid eatenus supplere Confirmationis effectum, quatenus Baptismus cum omni cæremonia datus, includit votum Confirmationis, quam Patres primorum sæculorum appellant Baptismatis appendicem.

Jam ad Rabanum veniamus. Citra dubium est eum putare Confirmationis effectum esse necessarium, & ab effectu Baptismi prorsus distinctum : Hæc enim ibidem subjungit : " Paracletus regenera„ tis in Christo custos, consolator, & „ tutor est, qui possent, suadente diabo„ lo, sicut parvuli facultatem, perdere „ Baptismi utilitatem, si hunc non ha„ beant tutorem. „

Non absimili modo fit satis instantiæ auctoritate Amalarii suffultæ : ibi enim distinguit effectum Confirmationis ab effectu unctionis verticalis : sic enim ait : " Sacerdos qui ungit Neophytum, verbis „ suæ orationis solutionem vinculorum, „ & alligationem vulnerum monstrat di„ cens : Deus &c... Postea additus me„ moratus Sacerdos : ipse linit te chri„ smate salutis in vitam æternam. Epi„ scopus vero transilit verba : ipse te „ linit chrismate salutis : quasi ditior, „ non solum ut salvare possit, sed etiam „ ditare, & dicit : Emitte in eum Septi„ formem Spiritum sanctum tuum Paracle„ tum de cœlis, spiritum sapientiæ &c. „

Instabis : Saltem panis Eucharisticus supplet effectum Confirmationis : Ergo &c. Probatur antecedens : cor hominis confirmat ex Scripturis, tribuit vires ad resistendum fortiter hostibus fidei. Quid plura ? Ex Cypriano Epist. 54. & 56. *Auget atque perficit*, quia est alimentum animæ.

Respondeo distinguendo : Panis Eucharisticus corroborat tamquam aliquid adveniens, & reddens subjectum firmius contra interiora tantum, concedo : quantum ad extrinseca, subdistinguo : in quantum est quoddam signum passionis Christi per quam victi sunt dæmones, sicque eorum impugnationem repellit, concedo : auget & perficit in ordine ad expugnandas potestates exteriores infidelium, nego. Porro Eucharistia est alimentum, Confirmatio vero sacramentum plenitudinis ætatis Christi. Solutio est D. Thomæ, qui 3. p. q. 79. art. 6. eo loci quærit utrum per Eucharistiam præservetur homo a peccatis ? Et sic respondet : " Hoc Sacramentum præservat a pecca„ to. Nam primo quidem per hoc quod „ Christo conjungit per gratiam, robo„ rat spiritualem vitam hominis tam„ quam spiritualis cibus & spiritualis „ medicina, secundum illud Ps. 103. Pa„ nis cor hominis confirmat, & Augu„ stinus dicit super Joan. Securus acce„ de, panis est, non venenum. Alio mo„ do in quantum est signum quoddam „ passionis Christi per quam victi sunt „ dæmones, repellit omnem dæmonum „ impugnationem' „ Rursus art. 1. ad 1. sic loquitur : " Restat igitur ut cùm „ ipsum Sacramentum realiter sumitur, „ quòd gratia augeatur, & vita spiri„ tualis perficiatur. Aliter tamen quam „ per sacramentum Confirmationis, in „ quo augetur, & perficitur gratia ad „ persistendum contra exteriores impu-

gna-

„ gnationes inimicorum Christi: per „ hoc autem Sacramentum augetur gra„ tia, & perficitur spiritualis vita, ad „ hoc quod homo in seipso perfectus exi„ stat per conjunctionem ad Deum. „

Quod spectat ad testimonium depromptum ex D. Cypriano; illi de quibus loquitur, jam susceperant sacramentum Confirmationis; quia vero in hæresim vel in peccatum grande prolapsi fuerant, reconciliandi erant, & admittendi ad Eucharistiam, ut robur in Confirmatione prius acceptum, exsuscitaretur.

Instabis: Atqui Eucharistia per se primo tendit, ut det robur adversus fidei inimicos debellandos: Ergo &c. Probatur subsumptum ex sancto Cypriano, qui silens Confirmationem, jubet Eucharistiam a Diaconibus deferri ad Confessores roborandos contra tyrannos obstrepentes, ne inermes descendant ad prælium. Sic loquitur Epist. 54. " Nec morientibus, sed „ viventibus communicatio a nobis dan„ da est, ut quos excitamus, & hor„ tamur ad prælium, non inermes & „ nudos relinquamus, sed protectione „ sanguinis & corporis Christi munia„ mus. „ Ergo &c.

Respondeo negando subsumptum. Ad probationem distinguo: Ex sancto Cypriano Eucharistia roborat baptizatum per modum alimenti ad propugnandos fidei hostes, concedo: Per modum armaturæ, nego. Duo requiruntur in milite ad pugnandum, videlicet alimentum, & armatura: Primum requiritur ut conditio sine qua non, alterum ad digladiandum, & contundendum hostem. Eucharistia est cibus vegetans animam, ut possit fideliter sustinere armaturæ pondus: Confirmationis vero gratia se habet ut gladium anceps, quo armatus baptizatus, & hac fortium armatura stipatus sustinet infidelium impetus, immo ipsos aggreditur hostes, atque debellat. Sic beatus Laurentius irridendo Tyrannum dicebat: " Assatum est jam, *ut canit Ecclesia*, „ versa & manduca, nam facultates pau„ perum, quas requiris, manus pauperum „ in cœlestes thesauros deportaverunt. „ Sicque effectus gratiæ Eucharistiæ, & effectus gratiæ Confirmationis specie differunt.

Contra; Gratia quæ fugat dæmones, & Christianum vel ipsi diabolo reddit terribilem, habet per se primo dare robur adversus fidei inimicos: Atqui talis est effectus gratiæ Eucharistiæ. Igitur nedum per modum alimenti, sed per modum armaturæ dat robur. Confirmatur: Gratia illa fundatur in præsentia Christi: Sed præsente Christo fugiunt & expavescunt tartareæ potestates. Ergo &c. Hæc duplex argumentatio colligitur ex sancto Chrysostomo, qui Homil. 61. ad popul. Antioch. sic loquitur: " Tamquam „ leones igitur ignem spirantes ab illa „ mensa recedamus, facti diabolo terribi„ les. „ Et Homil. 60. " Ecce eum vi„ des, ipsum tangis. „ Scilicet Christum.

Respondeo distinguendo: Talis est gratia Eucharistiæ ratione Christi, qui est realiter præsens in hoc Sacramento, concedo. Ratione sui, nego. Duo sunt in sacro Eucharistiæ Sacramento consideranda: videlicet Christus, & gratia Sacramenti: Christus præsens fugat dæmones, & nos cum illo sacramentaliter incorporati terribiles evadimus diabolo: Christus est omnis gratiæ auctor, sed illam per Sacramenta distribuit prout vult: " Per „ Baptismum enim, *inquit Eugenius IV.* „ spiritualiter renascimur: Per Confirma„ tionem augemur in gratia, & robora„ mur in fide &c. „ Igitur gratia Eucharistiæ non est omnis gratia, sed solum gratia alimenti, unde subdit summus Pontifex: " Nutrimur divina Eucharistiæ ali„ monia. „ Licet igitur Christus sit realiter in Eucharistia præsens, non inde sequitur illud Sacramentum producere omnes effectus supernaturales, alias cetera Sacramenta forent inutilia, quod dici catholice non potest. Et sic patet solutio ad Confirmationem.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Gratiam specialem producit Confirmatio, sed secundam, quæ præhabitam justitiam auget.

PRIMO, quod Confirmatio producat gratiam specialem habetur Act. 8. his verbis: *Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum*. Concinit Tertullianus L. de Baptismo c. 7. in primis Innocentius I. Epistol. ad Decen-

tium, ubi expresse dicit Episcopum per signationem in fronte tradere Spiritum sanctum.

Secundo, claret utique Confirmationem non aliam producere gratiam, quam secundam, cum sit Sacramentum vivorum: sed illa gratia est ad robur, ut teste sancto Cypriano Epist. 73. " Signaculo Do„ minico per eam consumentur. „ Christiani; & ut verbis Hilarii Arelatensis utar: " Paracletus regeneratis in Chri„ sto custos, & consolator, & tutor „ est. Post Baptismum confirmamur ad „ pugnam &c. „ Subscribit Cyrillus Hierosolym. Catech. 3. myst.

SYNOPSIS OBJECTIONUM ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Tametsi Baptismus roboret ad vivendum christiane & servanda mandata; non tamen ad pugnam.

Secundo: In Eucharistia Christus quidem est præsens, & in pectore fidelis consistens fugat dæmones: At non inde sequitur gratiam Eucharistiæ habere pro effectu speciali dare gratiam ad robur, sed potius per modum alimenti; sin minus cetera Sacramenta forent inutilia, si gratia Eucharistiæ omnem haberet effectum.

Tertio: Ultro fatemur Hugonem a S. Victore L. 2. de Sacramentis p. 7. c. 3. dicere chrismationem baptismalem supplere defectum Confirmationis omissæ, sed intellige, secundum quid, quatenus Baptismus ceremonialiter datus includit votum Confirmationis.

SECTIO SECUNDA.

Utrum Sacramentum Confirmationis a quocumque Ministro conferatur, imprimat Characterem?

LUTHERUS, Zuinglius, Calvinus, & Socinus, negarunt Confirmationem imprimere characterem. Sanctus Cyprianus una cum Episcopis qui rejiciebant Baptisma ab Hæreticis collatum, tenuit Confirmationem datam extra Ecclesiam esse inanem. Idem tenuerunt Donatistæ. Morinus Lib. 9. de Pœnitentiæ Sacramento c. 9. & 10. post Maldonatum scripsit Confirmationem ab Hæreticis etiam secundum ritum quem Christus instituit datam per mille, & amplius annos non valuisse; unde sequitur ex ipso per eam nullum characterem collatum fuisse recipientibus. Jam sit

CONCLUSIO.

Confirmatio a quocumque Ministro collata, modo requisita adhibeantur tam ex parte materiæ, quam ex parte formæ Characterem imprimit, unde iterari non debet.

Probatur auctoritate multiplici.

Primo, ex Scriptura.

NON obscure hanc declarat veritatem beatus Paulus Hæb. 6. his verbis: *Non rursum jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad Deum, Baptismatum doctrinæ, impositionis quoque manuum . . . impossibile est enim eos, qui semel sunt illuminati gustaverunt etiam donum cœleste, & participes facti sunt Spiritus sancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum virtutesque sæculi venturi, & prolapsi sunt; rursus renovari ad pœnitentiam.* Eo loci Apostolus loquitur tum de Baptismo, tum de Confirmatione: de Baptismo quidem per ista verba, *Baptismatum doctrinæ*, de Confirmatione vero istis ulterioribus verbis *impositionis quoque manuum*, sed declarat Baptismum non renovari cum ait, *impossibile est &c.* ibi vero eodem modo loquitur de Confirmatione, ac de Baptismo, siquidem postquam locutus est & de Baptismo, & de Confirmatione, subdit, *impossibile est qui semel sunt illuminati &c.* Igitur ex Apostolo sicut Baptismus imprimit characterem, quod colligimus ex eo quod teste B. Paulo non reiteretur: idem dicendum de Confirmatione.

In isto prorsus sensu S. Chrysostomus Comment. in c. 8. Actor. exponit locum Apostoli his verbis: " Cur autem hæc di„ cit, quoniam erat verisimile eos, vel „ cum jam credidissent vacillare, vel male, „ & dissolute vivere; dicit ergo, expergi„ scimini. Non licet dicere, si dissolute & „ negligenter vixerimus, rursus baptizabi„ mur; catechesi rursus instituemur, accipie-

„ cipiemus Spiritum ſanctum, & ſi a fide „ non exciderimus, rurſus baptizati po„ terimus peccata abluere, erratis; im„ poſſibile enim eſt eos qui ſemel ſunt il„ luminati &c. „ Illud conſequens eſt, ejuſmodi impoſitionem eſſe Confirmationem,

Secundo, ex Patribus.

PRIMO, ex laudatis D. Pauli verbis Heb. 6. colligunt ſancti Patres Confirmationem iterari non debere. Igitur ex eis Confirmatio a quocumque data imprimit characterem.

S. Chryſoſtomus ut ſupra ſic fatur: " Di„ cit ergo expergiſcimini. Non licet di„ cere, ſi diſſolute, & negligenter vixe„ rimus, rurſus baptizabimur; catecheſi „ rurſus inſtituemur, accipiemus rurſus „ Spiritum ſanctum, & ſi a fide non ex„ ciderimus, rurſus baptizati poterimus „ peccata abluere, erratis; impoſſibile eſt „ eos enim qui ſemel ſunt illuminati &c. „

Succinit S. Cyrillus Hieroſolymitanus, qui in fine protocatechos ait: " Det no„ bis Deus Spiritus ſancti ſignaculum in„ delebile in ſempiternum. „

Aſtipulatur S. Gregorius Nazianzenus adhortatione ad ſanctum lavacrum: ibi enim docet ſignaculum quod imprimitur chriſmate, manere poſt mortem. " Hac, „ *inquit*, & viventi tibi maximum eſt „ tutamentum: res enim quæ ſigillo in„ ſignita eſt, non facile patet inſidiis: „ quæ vero ſignata non eſt, facile a fu„ ribus capitur, & vita ſancta res eſt ac„ commoda quæ ſepulturam comitetur. „

Eamdem tradunt Patres Latini doctrinam: primo quidem cum pronunciant nos in Confirmatione firmari, velut milites Chriſti: ſicut ergo ſignaculum militiæ corporeæ eſt ſignum quod a milite, quandiu miles eſt, non amittitur, idem dicendum de Confirmatione. Porro S. Cyprianus poſt Tertullianum, ſcilicet Epiſt. 73. hæc habet: " Ut ſigillo Domi„ nico conſummentur. „ Innocentius I. ait Epiſt. ad Decent. n. 3. p. 571. apud Binium: " Hæc autem Pontificibus ſolis „ deberi, ut vel conſignent, vel Para„ cletum Spiritum tradant. „

S. Leo Magnus Serm. 4. de Nativitate, vocat Confirmationem *ſignaculum vitæ æternæ*. S. Auguſtinus Lib. de Cataclyſmo c. 1. " Signatus es, *ait*, regio charactere: „ cœpiſti conſequi annonam de menſa „ Regis tui. „ Per hæc verba, *ſignatus es*, indicat Confirmationem. Rurſus verba Divi Pauli ſuperius relata intelligit de Confirmatione, nempe in expoſitione Epiſt. ad Romanos.

Confirmationem iterari non poſſe aperte tradit Gregorius Magnus Lib. 2. Epiſtol. 31. his verbis: " De dedicationum Ec„ cleſiarum dubitatione hoc vos rite te„ nere debetis, quod nos ab anteceſſori„ ribus noſtris traditum accepimus, id „ eſt, ut quoties tam de Baptiſmo ali„ quorum vel Confirmatione, quam de „ Eccleſiarum conſecratione dubitatio ha„ betur, & nec ſcriptis, nec teſtibus ra„ tio certe habetur, utrum baptizati vel „ confirmati, ſive Eccleſiæ conſecratæ „ ſunt, ut baptizentur tales ac confir„ mentur, atque Eccleſiæ canonice dedi„ centur, ne talis dubitatio ruina Fide„ libus fiat: quoniam non monſtratur „ iteratum, quod non certis indiciis o„ ſtenditur rite peractum. „

Secundo ex Conciliis: Toletanum VIII. can. 7. " Sanctum chriſma, *inquiunt Pa*„ *tres*, collatum & Altaris honor avelli „ nequeunt. „ Sic Gregorius II. Epiſt. 9. ad Bonifacium. " De homine, *ait*, „ qui a Pontifice confirmatus fuerit, „ denuo illi talis reiteratio prohibenda „ eſt. „ Concilium Cabillonenſe II. hæc declarat c. 27. " Dictum eſt nobis, quod „ quidam de plebe bis aut ter ab Epiſco„ pis, ignorantibus iiſdem Epiſcopis, „ confirmentur: unde nobis viſum eſt „ eamdem Confirmationem ſicut nec Ba„ ptiſmum iterari debere. „ Ceterum nec Concilium I. Nicænum, nec Ancyranum, nec Laodicenum præcipiunt Confirmationem reiterari in Hæreticis, tametſi in ſuis viciſſim canonibus injungant pœnitentias & ſatisfactiones pro peccatis adimplendas, antequam Eccleſiæ reconcilientur. Sed non aliunde uſus iſte obtinuit non iterum ſignare Hæreticos jam chriſmatos, niſi ex eo quod Confirmatio imprimat characterem.

Hoc ipſum de fide definit Concilium Tridentinum ſeſſion. 7. canon. 9. his verbis: *Si quis dixerit in tribus Sacramentis, Baptiſmo ſcilicet, Confirmatione & Ordine, non imprimi characterem in anima,*

hoc.

hoc est, signum quoddam spirituale & indelebile, unde ea iterari non possunt, anathema sit.

Tertio, ratione Divi Thomæ, qui hic q. 72. art. 5. sic argumentatur contra impugnantes Confirmationis characterem. "In omni Sacramento, quod non reiteratur, imprimitur character: Sed hoc Sacramentum non iteratur; dicit enim Gregorius de homine, qui a Pontifice confirmatus fuerit denuo, talis iteratio prohibenda est. Ergo in Confirmatione imprimitur character."

Subjicit hanc alteram rationem in corpore articuli: sicut per Baptismum homo accipit potestatem ad ea agenda quæ propriam spectant salutem, ita & per Confirmationem accipit pro Christi fide defendenda. Cum ista potestas inhæreat animæ, quæ est incorruptibilis physice, & peccatum illi immediate non opponatur: nam est veluti gratia gratuita, scilicet pro defendenda religione, sequitur quod sit indelebilis, & consequenter non reiteretur. "In Baptismo, *ait S. Doctor*, accipit homo potestatem ad ea agenda quæ ad propriam pertinent salutem, prout scilicet secundum se ipsum vivit: sed in Confirmatione accipit homo potestatem ad agendum ea quæ pertinent ad pugnam spiritualem contra hostes fidei, sicut patet exemplo Apostolorum, qui antequam plenitudinem Spiritus sancti acciperent, erant in cænaculo perseverantes in oratione: postmodum vero egressi, non verebantur publice fidem fateri, etiam coram inimicis fidei Christianæ. Et ideo manifestum est quod in sacramento Confirmationis imprimitur character."

Diluuntur Objecta.

Objicies primo: Si Confirmatio characterem imprimeret, non foret iteranda quando debite ab Hæreticis fuit administrata. Atqui Confirmationem ab eis collatam velut nullam habuit Stephanus I. summus Pontifex: Et probatur ex sancto Cypriano, qui de decreto contra rebaptizantes ab illo emanato Epistola 74. sic loquitur: "Cur non in ejusdem Christi nomine illis (apud hæreticos) baptizatis manus imponitur ad accipiendum Spiritum sanctum? cur ejusdem majestas nominis non prævalet in manus impositione, quam valuisse contendunt in Baptismi sanctificatione? Nam si potest quis extra Ecclesiam templum Dei fieri, cur non possit super templum Spiritus sancti infundi?" Ibi S. Cyprianus supponit Stephanum velut nullam arbitratum fuisse Confirmationem ab Hæreticis collatam, & inde colligit eum etiam debuisse eorum Baptisma rejicere. Ergo &c.

Respondeo distinguendo: Et illa manuum impositio, quam fieri volebat Stephanus supra Hæreticos ab hæresi redeuntes, erat solum reconciliativa, concedo: confirmativa, subdistinguo: respectu illorum qui vel non receperant tale Sacramentum, vel absque forma legitima acceperant, concedo: Et nullam habuit Confirmationem ab eis collatam, nego. Ad auctoritatem divi Cypriani dico, hunc Doctorem supposuisse quod nusquam docuerat sanctus Stephanus, scilicet talem impositionem esse confirmatoriam; vel sibi animo effinxit talem Confirmationem, juxta mentem Stephani, primarium effectum Hæreticis contulisse, nempe augmentum primæ gratiæ, quod ab eo prorsus alienum est. Propugnabat Stephanus Confirmationem datam extra Ecclesiam verbis ab ipsa Ecclesia præscriptis validam quidem fuisse, sed non licitam.

Instabis: Atqui Stephanus nedum locutus est de manuum impositione reconciliativa, sed & de confirmativa, quandoquidem iterari debere declaravit, si ab hæreticis foret collata. Ergo &c. Probatur subsumptum ex sancto Cypriano, qui in sua ad Jubajanum Epistola sic habet, loquendo de Hæreticis: "Parum est eis manum imponere ad accipiendum Spiritum sanctum, nisi & accipiant Ecclesiæ Baptismum; tunc enim demum plene sanctificari & esse filii Dei possunt, si Sacramento utroque nascantur." Sed duplex illud sacramentum quo debent renasci Hæretici, est Baptismus & Confirmatio; nec enim qui baptizantur, per sacramentum Pœnitentiæ absolvuntur. Ergo &c.

Respondeo negando subsumptum. Ad probationem distinguo: E per hæc verba intel-

intelligit Cyprianus aquam & Spiritum sanctum ex quibus constare Baptismum ratus est, quibus sublatis, nullum esse Baptismum putavit, concedo: & intellexit Baptismum & Confirmationem, nego. Quod autem hæc sit mens ejus, patet ex istius Epistolæ 72. verbis subsequentibus: " Cum scriptum sit, *inquit*, „ Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spi„ ritu sancto, non potest intrare in re„ gnum Dei. „ Inane igitur putabat Cyprianus Baptismum, qui vel aqua, vel Spiritu sancto careret.

Urgebis: Atqui sanctus Cyprianus tenuit docuisse Stephanum per iterationem Confirmationis recipiendos esse Hæreticos: ergo &c. Probatur subsumptum: scripsit hunc Pontificem firmasse decretum suum ex Actuum textu c. 8. Sed ibi sermo est de impositione manuum confirmativa. Ergo &c. Sic loquitur Cyprianus Epist. ad Jubajanum: " Idcirco quia le„ gitimum & Ecclesiasticum Baptismum „ consecuti fuerant, baptizari eos ultra „ non oportebat, sed tantummodo quod „ deerat, id a Petro & Joanne factum „ est, ut oratione pro eis habita & ma„ nu imposita, invocaretur & infundere„ tur super eos Spiritus sanctus, quod „ nunc quoque apud nos geritur. „

Respondeo I. Sanctum Cyprianum, cum hæc scripsit, nondum accepisse decretum Stephani I. missum quippe fuit post secundum Carthaginense Concilium, in quo Africani Baptisma ab Hæreticis collatum, irritum esse pronunciaverant, & cujus acta ad summum Pontificem postea remiserunt.

Respondeo II. quandoque Patres iis uti Scripturæ testimoniis, quæ ad causam de qua agunt, proprie non pertinent: sic virtutem Baptismi S. Cyrillus probavit his Joan. 20. verbis: *Quorum remiseritis &c.* licet ergo Stephanus utatur testimonio deprompto ex Actuum c. 8. ut probet manus esse imponendas hæreticis, sensus non est eum voluisse talem esse confirmativam.

Repones: S. Augustinus non putavit Confirmationem imprimere characterem. Ergo &c. Probatur antecedens: Lib. 3. de Bapt. contra Donatistas c. 16. sic habet: " Manus autem impositio non sicut „ Baptismus repeti non potest. „ Loquitur autem sanctus Doctor de manuum impositione confirmativa, scilicet de eadem qua Act. cap. 8. Apostoli conferebant Spiritum sanctum: affirmat enim ibidem his verbis, olim per hanc manuum impositionem dona Spiritus sancti fuisse data: " Neque enim, *inquit ibidem*, tem„ poralibus & sensibilibus miraculis atte„ stantibus, per manus impositionem mo„ do datur Spiritus sanctus, sicut antea „ dabatur ad commendationem rudis fi„ dei, & Ecclesiæ primordia dilatanda; „ quis enim nunc expectat ut ii quibus „ manus ad accipiendum Spiritum san„ ctum imponitur, repente incipiant lin„ guis loqui? „

Respondeo distinguendo: Et impositio manuum quam dicit Augustinus repeti posse, est reconciliativa, concedo: confirmatoria, nego. In hoc capite de duplici manuum impositione loquitur: ad confirmatoriam refert collationem donorum Spiritus sancti; alteram vero asserit ministrari sæpius ab hæreticis redeuntibus; ibi intendit probare in sola Ecclesia Catholica Spiritum sanctum, seu justificationem dari.

Insistes: Concilium primum CP. can. 7. jubet ut hæretici Novatiani, Ariani & alii, recipiantur in Ecclesia per frontalem unctionem; sed talis est confirmativa: præcipit quippe Ministris ut hæc proferant verba, *Signaculum doni Spiritus sancti*: quam formam adhibent Græci. Atqui tamen illi omnes Hæretici jamjam confirmati fuerant: mos quippe tunc erat statim post Baptismum administrare Confirmationem & Eucharistiam. Ergo &c.

Respondeo I. illos Hæreticos de quibus loquuntur istius Concilii Patres, non curasse de administranda Confirmatione suis Neophytis: nam teste Theodoreto, suos Novatiani non inungebant; hæc enim habet Lib. 3. de fabulis Hæreticorum: " Iis „ quos baptizant, sanctissimum chrisma „ non præbent: quapropter eos qui ex „ hac hæresi corpori Ecclesiæ conjun„ guntur, laudatissimi Patres inungi præ„ ceperunt. „

Respondeo II. Damasum Papam, juxta Binium in notis ad hoc Concilium, approbasse solummodo primum canonem hujus Concilii: unde si quid contrarium Confirmationis Sacramento dixit,

xit, ut quid inane & nullius ponderis habetur.

Replicabis: In Euchologio Græco cujus auctor est Methodius Patriarcha CP. refertur modus recipiendi transfugas a Religione Christiana: ibi inter alia habetur conversos, baptizatorum instar, unguento ungi debere, relatisque locis in quibus unctio fieri debet, legitur forma Confirmationis.

Respondeo illum Methodium non esse tantæ auctoritatis, ut sit anteponendus Scripturæ & Patribus, Confirmationem non esse iterandam pronunciantibus: his adde istum Patriarcham non esse virum illum sanctum, qui circa annum Domini 840. dire a Photio fuit vexatus: sed alium schismaticum, qui an. 1240. vivebat. Quid plura proferam? Certum est Græcos, qui iterant Confirmationem collatam ab Hæreticis, post precationes huic unctioni adjunctas, suo nutu addidisse hujus sacramenti formam. Constat ex eo quod hæc verba desiderentur in pluribus Manuscriptis Græcis, teste Joanne Matthæo Caryophilocidonio sacræ Theologiæ Doctore, in linguis Græcis & Latinis versatissimo; nec etiam habetur in Euchologio manuscripto Patriarchalis Monasterii Cryptæ Ferratæ, quod se legisse affirmat Arcudius. Præterea illa unctio non est Sacramentum, ut ex nonnullis Euchologii verbis licet colligere, ejusmodi quippe homines jubet prius in balneo ablui, & albis indui post pœnitentiam; at hoc non est iterare Baptismum, sed reminiscentia quædam ejus puritatis quondam adeptæ in sacro fonte baptismatis. Igitur nec unctio illa est Sacramentum.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Confirmatio imprimit Characterem.

PRIMO: Quia ex Apostolo Hæbreor. 6. non reiteratur.

Secundo: Hoc ipsum propugnant Patres, ut Chrysostomus Comment. in cap. 8. Act. Cyrillus Jerosl. in fine Protocatech. his verbis: " Det nobis Deus Spiritus „ signaculum indelebile in sempiternum.„ Idem expresse dicit Concilium Toletanum octavum can. 7.

Tertio: Ita definivit Concilium Tridentinum Sess. 7. can. 9. sic traditio & usus Ecclesiæ docet.

SYNOPSIS OBJECTIONUM ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Imponebantur quidem manus Hæreticis ad reconciliationem, sed non ad robur, si antea fuerant chrismati.

Secundo: Incassum putavit Cyprianus Stephanum I. existimasse Confirmationem esse reiterandam in Hæreticis ad sinum Ecclesiæ redeuntibus, cum sanctus Papa nihil voluerit innovari contra Traditionem: Traditio autem nusquam permisit rursus confirmari eos qui jam signati erant; unde quando Augustinus ait Lib. 3. de Bapt. c. 16. " Manus autem im„ positio non sicut Baptismus repeti non „ potest:„ loquitur de manuum impositione reconciliativa.

Tertio: Esto quod Concilium I. CP. can. 7. jubeat Novatianos & Arianos iterum consignari, sed loquitur de his qui omiserant chrismationem frontalem, quandoquidem, teste Theodoreto L. 3. de fabulis Hæreticorum, Novatiani ut plurimum non curabant suos chrismare in fronte.

ARTICULUS SEXTUS.

De Subjecto & necessitate Sacramenti Confirmationis.

PAUCIS absolvetur hic ultimus de Confirmatione articulus: pauca enim admodum veniunt examinanda circa utramque tituli partem.

Quod spectat ad primam, quæritur I. qua ætate suscipi debeat? Si attendam ad jus divinum, nullum ætatis annum legimus in Scriptura notatum; unde ipsi etiam pueri sunt Confirmationis capaces: hinc primis sæculis, statim post Baptismum, cum præsens aderat Episcopus, ipsi pueri Confirmationis Sacramentum recipiebant: unde sancti Patres, scilicet Cyprianus, Cyrillus Jerosolymit. Pacianus, Ambrosius, conjungunt susceptionem Confirmationis cum Baptismo; ita simi-

similiter sanctus Hieronymus dialogo adversus Luciferianos: ita Concilia Eliberitanum & Laodicenum. Hanc pariter consuetudinem laudat S. Thomas 3. part. q. 72. art. 8. cujus hæc ratio est: " Per „ hoc Sacramentum, *inquit*, promovetur „ homo spiritualiter in ætatem perfe- „ ctam; hoc autem est de intentione na- „ turæ, ut omnis qui corporaliter na- „ scitur, ad perfectam ætatem perve- „ niat. Multo autem magis de intentio- „ ne Dei est omnia ad perfectionem du- „ cere, & ideo hoc Sacramentum debet „ omnibus exhiberi. „

Rursus ibidem ad 4. ait: " In puerili „ ætate homo potest consequi perfectio- „ nem spiritualis ætatis, & inde est quod „ multi in puerili ætate propter robur Spi- „ ritus sancti perceptum usque ad sangui- „ nem fortiter certaverunt pro Christo.„

Decursu tamen temporum, vel propter Episcoporum penuriam, vel ut suscipientes fidei professionem per se potius quam per patrinos pronunciarent, expectatum est donec ad annos discretionis pervenerint, sicque Confirmatio fuit separata a Baptismo: quis autem annus sit notatus, non clare apparet. Septennium assignavere multa Galliæ Concilia Provincialia, una cum Catechismo Romano: alii duodecimum posuerunt; verum illud est merum disciplinæ punctum, quod, ut ait Augustinus Epist. 118. " neque contra fidem, „ neque contra bonos mores injungitur, „ quod indifferenter est habendum, & „ pro eorum inter quos vivitur societate „ servandum est. „ In his autem in quibus expectatur ad septennium, potest, si voluerit Episcopus, tempus illud prævenire; hinc sanctus Thomas loco citato ad 4. sic loquitur: " Etiam morituris hoc „ Sacramentum dandum est, ut in resur- „ rectione perfecti appareant. „ Ita pariter Concilium Parisiense quartum can. 33.

Quænam autem sint dispositiones quas afferre debent Fideles ad susceptionem istius Sacramenti, breviter dicam. In adultis, si possint commode, exigitur ut sint jejuni, & si graviorum peccatorum rei sint, ea necesse est ut prius sacramentaliter Sacerdoti deponant. Hanc requirunt dispositionem varia Concilia, scilicet Lingonense, Trecense, Senonense, Carnotense, Parisiense, Rothomagense, Rhemense, Burdigalense, Bituricense, Aquense & alia: ibi declaratur adultos peccata debere confiteri, & jejunos accedere, si hora matutina hoc Sacramentum conferatur.

Audiendus est de hoc momento D. Thomas. 3. part. q. 7. ad 2. ubi sic discurrit: " Sicut ex ipso nomine apparet, hoc Sa- „ cramentum datur ad confirmandum „ quod prius invenerit: & ideo non de- „ bet dari his qui non habent gratiam; „ propter hoc sicut non datur non ba- „ ptizatis, ita non debet dari adultis pec- „ catoribus, nisi per pœnitentiam repa- „ ratis. Unde dicitur in Aurielanensi „ Concilio, ut jejuni ad Confirmationem „ veniant, ut moneantur confessionem fa- „ cere prius, ut mundi donum Spiritus „ sancti valeant accipere, & tunc per hoc „ Sacramentum perficitur pœnitentiæ ef- „ fectus, sicut & Baptismi: quia per gra- „ tiam collatam in hoc Sacramento con- „ sequitur pœnitens pleniorem remissio- „ nem peccati. Etsi aliquis adultus in „ peccato existens, cujus conscientiam non „ habet, vel si etiam non perfecte con- „ tritus accedat, dummodo non fictus ac- „ cedat, per gratiam collatam in hoc Sa- „ cramento consequitur remissionem pec- „ catorum. „

Quod pertinet ad necessitatem, constat Confirmationem necessariam non esse necessitate medii, quandoquidem absque ipsius actuali susceptione fidelis potest salvari. Ita Concilium Eliberitanum can. 77. sic propugnat sanctus Hieronymus Lib. adversus Luciferianos: verum necessaria est vel in re, vel in voto, ut quis sit perfecte Christianus: sic enim dumtaxat percipit plenitudinem Christianismi. Hoc ipsum docet D. Thomas 3. part. q. 72. art. 6. ad 1. " Sicut, *inquit*, nullus con- „ sequitur effectum Baptismi sine Bapti- „ smi voto, ita nullus consequitur effe- „ ctum Confirmationis sine voto ipsius. „

Verum teneantur Fideles sub pœna peccati lethalis, cum urget persecutio, Confirmationem recipere: sic propugnant sancti Patres, præsertim vero D. Cyprianus, qui Epist. 71. ad Januarium sic habet: " Ungi quoque necesse est eum qui ba- „ ptizatus sit, ut accepto chrismate, id „ est, unctione, esse unctus Dei, & ha- „ bere in se gratiam Christi possit. „

Syno-

Synopsis eorum quæ in isto articulo concluduntur.

PRIMO: Subjectum Sacramenti Confirmationis est omnis homo: cum enim ad perfectionem Christianismi conducat, ab ejus susceptione non excludendi sunt, inquit D. Thomas, vel ipsi pueri. Talis fuit priorum temporum consuetudo, ut admitterentur omnes indiscriminatim baptizati, etiam parvuli, ad Confirmationis Sacramentum: usus tamen postea obtinuit ad adultam usque ætatem Confirmationem procrastinare.

Secundo: Cum Confirmatio sit Sacramentum vivorum, requiritur gratia & charitas in eo qui illud accipit. Sic definiere multa Concilia, in primis Bituricense, Senonense &c.

Tertio: Tametsi illud Sacramentum non sit necessarium necessitate medii, bene tamen necessitate præcepti, sæviente persecutione.

DIS-

DISSERTATIO TERTIA,

DE IIS QUÆ PERTINENT

AD EUCHARISTIAM

TUM SECUNDUM SE,

TUM PENES MINISTRUM,

SUBJECTUM, EFFECTUS &c.

SPECTATAM.

EGIMUS in ſecunda parte hujuſce Sacramentorum Tractatus de realitate corporis Chriſti in Euchariſtia, & de Miſſæ ſacrificio adverſus Proteſtantes; ordo rerum poſtulat ut in hac tertia parte dogmata, quæ iſtius Sacramenti eſſentiam, materiam, formam, Miniſtrum, ſubjectum, & effectus reſpiciunt, explanemus. Non una eſt in his tractandis apud Theologos methodus, ſed Angelici Doctoris ordini inhærentes, hæc omnia ſic explicanda proponimus, tractando ſcilicet

Primo, de Sacramento Euchariſtiæ ſecundum ſe ſpectato.

Secundo, de ejus materia.

Tertio, de forma.

Quarto, de cultu.

Quinto, de effectibus.

Sexto, de ſubjecto.

Septimo, de uſu.

Octavo, de Miniſtro.

Nono, de eſſentia Sacrificii incruenti.

Decimo, de ejus valore.

Undecimo, de applicatione.

Duodecimo, de celebratione Miſſarum.

Decimo-tertio, de præcepto audiendi Miſſam.

ARTICULUS PRIMUS.

De dignitate, nomine & definitione ſanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti, & de ejus excellentia.

MERITO Dionyſius L. de Eccleſiaſtica Hierarchia auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, vocat *Sacramentum Sacramentorum*, Ignatius Martyr, *Pharmacum immortalitatis*, Hieronymus, *Novitatum novitatem*: Germanus Patriarcha CP. *Arcam luminis*: Damaſcenus, *Officinam miraculorum*: Bernardus, *Dulcedinem dulcedinum*: & juxta S. Thomam Opuſc. 57. totius cultus divini conſummationem, convivium omni ſuavitate repletum, in quo quidem ipſa dulcedo vel in ipſo fonte guſtatur. Quid hoc Sacramento mirabilius, exclamat idem ſanctus Doctor, in quo Chriſtus exhibet carnem ſuam in cibum, ſuum vero ſanguinem in potum, quo purgantur peccata, virtutes augentur, mens omnium ſpiritualium chariſmatum abundantia impinguatur. Sive igitur rem ipſam, quæ in hoc Sacramento continetur, conſideres, ſive modum

dum existendi contempleris, sive affectum quo traditum est, animo cogites, sive effectum, quem in mentibus, corporibusque nostris producit, diligenter perpendas, nihil non excelsum reperies; hinc inter cetera Sacramenta primum & principalem obtinet locum: dicente Augustino Tract. 26. in Joan. " O Sacramentum „ pietatis! o signum unitatis! o vinculum charitatis! „

N O M I N A.

Non una est Sacramenti Eucharistiæ significatio, non unus effectus; hinc & non unum nomen, cum res aliqua tum ab essentia sua, tum ab effectibus denominetur. Primo quidem Eucharistia spiritualem suo .. signat refectionem, quam ob caussam eam in pane & vino instituit Christus; quocirca dicitur & cibus, & potus, juxta illud Joan. 6. *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus.*

Quia vero corpus, & sanguis Christi in mensa sacra exhibentur, neque enim corpus vivens sine sanguine, & vicissim sanguis hominis viventis absque corpore est, hanc propter unionem Sacramentum istud nomine Communionis insignitur, quippe quod Fideles cum Christo, quem sumunt, ipsos vero ad invicem quatenus de eodem cibo & potu participant, conjungat. Quam admirabilem unionem explicat S. Hilarius Lib. 8. de Trin. dicendo Christum esse naturaliter in Patre per suam nativitatem æternam, nos vero in ipso etiam quasi naturaliter, & per generationem temporalem qua nostræ naturæ hypostatice unitus est, & per Mysterium Eucharistiæ, quia naturam assumptam iterum nobis ibi unit. Audiendus est de hoc momento S. Cyrillus Alex. qui L. 10. in Joannem cap. 13. ista Christi verba, *In me manet, & ego in eo*, explanans, ait: " Si quis ceram alteri ceræ „ permixtam impliceat, & igne simul liquefaciat, unum quid ex ambobus efficit: „ ita per participationem corporis Christi, „ & pretiosi sanguinis, ipse quidem in „ nobis, nos vero rursus in ipso conjuncti manemus. „

De hac eadem cum Christo consociatione, & inter nos per Eucharistiam unione ait Apostolus 1. Cor. 10. *Unus panis, & unum corpus multi sumus omnes, qui de uno pane, & de uno calice participamus*: " Unum, „ *inquit Chrysostomus Homil.* 46. *in Joan.* „ corpus sumus, & membra ex carne „ ejus, & ex ossibus ejus. „ Ratio egregia hæc est. Quæ sunt eadem uni-tertio, sunt eadem inter se: sed per Eucharistiam omnes unum sumus cum Christo: Igitur & unum inter nos saltem mystice & moraliter.

Non omittamus S. Joannem Damascenum de hoc momento sic scribentem Lib. 4. art. fid. cap. 14. " Eucharistia com- „ municatio dicitur, & est re vera, eo „ quod per ipsam communicamus Christo, „ & participes sumus ejus carnis, ac di- „ vinitatis. Communicamus item per ip- „ sam, & unimur inter nos. Quia enim „ de uno pane omnes participamus, „ unum corpus Christi, & unus sanguis, „ & inter nos membra efficimur cum „ Christo incorporati. „

Consummatio totius cultus divini Eucharistia recte nominatur, quia ex D. Thoma cetera Sacramenta ad Eucharistiam, ut ad finem referuntur; nomen vero Eucharistiæ inter cetera sibi vindicat hoc Sacramentum, cum una cum ea habeamus pro dono ipsum Filium Dei, quo Patri æterno immensas pro beneficiis ab eo acceptis rependamus gratias.

Sacrificium nuncupatur divinissimum Altaris Sacramentum, quia in eo Christus in memoriam sacrificii cruenti in ara crucis peracti pro nobis quotidie immolatur. Sacramentum pacis, cum in ipso Christi sinu fiat nobis pacis locus, ita ut cum Propheta dicere possimus Psal. 4. *In pace in idipsum dormiam & requiescam*. Demum cœna, in qua quidem vel ipse Christus est simul conviva & convivium.

Catechismus Romanus p. 2. n. 4. præclara de istis nominibus dicit; vocatur inquit illud Sacramentum I. Eucharistia, hoc est bona gratia: " Tum quia vitam „ æternam, de qua scriptum est: Gra- „ tia Dei vita æterna, præsignificat: „ tum quia Christum Dominum, qui ve- „ ra gratia, atque omnium charismatum „ fons est, in se continet. Nec vero „ minus apte gratiarum actionem inter- „ pretamur: Siquidem quum hanc purissimam hostiam immolamus, immensas

quo

„ quotidie gratias, pro universis in nos „ beneficiis Deo agimus: atque in pri- „ mis pro ejus gratiæ tam excellenti bo- „ no, quam nobis hoc Sacramento tri- „ buit. Sed id ipsum etiam nomen, cum „ his, quæ a Christo Domino gesta esse „ in hoc mysterio instituendo legimus, „ optime convenit. Etenim panem acci- „ piens fregit, ac gratias egit. David „ quoque, cum hujus Mysterii magnitu- „ dinem contemplaretur, antequam car- „ men illud pronuntiaret: *Memoriam fe-* „ *cit mirabilium suorum misericors & mi-* „ *serator Dominus, escam dedit timen-* „ *tibus se*: Gratiarum actionem præ- „ ponendam existimavit, cum inquit, „ *Confessio & magnificentia opus ejus*. „

Pergit n. 5. " Vocatur præterea Com- „ munio: verbum ex illo Apostoli loco „ sumptum esse liquet, ubi ait: *Calix* „ *benedictionis, cui benedicimus, nonne* „ *communicatio sanguinis Christi est? Et* „ *panis quem frangimus, nonne participa-* „ *tio corporis Domini est?* ... Ex quo „ factum est ut Sacramentum etiam pacis „ & charitatis diceretur. Ut intellige- „ remus, quam indigni sint christiano no- „ mine, qui inimicitias exercent ... Sed „ viaticum etiam frequenter a sacris Scri- „ ptoribus appellatur: tum quia spiritua- „ lis cibus est, quo in hujus vitæ pere- „ grinatione sustentamur: tum quia viam „ nobis ad æternam gloriam, & felici- „ tatem munit. Quare ex veteri Eccle- „ siæ Catholicæ instituto servari videmus, „ ut nemo Fidelium sine hoc Sacramen- „ to e vita excedat. Ac vetustissimi qui- „ dem Patres, Apostoli auctoritatem se- „ cuti, cœnæ etiam nomine sacram Eu- „ charistiam interdum vocarunt, quod in „ illo novissimæ cœnæ salutari mysterio „ a Christo Domino sit instituta.

Dicamus etiam ineffabile istud Sacramentum esse bonorum omnium optimum; hinc Christus in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei, qui in hac mensa ipse cibus est, ad hanc invitans mensam fidelem, sic interius alloquitur, Exod. 33. veni: *Ostendam omne bonum tibi*. Frumentum etiam Electorum, & vinum germinans virgines Eucharistia appellatur, juxta illud Zachariæ 9. qui mira hujus Sacramenti prænoscens de eo ait: *Quid enim bonum ejus est, & quid pulchrum ejus, nisi frumentum Electorum, & vinum germinans virgines?*

S. Thomas hic q. 73. art. 4. docet tribus potissimum nominibus Sacramentum Eucharistiæ celebrari, juxta triplicem considerationem; nomine quidem Sacrificii, si spectetur per ordinem ad passionem Christi jamjam peractam: nomine vero Communionis si relative ad Fideles præsentes qui hoc mysterio cum Christo, & inter se conjunguntur: nomine demum Viatici per respectum ad gloriam futuram cujus est pignus admirabile: " Di- „ cendum, *inquit sanctus Doctor*, quod „ hoc Sacramentum habet triplicem si- „ gnificationem: Unam quidem respectu „ præteriti, in quantum scilicet est com- „ memorativum Dominicæ Passionis, „ quæ fuit verum Sacrificium, ut supra „ dictum est, & secundum hoc nomina- „ tur Sacrificium. Aliam autem significa- „ tionem habet respectu rei præsentis, „ scilicet Ecclesiasticæ unitatis, cui ho- „ mines aggregantur per hoc Sacramen- „ tum, & secundum hoc nominatur Com- „ munio, vel Synaxis ... Tertiam signi- „ ficationem habet respectu futuri, in „ quantum scilicet hoc Sacramentum est „ præfigurativum fruitionis Dei, quæ erit „ in patria, & secundum hoc dicitur „ Viaticum, quia hic præbet nobis viam „ illuc perveniendi, & secundum hoc „ etiam dicitur Eucharistia, id est bona „ gratia, quia gratia Dei vita æterna, „ ut dicitur Rom. 6. vel quia realiter „ continet Christum, qui est plenus gra- „ tia. „

DEFINITIO.

CUM nomina explicent rerum naturas, juxta illud Genes. 2. *Omne enim quod vocavit Adam animæ viventis, ipsum est nomen ejus*; Sacramentum Altaris definiri potest modo Cœna, modo Sacrificium, modo Communio, seu carnis & sanguinis Christi participatio, vel etiam, ut ait Concilium Tridentinum Sess. 13. cap. 2. " Sacramentum .... in quo divitias di- „ vini sui erga homines amoris velut ef- „ fudit, memoriam faciens mirabilium „ suorum. „ Strictius definitur Eucharistia, signum permanens rei sacræ, & invisibilis gratiæ ad sanctificationem homi-

hominum institutum, continens vere & realiter corpus & sanguinem Christi. Quæ quidem definitio optima censetur, cum constet genere & differentia. Quod enim sit signum rei sacræ & gratiæ invisibilis, cum ceteris Sacramentis convenit: quod non in usu, sed in re permanenti situm sit, ab eisdem differt: quod demum contineat realiter corpus & sanguinem Christi, alia Sacramenta in immensum superat. Hæc Eucharistiæ notio ex Concilio Tridentino colligitur; ibidem enim cap. 3. sic habetur. " Commune „ hoc quidem est, sanctissimæ Eucharistiæ cum ceteris Sacramentis symbolum esse rei sacræ & invisibilis gratiæ „ formam visibilem: verum illud in ea „ excellens & singulare reperitur, quod „ reliqua Sacramenta tunc primum sanctificandi vim habent, cum quis illis „ utitur: at in Eucharistia ipse sanctitatis auctor ante usum est; nondum enim „ Eucharistiam de manu Domini Apostoli susceperant, cum vere tamen ipse „ affirmaret, corpus suum esse quod præbebat, & semper hæc fides in Ecclesia „ Dei fuit, statim post consecrationem „ verum Domini nostri corpus, verumque ejus sanguinem sub panis & vini „ specie, una cum ipsius anima & divinitate existere. „

SYNOPSIS.

PRIMO: Dignitatem Eucharistiæ vel ipsæ beatorum spirituum mentes non comprehendunt, quandoquidem continet vere & realiter corpus & sanguinem Christi: hinc juxta Concilium Tridentinum, divitias sui erga nos amoris Christus Dominus, ibi memoriam omnium suorum mirabilium faciens, velut effudit.

Secundo: Juxta varios effectus Sacramentum istud varia etiam sortitur nomina: quandoque igitur cœna & convivium pinguium, & vinum defæcatum germinans virgines dicitur: quandoque communio: quandoque sacrificium & immolatio.

Tertio: Recte definitur Eucharistia signum sacrum invisibilis gratiæ permanens, continens vere & realiter corpus & sanguinem Christi sub speciebus panis & vini.

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum Eucharistia sit Sacramentum, & quale?

DUO potissimum hic discutienda occurrunt de Eucharistia secundum se spectata: Num videlicet veram Sacramenti rationem obtineat? Deinde vero quid ipsa ut Sacramentum dicatur, importet?

CONCLUSIO PRIMA.

Eucharistia est verum novæ legis Sacramentum.

Probatur tribus momentis.

PRIMO: Quod definitum est in Conciliis, admitti debet: sed non semel definitum est in Conciliis sacram Eucharistiam esse verum novæ legis Sacramentum, & eam habent uti Sacramentum omnia Concilia contra Berengarium, tum Concilium Florentinum, sed maxime Tridentinum. Ergo &c. In priori hæc in decreto Eugenii IV. leguntur: " Novæ legis „ septem sunt Sacramenta, videlicet Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, „ &c. „ Rursus: " Tertium est Eucharistiæ Sacramentum, cujus materia est „ panis triticeus, & vinum de vite. „ In posteriori vero Sess. 13. cap. 11. " Docet sancta Synodus, & aperte ac simpliciter profitetur, in almo sanctæ Eucharistiæ Sacramento, post panis & vini „ consecrationem, Dominum nostrum Jesum Christum verum Deum atque hominem, vere, realiter ac substantialiter sub specie illarum rerum sensibilium „ contineri. „ Ceterum ubique Eucharistiam vocat Sacramentum, ut cap. 2. 3. 5. 6. 8. in primis vero can. 1. 2. 3. 4. 5. & 6. Hoc ipsum conclamat perpetua Patrum traditio, & ex dictis patet eos de Eucharistia uti de Sacramento fuisse locutos. Ecclesia in Collecta dicit: *Hoc tuum Sacramentum non sit nobis reatus ad pœnam*. Ergo &c.

Secundo: Sacramentum a Theologis definitur signum practicum invisibilis gratiæ: Atqui Eucharistia hanc sibi vindicat rationem. Igitur est verum novæ

legis

legis Sacrmentum. Ista ratio est Catechismi Romani part. 2. de Sacram. Euch. n. 7. " Sed explicata, *inquit*, nominis ratione, docendum erit, hoc verum esse Sacramentum, atque unum ex septem quæ sancta Ecclesia semper religiose coluit ac venerata est: nam cum calicis consecratio fit, mysterium fidei appellatur. Præterea ut infinita pene sacrorum Scriptoranm testimonia omittamus, qui hoc inter vera Sacramenta numerandum esse perpetuo censuerunt, ex ipsa ratione & natura Sacramenti idem convincitur. Etenim in eo signa sunt externa, & sensibus subjecta: habet deinde gratiæ significationem & efficientiam &c. "

Tertio: In vita spirituali reqniritur alimoniæ gratia, qua quidem anima & alatur, & impinguatur, quod soli tribuitur Eucharistiæ: Sed Sacramenta instituta sunt ut gratiarum causæ. Igitur Eucharistia est strictum & proprie dictum novæ legis Sacramentum, cum ab ea promanet gratia alimenti. Sic ratiocinatur D. Thom. hic q. 73. art. 1. " Dicendum, *ait*, quod Sacramenta Ecclesiæ ordinantur ad subveniendum homini in vita spirituali: vita autem spiritualis, vitæ corporali conformatur, eo quod corporalia spiritualium similitudinem gerant: manifestum est autem, quod sicut ad vitam corporalem requiritur generatio, per quam homo vitam accipit, & augmentum quo homo perducitur ad perfectionem vitæ: ita etiam requiritur alimentum quo homo conservatur in vita; & ideo sicut ad vitam spiritualem oportuit esse Baptismum, qui est spiritualis generatio, & Confirmationem, quæ est spirituale augmentum, ita oportuit esse sacramentum Eucharistiæ, quod est spirituale alimentum. "

CONCLUSIO SECUNDA.

Sacramentum Eucharistiæ consistit in speciebus, prout Corpus & Sanguinem Christi connotant.

DUÆ sunt in hac conclusione partes: Prior est quod Eucharistia ut Sacramentum supponat pro speciebus: posterior vero, quod illæ species connotent corpus & sanguinem Christi.

Probatur prima pars ex Concilio Tridentino, quod Sess. 13. cap. 3. ait: " Commune hoc quidem est sanctissimæ Eucharistiæ cum ceteris Sacramentis, symbolum esse rei sacræ, & invisibilis gratiæ formam visibilem. " Igitur Eucharistia ut Sacramentum est, supponit pro speciebus, cum non sit signum sensibile nisi per eas, quippe quæ solæ remaneant sensibiles.

Probatur secunda pars. Eucharistiæ Sacramentum non est quodlibet signum, sed sacrum & divinum. Atqui habet esse sacrum & divinum per corpus & sanguinem Christi. Igitur species utrumque connotant.

Confirmatur: Cum aliquid indifferens est ad multa significanda, debet determinari ad aliquid per id quod est in aliquo ordine specialissimum: Sed species possunt indiscriminatim significare panem vel corpus Christi. Igitur ut sint signum sacrum & Sacramentum, necesse est ut ordinem habeant ad corpus & sanguinem Christi: sin minus, non forent Sacramentum.

CONCLUSIO TERTIA.

Eucharistia nnum solummodo constituit Sacramentum.

Probatur variis rationibus.

PRIMA: De fide definitum est in Concilio tum Florentino, tum Tridentino, septem solum esse Sacramenta. Idem habetur ex traditione, nusquam enim dictum legitur duplex esse Eucharistiæ Sacramentum. Ergo &c.

Secunda: Ens morale suam desumit unitatem a significatione quæ se habet ut forma metaphysica: ad formam autem spectat compositum determinare: Sed hoc Sacramentum unum solummodo maxime significat, videlicet unionem inter Fideles & Christum, & inter Fideles ad invicem. Igitur est unum Sacramentum. Ista ratio est D. Thomæ hic q. 73. art. 2. in argum. *Sed contra*, his verbis: " Apostolus dicit 1. Cor. 10. Unus panis & unum corpus multi sumus omnes, qui de

 " uno

„ uno pane & de uno calice participamus. Ex quo patet quod Eucharistia „ est Sacramentum Ecclesiasticæ unitatis: Sed Sacramentum similitudinem „ gerit rei cujus est sacramentum. Ergo „ Eucharistia est unum Sacramentum. „

Tertia: Eucharistia a Christo Domino instituta est per modum cœnæ & convivii, seu etiam alimenti: sed ad hoc duo requiruntur, cibus scilicet & potus; & quantumvis multiplicetur utrumque, manet semper unam conficere cœnam. Ergo &c. Illud ratiocinium est D. Thomæ ibidem in corpore articuli. " Dicendum, *inquit*, quod sicut dicitur quinto „ Metaphysicorum, unum dicitur, non „ solum quod est indivisibile, vel quod „ est continuum, sed etiam quod est „ perfectum: sicut dicitur una domus, „ & unus homo. Est autem unum in „ perfectione, ad cujus integritatem con„ currunt omnia, quæ requiruntur ad „ finem ejusdem: sicut homo integratur „ ex omnibus membris necessariis ad „ operationem animæ, & domus integratur ex omnibus partibus quæ sunt „ necessariæ ad habitandum, & sic hoc „ Sacramentum dicitur unum: ordinatur „ enim ad spiritualem refectionem quæ „ corporali conformatur. Ad corporalem autem refectionem duo requiruntur, scilicet cibus, qui est alimentum „ siccum, & potus, qui est alimentum „ humidum. Et ideo etiam ad integritatem hujus Sacramenti duo concurrunt, scilicet spiritualis cibus, & spiritualis potus, secundum illud Joan. 6. „ *Caro mea vere est cibus, & sanguis* „ *meus vere est potus*. Ergo hoc Sacramentum multiplex quidem est materiater, sed unum formaliter & perfective. „

Catechismus Romanus part. 2. de Eucharist. num. 10. eamdem non tacet veritatem. " Licet autem, *inquit*, duo sint „ elementa, panis scilicet & vinum, ex „ quibus integrum Eucharistiæ Sacramentum conficitur, non tamen plura Sacramenta, sed unum tantum esse, Ec„ clesiæ auctoritate edocti confitemur; „ aliter enim septenarius Sacramentorum „ numerus, quemadmodum semper traditum, atque a Conciliis Lateranensi, „ Florentino & Tridentino decretum „ est, constare non poterit. Nam cum „ hujusmodi Sacramenti gratia unum cor„ pus mysticum efficiatur, ut Sacramentum ipsum rei, quam efficit, conve„ niat, unum esse oportet, atque unum „ quidem, non quia individuum sit, sed „ quia unius rei significationem habeat. „ Nam quemadmodum cibus & potio, „ quæ duæ diversæ res sunt, ad unam „ tantum rem adhibentur, ut scilicet vi„ res corporis reficiantur: ita etiam duas „ illis diversas Sacramenti species re„ spondere, consentaneum fuit, quæ ci„ bum spiritualem significarent, quo men„ tes sustinentur & recreantur. Quare a „ Domino Salvatore dictum est: *Caro* „ *mea vere est cibus, & sanguis meus vere* „ *est potus*. „

Solvuntur Objectiones adversus secundam Conclusionem militantes.

OBJICIES: Scriptura vocat corpus & sanguinem Christi cibum & potum: Concilium vero Trid. Sess. 22. cap. 1. & sancti Patres passim dicunt sacramentum Eucharistiæ constare ex speciebus, corpore & sanguine Domini. Igitur istud Sacramentum supponit etiam pro corpore & sanguine Domini.

Respondeo distinguendo: Et auctoritates Sacramentum adæquate sumptum celebrant, concedo: sic enim dicit signum & signatum, signum continens, & contentum sub signo. Et loquuntur de Sacramento formaliter sumpto, subdistinguo: in concreto, concedo: in abstracto, nego. Licet homo in concreto dicat corpus & animam, in abstracto tamen dicit solam animam, tamquam partem formalem & principalem hominis constitutivam: sic Sacramentum Eucharistiæ in concreto importat species, corpus & sanguinem Christi; si tamen sumatur in abstracto, & si quæratur quænam sit pars formaliter constitutiva Sacramenti, respondetur quod species hoc habent munus, quia per illas Eucharistia habet formaliter quod sit signum sensibile.

Instabis: Sacramentum etiam reduplicative ut sensibile, est adorabile: Sed habet quod sit adorabile a corpore & sanguine Domini. Igitur formaliter supponit pro corpore & sanguine Domini, & non pro speciebus.

Respon-

Respondeo distinguendo: Habet quod sit adorabile, ut aliquid consectaneum & sibi secundarium, concedo: ex se, nego. Ut est Sacramentum, dicit essentialiter quod sit signum rei sacræ: quia vero continet auctorem ipsius gratiæ, sequitur propter unionem specierum cum corpore & sanguine Christi, quod vel ipsæ species cultu latriæ relativo etiam adorentur, scilicet ut connotant corpus Christi; Sacramentum Eucharistiæ adoratur cultu latriæ absoluto, si sumatur adæquatæ: quia vero sic semper sumitur a Fidelibus ut continet Christum, ideo cernui absolute istud adoramus Sacramentum.

Insistes: Eucharistia est Sacrificium, sicut est Sacramentum. Atqui ut est sacrificium, non supponit formaliter pro speciebus, sed pro corpore & sanguine Domini. Igitur nec ut Sacramentum supponit formaliter pro speciebus.

Respondeo negando paritatem: licet enim sacrificium sit quid sensibile, formaliter tamen dicit victimam, eamque destructam mystice vel realiter, unde supponit formaliter pro corpore & sanguine Domini; secus vero Eucharistia ut est Sacramentum: sic enim est essentialiter signum sensibile: corpus autem Christi ibi non est sensibile per se, sed per aliud, nempe per species.

Replicabis: Species habent quod sint Sacramentum a corpore & sanguine Domini. Igitur Sacramentum formaliter in corpore & sanguine Domini situm est. Confirmatur: id quod per se primo terminat actionem Sacramenti confectivam, est corpus Christi. Ergo &c.

Respondeo distinguendo antecedens: Species habent quod sint Sacramentum a corpore & sanguine Christi, ut a conditione sine qua non, concedo: ut a ratione formali, nego; non enim est ibi corpus Christi sensibile per se: quodlibet autem signum habet quidem quod sit signum a re significata, ut a conditione sine qua non, sed non ut a forma, maxime si sit signum morale. Hedera v.g. significat vinum vendibile, hinc non vinum, bene vero hedera est signum formaliter, quia institutio hominum appellat formaliter super signum.

Ad confirmationem distinguo: Corpus Christi terminat per se primo actionem consecrativam in ratione Sacrificii, concedo: in ratione Sacramenti, subdistinguo: in genere causæ materialis, concedo: formalis, nego. Sic in genere causæ materialis & dispositivæ, prius est fenestram aperiri, quam ventum intrare in cubiculum. Cum autem corpus Christi sit solum veluti materiale Sacramenti considerati in ratione signi, prius in genere causæ materialis terminat actionem consecratoriam.

Respondeo II. actionem consecrativam terminari ad totum Sacramentum, neque prius ad unam partem quam ad aliam. Et vero per verba simul transubstantiatur panis, species consecrantur, & consecratæ manent per unionem cum corpore & sanguine Christi sub ipsis contento.

Respondeo III. dato quod actio terminetur primo ad corpus Christi, nihil inde sequitur contra conclusionem; manet enim habitudo realis specierum ad consecrationis verba, & ad illa resultat forma quædam moralis rationis: Hinc non requiritur quod verba terminent per se primo actiones agentium.

Opones: Sacramentum Eucharistiæ conficitur per verba consecrationis: sed species non conficiuntur, eadem enim remanent accidentia. Ergo &c. Confirmatur: Materia Sacramenti Eucharistiæ est panis & vinum: Sed hæc non sunt materia specierum. Igitur Eucharistia supponit pro corpore & sanguine Domini, cum actio Sacramenti effectiva ad illa solum terminetur.

Respondeo, concessa majori, distinguendo minorem: Species non conficiuntur in ratione entis, concedo: in ratione signi sacramentalis, nego; habent enim istam rationem solum per determinationem formæ tum partialis, quæ est per verba, tum totalis quæ est significatio resultans ad panem & vinum consecrata.

Ad confirmat. distinguo: Materia Sacramenti Eucharistiæ adæquate sumpta est panis & vinum, concedo: dicit enim terminum a quo incepit Sacramentum, & terminum ad quem remanet, species scilicet continentes corpus & sanguinem Christi: inadæquate sumpta, nego: hæc enim materia dicit solum species continentes corpus & sanguinem Christi, quod habent

habent vi transsubstantiationis, unde non habent esse Sacramentum secundum se, & ut sunt pura panis & vini accidentia, sed ut connotant transsubstantiationem simul & corpus cum sanguine Christi.

Instabis: Illud est de ratione essentiali Sacramenti ut signi, quod habet directe efficaciam circa effectum ad quem per se primo ordinatur Sacramentum: Sed corpus Christi sic est. Igitur Sacramentum Eucharistiæ supponit pro corpore Christi.

Respondeo distinguendo majorem: Est de essentia in concreto, sicut corpus est de essentia hominis si consideretur adæquate & physice, concedo: in abstracto & formaliter, nego. Loquimur hic de ratione formali constitutiva Sacramenti in ratione signi; porro solæ species utpote sensibiles per se habent hanc rationem.

Urgebis: Signum Sacramentale concurrit efficienter ad productionem effectus Sacramenti tum primarii, tum secundarii: v. g. ablutio in Baptismo concurrit ad productionem gratiæ & characteris, juxta illud Augustini Tract. 80. in Joan. „ Quænam est tanta virtus aquæ, ut „ corpus tangat, & cor abluat? „ Sed species non concurrunt ad productionem corporis Christi quod est Sacramentum & res. Ergo &c.

Respondeo distinguendo minorem: Species non concurrunt in genere causæ efficientis, & etiam formalis, ad productionem corporis Christi in se spectati, concedo: passive & ut Sacramentum est, nego. In eo sensu concurrunt ad Sacramentum corporis Christi, quatenus sunt istius Sacramenti materia, quandoquidem habet esse signum sensibile per species, quæ concurrunt ad productionem gratiæ cibantis. & hoc sufficit ut signi sacri sensibilis sibi vindicent rationem.

Instabis: Si Sacramentum Eucharistiæ supponat principaliter pro speciebus, sequitur illum majorem recipere gratiam, qui majorem suscipit hostiam, & qui communicat sub utraque specie: Sed hoc videtur inconveniens, quandoquidem multi Fideles privarentur hac gratia. Ergo &c.

Respondeo cum multis gravissimis Theologis, Sacerdotes qui communicant sub utraque specie, majorem recipere gratiam accidentalem, eo quod bis Sacramentum suscipiant, & gratiam sacrificii simul & Sacramenti assequantur: Laici tamen per frequentem communionem & dispositiones ferventes possunt æqualem pene habere gratiam; ceterum qui majorem accipit hostiam, non inde majorem obtinet gratiam Sacramento essentialem, quia unicum suscipit Sacramentum.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Eucharistia est novæ legis Sacramentum supponens pro speciebus, & quidem unum.

PRIMO: Est Sacramentum, cum hoc sit de fide definitum in Concilio tum Florentino, tum Tridentino. Ratio est, quia est signum practicum invisibilis gratiæ.

Secundo: Eucharistia secundum rationem Sacramenti spectata per se primo dicit species & supponit pro eis, quandoquidem Sacramentum est essentialiter signum sensibile; hanc autem formalitatem Eucharistia habet a speciebus, quippe quæ sint quid sensibile, minime vero corpus & sanguis Christi in hoc Sacramento.

Tertio: Eucharistia est quoque unum specie Sacramentum, tametsi enim ex pane & vino consecratis constet, unam tamen habet convivii spiritualis rationem, adeoque & Sacramenti naturam.

SYNOPSIS OBJECTIONUM ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Non negamus corpus & sanguinem Christi vocari in Scripturis sacris cibum & potum, sed si sit sermo de Eucharistia ut Sacramentum est, dubio-procul aliquid sensibile per se primo importat, adeoque species, cum ab eis habeat esse signum sensibile.

Secundo: Concedimus etiam consecrantis actionem primario terminari ad corpus & sanguinem Christi, ut Eucharistia sacrificium est, quia sacrificium dicit immolationem victimæ, quæ quidem immolatio mystice fit in Eucharistia, eo ipso quo separatim panis consecratur, & separatim vinum: sed si Eucharistia specte-

tur

tur ut sacramentum, actio illam coficiens ponit corpus & sanguinem sub speciebus quæ sensibiliter remanent, & sub isto respectu Eucharistia habet quod sit sacramentum formaliter a speciebus.

Tertio: Omnes objectiones unum tantummodo probant, videlicet species connotare corpus & sanguinem Christi, quod utique propugnamus.

ARTICULUS TERTIUS.

Utrum Christus anno quo mortuus est celebraverit Pascha Luna decima quarta in secundis vesperis?

NON una est de hoc momento sententia. Græci existimant Christum anno quo mortuus est, Pascha comedisse cum Discipulis luna decima tertia, quo tempore Judæis pane fermentato vesci adhuc licitum erat: Altera est P. Lamy Congregationis Oratorii Presbyteri, qui in sua concordia Evangelica, & in tractatu historico de veteri Judæorum Paschate gallice conscripto contendit hoc anno Christum quidem divinam instituisse Eucharistiam, sed prætermisisse pascha Judaicum. Tertia multis tribuitur modernis, qui propugnant Dominum Jesum manducasse Agnum paschalem juxta legis præscriptum, tum Judæos die sequenti illam procrastinasse cæremoniam. Quarta, eaque communis, est S. Thomæ & aliorum, qui & Christum, & Judæos eodem die juxta legem celebrasse pascha docent. Quia vero Evangelistæ, loquendo de Christo qui cum suis Agnum paschalem comedit pro immolatione Agni placita ubicumque laudant. Duo impræsentium pro adæquata quæstionis resolutione discutienda occurrunt; videlicet num Judæi tunc temporis secundum legem pascha comederint? Deinde vero num & ipse Christus sic comederit? Ex iis diversis quæstionibus nonnulla vel inter ipsos Catholicos de die quo pascha quotannis celebrandum sit, orta sunt dissidia, de quibus utique agendum incumbit.

SECTIO PRIMA.

Num Judæi anno quo mortuus est Christus Agnum Paschalem juxta legis mandatum immolaverint?

AD quæstionis intelligentiam nonnulla observare necesse est. Primoquidem cautum erat a lege Agnum Paschalem ritu sempiterno seu perpetuo comedendum esse quarta decima die mensis primi ad vesperam. Hic mensis partim Martio, partim Aprili nostro respondet & Abid, seu Nisan vocatur. Lex ista Exod. 12. habetur his verbis: *Decima die mensis hujus tollat unusquisque Agnum per familias, & domos suas ... & servabitis eum usque ad quartam decimam diem mensis hujus: immolabitque eum universa multitudo filiorum Israel*. Rursus Lev. 23. *Mense primo, quarta decima die mensis ad vesperam, phase Domini est*. Porro intelligitur non prior, sed posterior vespera diei decimæ quartæ, quæ occurrebat luna decima quinta inchoante, ratio est, quod septem dies azymorum numerarentur a die decima quinta inchoante ad finem usque diei vigesimæ primæ, juxta illud Exod. 12. *Septem diebus azyma comedetis ... primo mense, quarta decima die mensis ad vesperam, comedetis azyma usque ad diem vigesimam primam ejusdem mensis ad vesperam*. Igitur non prima vespera diei decimæ quartæ; sin minus, octo dierum spatium pro azymorum comestione numerandum foret; nam ipsa nocte eius agni comedebant azymos panes; ibidem enim legitur v. 8. *Et edent carnes nocte illa assas ignis, & azymos panes*. Neque vero prætereundum est primum azymorum diem, qui post esum Agni immediate occurrebat, fuisse solemnem, & festum apud Judæos celeberrimum.

Secundo, sicut apud nos dies solemnis incipit a primis vesperis quæ vigiliam occupant, sic & apud Judæos erat, juxta illud Levit. 23. *A vespera usque ad vesperam celebrabitis sabbata vestra*, hoc est festa vestra; nomine quippe sabbati cuncta celebrantur, eo quod sabbatum erat magnus dies, hinc & ibidem festum expiationis vocatur requietionis sabbatum. Porro vesper duplex distinguebatur in veteri lege: unum scilicet in vigilia: al-

terum in die festo. De priori mentio fit Deut. 16. his verbis: *Immolabis phase vespere ad solis occasum*. Et tunc azymi ejus incipiebat, ut habetur Exod. 12. *Primo mense quarta decima die mensis ad vesperam, comedetis azyma, usque ad diem vigesimam primam ejusdem mensis ad vesperam*. Illud Vesper est festi Vesper postremum quod distinguimus.

Tertio: oblata sacrificia quæ pro more septem azymorum diebus offerebantur non semel dicuntur in Scripturis cibi Paschales & phase: sic Deut. 16. *Immolabisque phase Domino Deo tuo de ovibus & bobus in loco quem elegerit Dominus*. Sic 2. Paral. 35. *Dederunt Sacerdotibus ad faciendum phase pecora commixtim duo millia sexcenta, & boves trecentos*.

Quarto demum triplex fuit in antiqua lege primitiarum genus: quædam solvebantur die immediate sequenti festum azymorum, namque Judæi metebant frumenti spicas quas in fasciculum ligatas & compositas afferebant Sacerdoti, qui eas benedicebat, tum benedictas offerebat Domino, non quidem ipsa festi die, cum metere sit opus servile, sed ut habetur altero die a sabbato, seu a festo: Lex ita refertur Levit. 23. *Locutusque est Dominus ad Moysen dicens: Loquere filiis Israel & dices ad eos, cum ingressi fueritis terram quam ego dabo vobis, & messueritis segetem, feretis manipulos spicarum, primitias messis vestræ ad Sacerdotem, qui elevabit fasciculum coram Domino, ut acceptabile sit pro vobis, altero die sabbati & sanctificabit illum..... Præceptum est sempiternum in generationibus, cunctisque habitaculis vestris. Numerabitis ergo ab altero die sabbati in quo obtulistis manipulum primitiarum septem hebdomadas plenas usque ad alteram diem expletionis hebdomadæ septimæ, id est quinquaginta dies. Et sic offeretis sacrificium novum Domino ex omnibus habitaculis vestris, panes primitiarum duos*. Secundæ igitur primitiæ offerebantur in die Pentecostes, quæ ex duobus panibus & septem agnis constabant, ut ibidem habetur: *Et vocabis hunc diem celeberrimum*. Tertiæ demum solvebantur in festo Tabernaculorum, collectis enim fructibus terræ, aliquam partem Judæi Domino in gratiarum actionem pro beneficiis acceptis offerebant. His prælibatis sit

CONCLUSIO.

Judæi tempore Passionis Christi celebrarunt Pascha luna decima quarta terminante, luna vero decima quinta inchoante, juxta legis mandatum.

Probatur variis momentis.

Ex veteri Testamento.

PRIMO lex festi Paschatis præcipitur cultu sempiterno observanda, propter duo accepta a Deo beneficia; phase quidem seu Agni immolatio in memoriam liberationis ab Angelo exterminatore, qui una & eadem nocte occiderat omnes primogenitos Ægypti a pecoribus ad homines usque, Judæos vero pertransiverat: deinde vero propter promptam a captivitate solutionem, nam compellentibus Ægyptiis absque mora Israelitæ evadentes, conspersam farinam palliis involutam panes tantum azymos pro cibo ad vitam alendam tunc temporis habere potuerunt. Ergo jubente Moyse eadem nocte qua exterminator Angelus transivit, immolaverunt Agnum, ejusque sanguine liminaria domorum suarum tinxerunt, ut veniens parceret illo sanguine consignatis: mane vero facto, videntes Ægyptii quid, manu Dei aggravante, factum fuerat, perterriti; & ne majora eis contingerent mala, eodem die Israelitas egredi & ad desertum ibi Domino sacrificaturos pergere absque mora voluerunt. Igitur Judæi ipso passionis tempore celebrarunt pascha juxta legis mandatum: hoc est luna 14. terminante, cum hoc cultu sempiterno sic faciendum lex præciperet. Probatur consequentia. Lex non solum id fieri mandabat cultu sempiterno; sed & eodem die quo primum factum est, quando scilicet Israelitæ egressi sunt de Ægypto: Sed tunc temporis phase celebratum est luna 14. Ergo &c.

Non injucundum erit hic verba legis texere: ut habetur Exod. 12. *Dixit quoque Dominus ad Moysen, & Aaron in terra Ægypti: mensis iste, vobis principium mensium: Primus erit in mensibus anni. Loquimini ad universum cœtum filiorum Israel, & dicite eis: decima die mensis hujus*

tollat

tollat unusquisque Agnum per familias & domos suas ... erit autem Agnus absque macula, masculus anniculus... Et servabitis eum usque ad quartam decimam diem mensis hujus: Immolabitque eum universa multitudo Israel ad vesperam. Et sument de sanguine hujus, ac ponent super utrumque postem, & in superliminaribus domorum, in quibus comedent illum ... Est enim phase, id est transitus Domini, & transibo per terram Ægypti nocte illa, percutiamque omne primogenitum in terra Ægypti ab homine usque ad pecus ..... habebitis autem hunc diem in monumentum. & celebrabitis eam solemnem Domino in generationibus vestris, cultu sempiterno .... Egressi filii Israel fecerunt sicut præceperat Dominus Moysi, & Aaron. Fa ium est autem in noctis medio percussit Dominus omne primogenitum ... vocatisque Pharao Moyse & Aaron nocte, ait: Surgite, & egredimini a populo meo, vos & filii Israel: Ite, immolate Domino, sicut dicitis .... Urgebantque Ægyptii populum de terra exire velociter, dicentes: Omnes moriemur. Tulit igitur populus consparsam farinam antequam fermentaretur, & ligans in palliis posuit super humeros suos. Igitur Judæi alias litteræ legis admodum servientes, Pascha tempore passionis juxta mandatum Domini celebrarunt.

Secundò: Si Judæi hoc anno, contempta lege, Pascha in subsequentem diem transtulissent, maxime hoc ipsum invidia in Christum occidendum victi, vel etiam furore acti: Sed hæc ratio ne minimum quidem ponderat: Et probatur. Judæi quantumvis mali & ad idololatriam non semel dediti, Pascha tamen tempore a lege præscripto celebraverunt, quippe qui litteræ semper servirent. Ergo &c. Probatur antecedens multis momentis atque exemplis. Jos. 5. 10. habetur: *Manseruntque filii Israel in Galgalis, & fecerunt phase quartadecima die mensis ad vesperam*. Rursus 2. Paral. 30. 15. sub Ezech. *Immolaverunt autem phase quartadecima die mensis secundi ... juxta dispositionem & legem Moysi*. Rursus ibidem 35. 1. Josias. *Fecit in Jerusalem phase Domino quod immolatum est quartadecima mensis primi*. Rursus L. 1. Esdræ c. 6. 19. post reditum e captivitate Babylonica eodem die fecerunt phase filii Israel, & v. 22. Solemnitatem azymorum septem diebus cum lætitia celebrarunt: nec in Scripturis reperies Judæos alio tempore a lege determinato usquam phase Domini celebrasse: Sed legem saltem quoad litteram ad unum usque jota servavere, immo & Christi tempore, cum vel ipsum, quod paralyticum sanasset die sabbati, & sanato præcepisset grabatum tollere, increpaverint. Igitur tempore passionis a lege non defecerunt circa celebrationem Paschatis.

Tertiò: Tempore quo floret aliqua consuetudo suffulta lege divina, non debet dici a Principibus Sacerdotum, aut omissa, aut contempta: Sed mos phase celebrandi luna decimaquarta ad vesperam, vel ipso Christo in terris superstite vigebat: Igitur passionis tempore legem non transgressi sunt Judæi. Quod autem consuetudo hæc perseveraverit ad illa usque tempora, liquido patet ex Josepho, qui L. 7. de religione Judæorum c. 7. scribit suo tempore pascha celebrari luna decima quarta primi mensis hora nona, hoc est ad vesperam hora tertia pomeridiana juxta nostrum computum. Certe cum ipse Josephus Sacerdos esset, citra dubium cuncta quæ legem spectabant, optime noverat. Concinit Philo Judæus L. de septennario, & L. 3. de vita Moysis. Eo quippe loci asserit phase suis temporibus fieri nocte luna decimaquarta pleni-lunio incipiente. Porro si pascha hoc anno translatum fuisset, isti duo auctores hoc recensere non omisissent.

Ex novo Testamento.

QUOD omnes innuunt Evangelistæ, non debet in dubium revocari, ad inanes quasquam conjecturas seu potius vana commenta recurrendo: Atqui omnes Evangelistæ innuunt Judæos passionis tempore phase Domini juxta legis mandatum fecisse: Ergo &c. Probatur minor auctoritate Evangelistarum

Ex S. Matthæo.

S. MATTHÆUS cap. 26. 17. scribit: *Prima autem die azymorum accesserunt Discipuli ad Jesum dicentes, ubi vis paremus tibi comedere Pascha ... & fecerunt Discipuli sicut constituit illis Jesus, & paraverunt Pascha*. Singula ponderanda sunt: *Prima die*, id est in primis vesperis, festum

quip-

quippe ab ista incipiebat vigilia, sicque Pascha ad vesperam prima die azymorum celebratum est. Igitur luna decimaquarta terminante Christi tempore ita factum est. 2. Si Synagoga Agni immolationem distulisset, utique & festum azymorum transferri voluisset; ad Ecclesiam enim festa transferre spectat: sed hoc non fecerunt, cum Evangelista Matthæus enarret Christum Pascha comedisse, & juxta præscriptum legis, & eodem prorsus tempore quo Judæi comederunt, prima scilicet azymorum die: Quorsum enim Discipuli, allegata lege, a Domino petiissent parare pascha, & ex mandato Ecclesiæ seu synagogæ ad quam solum spectabat transferre festa, festum Paschatis hoc anno die altera celebranda fuisset?

Secundo: ibid. c. 27. 1. legitur: *Mane autem facto consilium inierunt omnes Principes Sacerdotum & Seniores populi adversus Jesum ut eum morti traderent, & vinctum adduxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato Præsidi*. V. 15. *Per diem autem solemnem consueverat Præses populo dimittere unum vinctum quem voluissent*. V. 17. *Quem vultis dimittam vobis, Barrabam, an Jesum?* In his verbis duo potissimum subnotanda veniunt quæ probant Christum morti traditum prima die solemni festi azymorum, & consequenter Pascha celebratum fuisse a Judæis omnibus pridie ad vesperam, quandoquidem festum ab immolatione Agni ducebat initium. I. Principes Sacerdotum tradiderunt Christum Pilato ut mortis sententiam in eum juxta suam perversam voluntatem ferret, cum tamen ex privilegio pecuniis habito haberent ipsi potestatem damnandi reos in religionis negotio ad mortem, ut liquet ex morte B. Stephani, quem uti adversus legem & Moysen blasphemantem lapidaverunt, ut habetur Act. 7. Quorsum igitur & ipsum Jesum, quem ut contrarium Moysi secundum phantasiam habebant, non occidissent, nisi quia erant in festo celebrando occupati? hinc Pilato Christum damnandum ad eos remittente, responderunt, *nobis non licet interficere quemquam*; scilicet die festo: nedum enim S. Stephanum occiderunt, sed & mulierem in adulterio deprehensam lapidare volebant, quod dubio-procul eo potestatis gradu non venissent, si adversantes legi damnare eis fuisset prohibitum. II. Observes iterum velim ista verba: *Per diem autem solemnem consueverat Præses populo dimittere unum vinctum quem voluissent*. Certe si Judæi tunc temporis non celebrassent Pascha, utique non fuisset Paschatis festum, quod quidem ritu perpetuo prima die Azymorum celebrandum erat, adeoque Pilatus ultro non obtulisset unius vincti liberationem in gratiam Christi: Atqui tamen obtulit. Igitur occurrebat festum Paschatis, & Judæi Agnum in vigilia ad vesperam jamjam immolaverant.

Ex sancto Marco.

S. MARCUS ejusdem est labii c. 14. 1. *Erat autem Pascha & azyma post biduum, & quærebant summi Sacerdotes & Scribæ quomodo eum dolo tenerent & occiderent*. V. 10. 11. & 12. *Judas Iscariotes unus de duodecim, abiit ad summos Sacerdotes ut proderet eum illis: qui audientes gavisi sunt & promiserunt ei pecuniam se daturos: & quærebat quomodo illum opportune traderet. Et primo die azymorum quando Pascha immolabant, dicunt ei Discipuli, quo vis eamus & paremus tibi ut manduces Pascha*. Vox, *immolabant*, refertur ad Sacerdotes, eos nimirum qui gavisi sunt de promissione facta ut invidiæ suæ occidendo Christum facerent satis: eadem vox non nisi de immolatione Agni Paschalis intelligitur, cum non esset alia solemnis victima nomine Paschatis celebrata, quocirca non dicitur *manducabant*, sed *immolabant*, quo termino secernitur Agni immolati cæremonia a cibis Paschalibus, puta ab azymis, qui panes erant per totam festi octavam in usu. Denique S. Marcus & alii Evangelistæ attendunt ad festum præsens, scilicet Paschæ, quippe qui dicant, *quando necesse erat occidi Pascha*; si tunc temporis translata fuisset Paschæ solemnitas, incassum scripsisset Evangelista, *quando necesse erat occidi Pascha*. Ergo &c.

Rursus ibid. c. 15. v. 42. habetur: *Quia erat parasceve, quod est ante sabbatum; venit Joseph ab Arimathæa*. Igitur Christus occisus est die prima azymorum; & consequenter Judæi pridie ad vesperam Paschalem Agnum immolaverant, alias non die festo, sed solum altera die sab-

sabbati festum azymorum seu prima azymorum dies incidisset.

Ex sancto Luca.

S. LUCAS suum eidem veritati addit calculum c. 22. 1. ait : *Appropinquabat autem dies festus Azymorum, qui dicitur Pascha, & quærebant Principes Sacerdotum, & Scribæ, quomodo Jesum interficerent.* V. 7. *Venit autem dies azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha, & misit Petrum & Joannem dicens, euntes parate nobis Pascha.* Audis sanctum Evangelistam & ad legem & ad festum Paschatis attendere, dum scribit Christum Dominum voluisse pro more celebrare Pascha, quando scilicet omnes Judæi, juxta legis mandatum, Agnum immolabant : Audis : *In quo necesse erat occidi Pascha.* Sed unde necessitas? Nisi ex legis præcepto : Quomodo fuisset, si tunc temporis Synagoga distulisset. Igitur Judæi sicut aliis annis, sic & isto anno Pascha celebrarunt.

Rursus c. 23. v. 54. *Et dies erat,* inquit idem Evangel. *Parasceves & sabbatum illucescebat.* Igitur Christus mortuus est die parasceves, & secundum omnes Evangelistas erat festum azymorum. Certe ut jamjam diximus, si Judæi Pascha distulissent, non fuisset tunc temporis Paschatis festum. Ergo &c.

Si dicas, plebem non distulisse, bene vero Synagogæ Principes, cito respondetur hoc fieri non potuisse, & hoc propter duo. Primo ad Ecclesiam solam spectat transferre festa, & dum ab ea transferuntur, sicut Sacerdotes, sic & plebeji homines illa celebrant in die translationis : Secundo festum absque Sacerdotum ministerio non celebratur, quia vero inter festa celeberrimum erat Paschatis festum, maxime ad Sacerdotum Principes & totius Synogogæ prælatos spectabat illud peragere : Igitur incassum aliquos reponunt, plebem solummodo, sed non Synagogam hoc anno Pascha die præscripto a lege manducasse.

Ex sancto Joanne.

SANCTUS JOANNES eidem suffragatur momento. Cap. 13. 1. sic intonat : *Ante diem festum Pascha, sciens Jesus . . . , Et cœna facta.* Rursus cap. 18. 28. *Erat autem mane : Et ipsi non introierunt prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha.* Observes velim, ex sancto Joanne Christum Agnum manducasse ante diem festum, scilicet pridie luna decimaquarta finiente ad vesperam : Et hoc quando Judæi manducabant. Hoc ipsum innuit idem Evangelista cum loquens vel de ipsis Synagogæ proceribus in morte Christi acceleranda occupatis, subjungit : *Erat autem mane, & ipsi non introierunt prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent pascha*; hoc est cibos paschales : neque enim hoc intelligi potest de Agno, cum nonnisi ad vesperam immolatus manducaretur.

Dices : Non introierunt mane prætorium Sacerdotes, ut non contamiuarentur, quia hac ipsa die ad vesperam Agnum immolare debebant.

Respondeo illud ratiocinium petere jugulum pro hujusce opinionis auctoribus, quandoquidem dies in qua immolabatur Agnus non erat festum, sed solum dies Agni immolationem subsequens. II. Non ad Sacerdotes solum, sed ad totum spectabat populum, non in Templo, sed in propria domo Pascha comedere; unde igitur exorta fuisset contaminatio, cum in hypothesi nec illo mane fuisset festum, sed laicus dies; nec opus fuisset ingredi Templum & officio Sacerdotis fungi.

Confirmatur : Ibidem cap. 18. 31. 32. pergit sanctus Evangelista, & passionis Christi texit historiam his verbis : *Accipite eum vos, & secundum legem vestram judicate eum. Dixerunt ergo ei Judæi : Nobis non licet interficere quemquam.* Quare? Nisi quod eo die festum Paschæ, primus scilicet azymorum dies occurreret, namque prævaricatores legis ex privilegio eis a Romanis concesso judicabant, & interficiebant eos, quos contra legem peccasse putabant, cujus rei non unum est argumentum, cum & mulierem in adulterio deprehensam Joan. 8. juxta legis præscriptum lapidare voluerint, & Act. 7. ipsum sanctum Stephanum quem ut ejusdem legis prævaricatorem, inique tamen habebant, de facto lapidibus occiderint. Demum S. Joannes cap. 19. 31. *Judæi ergo,* ait, *quoniam parasceve erat, ut non remanerent in cruce corpora sabbato.* Igitur mor-

mortuus est Christus die parasceves, quando Judæi celebrabant festum azymorum, quod hoc anno erat ad sabbatum Parasceves. Ex his omnibus liquet Judæos omnes tempore passionis Christi Pascha secundum legis mandatum, scilicet luna decimaquarta terminante ad vesperam, celebrasse.

Ex sanctis Patribus.

Omnes Patres, paucis exceptis, propugnanr Judæos celebrasse Pascha tempore passionis Christi, luna decimaquarta finiente ad vesperam: In primis ex Græcis Origenes tractatu 35. in Matth. S. Chrysostomus Homil. 85. in Matth. subjungit: " Die quo lex præcipiebat. „ Theophilus Alexandrinus apud Bedam Lib. de ratione temporum c. 57. & 59. Theodoretus q. 24. in Exod. Ex Latinis vero Tertullianus Libr. 4. contra Judæos, Cyprianus Serm. de Cœna Domini, Hieronymus in cap. 26. Matth. Augustinus Epist. 86. ad Casulanum. Ergo &c.

Rursus omnes fere Parres & sancti Doctores utique tenent Christum fuisse in die festo occisum, quod dubio procul aliud non erat quam primus dies azymorum. Ita Tertullianus Lib. contra Judæos. Origines Homil. 23. in Numer. Clemens Romanus Lib. 5. Const. capit. 14. Epiphanius Hær. 70. Theophilus Alex. Epistola ad Theodosium apud Bedam de ratione temporum cap. 57. Cyrillus Hierosol. catech. 13. Chrysostomus Homil. 82. in Joannem, & Homil. 86. in Matth. Augustinus Tract. 10. in Joan. Socrares Lib. 5. cap. 22. Leo Serm. 3. de Paschate, Beda in capit. 18. Joan. Anselmus in cap. 26. Matth. Sed si Judæi distulissent Pascha, Christus non in die festo, videlicet die prima azymorum passus fuisset; namque dies quo Christus mortuus est non poruit esse festum nisi festum Paschæ: Si igitur hoc festum occurrebat, dubio procul Judæi pridie comederant Agnum, adeoque luna decimaquarta terminante, juxta legis præceptum. Ergo &c.

Non abs re erit aliquorum Patrum & sanctorum Doctorum texere testimonia. Sanctus Chrysostomus Homilia LXXXII. ait: " Sed quid significat, ut manducarent Pascha? Atqui Jesus jam id fecerat una die azymorum. Sive ergo Pascha totam appellat solemnitatem, sive quod tunc faciebant: Christus autem pridie, cædem suam in parasceve reservans, quando antiquitus celebratum erat. „

Huic accedit Theophilactus commentario in caput XVIII. S. Joannis: " Quid autem est, *inquit*, ut comederent Pascha? Sane Dominus illud fecit prima azymorum: vel igitur intelligamus per Pascha, festum septem dierum; vel quod ipsi quidem manducaturi erant in Parasceve vespere. Ipse autem Dominus uno die præveuit, reservans sui occisionem paraseeve, quando & olim fuit Pascha. „

Cardinalis Humbertus Sylvæ Candidæ Episcopus mira de hoc momento dicit Lib. contra Græcorum calumnias: " Administratis Judæis materiam magnam sibi placendi super inrerfectionem Domini, & permanendi in errore suo, & fidem nostram evacuandi, si gloriantes nomine Christiano objecerint Christo quod Judæorum nemo objicere præsumpsit, nec tunc, nec modo, nisi forte vestro edoctus Magisterio. Quamvis enim Principes Sacerdotum, & omne Concilium quæsissent falsum testimonium contra Jesum, ut eum morti traderent, & nec in verbis ejus invenissent: tamen tale aliquid quale vos objicitis, nullus eorum objecit. Quod si fuisset objectum, solum sufficeret ad perdendum illum. Nec jam Pilato dicerent: Nobis non licet interficere quemquam, quia ipsi præcepto legis interfecissent fermentari participem... Nonne tot testibus iniquis in Dominum insurgentibus, & iniquitate mentiente sibi, sufficisset hoc unum vestrum mendacium, si constaret eis saltem hoc solum? Nonne illarent Pilato, & dicerent: Nos legem habemus, & secundum legem deber mori, quia fermentarum in Pascha comedit? Forte diceretis eum clam egisse hoc. Absit. Quia non solum de factis suis, verum & de dictis ait ipsi Pontifici percunctanti: Ego palam locutus sum mundo &c. Numquid etiam Dominum domus in qua Pascha celebrabat, sanctæ legis prævaricatio posset latere? Quod si forte & hunc latere potuit, aut certe ipse consensit: numquid, & Judam com-

„ complicem malignorum Judæorum latere potuit? „

Rursus: „ Quia consideratis vestro fermentato secundum legem & Evangelium, juste contradici: astruere conamini Dominum non celebrasse Pascha cum Judæis quarta decima luna primi mensis, sed priusquam fieret legalis abjectio fermentati: Et hoc probare contenditis ex Evangelio Joannis, qui ait: Et ipsi non introivere in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha. Quod quanta absurditate dicatur, saltem ex hoc perpendite, quod Christum transgressorem legis non cavetis denuo pronuntiare, si Paschæ tempus noluit observare. Præsertim cum Lucas referat, quia (cum facta esset hora discubuit.) Quamvis enim bis posse celebrari Pascha lex concedat, tamen quartam decimam lunam omnimodis observandam denuntiat. Et mundis quidem quartam decimam secundi mensis ... Et quicumque aliter præsumpsisset, de medio populi sui periret. „

Juvat totam istius auctoritatis seriem verbis Catechismi Romani claudere, qui præoccupans Græcorum objectiones pag. 2. n. 14. sic loquitur: " Quod si quis Joannis Evangelistæ auctoritatem opponat, qui hæc omnia ante festum diem Paschæ acta esse commemorat; ea ratio facile dissolvi potest. Enim quem primum azymorum diem ceteri Evangelistę appellarunt, quod feria quinta vesperi dies festus azymorum inciperent, quo tempore Salvator noster Pascha celebravit: eum ipsum diem Joannes pridie Paschæ fuisse describit: ut qui diei naturalis spatium, quod ad oriente Sole inchoatur, in primis notandum existimavit. Quapropter divus etiam Augustinus primum azymorum diem interpretatur eum diem, quo ad vesperam azyma comedenda essent. Sed azymi panis consecratio quantum conveniat integritati, & mentis munditiæ quam Fideles ad hoc Sacramentum afferre debent, ab Apostolo docemur, cum inquit: *Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi: Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus: itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis, & veritatis.* „

Ex Doctore Angelico.

S. Thomas ex professo nostram defendit conclusionem, quam variis illustrat Patrum testimoniis; hic 3. p. q. 46. art. 9. ad 1. refert opinionem eorum qui existimant Judæos ad Christi mortem accelerandam occupatos Pascha distulisse, expositam vero sic refellit: " Quidam dicunt quod Christus die convenienti in quarta decima luna Pascha cum Discipulis suis manducavit, demonstrans quod usque ad ultimum diem non erat contrarius legi, ut Chrys. dicit supra Matth. Sed Judæi occupati circa procurationem mortis Christi contra legem celebrationem Paschæ in crastinum distulerunt. Et propter hoc de his dicitur, quod in die passionis Christi noluerunt intrare prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha. Sed nec istud videtur consonum verbis Marci dicentis: Primo die azymorum quando Pascha immolabant. Simul ergo Christus, & Judæi vetus Pascha celebraverunt. „

His posterioribus verbis sanctus Doctor ostendit, se non fuisse locutum in propria sententia, cum Comment. in cap. 22. Lucæ dixit Judæos hoc anno distulisse Pascha: suis in commentariis enim non nisi Patrum placita adducit, ut lector intelligat quænam sint Scripturæ sacræ interpretationes: at vero in Summa loquitur ut Theologus, qui cuncta controversiæ capita dirimit, & quænam sit probabilior opinio, immo & certior exponit, ac proprio Marte, vel relictis, vel etiam debellatis minus probabilibus, concludit. Sententiam tamen de Paschate celebrato juxta legis mandatum astruit Com. in c. 18. Joan. & sic scribit Alcuini suffultus auctoritate: " *Alcuinus*. Pascha enim proprie dicebatur dies illa, qua Agnus ad vesperam decimaquarta luna occidebatur. Septem vero dies sequentes azymorum dicebantur, in quibus nihil fermentatum in domibus eorum debuit inveniri, sed tamen dies Paschatis invenitur inter dies azymorum, ut apud Matthæum: Prima autem die azymorum accesserunt Discipuli ad Jesum, dicentes: Ubi vis paremus

„ remus tibi comedere Pascha? Pascha „ etiam, dies azymorum inveniuntur nominati sicut hic: ut manducarent Pascha: Pascha enim non immolationem „ Agni hic notat, quæ fiebat decimaquarta luna ad vesperam, sed magnam solemnitatem, quæ 15. celebrabatur post „ Agni immolationem. Decima quarta „ enim luna Dominus, sicut & alii Judæi, Pascha celebravit; decimaquinta „ luna quando magna solemnitas celebrabatur est crucifixus, decimquarta vero „ luna cœpit esse immolatio, ex quo captus est in horto. „

Ex rationibus Theologicis.

PRIMA sic exponitur: Juxta omnium Evangelistarum placita Christus manducavit Pascha luna decima-quarta, quando Judæi immolabant, quando necesse erat secundum legem Pascha manducare, adveniente prima die azymorum, quam diem omnes Evang. assignant eadem luna terminante, & decima quinta inchoante; iidem vero ne uno quidem excepto, attendunt ad Festum Paschæ, quod hoc anno ita celebratum est. Igitur ut sint convenientia Evangelistarum testimonia, Judæi tempore passionis Christi illam non distulerunt cæremoniam, maxime vero cum Evangelistæ de prævaricatione legis eos non insimulent, quod dubio-procul scribere non omisissent, ut istorum nequitiam, Christi vero innocentiam ostenderent, quandoquidem Scriptor fidelis & facti & circumstantiarum aggravantium texit historiam.

Altera ratio hæc est: Christus ex Evangelistis passus est in die festo azymorum, nam dies ille Parasceves ad Sabbatum non poterat aliud esse festum: At si Judæi distulissent Pascha, non fuisset festum. Igitur erat festum, quia pridie manducaverant Pascha, & tunc temporis juxta legis præscriptum Pascha celebraverunt.

Tertia: Judæi non potuerunt Paschatis festum differre propter Pentecosten: sin minus, omnis Judæa hoc anno utique distulisset, ea potissimum ratione, quod lex de celebritate festi Pentecosten hoc expostulasset, cum festo Paschatis responderet, adeoque sicut & Paschatis, sic & Pentecostes festum translatum fuisset. Sed Josephus non scribit festum Pentecosten hoc anno fuisse translatum, quin potius asserit pro more celebratum fuisse: neque vero quisquam in historia rerum Judaicarum leget Judæos Pascha transferri usquam permisisse, nisi aliquot mensibus in gratiam infirmorum, qui tempore a lege determinato venire Jerusalem non poterant. Igitur Synagoga Agnum Paschalem tempore passionis Christi immolavit.

Non injucundum erit hic duo subnotare: primum est Scriptores canonicos translationem festi Paschalis, quando aliqua contigit, semper commemorasse; altum tamen est de hoc momento silentium tempore mortis Christi. Alterum observatione dignum est, quod tempore Hircani summi Pontificis dies Pentecostes celebranda venit in Dominica: sicut de facto contigit anno quo Christus mortuus est: Non est igitur inconveniens quod festum Paschæ celebratum sit die parasceves ad Sabbatum, quod altera die a Sabbato facta sit oblatio manipuli, die scilicet nostræ Dominicæ respondente, & postea septem elapsis hebdomadibus plenis, etiam die Dominica occurrerit Pentecostes festum.

Quod autem Judæi religiose festa præscripta statutis diebus celebrarent, patet cum & tempore obsidionis alicujus urbis, licentiam ab hoste efflagitarent ea celebrandi, qui & ultro non semel temporis inducias abstinendo a præliis concedebat: sic enim legitur Lib. 13. Antiquit. Judaic. cap. 16. " Antiocho contra Ju„ dæam anno primo Hircani bellum mo„ vente, obsessus Hircanus in civitate, „ adveniente Tabernaculorum festo, se„ ptem dierum inducias pro festo petens „ ab Antiocho obtinuit. „ Cap. 11. idem Antiochus, petente Hircano, duobus diebus hæsit in via & quievit, ut per hoc tempus licitum illi foret celebrare festum Pentecostes, quod hoc anno, scilicet mortis Christi incidebat immediate post Sabbatum, videlicet die nostro Dominico diei respondente: sic enim habetur in edit. Paris. anno 1514." Cumque Antio„ chus exercitum contra Parthos duceret, „ cum eo Hircanus egressus est .... „ Trophæum autem sistens Antiochus „ juxta Licum fluvium ubi vicerat „ Ida-

„ Idatim Parthorum ducem, ibi duobus „ diebus demoratus est, petente Hircano Judæo, propter aliquam patriam „ Judæorum celebrationem, in quo non „ erat legitimum eos proficisci: & hæc „ quidem non est mentitus. Nam quin- „ quagesima festivitas post Sabbatum in- „ stituit: in qua minime licet nobis vel „ in Sabbatis, vel in festo die viam con- „ ficere. „

Quarta: Judæorum proceres eo ducti ad phantasiam motivo ad Christum crucifigendum omnia moliti sunt, eo quod eum dicerent Moysis quidem inimicum, legis vero prævaricatorem: Sed si Pascha absque ratione distulissent, in eadem fuissent causa damnationis, populum commovissent, astantibus omnibus nationibus, non sine stupendo scandalo agnum jam decima die ad immolationem paratum die inordinata comedissent, sicque legis cæremoniam celeberrimam Gentilibus ad illudendum tradidissent. Quid plura adjiciam? Propriæ nationis ad eum Agni paratæ expectationem defraudassent, frustra timuissent plebem, si in die festo Paschatis Christum non occidissent: voluerunt enim juxta Evangelistas eum ad occisionem caute & secreto ducere, & dicebant, *Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo*, quod tamen malitia sicut & invidia, juxta Evangelium, ipso temporis festo adimpleverunt. Igitur ut hæc similia propellantur & incommoda & contradictoria, Judæos anno iterum atque iterum laudato non procrastinasse Pascha dicendum est.

Quinta, eaque ceteris non minus valida: Agnus non nisi in templo Jerosolymitano juxta legis mandatum immolabatur, post sanguinem ad altare fusum, & adipem igne consumptum, ut scribit Maimonides Lib. de Paschate c. 1. Sect. 6. Neque vero citra populi consensum immolatio fiebat: hinc mactationis diem anticipare homini privato non erat licitum; sic enim habetur Exod. 12. 6. *Immolabitque eum*, scilicet Agnum, *universa multitudo filiorum Israel ad vesperam*. Sed si ista cæremonia translata fuisset, jam Agni immolatio facta fuisset decima quinta die ad vesperam contra legem; jam festum Azymorum in ipsam Sabbati diem incidisset, sicque duo festa simul eaque insignia celebrassent Judæi, quod ad hæc usque tempora fuerat inauditum. Jam vero Christus mandatum legis fuisset transgressus, cum juxta Evangelistas Agnum comederit luna decima quarta, ut infra dicemus; nec istam legis prævaricationem tacuissent Pharisæi, maxime cum ipso judicante Pilato, nihil morte dignum in Jesu amabili aut actum, aut probatum esset, quinimmo nec testimonia adversus eum convenientia forent; jam Dominus in die festo non fuisset cruci affixus, quod ipsi adversatur Scripturæ. Igitur causa cadunt propugnantes Judæos passionis Salvatoris tempore Pascha in decimam quintam diem transtulisse.

Sexta demum in ista forma exponitur: Asiatici Pascha luna decima quarta, etiam adversante Ecclesia, semper voluerunt celebrare: quocirca Quartodecimani nuncupati sunt. Sed ideo hunc morem gerere voluerunt, quia Christus cum Judæis isto temporis intervallo sic celebraverat, Domini mandatum servare absque peccato rati, si eam celebritatem ritu sempiterno tenerent; Ecclesia vero sub Victore I. eis restitit, immo in Concilio illos damnavit, ea ratione quod Judaismum in hoc exsuscitarent: verum quomodo? Nisi quia abrogatis per Christum legalibus, attamen cæremoniam inter omnes ritus Judaicos insignem celebrando Pascha decima quarta luna, quacumque die occurreret, retinerent. Ergo &c.

Diluuntur objecta.

Objicies: Qui Pascha manducaverunt die decima quinta, non comederunt juxta legis præceptum, sed de facto distulerunt. Atqui Judæi passionis Christi tempore sic egerunt; & probatur. Christus passus est prima die Azymorum: Sed Judæi in illo festo Agnum immolarunt, & probatur. Joan. 18. de eis loquens Scriptor canonicus ait: *Erat autem mane, & ipsi non introierunt in Prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha*. Ergo &c.

Respondeo negando minorem primi & secundi argumenti. Ad ulteriorem probationem distinguo: Sed ut manducarent

rent Pascha, hoc est Paschales cibos, concedo: ipsum Agnum, nego. Sanctus Evangelista hunc ipse prodit sensum his verbis antecedentibus: *Erat autem mane*. Igitur non ut Agnum qui ad vesperam immolabatur, manducarent, sed cibos Paschales qui non semel in divinis Scripturis nomine Phase celebrantur, juxta illud Deuter. 12. *Immolabis phase Domino Deo tuo de ovibus & bobus in loco quem elegerit Dominus*. Rursus 2. Paralip. 30. *Comederunt septem diebus solemnitatis immolantes victimas pacificorum*. Audis victimas septem azymorum diebus Pascha nuncupari.

S. Thomas sic solvit argumentum 3. p. q. 46. art. 9. primo quidem referendo opinionem eorum, qui illo sancti Joannis textu innixi, existimant Judæos, juxta quorumdam sententiam, Pascha hoc anno luna decima quinta celebrasse: "Cui, „ *inquit*, videtur consonare quod dicitur „ Joan. 13. Ante diem festum Paschæ.„ Postea hæc subjungit: " Sed contra hoc „ videtur esse quod dicitur Matt. 26. „ quod prima die azymorum accesserunt „ Discipuli ad Jesum dicentes: Ubi vis „ paremus tibi comedere Pascha? Ex quo „ patet quod cum primus dies azymorum dicatur quartus decimus dies mensis primi quando Agnus immolatur, & „ luna plenissima est, ut Hieronymus „ dicit, constat quarta decima luna Christum cœnam fecisse, & quinta decima „ eum esse passum. Et hoc expressius „ manifestatur Marci 14. Primo die azymorum quando Pascha immolabant.„ Quinam immolabant, nisi Judæi? Tum suam responsionem ulterioribus istis verbis sanctus Doctor confirmat: " Quod „ autem dicitur eos, scilicet Judæos, „ comesturos esse Pascha in quinta decima luna, intelligendum est quod ibi „ Pascha non dicitur Agnus Paschalis, „ qui immolatus fuerat decima quarta luna: sed dicitur cibus Paschalis, id est „ azymi panes, quos oportebat comedi a „ mundis: unde Chrysostomus ibid. Homil. 82. in Joan. aliam expositionem „ ponit, quod Pascha potest accipi pro „ toto festo Judæorum, quod septem diebus agebatur. „

Instabis: Ibidem cap. 19. est iteratus de festo Paschatis sermo, & Joannes ait: *Erat autem parasceve Pascha, hora quasi sexta*. Igitur quando Christus Dominus passus est, Judæi nondum Pascha comederant.

Respondeo primo retorquendo argumentum: si tunc temporis erat tantum parasceve Paschæ, quomodo ipsa die mane Judæi comedissent Pascha, ut sententiæ contrariæ propugnant auctores illo Joan. textu innixi: *Non introierunt in Prætorium ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha*? quæ duo manifestam, ut liquet, implicant contradictionem.

Respondeo secundo distinguendo: Erat parasceve ad Sabbatum, ut expresse Marci 15. habetur: *Erat*, inquit, *parasceve, quod est ante Sabbatum*: concedo: Parasceve ad Pascha, nego. Dies Jovis in qua Christus explevit agni epulas, quando Judæi immolabant Pascha, juxta eumdem Marcum, erat quasi parasceve ad Sabbatum, cum enim quidquam Sabbato facere licitum non foret, pridie & etiam ante parabantur ea quæ erant ad vivendum necessaria. Igitur apud Judæos dies Veneris semper erat parasceve ad Sabbatum: quia vero illud Sabbatum occurrebat in octava festi Paschatis, nomine Paschæ insignitur. Ceterum, teste Samuele Bocharto part. 1. Hierozoicon, seu de animalibus Scripturæ sacræ cap. 50. ubi de Agno paschali facit mentionem, hebdomadis dies in Beresith Rabba c. 11. sic numerantur: prima hebdomadis dies, secunda, tertia, quarta, quinta, parasceve, Sabbatum. Quid plura adjiciam? Non desunt Rabini qui affirment præparationem agni a decima die, renorum cinctionem & similia, non nisi ipsa nocte qua Israelitæ de Ægypto egressi sunt, obligasse: quocirca de alia præparatione non loquitur Evangelista, quam de ea quæ est ad Sabbatum.

Urgebis: Atqui erat parasceve ad Pascha. Ergo &c. Probatur subsumptum: Judæi non in die festo Christum Dominum crucifixerunt. Igitur parasceve ad Pascha. Probatur antecedens: Matt. 26. & Marci 14. dixerunt; *Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo*. Ergo &c.

Respondeo negando subsumptum. Ad probationem nego antecedens: ad ulteriorem probationem distinguo: Et hoc pri-

mum

mum statuerunt, concedo: & decreto priori steterunt, nego. Quidam non ipsa festi religione deterriri, sed metu populi, qui Christum ut magnum Prophetam habebat, concussi, volebant die laico Dominum occidi: verum paulo post occasione per proditorem Judam data, in furorem acti, divina & humana pessundantes, ipso Azymorum festo mortem Christi, modo falsis testimoniis, modo etiam minacibus verbis, a Præside Pilato tandem ut suæ invidiæ facerent satis, obtinuerunt.

Contra: Joan. 19. scriptum est: *Judæi ergo quoniam parasceve erat, ut non remanerent in cruce corpora Sabbato, erat enim magnus ille dies Sabbati, rogaverunt Pilatum ut frangerentur eorum crura, & tollerentur.* Sed illud Sabbatum magnus dies tunc temporis dictum legitur, ea potissimum ratione quod festum Paschatis occurreret Sabbato. Igitur Christus affixus est cruci pridie quam festum celebraretur.

Respondeo distinguendo: Sabbatum hoc anno erat magnus dies propter octavam Paschæ, concedo: namque & specialia per septem azymorum dies offerebantur sacrificia, & erat magnus omnium tribuum concursus propter solemnitatem Paschalem; talis fuit, quando Salomon majorem Templi dedicationem septem diebus celebravit, ut Lib. 2. Paral. c. 7. habetur: *Fecit ergo Salomon solemnitatem in tempore illo septem diebus, & omnis Israel cum eo, Ecclesia magna valde, ab introitu Emath usque ad torrentem Ægypti.* Erat magnus ille dies Sabbati propter festum azymorum, nego.

Insistes: Atqui festum azymorum, quando Christus occisus est, incidebat non in parasceven ad Sabbatum, sed in alium diem; & probatur. Opera servilia prohibebantur in die festo. Atqui tamen multi hujusmodi operibus inservierunt, & quidem justi, ipso die quo Christus passus est: nam religiosus Josephus ab Arimathæa nobilis Decurio, sepulchrum parari curavit, Nicodemus emit centum libras aloes ad corpus inungendum, Simon Cyrenæus portavit crucem, emerunt etiam piæ mulieres aromata, quibus sacrum Domini corpus condirent, ut habetur Marc. 15. & Luc. 23. Ergo &c.

Respondeo negando subsumptum. Ad probationem distinguo: Opera servilia erant prohibita die festo Sabbati, concedo: altero die festo, subdistinguo: mere servilia & laica, concedo: pia & charitatis motivo facta, nego. Ultro fatemur omnia prorsus opera Sabbato fuisse prohibita, sed non idem dicendum de piis operibus, quæ vel in ipsa Sabbati die erant licita, ut curare infirmos; hinc ipse Christus Judæos increpavit, quod Paralitici curationem illa die factam illi improperarent; ait enim Joan. 5. Paralytico: *Tolle grabbatum tuum, & ambula.* Dicitur etiam pias mulieres vespere Sabbati emisse iterum aromata, ut venientes ungerent Jesum; & Tobiæ cap. 2. scriptum est, justum illum die festo sepeliisse mortuos. Quidquid sit de die Sabbati, aliis festis diebus poterant Judæi quædam opera etiam servilia exercere, ut coquere cibos, juxta illud Exod. 12. de octava azymorum. *Dies prima erit sancta atque solemnis, & dies septima eadem festivitate venerabilis; nihil operis facietis in eis, exceptis his quæ ad vescendum pertinent.* Porro si hujusmodi opera erant licita, a fortiori & erant opera misericordiæ & pietatis.

Urgebis: Atqui Judæi operibus servilibus tunc temporis ita vacabant, ut Pascha non potuerint comedere. Ergo &c. Probatur subsumptum. Ipsa die Lunæ decimæ quartæ ad vesperam Christum comprehenderunt, eumdem tota nocte exagitaverunt, eumque ad Annam primum, deinde ad Caipham, tum ad Herodem, postremo ad Pilatum duxerunt; quæ quidem omnia non sine magno apparatu & strepitu forensi facta sunt; nam ut mortem ejus molirentur, sive falsos adhibendo testes, sive commovendo populum, nihil non tentarunt: quinimmo vel ipsi Synagogæ Principes constanter eum accusantes, alternatim singulos non solum adibant Judices, sed & executioni assistere non erubuerunt improperantes ei: sic enim habetur Matth. 27. *Similiter & Principes Sacerdotum illudentes cum Scribis & Senioribus dicebant, alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere: si rex Israel est, descendat nunc de cruce, & credimus ei.* Sic autem agitati & implicati non potuerunt agnum Paschalem luna decima quarta ad vesperam comedere, & festum azymorum uno & eodem die quo Christus cru-

crucifixus est, celebrare, maxime cum actus forenses & reorum punitio essent opera mere servilia. Ergo &c. Confirmatur: Sic propugnant inter Patres plurimi, qui Judæos hoc anno juxta legis præceptum non manducasse Pascha contendunt: in primis S. Chrysostomus, qui Hom. 85. in c. 26. Matt. de eis ita loquitur: " Mane autem facto, non intrarunt in „ Prætorium, ut Joannes inquit, ut non „ contaminarentur, sed ut manducarent „ Pascha. Unde liquido patet cupiditate „ interficiendi Christum prævaricatos fuisse, ac alia die Pascha comedisse; non „ enim Christus tempus Paschæ trangressus est, sed illi audacissimi homines, & „ mille transgredientes legis præcepta; „ quoniam ita inflammati erant, & sæpe „ conati capere ipsum nihil facere potuerunt, ex insperato nacti quod cupiebant, tempus Paschæ transtulerunt, ut „ ardentes cæde animos suos explerent. „ Ergo &c.

Respondeo negando subsumptum. Ad probationem distinguo: Et ante motam in Christum tragœdiam agnum Paschalem manducaverant Judæi, concedo: & non manducaverant, nego. Quod autem hæc solutio sit ad rem, non ex uno constat capite. Primo quidem jam a duobus circiter diebus certiores de Christi traditione facti per Judam Iscariotem, absque negotio Pascha manducare poterant, cum hoc ad vesperam versus horam nonam, juxta Josephum, fieret in singulis familiis, & ideo opus non erat ad hoc Sacerdotum ministerio; tum nocte Pharisæi dederunt Judæ cohortem ut comprehenderet Jesum, quem milites ad Annam primum, deinde ad Caiphbam vinctum duxerunt. Igitur non ipsi Synagogæ Proceres ad hortum venere, ut Christum ligarent & in judicium adducerent. Ultro fatemur vacasse strepitui forensi, sed rem tanti momenti faciebant, ut ne captivus ab eorum eriperetur manibus, absque scrupulo eum morti tradere non dubitaverint, servata solum ab omni opere & judicii strepitu Sabbati die. Non nihil tamen attendisse ad festum ex duobus liquet, nimirum ex eo quod, ut habetur Joan. 19. *Non introierunt in Prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha*, hoc est, cibos Paschales: constat etiam ex alio momento eos attendisse ad festum, cum scilicet responderunt Pilato Christi causam eis dimittere volenti: *Nobis non licet interficere quemquam*. Quorsum non licet? Nisi propter festum primæ diei Azymorum. Audiendi sunt etiam alii Evangelistæ de ceteris circumstantiis. Marci 14. legitur: *Erat autem Pascha & azyma post biduum, & quærebant summi Sacerdotes & Scribæ quomodo eum dolo tenerent*. Videas velim duobus diebus ante Pasca convenisse cum Juda de Christo capiendo & crucifigendo: & Joan. 18. *Judas ergo cum accepisset cohortem a Pontificibus & a Pharisæis ministros, venit illuc cum laternis & facibus*. Audis Judam venire ad hortum, non Pharisæos & Scribas: audis Judam illuc venire, qui tamen comederat agnum cum Christo; quidni & comedissent Principes Sacerdotum in propriis domibus, cum ipsis ad comprehendendum Christum tunc non essent occupati, sed domi manerent?

Ad confirmationem ex S. Chrysostomo desumptam, respondeo I. opponendo Chrysostomum Chrysostomo, qui Homil. 84. initium passionis Dominicæ explicans, de Judæis hæc profert: " Tunc immittunt in eum manus, & tenuerunt „ illum ipsa nocte in qua comederunt „ Pascha, tanta insania tantoque furore „ agitabantur &c. „ II. distinguendo: Transtulerunt Pascha, hoc est sacrificia Paschalia, transeat: immolationem Agni, nego. Dico transeat, cum expresse habeatur Joan. 18. *Non introierunt Prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent pascha*; quam sententiam de cibis & sacrificiis Paschalibus intelligi non semel ostendimus; sed dato & non concesso sanctum Chrysostomum loqui de sacrificiis, nihil vetat aliquos ad sequentes dies transmisisse sacrificia, cum per totam festi Paschatis octavam licitum esset victimas offerre: sed & hoc de aliquibus Judæis in morte Christi acceleranda occupatis, & non de Sacerdotibus intelligi debet.

Ad id vero quod idem S. Doctor ait, Judæos hoc anno prævaricatores legis extitisse, utique distinguo: Fuerunt prævaricatores, eo quod innocentem & benefactorem occiderunt, & strepitui forensi absque causa vacaverint, concedo:

eo

eo quod agnum Paschalem non comederint, nego. Alias S. Chrysostomus sibi ipsi contradiceret, quippe qui Homil. 84. asserat Judæos ipsa nocte qua Christum comprehenderunt, agnum manducasse. Ceterum potuit S. Doctor isti inhærere sententiæ, sed altera probabilior est.

Dices: Si sacrificia Paschalia hoc anno ad aliam diem a festo azymorum distinctam transtulerunt Judæi, utique & agni esum, cum immolatio agni esset inter sacrificia Paschalia unum celeberrimum.

Respondeo nos in ea non versari sententia, ut credamus Judæos ad aliam diem transmisisse sacrificia; sed dato & non concesso S. Chrysostomum hoc dixisse, non quidem de Synagoga, quam legi obedivisse pro esu agni ex superioribus dictis luce meridiana clarius constat, scripsit, sed de aliquibus; dictum est nomine sacrificii non intelligi a sancto Doctore agni immolationem, cum ea non esset sacrificium rigorose sumptum, quandoquidem indiscriminatim a patre-familias, & non a Sacerdotibus præcise mactaretur agnus, nec Deo offerretur; sed assum igne festinanter omnes eum manducarent. Ex quibus omnibus liquet omnes Judæos, ne quidem exceptis Scribis & Pharisæis tametsi ad mortem Christi accelerandam deditis, agnum potuisse comedere, hoc enim in paucis fieri debebat. Quidni igitur absoluta agni cæremonia, furore acti Pharisæi & Scribæ, potuerint judicio damnationis Christi vacare?

Repones: Quod non ab uno, sed a multis Patribus omni exceptione majoribus defenditur, absque temeritate non revocatur in dubium: Sed multi gravissimi Patres propugnant Judæos tempore passionis Christi Pascha non comedisse juxta legis mandatum; & probatur. Sic propugnat Venerabilis Beda in c. 19. Joan. sic S. Augustinus Tract. 120. in Joan. pag. 226. ubi explicans illa Joannis de sepultura Christi verba: *Illi ergo propter parasceven Judæorum, quia juxta erat monumentum, posuerunt Jesum*: ait: "Acceleratam vult intelligi sepulturam, ne advesperasceret? Quando jam propter parasceven, quam cœnam puram Judæi latine usitatius apud nos vocant, facere tale aliquid non licebat?" Sed numine cœnæ puræ nihil aliud intelligit Augustinus, quam agni cœnam, eo quod absque ciborum apparatu fieret, sed tantum cum lactucis aggrestibus, & festinanter. Ergo &c.

Respondeo distinguendo majorem: Si in unum aliquod unanimiter conspirent Patres, concedo: sin minus, nego. Et sic distincta minore, nego consequentiam. Tametsi quidam inter Patres, Judæos tempore passionis Christi Pascha procrastinasse autument, multo plures Scripturæ auctoritate suffulti contrarium propugnant, inprimis Doctor Angelicus in rebus Theologicis indagandis nulli secundus. Quinimmo alii sancti Doctores priori sententiæ nonnihil patrocinantes, absque negotio in gratiam nostræ sententiæ explicari possunt. Ceterum SS. Augustinus & Beda non in propria, sed in aliena loquuntur opinione, quam solummodo quantum ad horam mortis Christi approbant.

Ad confirmationem nego minorem, videlicet nomine cœnæ puræ intelligi apud Augustinum esum agni Paschalis, sed potius cœnam solemnem, quam qualibet feria sexta faciebant: namque teste Irenæo Lib. 1. Hær. c. 10. propter imminentem Sabbati diem Judæi instituerant cœnam solemnem, quam ut a jejuniis secernerent, nomine cœnæ puræ celebrabant. Ita quoque Tertullianus Lib. contra Marcionem c. 4.

Convellitur sententia P. Mauduit Congregationis Oratorii Gallicani Presbyteri.

OBJICIT Auctor iste Gallicæ Analyseos: Judæi non potuerunt celebrare Pascha anno quo Christus mortuus est nisi luna decimaquinta post conjunctionem lunæ cum sole, hoc est feria sexta ad vesperam, tametsi Dominus Jesus luna decimaquarta juxta legis præceptum Agnum Paschalem comederit. Ergo &c. Probatur antecedens: Ex decreto Synedrii transtulerant Pascha, ne duo festa occurrerent, quia festorum occurrentia populo gravis erat, cum nec sepelire mortuos in fervidis illis regionibus, nec alia hujusmodi opera etiam pia diebus festis possent facere; sicque festum azymorum

ipso die sabbati tunc temporis occurrit. Jam vero, Neomenia ita translata, factum est ut dies decimus quartus primi mensis, a Neomeniæ consecratione inciderit in feriam sextam, ad cujus vesperam Judæi Agnum Paschalem manducarunt, quem Christus comederat antecedenti die, qui, a conjunctione lunæ cum sole, fuit decimus quartus primi mensis: quocirca hoc anno & Christus, & Judæi Agnum die decima quarta primi mensis diversimode comederunt: Supponit igitur auctor Judæos ita suos disposuisse canones ut Pascha numquam incideret in secundam, quartam, aut sextam feriam, seu in diem Lunæ, Mercurii, & Veneris.

Respondeo negando antecedens quoad primam partem, in qua quidem asserit P. M. Judæos tempore passionis Christi non potuisse celebrare Pascha nisi luna decimaquinta. Ad probationem nego Judæos, transtulisse festum azymorum in Sabbatum subseqnens, quod non una evincit ratio. Prima: tametsi Judæi nunc ita suas disponant Neomenias, ut festi dies nusquam continui sint, citra dubium est canones quibus impræsentiarum pro isto momento utuntur Judæi, fuisse antiquis prorsus ignotos. Hoc ipsum constat tum ex Talmudicis libris longe post passionem Christi exaratis, qui passim referunt festa quæ Sabbato continua sunt, tum etiam ex testimonio Abenezra inter Rabbinos doctissimi, qui in caput. 23. Levitici probat tam ex *Misna* quam ex Talmude Pascha non semel in secundam, quartam & sextam feriam incidisse. Idem demonstrat Abbas Bartholocius in Bibliotheca Rabbinica ex *Misna*, & *Gemera*. Quinimmo L. 13. antiq. c. 16. non levius exemplum festi sabbato continui adducitur; refert Josephus ex Nicolao Damasceno Antiochum pugnaturum adversus Parthorum Ducem duobus diebus in itinere hæsisse, Pontifice hoc expostulante Hircano Judæo propter festorum celebrationem, in qua non erat licitum Judæis proficisci, nam quinquagesima festivitas, id est Pentecostes, post Sabbatum instabat.

Altera ratio qua nostra innititur responsio ea est, quod Quatuordecimanis, ut dictum est supra, solemne esset celebrare Pascha luna decimaquarta quacumque die occurreret juxta morem Judæorum, ut scribunt Eusebius L. Hist. Eccl. cap. 23. Epiphanius Hær. 50. Augustinus L. de Hær. c. 29. Philastrius in hæresi de festo Paschatis, Theodoretus L. 3. fabul. Hær. quod dubio-procul argumentum est Judæos tempore quo Christus passus est, e suo loco nondum suas movisse pro celebrando Paschate Neomenias.

Tertium pro astruenda nostra sententia affert rationem eruditissimus R. P. Graveson Dominicanus tract. de Mysterio Incar. disser. 19. his verbis: " Agnus Paschalis non potuit alibi immolari, quam „ in Templo Hierosolymitano, post sanguinem ad altare fusum, & adipem „ igne absumptum, sicut docet Maimonides L. de Paschate cap. 1. sect. 6. In „ Templo autem mactari haud potuit „ Agnus Paschalis, nisi omni consentiente populo, quo fit ut dies mactationis „ Agni Paschalis a privato homine anticipari minime potuerit, juxta illud „ Exodi cap. 12. 6. *Immolabitque eum*, id „ est Agnum, *universa multitudo filiorum Israel ad vesperam*. Si igitur Judæi, „ anno quo Christus mortuus est, Pascha „ suum distulissent ad vesperam diei decimæ quintæ, Agnus Paschalis fuisset „ hoc anno dumtaxat immolatus in Templo Hierosol. die decima quinta, ex „ quo sequeretur quod Christus, qui Pascha celebravit sub finem diei decimæ „ quartæ, Agnum Paschalem comedisset „ in Templo Hierosolymitano non mactatum, eoque facto legem violasset. Quod est inconveniens; graviter enim offendisset Judæos erga ipsum jam-jam exacerbatos, translationis enim festi decreto omnes obedire tenebantur, tametsi in consecrandis Neomeniis seu noviluniis, & in designandis festis diebus aliquis obrepsisset error, ut testatur Maimonides in tractatu *Hiddusch KaKodesch*, seu de consecratione mensis cap. 2. n. 10. his verbis: " Cum domus judicii, *seu Sanhedrin*, „ Neomeniam consecravit, sive erret, „ aut in errorem incidat, illa tamen est „ consecrata: nec quisquam est, qui non „ teneatur festa observare, secundum illam diem, licet errorem noverit. „

Quarta ratione convellitur systema P. Mauduit. Supponit enim Judæos a conjunctione lunæ cum sole juxta rigorem Astronomicum

micum Neomeniam computasse, & ab eis dumtaxat Neomeniam ad diem sequentem post conjunctionem lunæ cum sole fuisse translatam, quandoquidem duo festa hoc anno fuissent continua: sed hæc suppositio falsissima est, namque Judæi ante urbis Hierosolymitanæ subversionem, nullis cyclis, tabulisve Astronomicis in stabilienda sui anni forma usi sunt, nec a conjunctione lunæ cum sole Neomeniam seu novilunia computasse certum est, sed tantum ab aspectu, seu apparitione lunæ; quæ quidem apparitio, uno aut altero die posterior est conjunctione lunæ cum sole. Sic tradunt inter Rabinos vetustissimi apud Langium Lib. 1. de annis Christi cap. 6. Petavius L. 2. de doctrina temporum, vetus Auctor apud Clementem Alexandrinum Lib. 6. strom. ubi de Judæis differens ait: " Et „ nisi luna apparuerit, non agunt Sab„ batum, quod dicitur primum, neque „ agunt Neomeniam, neque azyma, ne„ que festum, neque magnum diem. „

Demum hac ulteriori ratione idem confutatur systema. Ideo festum azymorum a Judæis translatum putat P. Mauduit, ut duorum festorum consecutio vitaretur: Sed illud Poetæ jure merito illi tribuendum est, *incidit in Syllam volens vitare Caribdim*. Re vera quidem septima azymorum dies, quæ perinde ac prima apud Judæos festiva erat, incidisset in diem Veneris subsequentem, sicque duo festa fuissent continua, quod tamen ita vitare contendit auctor, ut velit festum azymorum in sabbatum anno quo Christus mortuus est translatum fuisse, ut hoc calculo habeat Judæos tunc temporis Pascha comedisse luna decimaquinta ad vesperam. Igitur non stant principia, nec utique stare potest ejus de celebratione Pascatis apud Judæos sententia.

Discutitur & refellitur opinio R. P. Pezronii, Ordinis Cisterciensis, & Doctoris Parisiensis.

OPPONES II. Veteres Hebræi mensibus lunaribus utebantur. Igitur non nisi die Veneris ad vesperam Pascha celebrarunt. Probat antecedens auctor laudatus. Mensis lunaris apud Judæos non nisi a conjunctione lunæ cum sole incipit; videlicet cum sit inter-lunium, seu a prima lunæ phasi, hoc est apparitione: hinc duplicem apud Judæos extitisse neomeniam autumat. Unam a conjunctione lunæ cum sole, alteram, eamque posteriorem a prima lunæ apparitione computatam, ac subinde duplicem quoque fuisse diem decimum quartum lunæ, quo Pascha celebrari poterat: Ex quo concludit Christum Agnum Paschalem comedisse luna decimaquarta ad vesperam, computando a conjunctione lunæ cum sole, Judæos quoque, sed die Veneris qui erat dies decimus quartus a phase seu apparitione lunæ.

Respondeo negando consequentiam: Ad probationem jam patet responsio ex mox dictis, cum diximus ignotum fuisse antiquis Judæis uti tabulis astronomicis, & diem decimum quartum numerasse modo a conjunctione lunæ, modo etiam a priore lunæ phasi, cum constet non nisi a primo lunæ aspectu suas consecrasse Neomenias. Incassum igitur hanc duplicem decimam quartam diem Judæos habuisse commemorat auctor; tametsi enim, teste Buxtorfio, recentiores Judæi utpote inde dispersi festum Paschatis per duos dies, celebrare soleant, ut certiores evadant se a vero festi die non multum aberrare, quamvis etiam nonnulli veteres a Judæa remotissimi, binos in celebratione Paschatis dies observarent, eo quod ipsi vix innotescere posset dies qua Judæi Hierosolymitani decrevissent celebrare, cujusque mensis neomeniam, ex qua reliqua festa celebranda pandebant, consecrare vellent, nullo tamen antiquitatis monumento probari potest in Judæa, maxime vero Jerosolymis alios fuisse Judæos qui uno die, alios qui altero die Agnum Paschalem comederent: cujus rei argumentum est, quod nullum usquam fuerit in civitate Hierosolymitana de die celebrandi Paschatis dissidium. Igitur probabilitate caret ista sententia qua statuitur Christum cum una parte Judæorum una die, Pharisæos vero & Sacerdotes cum altera parte diverso die Paschalem Agnum comedisse: sed omnes vel die a lege statuto, vel altero per decretum domus judicii assignato, celebrare tenebantur.

Exponitur explicatio R. P. Harduini Societatis Jesu insignis Theologi, & abjicitur.

REPONES: Conciliandæ sunt sacræ Scripturæ quæ præ se ferunt de festi Paschatis celebratione, anno quo Christus mortuus est, contradictionem: Sed absque negotio conciliari possunt, ut propugnat laudatus Scriptor in suo opere de selectis quæstionibus Amstelodami anno 1709. typis excuso, si attendatur Galilæos, & Israelitas sejunctim a Judæis Pascha Hierosolymis celebrasse: Quocirca Christus utpote Galilæus Pascha die integra, ante Judæos comedit; isti vero die sequenti, videlicet feria sexta ad vesperam celebrarunt. Primum, *inquit*, innuunt Matthæus, Marcus & Lucas, dum dicunt Christum prima die azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha misisse Petrum & Joannem ut pararent Pascha: Eo loci, *ait*, de Galilæorum & Israelitarum Paschate fit sermo; cum enim gemina foret agnorum mactatio, isti tres Evangelistæ non nisi de Paschate Galilæorum loquuntur. Quando vero Joannes c. 18. ait: *Erat enim mane, & non introierunt in prætorium ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha*; & c. 19. *Erat parasceve Paschæ*; voluit designare Pascha quod Judæi altera die celebrarunt. Igitur Judæi hoc anno Agnum Paschalem luna decima quinta ad vesperam comederunt.

Respondeo primo, contradictionem Scripturarum in celebratione festi Paschatis nullam esse, nisi penes aliquos terminos, qui facile explicantur, si dies solemnis computetur a priore vespere, sicut de facto fuit semper in more positum ejus initium sic ducere: Ex probationibus autem, tum ex solutione ad priora argumenta consensus Evangelistarum per omnia affulget.

Respondet R. P. Graveson tract. de Incar. diss. 19. ne quidem speciem veri præ se ferre P. Harduini systema: Primo quidem quia neque ex ullis antiquitatis monumentis, neque ex sanctis Patribus, neque ex ullo probatæ fidei testimonio evinci potest duplex extitisse Pascha, alterum pro Galilæis & Israelitis uno die, alterum vero pro Judæis etiam posteriori die celebrandum. Sed omnes juxta legem & domus judicii decretum, eodem prorsus die Agnum Paschalem comedere debebant. Secundo, Christus erat de Tribu Juda de nobili prosapia David, cum igitur legem ad unum usque jota adimpleverit, dicendum est non cum Israelitis, sed cum suis Fratribus videlicet Judæis eum celebrasse Pascha. Multas alias tam in Historia, quam in Chronologia exarrationes retexit & confutavit Auctor libri inscripti: *Vindiciæ veterum Scriptorum contra Joannem Harduinum Societatis Jesus Presbyterum.*

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Judæi tempore Passionis Christi Agnum Paschalem juxta legis præceptum immolaverunt.

PRIMO: Hoc annuntiant Scripturæ, siquidem Exod. 12. præcipit Deus ut cultu sempiterno celebretur Pascha; Judæi autem tametsi mali, plurimum ad legis litteram attendebant; quod autem sic fecerint anno quo Christus mortuus est, habetur Matth. 26. his verbis; *Prima autem die azymorum accesserunt Discipuli ad Jesum dicentes, ubi vis paremus tibi comedere pascha?* Ergo &c.

Secundo: Sic docent SS. Patres, Origenes Tract. 35. in Matth. Tertullianus L. 4. contra Judæos. Epiphanius Hær. 70.

Tertio: Id evincit hæresis Quartodecimanorum, qui ea ratione proscripti sunt ab Ecclesia quod pertinaciter relicto Ecclesiæ Romanæ ritu pro celebrando Paschate die Dominico, voluerint adhærere Judæorum consuetudini, luna decima quarta terminante primi mensis, quæcumque die occurreret, sanctum Paschatis festum celebrando; hinc Quartodecimani dicti sunt.

SYNOPSIS OBJECTIONUM ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Incassum objicitur illud Joan. 18. *Erat autem mane, & ipsi non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent pascha.* Cum nomine Pascha, teste D. Thoma, ibi intelligantur

tur cibi paschales. Unde pridie ad vesperam juxta legis præceptum jam manducaverant Agnum Paschalem.

Secundo: Nec magis urgent illa S. Joan. verba: *Erat autem parasceve Pascha*, hoc est parasceve ad sabbatum Paschæ. Siquidem a festo denominabantur singuli octavæ dies.

Tertio: Non negamus aliquos Doctores propugnare cum Græcis Christum celebrasse Pascha luna decimatertia terminante, sed satius est in hoc adhærere Ritui Romano, qui festum Paschatis a Christo luna decimaquarta terminante celebratum supponit. Ceteræ opiniones ingeniosæ quidem sunt, sed veritatis speciem non habent.

SECTIO SECUNDA.

Num Christus Dominus Pascha celebraverit anno quo mortuus est, luna decimaquarta juxta legis mandatum?

CONCLUSIO.

Christus Dominus tunc temporis celebravit Pascha luna decimaquarta terminante.

Probatur rationibus Theologicis.

PRIMA: Evangelistæ accurate scripserunt vitam & opera Christi, ea potissimum quæ sub finem vitæ peregit Salvator noster: Atqui ex Evangelistis Agnum Paschalem juxta legis mandatum comedit, scilicet luna decimaquarta terminante. Ergo &c. Probatur minor Matth. 26. sic habetur: *Prima autem die azymorum, accesserunt Discipuli ad Jesum, dicentes: ubi vis paremus tibi comedere pascha?* Rursus S. Marcus c. 14. *Et primo die azymorum, quando pascha immolabant, dicunt ei Discipuli, quo vis eamus, & paremus tibi ut manduces pascha?* Rursus S. Lucas cap. 22. *Venit autem dies azymorum, in qua necesse erat occidi pascha. Et misit Petrum & Joannem, dicens: Euntes, parate nobis pascha ut manducemus.* Porro primus dies azymorum festum Paschæ celeberrimum vocabatur, eo quod pridie in vigilia ad vesperam Agnus Paschalis comederetur: Igitur Christus ritum Agni complevit luna decimaquarta terminante, decima vero quinta inchoante, hoc est die Jovis ad vesperam, quod non obscure subindigitant Evangelistæ, dicendo Christum manducasse Agnum Paschalem prima die azymorum, hoc est prima festi vespera, quandoquidem dies festi suum ducebant initium a primis vesperis, juxta illud Levit. 17. *A vespera usque ad vesperam celebrabitis sabbata vestra.* Hoc ipsum subnotat S. Joannes c. 13. *Ante diem festum Paschæ sciens Jesus ... & cœna facta.* Non igitur ipsa festi die, sed in vigilia ad vesperam. Igitur ex Evangelistis Christus pascha comedit decimaquarta luna terminante, juxta legis præscriptum.

Altera hæc est: Christus eo prorsus die celebravit Pascha, quo primum in Ægypto celebratum est ab antiquis Judæis: Sed isti Agnum Paschalem in Ægypto comederunt luna decimaquarta terminante; sic enim habetur Exod. 12. *Dixit Dominus ad Moysen & Aaron .... Loquimini ad universum cœtum filiorum Israel, & dicite eis: decima die mensis hujus, tollat unusquisque Agnum per familias ... servabitis eum usque ad quartam decimam diem mensis hujus. Immolabitque eum universa multitudo filiorum Israel ad vesperam.* Quod autem eo tempore, & juxta primam institutionem Pascha sic celebratum sit, declarat sacra Synodus Tridentina Sess. 22. c. " Sacerdotem secundum Ordinem Melchisedech se in æternum constitutum „ declarans, corpus & sanguinem suum „ sub speciebus panis & vini Deo Patri „ obtulit ... Nam celebrato veteri Pascha, quod in memoriam exitus de Ægypto multitudo filiorum Israel immolabat, novum instituit Pascha, seipsum ab Ecclesia per Sacerdotes sub „ signis visibilibus immolandum in memoriam transitus sui ex hoc mundo ad „ Patrem. „ Ergo &c.

Tertia: Christus testatur se adamussim legem velle observare, Mat. 5. *Non veni solvere legem, sed adimplere.* Atqui lex, ut dictum est, præcipiebat Agnum Paschalem manducari die decimaquarta ad vesperam: Ergo &c. Christum autem in hoc potissimum puncto adimplevisse legem non una aut altera evincit ratio: I. Ut effectus responderet verbis, dixerat enim legem se velle adimplere, & cum a Joanne

 bapti-

baptizari petiit, obnitenti Prophetæ Mat. 3. dixit, *Sic enim decet nos implere omnem justitiam.*

II. Ex dictis constat Judæos hoc anno juxta legis præscriptum Pascha celebrasse: utique igitur & celebravit Christus, sin minus illi, qui criminationum causas ad perdendum Christum quærebant, ipsum violatæ legis palam insimulassent, quippe qui integra die legitimam Paschatis celebrationem anticipasset, quod quidem a Juda proditore absque negotio rescire potuissent Principes Sacerdotum. Demum si Christus diem a lege præscriptum antevertisset, ut perperam contendunt Græci, non ausus fuisset paterfamilias, ad quem Christus misit Discipulos, ut Pascha apud ipsum pararent, cœnaculum suum ad Agnum Paschalem die non legitima comedendum præbere, namque timuisset ne, ut fautor violatæ legis accusatus, transgressionis pœnas luisset. Ergo &c.

Sancti Patres in articulo superiori huic astipulantur opinioni: in primis S. Chrysostomus, qui Homil. 82. asserit Christum sic egisse: „ Quia, *inquit*, omnia „ quę sunt legis, adimplevit. „ Et Homil. 81. dixerat: " Id fecisse ut semper in „ omnibus ostenderet usque ad extremum „ passionis diem, se non esse adversarium „ legis. „ Hinc Arcudius L. de Euch. c. 4. & sequentibus vindicat sanctum Doctorem & nonnullos alios Græcos Patres ab ea calumnia, quam Græci Schismatici illis inurunt, dicendo illos Patres propugnasse Christum diem a lege præscriptum pro celebratione Paschatis prævenisse. Eam sententiam eleganti calamo defendit Cardinalis Humbertus Sylvæ Candidæ Episcopus L. contra Græcorum calumnias. Eam Anselmus Epist. ad Volteranum.

Quarta sic proponitur: Christus Dominus mortuus est die sequenti quo Pascha cum Discipulis celebraverat, ut ex Evangelistis liquet: sed cruci affixus est die decimaquinta: Igitur die decimaquarta Agnum Paschalem comederat. Probatur minor. Inter Patres Græcos sic censent SS. Chrysostomus Hom. 86. in Matth. Cyrillus Hierosolymitanus catech. 13. his additur Socrates L. 5. Hist. Eccl. c. 21. inter Latinos Cyprianus L. de Cœna Dom. Tertullianus L. adversus Judæos: Ergo &c.

Quinta: Asiatici eo potissimum innixi fundamento Pascha celebrare volebant luna decimaquarta quacumque die contingeret, ut testatur Eusebius L. 5. Hist. Eccl. c. 13. & 24. quia dicebant Christum isto ipso die Agnum Paschalem cum Discipulis comedisse, & de hac re neque a Victore primo, neque a Conciliis adversus eos adunatis reprehensi sunt, sed quod Dominica sequenti festum juxta Ecclesiæ Romanæ traditionem agere renuerent. Igitur argumentum est illo die Christum Pascha Judaicum celebrasse.

Sexta: Christus Agnum Paschalem non comedit luna decimaquarta inchoante, hoc est die decimatertia, alias in pane fermentato, qui tunc adhuc erat in usu, consecrasset, quod propugnant Græci; sed hoc ab Ecclesia Latina longe propellitur tamquam Scripturæ sacræ contrarium; sic enim habetur, Matth. 26. *Prima autem die azymorum accesserunt Discipuli ad Jesum dicentes, ubi vis paremus tibi comedere pascha.*

Prorsus nec felicior est P. Lamy contendens hoc anno Christum morte præventum Agnum Paschalem non comedisse. Et vero illa sententia falsi convincitur omnium Evangelistarum & Patrum auctoritate: Quid plura, novitatem sapit, & a traditione recedit.

Proponuntur simul & solvuntur Difficultates.

Opponens I. Christus celebravit Pascha secundum legis præscriptum: Sed juxta legem celebrandum erat luna decimatertia terminante, decima vero quarta inchoante: Et probatur. Exodi 12. lex de ista celebratione a vespera ad vesperam facienda refertur pro festo, quod esu Agni in prima inchoabatur vespera: Sed illa prior vespera occurrebat luna decimatertia terminante, ita ut festum juxta diem naturalem luna decimaquarta inchoante contingeret. Ergo &c. Probatur minor. Illud celebraverunt primum Judæi quando egressi sunt de Ægypto: Atqui tunc temporis Agnum comederunt luna decimatertia; festum vero luna decimaquarta egeruot. Et probatur. Egressi sunt de Ægypto mense primo luna decima quinta,

ta, tunc enim profecti sunt, juxta illud Exod. 12. *Profectique sunt filii Israel de Ramesse in Soccoth sexaginta fere millia peditum virorum, absque parvulis & mulieribus, & vulgus promiscuum innumerabile.* Atqui inter istum egressum & immolationem Agni debuit mediare saltem una dies: Igitur cum profecti sint luna decima quinta, jamjam Agnum comederant luna decimatertia terminante. Probatur ista minor. Egressi sunt altera die a phase. Ergo &c.

Respondeo primo, ex illis argumentis inde sequi Christum cruci affixum fuisse die Jovis, quod est contra communem sententiam Ecclesiæ.

Respondeo secundo negando minorem omnium argumentorum: Ad ultimam probationem, distinguo: profecti sunt, altera die artificiali a phase, concedo: altera die solemni, nego. Phase in vigilia festi ad vesperam factum est, ut non semel diximus, festivitas vero die sequenti: hoc ipsum clare exprimitur Num. 18. his verbis: *Decima quarta die mensis phase Domini est, & decima quinta solemnitas.* Igitur phase primum in Ægypto die decimaquarta manducaverunt, die vero decimaquinta profecti sunt. Hoc quoque sufficienter explicatur in Scriptura, ubi dicitur I. filios Israel profectos fuisse die decimaquinta & altera die celebrasse Pascha; quænam altera? Nisi decimaquarta cum ipsa nocte inmediate subsequente percussi sint primogeniti, & absque mora compulsi sint Israelitæ de finibus Ægypti egredi. Non abs re erit hic texere vera libri Num. cap. 33. *Profecti igitur de Ramesse mense primo, quinta decima die mensis primi, fecerunt altera die phase filii Israel in manu excelsa, videntibus cunctis Ægyptiis, & sepelientibus primogenitos, quos percusserat Dominus.*

Instabis: Atqui phase tunc Judæi celebraverunt die decimatertia: Ergo &c. Non poterant nocte cœnæ e suis atriis egredi: Igitur post unam diem integram a phase profecti sunt de Ægypto. Probatur antecedens: Exod. 12. ita legitur: *Nullus vestrum egrediatur ostium domus suæ, usque mane.* Ergo &c.

Respondeo negando subsumptum. Ad probationem, distinguo: Non poterant filii Israel egredi e domibus prima aut altera noctis vigilia, eo quod prohibuerat Moyses, concedo: tertia vigilia, nego. Nox in tres dividitur partes; prima est ab occasu solis usque ad horam nonam; secunda computatur a nona usque ad duodecimam: posterior vero a duodecima ad tertiam, quæ annexum habet, maxime in Ægypto, diei crepusculum. Ergo Moyses prohibuit filiis Israel ne in profundo noctis, dum tanta primogenitorum strages perageretur, egrederentur e domibus, sed expergefacti Ægyptii manum Domini super suos primogenitos aggravatam videntes, veriti ne similia eis contingerent, Israelitas derepente egredi coegerunt, hora circiter tertia, adeoque die decimaquinta jam illucescente, sic altera die a phase.

Repones: Filii Israel dicuntur Exod. 12. exiisse de Ægypto sexcenta fere millia peditum, non numeratis parvulis & mulieribus, & ab Ægyptiis vasa aurea & argentea petiisse: Sed nec tanta multitudo in unum congregari locum, nec immensam colligere potuit supellectilem in illa brevi temporis angustia, quæ intercedit inter vesperam diei decimi quarti terminantis, & mane ejusdem noctem complectente: Igitur altera die integra a phase profecti sunt, & consequenter Pascha luna decimatertia celebrarunt.

Respondeo distinguendo minorem: Hæc omnia tam brevi temporis spatio cito fieri non potuerunt, seclusa Dei providentia speciali, concedo: Deo adjuvante, nego. Moyses sciens quid Dominus in gratiam Hebræorum facturus erat, absolutis prioribus portentis, monuit filios Israel ut essent ad proficiscendum parati, namque vix plaga prima facta est, quod Propheta petierit a Pharaone exire de Ægypto, ut iret in desertum ad sacrificandum Domino: Promittebat Pharao, verum induratus Judæos retinebat: sed repetitis plagis per plures dies, ut describitur a capite septimo Exodi usque ad duodecimum inclusive, iterum atque iterum libertatem Israelitis concessurum se spopondit, at iterum etiam atque iterum obduratus non stetit promissis, donec, visa manu Domini super primogenitos gravissima, non solum egrediendi dedit facultatem, sed & commovente populo suo, hoc absque mora fieri voluit. Igitur Hebræi

Hebræi a Moyse vel ante plagas inflictas coram Pharaone de egressu admoniti, secreto & citra tumultum ad proficiscendum sese accingere cœperunt, Deo vero protegente, gratiam tunc temporis invenerunt apud Ægyptios, & ab eis necessariam ad sacrificandum Domino supellectilem obtinuerunt, maxime cum totius Ægypti visis stupendis prodigiis commoveretur cor, & cuncti propter irruentia continuo mala cederent Hebræorum votis pro exitu. Quis enim ad malum horribile avertendum cuncta postulata non dedisset, ut propriæ consuleret saluti, quandoquidem hoc unum ad hoc sufficiebat, nimirum relaxatio populi Israelitici, ut egrediens de Ægypto sua redderet vota Altissimo: Neque vero probabilitate caret sententia eorum, qui vel ipsa exitus die Hebræos ab Ægyptiis accepisse vasa & alia sibi necessaria atque utilia propugnant; namque expergefacti Ægyptii, omnes primogenitos exterminatos animadvertentes, veriti ne quid simile eis contingeret, cuncta expostulata lubenti animo dederunt Hebræis, ut citocitius ab eis discederent: Quod autem altera die solemni a phase non factum sit, argumentum illud est, quia conspersam tantum farinam in palliis involutam ad coquendum pro victu panem azymum asportaverunt, ut habetur ibidem Exod. 12. Si autem una integra mediasset dies inter exitum & phase, absque negotio fermentatum pro more habere potuissent.

Insistes: Hebræi erant per totam Ægyptum dispersi: sed inter tantas temporis angustias, non potuerunt in unum congregari ad proficiscendum: Ergo &c.

Respondeo primo, si providentiam specialem excludas, nec in uno integro die hoc fieri potuisset, unde si quid argumentum probaret, inter phase & exitum non una solum sed multiplex dies numeraretur.

Respondeo secundo ut supra, distinguendo: Et jamjam admonitus populus erat ad exitum paratus, concedo: & non erat, nego. Hebræi ut habetur Genes. 48. & 49. non totam Ægyptum, sed terram Gessen habitabant, ubi multas ædificaverant urbes: eos autem in Ramesse versus Ægypti confines Moyses adunaverat, & ex Ramesse in Soccoth, deinde in desertum cum armentis suis abierunt: Sic enim habetur Exod. 12. *Profectique sunt filii Israel de Ramesse in Soccoth sexcenta fere millia peditum virorum, absque parvulis & mulieribus. Sed & vulgus promiscuum innumerabile ascendit cum eis, oves & armenta, & animantia diversi generis multa nimis. Coxeruntque farinam quam dudum de Ægypto conspersam tulerant, & fecerunt subcinericeos panes azymos: neque enim poterat fermentari, cogentibus exire Ægyptiis, & nullam facere sinentibus moram, nec pulmenti quicquam occurrerat praparare.*

Oppones II. Christus suæ passionis tempore Pascha die decimaquarta mensis non potuit, seclusa legis prævaricatione, celebrare: Ergo &c. Probatur antecedens. Hoc anno dies Pentecostes occurrebat die prima Sabbati, & juxta ritum nostrum die Dominica: Igitur tunc temporis dies primus azymorum non in feriam sextam, sed in Sabbatum incidit; adeoque Agnus Paschalis die Veneris, seu die decima quinta terminante comedi debuit: sin minus dies Pentecostes non fuisset celebrata secundum legem, qua quidem cautum erat, ut oblatio manipuli spicarum fieret die sequenti festivitatem azymorum; & ab hoc secundo die, *inquit*, Josephus L. 2. antiq. cap. 10. numerabantur quinquaginta dies, quibus expletis, Pentecostes celebrabatur; ex quo liquet hoc anno necesse fuisse diem primum azymorum occurrisse Sabbato, & die sequenti oblatum fuisse manipulum: qui ordo si pervertatur, dies Pentecostes tunc juxta legis præceptum non fuit celebrata. Constat autem Christum obiisse die Veneris: Ergo non primo die azymorum, sed alio Pascha comedit.

Respondeo primo, non constare apud viros eruditos Pentecostes diem, anno quo mortuus est Christus, in diem Dominicam incidisse. Nam si Sancti Clementis constitutiones excipias, & Sancti Augustini sermonem de tempore 154. quæ scripta, ut fatentur omnes critici, pseudo-pigrapha sunt, nemo, qui id asserat, citatur antiquior S. Leone, ita Samuel Bochartus, Tilmuntius tom. 1. Documentorum Histor. Eccl. not. 8. in Sanctum Petrum.

Respondeo secun, negando antecedens: Ad

Ad probationem distinguo: Dies Pentecostes hoc anno occurrebat prima die Sabbati, & oblatio manipuli facta quoque fuerat prima die Sabbati, concedo: & non facta fuerat, nego antecedens & ceteras consequentias, quæ falso innituntur principio, quandoquidem dies primus azymorum contigit feria sexta in qua occisus est Christus, quia vero occurrebat Sabbatum, oblatio manipuli non nisi altera die a Sabbato facta est: nec mirum, cum opus esset ipsa die metere triticum quod est opus servile, adeoque non licitum in die festo; necesse fuit igitur pro isto momento expectare diem laicum: Igitur quotiescumque ad diem azymorum sequebatur Sabbatum, non prima, sed secunda die a festo azym. fiebat oblatio manipuli, & ab ista numerabantur quinquaginta dies usque ad Pentecosten. Ita Bellarminus: hoc ipsum claret ex verbis legis, quæ hic texere non erit injucundum. Sic habetur Levit. 23. *Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: loquere filiis Israel, & dices ad eos .... Mense primo quarta decima die mensis ad vesperum, phase Domini est. Et quinta decima die mensis hujus, solemnitas azymorum Domini est. Septem diebus azyma comedetis. Dies primus erit vobis celeberrimus, sanctusque ... septimus erit celebrior & sanctior, nullumque servile opus facietis in eo ... Cum ingressi fueritis terram quam ego dabo vobis, & messueritis segetem, feretis manipulos spicarum, primitias messis vestræ ad Sacerdotem. Qui elevabit fasciculum coram Domino, ut acceptabilis sit pro vobis altero die sabbati: Et sanctificabit illum ... Numerabitis ergo ab altero die sabbati in quo obtulistis manipulum primitiarum, septem hebdomadas plenas usque ad alteram diem expletionis hebdomadæ septimæ, id est, quinquaginta dies.* Ecce tota Paschæ solemnitas. In qua nonnulla observanda veniunt, quibus servatis, omnes evanescunt difficultates. Primoquidem lex præcipit quarta decima die mensis primi Agnum comedere, qui ritus vocatur phase Domini. II. Manducare azyma septem diebus. III. Primum & postremum diem esse celeberrimum. IV. Segete facta, offerre manipulum primitiarum altera die a Sabbato, hoc est die laico, cum metere triticum sit opus servile, quod die festo prohibetur: V. Demum a die oblationis manipuli septem hebdomadas plenas numerandas esse, quibus expletis, festum Pentecostes celebrandum occurrebat. Igitur anno quo Christus mortuus est, manipulus spicarum oblatus est altera die a Sabbato, & secunda a primo die azymorum, & non ipsa Sabbati die, sicque Pentecostes festum eo anno in diem Dominicam incidit, ut propugnant viri in Historia Judaica texenda percelebres.

Insistes: Joannis 13. legitur Christum Agnum cum Discipulis manducasse, *Ante diem festum Paschæ*. Igitur non juxta legis præceptum, sed præveniendo diem Paschæ celebravit.

Respondeo distinguendo: Ante diem festum Paschæ artificialem Christus comedit Agnum, concedo: ante diem solemnem, nego. Dies triplex distinguitur; videlicet artificialis, naturalis, & solemnis. Primus ab ortu usque ad occasum solis mensuratur; alter a media nocte ad mediam usque noctem subsequentem: tertius a vespera diei præcedentis seu vigiliæ, usque ad secundas vesperas. S. Joannes loquitur de die artificiali, nusquam vero de solemni. Solutio est D. Thomæ hic 3. p. q. 46. art. 9. ad 1. eo loci proponit sibi objectionem, deinde vero eam sic solvit: " Simul ergo Christus & Judæi vetus Pascha celebraverunt. Et sicut Beda dicit super Marcum, licet Christus, qui est Pascha nostrum, sit crucifixus sequenti die, hoc est quinta decima luna: Attamen nocte qua Agnus immolabatur, corporis sanguinisque sui Discipulis tradens mysteria celebranda, & a Judæis tentus ac ligatus ipsius immolationis, hoc est, passionis suæ sacravit exordium. Cum autem dicitur Joan. 13. Ante diem festum Paschæ intelligitur hoc fuisse quarta decima luna, quod tunc evenit quinta feria: nam luna existente quinta decima erat dies solemnissimus Paschæ apud Judæos. Et sic eumdem diem quem Joannes nominat ante diem festum Paschæ propter distinctionem naturalem dierum, Matthæus nominat primam diem azymorum: quia secundum ritum Judaicæ festivitatis, solemnitas incipiebat a vespera præcedentis diei. Quod autem dicitur,

„ citur, eos comesturos esse Pascha in „ quinta decima luna, intelligendum est, „ quod ibi Pascha non dicitur Agnus „ Paschalis, qui immolatus fuerat deci- „ ma quarta luna, sed dicitur cibus pa- „ schalis, id est, azymi panes, quos opor- „ tebat comedi a mundis. „

Replicabis: Antequam Agnum Paschalem comederent Judæi, debebat astante populo immolari in Templo Hierosolymitano post sanguinem ad altare fusum, & adipem igne consumptum; ut observat Maimonides: Sed non legitur in Evangelio Christum hunc observasse ritum, immo nec potuit, cum Discipuli non nisi primo die azymorum eum convenerint pro celebrando quidem Paschate, sed quo? Nisi novo & mystico sui corporis: vel si Judaicum adimplevit, non ea dubioprocul die, qua præcipiebat lex: Ergo &c. Confirmatur: Non est probabile locum & tempus tunc adfuisse, cum Judæi adversus Christum moverent tragœdias, & jamjam timor occupaverat nedum Discipulorum, sed & ipsius amantissimi Magistri animum. Ergo &c.

Respondeo I. argumentum exuberare; si quid enim urgeret, etiam Christum hoc anno omisisse Pascha probaret, quod quidem aperte adversatur Evangelio, ubi Mat. 26. habetur: *Prima autem die azymorum accesserunt discipuli ad Jesum dicentes: Ubi vis paremus tibi comedere pascha? At Jesus dixit: ite in civitatem ad quemdam, & dicite ei; Magister dicit, tempus meum prope est, apud te facio pascha cum discipulis meis. Et fecerunt discipuli sicut constituit illis Jesus, & paraverunt pascha.*

Respondeo II. distinguendo: Et cæremonia Agni immolandi in templo fiebat semel pro toto populo, concedo: a singulis familiis, nego; quomodo enim advenæ hinc inde absque æstimatione occurrentes potuissent singuli offerre agnum immolandum, antequam illum juxta ritum legis comederent? Sed hoc dato & non concesso, Christum cuncta adimplevisse non dubitandum est, cum cuncta quæ fecit, ait Joannes sub finem Evangelii, non sint scripta. Et vero citra dubium est, aliis annis præcedentibus Pascha comedisse, cum vel ipse testetur Mat. 5. *Non veni solvere legem, sed adimplere*; & tamen ubi hoc scribatur non invenimus.

Jam vero quod tempus adfuerit ritum omnem Paschatis servandi, ex duobus liquet: primo quidem ex eo quod Matthæus asserat Discipulos, præcipiente Domino, cuncta parasse; secundo, ibidem de hoc momento duos ante dies illos monuerat; sic enim habetur initio capitis: *Et factum est cum consummasset Jesus sermones hos omnes, dixit Discipulis suis; scitis quia post biduum Pascha fiet*. Demum tametsi appropinquaret passio, a cæremonia non ideo abstinuit Christus, quia agnus Paschalis assatus, erat sacrificii cruenti in cruce absque mora absolvendi typus; conveniens igitur erat ut ipsa die Paschatis si non artificiali, saltem solemni agnum comederet. Hinc ibidem post priora verba subdit Evangelista: *Vespere autem facto, discumbebat Jesus cum Discipulis suis, & edentibus illis, dixit, Amen dico vobis, quia unus vestrum me traditurus est. Et contristati valde cœperunt singuli dicere: Numquid ego sum Domine?... Cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque Discipulis suis, & ait: Accipite, & comedite: Hoc est corpus meum.* Audis Christum non nisi completa cœna legali, sacram instituisse Eucharistiam, & Pascha Judaicum juxta legis præceptum comedisse.

Arguitur III. Non desunt Patres qui asserant Christum, eo anno quo mortuus est, non peregisse Pascha Judaicum. Igitur incassum hoc absolvisse tunc temporis propugnatur. Jam antecedens probatur: sic autumant S. Petrus Alexandrinus Episcopus & Martyr, sanctus Hyppolitus Martyr Episcopus Portuensis, Apollinaris Episcopus Hieropolytanus, Clemens Alexandrinus, omnes citati ab Auctore chronici Alexandrini vulgati a Patre Radero Societatis Jesu anno 1615. & a Domino Ducange denuo editi cum hoc titulo: *Chronicon Paschale*. Eidem adhærent sententiæ nonnulli Historici, ut Joannes Philoponus, qui sub Imperatore Phoca circa annum æræ Christianæ 604. florebat, & duo alii Auctores anonymi laudati a Photio in Bibliotheca cod. 115. & 116. Plurimi alii recentiores Scriptores quos profert Bernardus Lamy in suo tract. Hist. de veteri Judæorum Paschate gallice conscripto. Ergo &c.

Respondeo I. istam opinionem prorsus adver-

adversari Scripturæ sacræ; quod si erroris juridice nondum insimulata sit, non ideo tamen amplectenda.

Respondeo II. distinguendo: Et opinio laudata ab ipsis sanctis Patribus nedum abjecta, sed & confutata manet, concedo: & quandoque prævaluit, nego. In primis confutata est a S. Epiphanio Hæres. 30. quæ est Ebionitarum, a sancto Chrysostomo Homil. 81. in Matth. & ab aliis Scriptoribus tum Græcis, tum Latinis. Unde Photius Cod. 116. volumen tertium de sacro Paschate Auctoris cujusdam anonymi recensens, ait: " Refert „ idem secundum illos alios adventus sui „ annos, Christum Dominum ac Deum „ nostrum lege præscriptum Pascha cele- „ brasse, non item eo quo proditus est. „ Quod consideratione sane dignum, cum „ Chrysostomus & Ecclesia tunc ipsum, „ *seu Christum*, doceant legitimum Pa- „ scha perfecisse, antequam mysticam in- „ stitueret cœnam. „ Quid plura adjiciam? Nullius ponderis est auctoritas Joannis Philoponi, quippe qui fuerit hæreticus Monothelita; neque vero etiam fides adhibenda est opusculo quod sub nomine S. Petri Episcopi Alexandrini circumfertur, quandoquidem non genuinus S. Martyris fœtus est; namque, ut non ignoti nominis observant Critici, laudantur auctores sancto illi Petro posteriores, quod sane, juxta critices disciplinæ regulas, manifestum est adulterini operis argumentum.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Christus anno quo mortuus est, celebravit Pascha juxta legis præscriptum.

PRIMO: Sic referunt Matthæus c. 26. Marcus c. 14. Lucas c. 22. qui sic loquitur: *Venit autem dies azymorum, in qua necesse erat occidi pascha: & misit Petrum & Joannem dicens: euntes parate nobis pascha.*

Secundo: Christus sic loquitur Matth. 5. *Nolite putare quoniam veni solvere legem aut Prophetas: non veni solvere, sed adimplere.* Igitur juxta præceptum legis celebravit Pascha. Hoc ipsum asserit Sanctus Chrysostomus Homil. 81. ubi de Christo ait: " Omnia quæ sunt legis, adimple- „ vit. „

Tertio: Si Christus secundum legem Pascha non celebrasset, Judæi quærentes falsum testimonium adversus eum, dubioprocul hoc illi objurgassent: sed non objurgaverunt. Ergo &c.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET RESOLUTIONUM.

PRIMO: Legitur quidem Joann. 13. Christum manducasse agnum Paschalem *ante diem festum Paschæ*: sed intellige ante diem artificialem, non solemnem, quæ a primis vesperis incipit.

Secundo: Ne putes Christum in hoc prætermisisse legem de celebrando festo Pentecostes, cum hoc anno manipulus primitiarum oblatus sit altera die a Sabbato: sicque dies Pentecostes incidebat hoc anno in primam diem a Sabbato, qui quidem dies respondet diei Dominico nostro.

Tertio: Absque fundamento reponitur Israelitas ab Ægypto abscedentes non manducasse pascha luna decimaquarta primi mensis terminante, cum hoc expresse habeatur Exod. 12. Nec mirum videri debet, si eadem nocte matutinis horis luna decimaquinta incohante profecti sint ad immolandum Domino, cum jam a prima Ægypti plaga, ordinante Moyse, essent ad exitum parati.

SECTIO TERTIA.

De tempore quo festum Pascha celebrandum sit.

DUÆ percelebres quondam de tempore celebrationis Paschæ vel apud ipsos Christianos extitere sententiæ. Una Episcoporum Asiæ, qui contendebant luna decimaquarta primi mensis, quacumque die occurreret, celebrandum esse Pascha, innixi, ajebant, traditione a beato Joanne Evangelista Ecclesiarum Asiæ Protoparente accepta: inter quos annumeratur S. Polycarpus Martyr. Alii econtra scilicet Romani, dicebant se a S. Petro accepisse festum istud celebrandum esse die Dominica immediate post æquinoctium vernum subsequente. Quia vero decursu temporum per-

percrebuerunt de hac quæstione magnæ disceptationes, ita ut vel ab ipsa Ecclesia Quartodecimani discesserint, id operis expostulat ratio, ut quæ de his momentis actitata sunt, fideli calamo primum recenseamus. Unde sit

PUNCTUM PRIMUM.

Historia critica Quartodecimanorum.

Ortus.

RITUS ad sanctum Paschatis festum celebrandum, tametsi apud omnes Christianos usitatus, non tamen circa celebrationis tempus unus & idem fuit. Asiatici quippe in Synodo adunati, statuerunt festum illud luna decimaquarta mensis Nisan, quacumque die occurreret, juxta morem Judæorum celebrandum esse. Romani e contra non nisi die Dominica post æquinoctium vernum.

Utraque opinio graves habuit defensores, Asiaticis ex una parte a divo Joanne suum accepisse morem, Occidentalibus ex alia parte a B. Petro Apostolorum principe suam de hoc tenere disciplinam contendentibus. Nonnihil controversiæ apparere cœpit tempore Aniceti: acrius exarsit sub Victore I. in primó Concilio generali ad metam perducta; sub finem sexti sæculi apud Scotos & Britannos iterum, tametsi incaute, invalescere visa est.

Ergo S. Polycarpus Romam venit, & inter ipsum & sanctum Anicetum summum Pontificem de hoc momento disceptatum est. Sic refert Eusebius Libr. 4. Histor. Eccles. capit. 13. dicens: " Dum „ Anicetus Romanæ Ecclesiæ præerat, „ Polycarpum, cui adhuc suppeditabat „ vita Romam adventasse, & cum Ani- „ ceto in congressum colloquiumque de „ controversia quæ fuit de die Paschæ „ celebranda suscepta, venisse commemo- „ rat Irenæus. „ Non absimilia scribit S. Hieronymus in catalogo Scriptorum Eccles. c. 28. ubi de S. Polycarpo loquens ait: " Hic propter quasdam super die „ Paschæ quæstiones, sub Imperatore An- „ tonino Pio, Ecclesiam in urbe regente „ Aniceto, Romam venit. „

Neque vero propter hoc a communione mutua cessarunt; hoc ipsum testatur S. Irenæus Epist. ad Victorem I. summum Pontificem directa, cujus istud fragmentum texuit Eusebius Lib. 5. Hist. Eccles. cap. 24. " Cum beatus Polycarpus, *in-* „ *quit*, Aniceto Episcopatum admini- „ strante, Romam adventaret, cumque „ ille & Anicetus de aliis rebus de qui- „ bus inter se discrepabant, pauca con- „ tulissent, confestim pax fuit inter eos „ conciliata: quin pro hoc festo obser- „ vando, quod controversiæ caput vide- „ batur, caritatis vincula neutiquam ru- „ perunt. „

Mortuo pro fide Christi Polycarpo, Polycrates Episcopus, clavum Ecclesiæ universalis tenente Victore I. adunavit Ephesi Concilium, in quo definitum est festum Paschatis celebrandum luna decimaquarta primi mensis, quacumque die occurreret. De hoc momento Eusebius Lib. 5. cap. 23. hæc scribit: " Episcopis autem „ in Asia coactis, qui morem jam olim „ ipsis a majoribus traditum sedulo ob- „ servandum constanter asseverabant, „ præfuit Polycrates: Qui in ea Episto- „ la quam ad Victorem & Ecclesiam Ro- „ manam scripsit, traditionem ad ipsius „ usque tempora deductam his fere ver- „ bis exponit: Nos diem Paschatis inte- „ gre incorrupteque recolimus, neque „ addendo quidquam, neque detrahen- „ do. „ Nominatis vero pro sua opinione Philippo Diacono & aliis quibusdam jam vita functis, subdit: " His accedit „ Joannes qui supra pectus Domini recu- „ buit &c. „ S. Hieronymus Catal. de Scriptoribus Eccl. cap. 56. de hoc loquens ait: " Polycrates Ephesiorum Episcopus, „ cum ceteris Episcopis Asiæ, qui juxta „ quamdam veterem consuetudinem, cum „ Judæis quarta-decima luna Pascha cele- „ brabant, scripsit adversus Victorem Epi- „ scopum Romanum Epistolam Synodi- „ cam, in qua docet se Apostoli Joannis, „ & veterum auctoritatem sequi. „

Huc usque quæstio inter Asiaticos & Romanos uti de disciplina solum circumferebatur: nec una ratio hoc evincit. I. Irenæus Lib. 1. adversus Hær. capit. 3. scribit unam suo tempore fuisse Orientis & Occidentis fidem, aitque: " Hanc fi- „ dem, quemadmodum prædiximus, Ec- „ clesia, & quidem in universum mun- „ dum

„ dum disseminata, diligenter custodit, „ quasi unam domum inhabitans, & si„ militer credit iis, videlicet quasi u„ nam animam habens & unum cor, & „ consonaoter prædicat, & docet, & „ tradit, quasi unum possideus os. „ Observes velim quod Asiatici, Irenæi ævo, suum servarent ritum de festo Paschatis celebrando luoa decimaquarta juxta Judæorum morem, & tamen, hoc non obstante, asserit sanctus Martyr unam tunc temporis omnium Ecclesiarum floruisse fidem, quod non fuisset verum, „ si ritus Asiaticorum contra fidem mi„ litasset. II. Nec ipse Irenæus Victorem deterruisset ab anathemate infligendo Asiaticis, ut dicemus infra. III. Pax servata est inter S. Polycarpum & Anicetum, inter SS. Pium, Hyginum, Telesphorum & Sixtum summos Pontifices Martyres, & Asiaticos, vel ipso tempore quo isti in suo perseverabant ritu; ex quo liquet quæstionem tuoc tantum de disciplina emersisse.

Progressus.

ACRIUS exarsit cootroversia, ducibus Florino & Blasto, qui ritum de celebrando festo Paschatis luna decimaquarta quacumque die occurreret, sic propugnabant, ut Romanum damnarent. Florinus ille S. Polycarpi quondam auditor, ob impietatem & pravos mores e Presbyterii gradu ab Elutherio summo Pontifice dejectus, una cum Blasto criminis & furoris socio, Romanæ Ecclesiæ bellum indixit. Varios prædicabat errores: I. Asserebat rerum quarumdam substantiam esse malam. II. Generationem Verbi creatam effutiebat. III. Licitum esse ad nutum uti quacumque muliere. IV. Negabat Resurrectionem. V. Non credebat Christum de Beatissima Virgine natum. VI. Contendebat festum Paschatis non nisi juxta ritum Judæorum celebrandum. VII. Cum Pascha occurrebat Dominica die, ejus discipuli abstinebant a cibis, & noctem ducebant insomnes: sicque propter suam in celebrando Paschate juxta Judæorum morem obstinaciam, hæretici Quartodecimani dicti sunt.

Subsequentibus sæculis error tametsi profligatus in Coocilio I. Nicæno, occupavit Scotos & Britones ab anno scilicet 566. usque ad aooum 716. Equidem festum Paschatis quandoque die Dominica celebrabant, sed modo luna decima quarta tunc occurreret. Illos igitur sic adhæsisse Quartodecimanis constat ex Beda Lib. 3. Hist. Eccl. gentis Angelorum cap. 17. & 25. De hoc fidem facit collatio habita anno circiter 664. io Monasterio Sinus-Fari, præsente Rege Osvino. Interrogatus enim a Rege Colmanus Episcopus, qui ritui Romano adhærebat, unde haberet suæ observantiæ origioem? respondit per Vuilfridum Presbyterum suum interpretem, accepisse a beato Petro, qui Resurrectionis Dominicæ diem hoc festo voluit in perpetuum consecrari. " Ita„ que Joannes secundum legis coosuetu„ dinem, decimaquarta die mensis primi „ ad vesperam incipiebat celebrationem „ festi Paschalis, nihil curans utrum hæc „ Sabbato, an alia qualibet feria prove„ niret. At vero Petrus cum Romæ „ prædicaret, memor quia Domiouus pri„ ma Sabbati resurrexit a mortuis, ac „ mundo spem Resurrectionis contulit, „ ita Pascha faciendum intellexit. „ Beda Lib. 3. Hist. c. 25.

Quidam tamen & Scotos & Britones ab hæresi vindicaot, eo quod solum errore circa temporis computum sic egerint. Ita colligitur ex Venerabili Beda Lib. 3. Hist. Angl. cap. 4. & 17. Lib. 5. cap. 24. hinc si quando vocentur in historiis hæretici, hoc oon nisi materialiter & præsumptive iotelligendum est; eum tandem edocti frequentioribus Epistolis summorum Pontificum, maxime Honorii I. & Joannis IV. de quibus mentionem facit Venerabilis Beda Lib. 2. Hist. cap. 29. ad ritum Romanum, quem a S. Augustino Anglorum Apostolo acceperant, septimo circiter sæculo rediere.

Interitus, seu proscriptio.

ERROREM Quartodecimaoorum, seu Paschatitarum, varii insectati sunt Papæ & Episcopi io Synodis, quorum etsi acta ad oos usque non perveneriot saltem integra, eorum tameo Epistolæ Decr. circumferuntur. Victor I. ao. 198. adversus eos Romæ adunavit Concilium, Narcissus

fuit Jerosolymis, Theophilus in Cesaræa Palæstinæ, Cassius Tyri, Clarus Ptolemaidis, Irenæus in Gallia, Bacchylus Corinthi, & Provinciarum alii, qui uno suffragio ac sententia omnes Dominico die Pascha celebrandum esse definierunt. Eamdem renovavit definitionem Concilium Arabicum sub Fabiano Papa anno 249. Ad metam perducta est controversia in Concilio primo generali, in quo quidem Nicæni Patres statuunt festum Paschatis ab universali Ecclesia semper die Dominica proxima sequente æquinoctium vernum esse celebrandum.

PUNCTUM SECUNDUM.

Num Festum Paschatis a Christianis celebrandum sit die Dominica proxime sequente lunam decimam quartam primi mensis post Æquinoctium vernum?

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

Probatur multis momentis.

Primo, ex summis Pontificibus.

S. ANICETUS pro virili conatus est suadere S. Polycarpo, ut deposito Asiaticorum in celebrando festo Paschatis more, Romanum amplecteretur. Sic refert S. Irenæus in sua ad Victorem I. Epistola apud Eusebium Lib. 5. Hist. Eccles. c. 24. " Neque tamen Anicetus, „ *inquit*, Polycarpo poterat persuadere, „ ut suum observandi morem, quippe „ qui cum Joanne Discipulo Domini no„ stri, & cum reliquis Apostolis, qui„ buscum multum versatus fuisset, eum„ dem semper ad illum modum obser„ vasset, deponeret. Neque contra Po„ lycarpus Aniceto persuasit, ut consue„ tudinem Asiaticam .... ullo modo ob„ servaret. „

Eumdem ritum, ne ungue dempto, tenuerunt SS. Pius I. Hyginus, Telesphorus, sed maxime Victor I. qui excommunicationem interminatus est Asiaticis, nisi consuetudini Romanæ adhærerent, ut scribit Eusebius Lib. 5. Hist. cap. 24. S. Sylvester multo plura pro eodem momento fecit, quippe qui hunc ritum ab universa Ecclesia observandum in Concilio magno Nicæno definire satagerit.

Secundo, ex Conciliis.

OCTO circiter in historia critica numeravimus Synodos in quibus ritus Romanus nedum approbatus, sed solus sequendus dicitur. Instar ceterorum sit Synodus Palæstina, in qua Theophilus Cæsariensis nomine Victoris præfuit. Eusebius L. 5. Hist. c. 22. ejus definitionem his verbis refert: " Concilia & conventus Epi„ scoporum in unum cogebantur, & om„ nes una sententia decretum Ecclesiasti„ cum, nempe ut non alio die aliquan„ do, quam Dominico, mysterium Do„ mini resurrectionis a mortuis celebra„ retur, & ut in hoc solo jejuniorum, „ quæ circiter Pascha fieri solent, finem „ faceremus. per litteras ad omnes Ec„ clesias scriptas ratum faciebant. „

Eminet inter omnes Synodos Concilium I. Nicænum generale, in quo tandem definitum est Paschæ festum ab universali Ecclesia juxta ritum Romanum colendum esse. Hujus definitionis historiam texit Theodoretus Lib. 1. Hist. Eccl. c. 11. his verbis: " Quod autem ad om„ nium consensum de sacratissimo festo „ Paschatis celebrando attinet, scitote „ quod vestris precibus controversia de „ ea re suscepta, prudenter & commo„ de sedata est: ita ut omnes fratres qui „ Orientem incolunt, quique Judæorum „ consuetudinem ante in eo festo obser„ vando imitari solent, jam Romanos „ nos in illo recolendo a primis tempo„ ribus tenuistis, sint consentientibus „ animis, in eodem celebrando deinceps „ secuturi. „ Rursus c. 10. refert Epistolam Constantini ad omnes Ecclesias, in qua quidem recenset ea quæ in Concilio gesta fuerant. Hæc de solemnitate festi Paschatis habet: " Ibi, *ait Imperator*, cum „ de sanctissimi festo die Paschatis di„ sceptaretur, communi omnium senten„ tia rectum esse videbatur, ut omnes ubi„ que uno eodemque die illud celebrarent. „

Non prætereundus sanctus Athanasius, qui ipse aderat Concilio. In Epistola de Synodo Arimini & Seleuciæ ait: " Nicæ„ na Synodus non temere habita est, ut „ quæ habeat gravissimos usus & legi„ timam

„ timam rationem. Syri etenim, Cilices, „ Mesopotami, in causa festi claudicabant, atque una cum Judæis Pascha „ celebrabant; & jam tum Ariana hæresis, quæ contra Ecclesiam surrexerat, „ suos propugnatores habebat, qui ipsam „ defenderent, & piis insidias facerent, „ Eusebianos scilicet. Atque ea causa „ fuit, ut universus orbis in Concilium „ coiret, ut & eodem die ubique festum „ celebraretur, & hæresis quæ suppullulaverat, anathemate percuteretur: „ quod & factum est. „ De eodem decreto mentionem facit Epiphanius Hæres. 70. de eodem S. Ambrosius in enarratione ad Episcopos Æmiliæ, de Paschalis celebritatis ratione.

Tertio, ex Traditione.

PRIMO: Affulget ex ipso Victore I. qui non alia ratione excommunicationem Asiaticis interminatus est, nisi quia eorum consuetudo Apostolicæ adversabatur traditioni. " Semper conservata est ea quæ „ est ab Apostolis traditio: „ aiebat summus ille Pontifex, ut scribit S. Irenæus Lib. 3. adversus Her. cap. 3.

Secundo, ex iis qui inter Acesium Novatianum Episcopum, & Constantinum Magnum acta sunt. Accersito enim sub finem Concilii Nicæni Acesio, petiit ab eo Imperator, num & fidei & decreto de festo Paschatis Dominica proxima sequente lunam decimamquartam post Æquinoctium vernum celebrando assentiret? respondit: " Nihil novi, o Imperator, „ Concilium decrevit statuitque; nam „ antiquitus a primis Ecclesiæ jactis fundamentis, & ab Apostolorum temporibus eamdem fidei decisionem derivatam fuisse, & idem tempus festi Paschatis celebrandi observatum accepi. „ Socrates Lib. 1. Hist. cap. 10.

Tertio: Ex Patribus Concilii Palæstinæ apud Eusebium L. 5. Hist. c. 25. " Episcopi vero, *ait*, quos modo percensuimus... in decreto suo de Paschatis traditione, ex Apostolorum successione „ gradatim ad eos deducta, permulta disseruerunt &c. „

Quarto: Ex S. Leone Magno, qui in sua Epistola ad Proterium Patriarcham Alexandrinum, qui petebat, ut circuli Decemnovennalis a Theophilo Alexandrino conscripti ad inveniendum legitimum Paschatis celebrandi diem, rationem redderet, respondet, ut legitur apud Bedam, qui L. de temporum ratione cap. 42. refert Epistolam: " Lætificaverunt me litteræ dilectionis tuæ, quas frater & Coepiscopus noster Nectarius pio adportavit officio. Oportebat enim ut ab Alexandrinæ Ecclesiæ Præsule talia scripta ad Sedem Apostolicam mitterentur, „ quæ ostenderent magisterio B. Petri Apostoli hoc ab initio per beatum Marcum „ ejus Discipulum didicisse Ægyptios, „ quod constat credidisse Romanos. „

Venerabilis Beda L. 5. Hist. Eccl. Angl. cap. 22. aliam commemorat Epistolam Ceolfridi Monasterii SS. Apost. Petri & Pauli in Anglia Abbatis, ad Naitanum Pictorum Regem, in qua ejusdem traditionis tenacissimus apparet: " Si ergo „ fieri posset ut semper in diem decimamquintam primi mensis, id est, in lunam decimam quartam Dominica dies „ incurreret, uno semper eodemque tempore cum antiquo Dei populo, quamquam Sacramentorum genere discreto, „ sicut una eademque fide, Pascha celebrare possemus. Quia vero dies septimanæ non æquali cum luna tramite „ procurrit, decrevit Apostolica Traditio, „ quæ per B. Petrum Romæ prædicata, „ per Marcum Evangelistam, & interpretem ipsius Alexandriæ confirmata „ est, ut adveniente primo mense, adveniente in eo vespera diei decimiquarti „ expectetur etiam dies Dominica a decimoquinto usque ad vigesimum primum „ diem ejusdem mensis. „

Quarto, ex Rubricis Romanis.

" QUONIAM ex decreto sacri Concilii „ Nicæni Pascha, ex quo reliqua festa „ mobilia pendent, celebrari debet die „ Dominico, qui proxime succedit decimæquartæ lunæ primi mensis: Is vero „ apud Hebræos vocatur primus mensis: „ cujus decimaquarta luna, vel cadit in „ diem verni Æquinoctii, quod die 21. „ mensis Martii contingit, vel propius ipsum sequitur, efficitur, ut si „ Epacta cujusvis anni inveniatur, & „ ab ea in Kalend. notata inter diem „ octavum Martii inclusive, & quin-

„ tum Aprilis inclusive, hujus enim Epactæ xiv. luna cadit vel in diem æquinoctii verni, id est, in diem 21. Martii, vel eum propius sequitur, enumerentur inclusive deorsum versus dies quatuordecim, proximus dies Dominicus diem hunc xiv. sequens, ne cum Judæis conveniamus, si forte dies xiv. lunæ caderet in diem Dominicam, sit dies Paschæ. „

Quarto, ex variis rationibus,

Rationes Theologicæ.

Prima: Quod definivit Ecclesia traditione suffulta, non licet temerare. Atqui Ecclesia in Concilio Nicæno Oecumenico adunata sancivit Pascha celebrandum esse Dominica die proxime sequente lunam decimamquartam primi mensis, post Æquinoctium vernum affulgentem. Ergo &c.

Altera: Omnes Fideles tenentur obedire Ecclesiæ nedum in iis quæ præcepta divina, sed etiam quæ disciplinam universalem ad colendum Deum sicut oportet spectant. Sed Ecclesia debitæ Deo reverentiæ motivo, æquum duxit Pascha uniformiter ab omnibus Fidelibus, Dominica die proxime sequente lunam decimamquartam primi mensis post Æquinoctium vernum affulgentem celebrari. Ergo &c. Minor patet ex decretis & oraculis tum summorum Pontificum, tum Conciliorum laudatis. Sed juvat eam roborare argumento ex ejusdem Ecclesiæ perenni solicitudine, ut suum perseveret in executione statutum.

Solicitudo SS. Pontificum pro celebratione festi Paschatis, Dominica proxime sequente lunam decimamquartam primi mensis.

S. Leo Magnus curam egit de hoc momento in sua ad Martianum Augustum Epistola, quæ est 64. vel juxta nov. edit. 94. ubi eum monet, quandoque fieri ut festum Paschatis ex errore cursus lunæ variantis eodem die in omnibus Ecclesiis colatur. Tum subdit: " Studuerunt itaque SS. Patres occasionem hujus erroris auferre, omnem hanc curam Alexandrino Episcopo delegantes: Quoniam apud Ægyptios hujus supputationis antiquitus tradita esse videbatur peritia, per quam qui singulis annis dies prædictæ solemnitatis eveniret, Sedi Apostolicæ indicaretur, ut hujus scripti ad longinquiores Ecclesias judicium generaliter percurreret. „ Idem ibidem novam die Paschatis controversiam de cyclo Theophili, quem de errore Præsules Occidentales ano. 455. suspicabantur ad metam perduci voluit, antequam dies Paschatis celebranda singulis Ecclesiis annuntiaretur.

Innocentius I. non absimili zelo sategit, ut sancti Paschæ solemnis dies, sicut a Victore I. & Nicæna Synodo statutum erat, ageretur. Sic de hoc momento scribit ad Aurelium Carthaginensem Episcopum: " Jam prudentiæ tuæ erit condignum, frater, eum unanimis, & Con-Sacerdotibus nostris, hanc ipsam rem in Synodo religiosissima tractare, ut si nihil dispositioni nostræ resultat, nobis plenissime aperteque rescribas, quo deliberatam Paschalem diem, jam litteris ante, ut moris est, servandam, suo tempore præscribamus. „

Idem affulget ex Gregorio XIII. summo Pontifice, qui ann. 1582. Calendarii emendationem curavit, ne error in diem festivitatis Paschæ obreperet. Pro more etiam positum erat, ut singulis annis summi Pontifices annuntiarent Ecclesiis, quo die festum Paschatis foret celebrandum. Tum cura Episcoporum in suis respective Diœcesibus Diaconus inter solemnia Nativitatis vel Epiphaniæ Domini annuntiabat tali vel tali die festum Paschatis celebrandum esse.

Tertia ratio: Illud est tenendum, quo abjecto rebellis evadit Hæreticus, & uti talis habetur: Atqui illi omnes qui a Concilio Nicæno pertinaciter adhæserunt pro celebrando Paschate Asiaticis, habiti sunt ut Hæretici, & Quartodecimani nuncupati sunt. Igitur festum Paschæ juxta morem Romanum celebrandum est.

Rationes convenientiæ Synodi Palæstinæ.

Prima ea est: Prima mundi dies fuit Dominica; adeoque Pascha die Dominica celebrandum est, cum sit propter

Resurrectionem Christi prima mundi novi & instaurati dies: " Cum ergo novissimum diem designet sabbatum, quis " potest, *inquiunt*, esse primus nisi Dominicus dies. "

Secunda: Primum mundi tempus fuit vernum, juxta illud Gen. 1. *Germinet terra herbam virentem*, &c. Igitur Pascha verno tempore celebrandum est.

Tertia: Mundus in Æquinoctio conditus est: Igitur & versus Æquinoctium nova mundi per redemptionem creatio contingere debet.

Quarta: Posuerunt mundum conditum fuisse in pleni-lunio, quia scriptum est Gen. 1. *Fecit Deus duo luminaria magna; & posuit ea in firmamento cœli &c.* Tum definierunt festum Paschatis die Dominica celebrandum esse, eo quod multis benedictionibus illustratus sit ille dies: Namque eo die contigit expulsio tenebrarum, liberatio populi de captivitate Ægyptiaca, transitus maris rubri, mannæ de cœlo illapsus, potissimum vero resurrectio Christi, juxta illud Psal. 117. *Hac est dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea.*

Rationes convenientiæ Constantini Magni.

ALIAS affert rationes Constantinus Magnus in sua ad Ecclesias Epistola de actitatis in Concilio Nicæno, cur die Dominico decimam quartam lunam immediate sequente Pascha per universam Ecclesiam celebrari statuerint Patres Synodici.

Primo: Quia indignum duxerunt Patres celebrari Pascha ipso tempore, quo perfidi Judæi suas detestabili deicidii scelere manus infecerunt.

Secundo: Eo quod periculum erat ne duplex Pascha, uno eodemque anno; altero vero nullum perageretur. Quia enim luna decimaquarta Pascha celebrabant, de Æquinoctio nihil curantes, quandoque illud peragebant uno anno post Æquinoctium, & altero anno ante Æquinoctium, quia in illud tempus luna decima quarta occurrebat.

Tertio: Quia maximum nefas est, ut in tanto, " Et tam solemni religionis " nostræ festo regnet dissensio: Et inde- " corum est, ut iisdem diebus alii jeju- " niis vacent, alii agitent convivia: ac " post dies Paschatis, alii in festis, & " animorum remissione versentur, alii " præscriptis jejuniis se dedant, cum u- " num libertatis nostræ diem festum, hoc " est sanctissimæ passionis, Salvator no- " ster tradiderit, unamque Ecclesiam Ca- " tholicam esse voluerit; cujus quidem " membra, tametsi in multa & varia lo- " ca dispersa sint, tamen uno spiritu, " hoc est divina voluntate, & nutu coa- " lescunt. "

His omnibus addit unanimem omnium Ecclesiarum consensionem. Tum sic concludit: " Quæ cum ita se habeant, lu- " bentes hoc decretum, tanquam donum " Dei, & mandatum revera cœlitus de- " missum amplexamini. Nam quicquid in " sanctis Episcoporum Conciliis decerni- " tur, id universum divinæ voluntati " debet attribui. "

Proponuntur objectiones, & solvuntur.

OBJICIES: Quod meram spectat disciplinam, ad nutum observari potest: Sed tempus celebrandi Paschatis festum solummodo spectat disciplinam. Igitur, nulla lex obligat in foro conscientiæ celebrandi Pascha die Dominica proxime sequente lunam decimamquartam post Æquinoctium vernum.

Respondeo distinguendo majorem: Quod spectat disciplinam in genere, ad nutum observari potest, concedo: disciplinam ab ipsa Ecclesia determinatam, nego. Et sic distincta minore, nego consequentiam. Disciplina duplici modo spectari potest: primoquidem secundum se, deinde vero ut ab universali Ecclesia pro ceteris Ecclesiis particularibus determinata. Priori modo considerata potest a qualibet Ecclesia particulari variari, sic experimento comprobatur, esum ovorum quandoque tempore Quadragesimæ in certis Diœcesibus permitti, sed non indiscriminatim in omnibus. Idem dicendum de jejuniis, si quatuor temporum & Quadragesimæ jejunia excipias. Sed ut primum disciplina totam spectat Ecclesiam, & in Concilio Oecumenico determinata est, non licet citra peccatum eam infringere: cum autem Nicæna Synodus suffulta traditione

sanxerit festum Paschatis Dominica proxime sequente Lunam decimamquartam post Æquinoctium vernum celebrandum esse, omnes Ecclesiæ particulares ita celebrare tenentur.

Instabis: Atqui non constat ex traditione Paschatis festum tali tempore celebrandum esse. Ergo &c. Probatur antecedens: Asiatici luna decimaquarta quacumque die occurreret illud festum agebant, asserentes se accepisse ab Apostolis, maxime a sancto Joanne Ecclesiarum Asiæ fundatore, ut scribit Eusebius L. 5. Hist. cap. 23. illud sic celebrare. Ergo &c.

Respondeo, negando subsumptum. Ad probationem distinguo: Asiatici laudabant traditionem late sumptam pro suo servando more, quæque consuetudo appellabatur, concedo: traditionem stricte sumptam, & Apostolorum lege firmatam, nego. Traditio late sumpta, nihil aliud est præter aliquam consuetudinem; stricte vero usurpata habet canonem seu legem, quæ ab Apostolis emanavit, sibi annexam. Utrumque distinguit Eusebius L. 5. Hist. cap. 22. his verbis: " Quoniam „ vero illis temporibus de festo Paschatis „ in honorem Servatoris observando, „ non exigua propterea concitata erat „ controversia, quod omnes Ecclesiæ antiqua quadam traditione adductæ censebant decimaquarta die lunæ festum „ illud celebrandum; & omnino eo die, „ in quemcumque hebdomadæ diem sorte „ incideret, jejuniis finem statuendum: „ Et quod non in more positum esset, „ ceteris Ecclesiis per universum terrarum orbem dispersis, quæ consuetudinem ex Apostolica Traditione ad hoc „ usque tempus continuatam tenebant, „ istum modum observare: Idcirco Concilia, & conventus Episcoporum in unum cogebantur: & omnes una sententia decretum Ecclesiasticum, nempe „ ut non alio die aliquando, quam Dominico Mysterium Domini Resurrectionis a mortuis celebraretur, & ut in „ hoc solo jejuniorum, quæ circiter circa Pascha fieri solent, finem faceremus, „ per litteras ad omnes Ecclesias scriptas „ ratum faciebant. „

Insistes: In constitutionibus Apostolorum hæc habentur: " Vos temporum rationes ne subducite, sed eo tempore celebrate, quo Fratres vestri, qui ex circumcisione prodierunt: cum iis itaque „ Pascha peragite. „ Igitur ex traditione vera mos Asiaticorum procedebat, cum ex constitutionibus Apostolorum, adeoque ex lege ab eis sancita hoc ita fuerat statutum.

Respondeo distinguendo: Celebrate Pascha eo tempore quo Fratres vestri, qui ex circumcisione venerunt, scilicet ad fidem conversi, illud festum celebrant, concedo: quo Fratres vestri judaizantes, nego. Judæi ad fidem conversi sicut Romani celebrabant rite festum Paschatis, hinc jure merito proponuntur pro exemplo. Quod autem hic sit sensus constitutionis, patet ex eo ipso Epiphanio interprete, qui observat easdem constitutiones velle ut Christiani lugeant dum Judæi epulantur: Igitur Christiani lugebant eo ipso tempore quo Judæi epulabantur, scilicet luna decimaquarta primi mensis; jejuniis autem tunc vacabant Christiani ex Epiphanio; quare, quia nondum erat Quadragesimæ tempus expletum, & expectabant diem Dominicam ut Pascha solemni ritu celebrarent.

Sic loquitur de hoc momento Epiphanius Hær. 70. dicens, non ait constitutio: " Quo tempore Fratres vestri, qui „ in circumcisione sunt, sed qui ex circumcisione prodierunt. „ Deinde in iisdem constitutionibus illud extat præceptum: " Dum epulantur illi *Judæi*, vos „ jejunantes pro illis lugete, quoniam „ festo illo die Christum in crucem sustulerunt, cumque illi lugentes azymis „ & lactucis agrestibus vescentur, vos „ epulamini. „

Auctor Constitutionum clare admodum suam aperit mentem, ita ut etiam luculentas afferat rationes, cur Pascha celebrandum sit Dominica immediate sequente lunam decimamquartam primi mensis post Æquinoctium vernum. L. 6. Const. c. 16. ubi sic habetur: " Oportet ergo fratres, ut qui pretioso Christi sanguine „ redempti estis, dies festos Paschæ accurate, & omni diligentia post Æquinoctium „ celebretis; ut neque unius passionis bis „ per annum memoriam renovetis, sed potius semel quotannis, memoriam mortui „ item semel celebretis: neque amplius „ cum Judæis tempus celebrandi Pascha

„ obser-

„ observetis, nulla enim nobis nunc cum „ eis communitas est: falluntur namque „ in ipso calculo, & ratiocinatione, quam „ existimant se absolvere, ut ex omni „ parte a veritate abstracti sint: vos ve- „ ro observate diligenter conversionem „ verni Æquinoctii, quæ incidit in vi- „ gesimum secundum diem mensis duode- „ cimi, qui appellatur Distros, & notate „ usque ad vigesimam primam lunam, ne „ in aliam hebdomadam incidat luna quar- „ ta decima, & per errorem bis unoquo- „ que anno Pascha agitemus, aut diem „ Resurrectionis Domini nostri Jesu Chri- „ sti alio die, præterquam Dominico „ tantum, celebremus. „

Repones: Si ex traditione profluerct celebrandi Pascha mos Romanus, certe aliqua lex ab Apostolis maxime a B. Petro lata fuisset pro isto festo celebrando Dominica proxime sequente lunam decimamquartam primi mensis: Atqui nulla usquam apparuit, sed solum quædam consuetudo, quæ diversa in diversas Ecclesias obrepsit. Et probatur ex Socrate, qui L. 5. Hist. Eccl. cap. 21. sic scribit: " Mihi quidem „ certe videtur, sicut aliæ res multæ in „ locis quibusque ex more quodam intro- „ ductæ fuerant, ita festum Paschatis, „ ex quadam consuetudine, apud singulos „ populos observationem privatam habuis- „ se. „ Rursus ibidem allata consuetudine Romanorum, tum & Asiaticorum, subdit: " Verum nemo istorum omnium, „ testimonium de his rebus scriptis pro- „ ditum proferre potest. „

Respondeo distinguendo minorem: Nulla fuit lex scripta, concedo: nulla vivæ vocis oraculo data, nego. Traditio duplex distinguitur: una non scripta, sed ab ore Legislatoris emanata: altera vero scriptis mandata. Priori modo S. Paulus 1. Cor. 11. testatur dogma de realitate corp. Ch. se accepisse ab ipso Christo: *Ego enim*, inquit, *accepi a Domino quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus in qua nocte tradebatur, accepit panem &c.* Quidni igitur isto modo Discipuli S. Petri accepissent ab eo Pascha Dominica laudata celebrandum, quæ lex vivæ vocis oraculo data, ad sanctos Anicetum & Victorem I. absque negotio transmitti potuit, quippe qui immediate post Apostolorum Discipulos floruerint?

Ad auctoritatem Socratis distinguo: Et illi nulla pro hoc momento fides adhibenda est, concedo: & aliqua illi debetur, nego. Socrates adhærebat Novatianis, qui vel ipso teste, ibidem cap. 22. errabant circa tempus quo celebrandum erat Paschatis festum: " Novatiani, *ait*, „ propter festum Paschatis divisi fue- „ runt, atque adeo de hac re non una „ est solum inter illos divisio, nam in „ variis Provinciis, non modo de mense „ in quo illud festum celebrari debet, „ sed etiam de diebus septimanæ illius, „ in qua celebratur, & de aliis rebus „ non magni momenti dissentientes, par- „ tim ab seipsis segregantur, partim co- „ hærescunt.

Solvitur objectio facta a Protestantibus Germaniæ circa Pascha die 16. mensis Aprilis anno 1724. celebratum.

OBJICIUNT: Ubi non sunt convenientia testimonia, nihil possibile est haberi, nihil determinari potest: atqui de tempore celebrandi festum Paschatis die Dominica proxime sequente lunam decimamquartam post Æquinoctium vernum, non sunt convenientia testimonia, nec ea possibile est adunari: Et probatur, Idem esto judicium de ceteris, aut præteritis, aut futuris temporibus ac de anno 1724. Atqui non constat isto anno Pascha celebratum fuisse die Dominica laudata. Ergo &c. Probatur minor: Ecclesia Romana juxta Kalendarium Gregorianum festum Paschatis celebravit 16. Aprilis. Protestantes eruditi pro hoc momento Ratisbonæ adunati, & disputantes, contenderunt festum debuisse die nona ejusdem mensis juxta Concilium I. Nicænum celebrari, quod & calculum astronomicum celebrari, quod & confirmant auctoritate D. Rosten Norimbergæ Mathematici, qui primus adinvenit, & propugnavit, plenilunium verum post Æquinoctium vernum an. 1724. contigisse octavo Aprilis die, hora quarta pomeridiana 34. momentis (gallice minutes) 25. secundis, ex quo conclusit Pascha isto anno die 9. Aprilis celebrandum esse, quippe quæ foret Dominica proxime, & immediate sequens lunam decimamquartam pri-

primi mensis post Æquinoctium vernum. Ergo &c.

Respondeo primo, R. P. Josephum Falck Societatis Jesu Alumnum, & Theologum Emeritum, difficultatibus fecisse satis, ut habetur in Diario Trevolitii an. 1723. cui per omnia in hoc adhæremus.

Respondeo secundo, Ecclesiam Romanam in hoc Cyclum Gregorianum fuisse secutam, cujus determinationes ita fixas esse, ad hæc usque tempora Doctissimorum opera & labore curavit, ut vel ipsi Angli, tametsi ab Ecclesia Romana in fide divulsi, tribus abhinc circiter annis, ut legere est in Diario Nuntiorum Europæ, testati sint, se in hoc pro festo Paschatis celebrando Ecclesiæ Romanæ vestigiis insistere. Revera quidem, cyclus ille numeris omnibus absolutus apparet juxta eruditissimam Regiam Scientiarum Galliæ Academiam, & de Cyclo illo in suis historicis memorialibus anni 1724. istud protulit judicium, de æquatione Gregoriana sermonem instituendo. Ex gallico latine sic redditur: " Aliquid ultra *in* „ *Cyclo Gregoriano* affulget. Ista æquatio „ felix, non secus ac facilis, simul & justissima est. Et Dominus *Cassini* comperit illam, motus, seu lunæ loca, ea „ accurata observantia, quæ in peritissimorum tabulis inest, ultra spem determinare cyclum pro usu civili, vel etiam Ecclesiastico destinatum, a quo „ rigorosa præcisio non expostulatur. „ Quin immo posse habere præcisionem „ quæ inest tabulis astronomicis eo compositis fine, ut pedetentim, cœlestes „ istorum motus, ne uno quidem prætermisso, sequamur. *Subjungunt vero* „ *Scriptores Academici*: Dominus Cassini „ tabulas omnium celeberrimas quas pro „ luna habemus, ad invicem comparando, æquationem Gregorianam, mediam esse inter illas ostendit, & consequenter nedum habere omnem perfectionem respective ad usum Ecclesiasticum, verum etiam in usu astronomico maxime arithmetico, vel ipsis tabulis anteponendam esse, cum istæ non „ sint accuratiores, & calculos tum longiores, tum etiam difficiliores expostulent. „

Respondeo tertio in forma, negando minorem: Ad primam probationem nego utique minorem. Ad ulteriorem probationem dico, Astronomos Protestantes plurimum in hoc allucinari propter multa. Primo quidem falsum est D. Rosten priorem fuisse qui pleni-lunium anni 1724. post Æquinoctium vernum 8. Aprilis hora 4. pomeridiana 34. instantibus seu minutis, 25. secundis contingendum fore annotaverit, cum Clavius in sua de festis mobilibus tabula centum circiter abhinc annis, eo ipso die, scilicet 8. Aprilis, hora prima pomeridiana eventurum jamjam determinasset.

Igitur Clavius qui primus præoccupavit difficultatem, quique in Kalendarii reformatione insudavit, & post ipsum Guldin, seu Guldinus, sicut & Petavius sic eam solvunt, dicendo verum pleni-lunium non esse Paschatis terminum, bene vero lunam decimam quartam, diem quidem quo vix unquam pleni-lunium contingit, namque juxta legem, ut habetur Exodi 12. Pascha celebrandum erat luna decimaquarta primi mensis ad vesperam, versus æquinoctium vernum; ne autem Christiani judaizarent, Ecclesia selegit diem Dominicam immediate sequentem lunam decimamquartam post Æquinoctium vernum pro termino Paschali, juxta illa Concilii verba: " Concorditer Pascha celebrent una „ eademque die, qua Dominus resurrexit a mortuis, quæ quartam decimam lunam primi mensis sequitur. „ Sanct. 21.

Instant: Secluso calculo astronomico, impossibile est festum Paschale Dominica immediate sequente lunam decimamquartam post æquinoctium vernum celebrare, modo enim luna decimaquarta anteibit æquinoctium vernum, modo etiam concomitabitur, sed requiritur quod subsequatur ad æquinoctium, quod quidem sine calculo astronomico fieri non potest: Igitur, omisso Cyclo Gregoriano, standum est calculo astronomico.

Respondeo primo, Theologos Lutheranos incassum arguere Ecclesiam Romanam, eo quod æquinoctium vernum determinaverit in 21. Martii respective ad Paschatis festum, quandoquidem si vel ipsi ad proportionem arithmeticam attendant, vix unquam utique adamussim propter computationes momentorum quæ in secunda

cunda instantia subdividuntur, ista vero in ulteriora media, ad tempus arithmetici determinandum pertingere poterunt.

Respondeo secundo, Ecclesiam, omisso cyclo astronomico, eoque arithmetico, & nimis scrupuloso, stare cyclo lunari geometrico; hinc non sine fundamento determinasse æquinoctium vernum die 21. Martii, tametsi fieri possit illud æquinoctium uno aut altero die a vigesimo primo Martii contingere; cum enim festum Paschatis debeat incidere in Dominicam proxime sequentem lunam decimamquartam post æquinoctium vernum, de facto experientia comprobatum est, sic semper juxta cyclum lunarem contingere. Nec mirum si isto cyclo adhæreat Ecclesia, quandoquidem vel ipsum Concilium Nicænum, prætermisso cyclo astronomico, celebrem 19. annorum cyclum lunarem suo munivit calculo his verbis: " Cyclum decem novennalem propter 14. lunas paschales Nicæna Synodus instituit. " Ait Beda de Rat. temp. c. 11. Favent quoque ista D. Ambrosii verba a Centuriatoribus Magdeburgensibus laudata cent. 4. cap. 6. de festis: " Non mediocris esse sapientiæ diem celebritatis definire Paschalis, & Scriptura divina nos instruit, & traditio Majorum, qui convenientes ad Synodum Nicænam inter illa fidei, ut vera, ita admiranda decreta, etiam super celebritate memorata, congregatis peritissimis calculandi, decem & novem annorum collegere rationem, ex quo exemplum in annos reliquos gigneretur. "

Neque vero desunt rationes pro cyclo lunari in hac materia observando: Primo quidem Ecclesia regulam elaram ab omnibus, & singulis absque negotio capiendam accipere æquum duxit; maxime cum celebratio Paschatis omnes spectet Christianos. II. Ut omnes, seclusis disputationibus, in hac festivitate celebranda concordarent. III. Ne in conficiendis juxta cyclum astronomicum calculis, supra modum desudarent Ecclesiastici Magistri, & inde schismata propter difficultatum molem superandam orirentur, cum vix duo Astronomi in calculando secundum Astronomiæ artem conveniant, vel etiam arithmetice concordare queant.

Ne mireris igitur, Lector benevole, si Ecclesia pro determinando Paschatis die, adhæreat cyclo lunari; in hoc enim doctissimarum nationum sectatur vestigia. Et vero Judæi ne quidem pro celebranda Paschatis festivitate, juxta Dei legem, calculo astronomico se alligari cogitavere. Mensis civilis apud eos non nisi triginta, aut novem supra viginti dies complectebatur. Romani cyclum solarem & cyclum indictionum habebant. Meton apud Græcos cyclum lunarem novemdecim annorum primus invenit. Ægyptii tametsi in astronomica scientia admodum periti; attamen intra 365. dies concludebant quemlibet annum, quem in duodecim menses subdividebant, mensem vero in 30. dies, debitam temporum rationem habere rati, si absoluta quadam eycli revolutione, quinque postea anno adjicerent dies. Persæ pro isto momento Ægyptiis inhærere non dubitabant: Ab istis quoque non recedebant Æthiopes, & vix aliquid inter illos erat discriminis, nisi quod anno bissextili, non quinque, sed sex dies adderent. Quinimmo Turcæ & Arabes, prætermisso calculo astronomico, utuntur triginta annorum cyclo. Quid plura adjiciam? Concilium Nicænum omnes in Astronomiæ scientia peritissimos, maxime Episcopos Alexandrinos, ceterosque Ægyptios pro calculo lunari computando, & ordinando selegit. *Congregatis peritissimis calculandi*, ait Ambrosius. Nec desunt qui affirment, ut Ceolfridus, cyclum 19. annorum longe ante Concilii Nicæni tempora, & vel ab ipso Apostolorum ævo, fuisse in usu. Igitur non sine fundamento Ecclesia Romana ad determinandum festi Paschatis celebrandi diem, utitur Cyclo Gregoriano.

Tandem pro plena rei elucidatione, & solutione, R. P. Rebeque Societatis Jesu Theologus in suis notis mensis Decembris ann. 1722. & Maji 1723. in Diario Trevolitii appositis, difficultates circa calculum lunæ paschalis, sicut subtiliter, sic & clare explanat, & solvit. In primis vero in notis mensis Martii an. 1724. ubi clare admodum demonstrat versari in errore eos, qui festum Paschatis luna Martii currente semper celebrandum autumant, quandoquidem ann. 1734. futuro Pascha die 25. Aprilis continget, adeoque

luna paschalis, tunc 5. Aprilis inchoabitur, nec instans quidem mensis Martii occupabit.

Pro certo habetur, Christianorum Pascha, nec ante diem 22. Martii, nec ultra 25. Aprilis contingere. Neque vero minus constat juxta observationes R. P. Rebeque, festum Paschatis luna mensis Martii currente, nusquam celebrari, cum lunatio seu luna mensi in quo finem habet tribuatur. Jam vero supposito, sicut de facto novemdecim annis absolutis, adveniet, primum mensis Martii diem, lunæ utique primum evadere, ista luna metam die 30. Martii obtinebit, & consequenter luna ejusdem Martii dicenda erit, sed non inde luna paschalis futura, & nuncupanda, ea potissimum ratione, quod dies decima quarta lunæ istius mensis Martii præibit æquinoctium vernum, quod solum cum die vigesima prima Martii coincidit. Igitur decima quarta luna paschalis, vel post æquinoctium, vel ipso æquinoctii die occurrit, tum Dominica proxime sequente Pascha juxta Concilii 1. Nicæni definitionem celebrandum est, si tamen ipsa dies Dominica occurrat ipso æquinoctii die, Paschatis festum in Dominicam sequentem transferendum est. Et hæc adest fundamentalis ratio, quod Pascha secundum Ecclesiæ legem non nisi post æquinoctium vernum celebrandum sit, Diario Histor. Virodunensi ann. 1724.

Quia vero tabulæ Breviarii ut plurimum non se extendunt usque ad annum 1724. ut compertum habemus, unam hic ab anno 1700. usque ad annum 1900. texere juvat, ne lector anceps maneat in posterum circa diem festi Paschatis celebrandi luna decimaquarta primi mensis post æquinoctium vernum.

Tabula Epactarum respondentium aureis numeris ab anno 1700. inclusive usque ad annum 1900. exclusive.

Numerus aureus.	10	11	12	13	14	15	16	17
Epactæ.	IX	XX	I	XII	XXIII	IV	XV	XXVI
Numerus aureus.	18	19	1	2	3	4	5	6
Epactæ.	VII	XVIII	*	XI	XXII	III	XIV	XXV
Numerus aureus.	7	8	9					
Epactæ.	VI	XVII	XXVIII					

Si quis tamen adhuc contingeret ambigendi locus, Lector consulat rubricas Breviarii Romani pro hoc tempore occurrentes.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Festum Pascha celebrandum est Dominica die proxime sequente lunam decimamquartam primi mensis.

PRIMO: Sic habemus ex Traditione Apostolica, ut asserit Victor I. summus Pontifex.

Secundo: Ita definit Concilium I. generale, ut testatur S. Athanasius Epist. de Synodo Arimini & Seleuciæ.

Tertio: Quia obnitentes habiti sunt ab Ecclesia ut Hæretici, & Quartodecimani nuncupati sunt.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET EXPLICATIONUM.

PRIMO: Solemnitas paschalis disciplinam quidem spectat, sed universalem, & ab Ecclesia præfixam, hinc citra peccatum eam infringere non licitum est.

Secundo: Frustra Asiatici SS. Pontificum & Conciliorum decreta temerantes laudabant pro sua opinione defendenda traditionem, cum ea nonnisi consuetudinem emendicatam spiraret.

Ter-

Tertio: Neque vero quidquam proficiunt Quartodecimani laudantes Constitutiones Apostolicas, quibus injungitur celebrari festum Paschatis ut Judæi celebrant, namque eo loci sermo est de Judæis ad fidem Christi conversis, qui adhærentes B. Petro totius Ecclesiæ capiti, sicut ipse constituerat, sic & solemnitatem colebant.

PUNCTUM TERTIUM.

Num Victor primus Papa abstinuerit ab Asiaticis?

GRAVIS controversia fuit inter Victorem I. & Asiæ Episcopos circa diem Paschatis celebrandam, illo volente ut Dominica proxime sequente lunam decimam quartam post æquinoctium vernum, istis vero luna decimaquarta, in quacumque die occurreret, semper Festivitatem celebrantibus. Hinc quæritur num anathema in eos propter hoc intorserit, vel non? Pro cujus resolutione sit

CONCLUSIO.

Victor I. inter minas hæsit, & in Asiaticos censura non animadvertit.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo, auctoritate.

FIRMILIANUS verbis expressis asserit Victorem cum Asiaticis pacem conservasse: namque Epist. ad S. Cyprianum primo refert inter Romanos & Asiaticos de festo Paschatis congressus; tum subdit: " Nec tamen propter hoc ab Ecclesia „ Catholica pace atque unitate aliquan- „ do discessum est.

Eusebius L. 5. Hist. cap. 24. ait S. Irenæum scripsisse ad Victorem I. quatenus pacem cum Ecclesiis servare dignaretur, proponens exempla sanctorum Pontificum Aniceti, Pii, Higyni, Telesphori, Sixti, qui quidem ante ipsum Asiaticos non semel adhortati fuerant, ut morem Romanum in celebrando Paschate imitarentur, a quibus tamen etsi obnitentibus non abstinuerunt: " Irenæus autem pul- „ chre respondens, tum moribus quibus „ se pacis auctorem vere declarabat, „ ejusmodi pro pace & concordia Eccle- „ siarum & hortatus est, & magnopere „ flagitavit. „ Quæ vox *flagitavit* designat, Victorem tandem aliquando Irenæi precibus cessisse. Hoc ipsum dicit Nicephorus L. 4. Hist. Eccl. cap. 38. " Ire- „ næus erat, ut quidem ex eo scripto, „ quod Gallicarum Ecclesiarum, quas re- „ gebat, nomine ad Victorem dedit, „ ap aret. Adstruit quippe & ipse, de- „ bere quidem omnino Dominica die Pa- „ scha peragi: Nequaquam tamen Victo- „ ri permittit, ut tantam Ecclesiarum „ multitudinem ab Ecclesiastica unitate „ segreget. „

III. *S. Hieronymus* expressus loquitur in catalogo Script. Ecclesiast. cap. 46. " Vi- „ ctor, *inquit*, multos Asiæ & Orientis „ Episcopos, qui quartadecima luna cum „ Judæis Pascha celebrabant, damnandos „ crediderat, in qua sententia ii, qui „ discrepabant ab aliis, Victori non de- „ derunt manus. „

Secundo, ratione.

PRIMA sic proponitur: Omnes Historici ultro conveniunt Irenæum efflagitasse a Victore I. pro Asiaticis pacem, nec tamen quisquam scribit illum in eos de facto intorsisse anathema. Igitur Victor non abstinuit ab eis.

Secunda: Latum est discrimen inter excommunicationem comminatoriam, & latam: Ex Historiis sacris Victor putaverat ab Asiaticis abstinendum, sed hæsisse inter minas liquet, cum non sit probabile restitisse Irenæo afflagitanti pro Quartodecimanis pacem, nec legitur de facto Victorem ab eis abstinuisse. Ergo &c.

Tertia: Omnes concedunt controversiam non nisi in Concilio Nicæno ad metam fuisse perductam. Igitur Victor, anathemate non animadverterat in Asiaticos, sin minus, causa finita fuisset, sicut Augustinus Serm. 2. de verbis Apostoli de causa Pelagianorum dicit, ut primum Innocentius I. & Zosymus pronuntiaverunt, & pronununtiando illos Hæreticos proscripserunt. *Venerunt, decreta*, inquit, *causa finita est*.

FIT

FIT SATIS OBJECTIONIBUS.

Objicies: Nicolaus I. Epist. 9. ad Michaelem Græcorum Imperatorem data, expressis verbis asserit Victorem abstinuisse ab Asiaticis. Ergo &c. Ecce verba: " Deinde cum Asiani omnes inter ceteros, Evangelista Joanne Auctore, quarta decima luna cum Judæis putarent Pascha celebrandum; hos Præsul meritis & nomine Victor Communione Collegii separavit. "

Respondeo distinguendo: Nicolaus I. dixit suspicative Victorem abstinuisse ab Asiaticis, concedo: assertive, subdistinguo; errore facti deceptus, concedo: secus, nego. Nicolaus propter rumores & magnam inter Victorem I. & Asiaticos, excommunicationem interminatam, quasi latam habuit, sed non est credibile Pontificem, alias doctissimum ignorasse, quod Scriptores omni exceptione majores de hoc momento memoriæ tradiderunt, videlicet Victorem inter minas hæsisse.

Instabis: Atqui Nicolaus de excommunicatione lata intellexit. Ergo &c. Locutus est juxta Patres & Scriptores Græcos, quibus pro hoc capite fides adhibenda est: Sed Patres Græci existimant Victorem I. anathema in Asiaticos de facto intorsisse. Ergo &c. Probatur minor. Instar omnium sit Epiphanius, qui Hær. 70. sic effatur: " Nec illud eruditis hominibus ignotum est, quam sæpe diversis temporibus, de illius festi celebritate varii Ecclesiasticæ disciplinæ tumultus, ac contentiones obortæ sint, præsertim Polycratis, ac Victoris ætate, cum Orientales ab Occidentalibus divulsi, pacificas a se invicem litteras nullas acciperent, quod idem & aliis temporibus accidit. " Sed ubi nullæ sunt pacificæ litteræ, nulla est Communio. Ergo &c.

Respondeo negando subsumptum. Ad probationem distinguo: Non erant pacificæ litteræ, hoc est non amicæ propter dissidium & disputationis ferventiorem congressum, concedo: propter censuram latam, ita ut foret absoluta separatio, nego. Et vero est in more positum, Patres ægre ferre filiorum inobedientiam, eosque amore filiali & benevolo privare, ut perterriti, ad meliorem redeant frugem. Sic se gessit Victor I. erga Asiaticos. Nec aliud innuit Epiphanius, qui non de excommunicatione lata, sed tantum comminatoria loquitur, ut vel ejus indicant verba, cum ... pacificas a se invicem litteras nullas acciperent: Ubi quæso sermo est de censura lata?

Sozomenus, qui scripsit post Epiphanium, est ejus interpres, quippe qui L. 7. Hist. Eccl. cap. 19. controversiam sic explicet: " Atqui hæ quidem extiterunt circa hoc festum diversitates. Sapientissime autem arbitror solvisse suborta olim de ea controversiam Victorem tunc temporis Romæ Episcopum, & Polycarpum Smyrnensem. Etenim cum Occidentis Sacerdotes Traditionem Petri & Pauli non esse contemnendam arbitrarentur, & Asiani se Joannem sequi affirmarent, decreto in commune sancito, singuli, ut consueverant, festum celebrantes, a mutua inter se communione non recesserunt. "

Replicabis: Sozomenus loquitur de sancto Polycarpo, quem quidem cum Aniceto servasse pacem ultro conveniunt omnes: sed controversia est de aliis Asiaticis, a quibus Victorem abstinuisse probabilissimum est: De eis enim sic loquitur Socrates L. 5. Hist. Eccl. cap. 21. " Quod ex consuetudine potius, quam ex lege ab antiquis temporibus observari cœptum sit, rerum eventa perspicue declarant. Plerique namque in Asia minore antiquitus decimaquarta die mensis, nulla ratione diei Sabbati habita, hoc festum observaverunt ... Donec Victor Episcopus Romanus supra modum iracundia inflammatus, omnes in Asia, qui decimaquarta die mensis Pascha celebrabant, excommunicaverit. "

Respondeo Sozomenum nedum de S. Polycarpo, sed & de ceteris Asiaticis sermonem instituere, ut ex ejus verbis liquet: " Cum ... Asiatici se Joannem sequi affirmarent, decreto in commune sancito, *scilicet in Synodo a Polycrate adunata*, singuli, ut consueverant, festum celebrantes, a mutua inter se communione non recesserunt. "

Ad auctoritatem Socratis dico, nullam fidem

fidem in hoc ei adhibendam esse, propter multa. I. Quia erat Novatianus; hinc ut suæ faveret sectæ, quæ morem Romanum pro tempore celebrandi Paschatis festum non sequebatur, ut exosum redderet Victorem I. scripsit quod iracundia inflammatus anathemate Asiaticos percusserit. II. Photius Cod. 28. Bibl. ait de dogmatibus eum non bene scripsisse. " Stylus illi non admodum splendidus, „ sed nec in dogmatibus valde accuratus „ est. „ Cujus rei argumentum est, quod scripserit Ecclesiam Romanam Quadragesimam intra tres hebdomadas concludere, cum e contra S. Leo Magnus ipsi coætaneus Ser. 4. totam Quadragesimam juxta institutionem Apostolicam Romæ fideliter observari testetur. Quid plura adjiciam? Ipsum non pudet Lib. 6. cap. 3. improperare sancto Joanni Chrysostomo.

Repones: Controversia cœpit inter S. Anicetum Papam & S. Polycarpum; tum acrius exarsit tempore Polycratis, qui Concilium Asiaticum pro suo servando more, Romanæ consuetudini opposuit: de quo exacerbatus Victor, pacificas litteras ad Episcopos Asiæ mittere cessavit. Demum in apertum postea incendium erupit. Quid igitur erat faciendum, adhibitis jam plurimis remediis, nisi tandem pro more Ecclesiæ contumaces censuris compescere? Igitur de facto Victor I. abstinuit ab Asiaticis.

Respondeo distinguendo: Et hæc omnia unum dumtaxat probant, videlicet Victorem I. voluisse ab Asiaticis abstinere, concedo: de facto abstinuisse, nego. Primo pacificum admodum & familiare fuit inter S. Polycarpum & S. Anicetum colloquium. Tum Polycrates cum suis in Synodo adunatis invalescens, & post ipsum suorum successorum cœtus, ita exacerbatus est Victor, ut eis anathema pronuntiare æquum duxerit; de quo certior factus est S. Irenæus, eum ab hac voluntate divertit. Nec mirum si hoc & fecerit, & per tempus ei fuerit licitum; cum enim non longe civitas Lugdunensis a Romana distet, & summi Pontifices non nisi maturo examine prævio res definiant, dissidium a multis jam annis tentatum absque negotio edicere potuit: hinc extrema adversus rebelles parata animadvertens, latis supplicibus ad Victorem litteris, censuram contra Asiaticos imminentem avertit.

Persistes: Atqui de facto Victor in Asiaticos excommunicationis sententiam tulit. Ergo &c. Probatur subsumptum: Blastus Presbyter Quartodecimanus abjectus est, teste Eusebio Lib. 5. Hist. cap. 14. Igitur & ceteri repulsi sunt.

Respondeo distinguendo: Abjectus est Blastns propter mores depravatos, & hæresim Valentiniani cui adhærebat, concedo: præcise eo quod luna decimaquarta quacumque die occurreret, Paschatis festum celebrari vellet, nego. Ita Eusebius Lib. 5. Hist. c. 14. ita Auctor supplementi ad librum Tertulliani de præscriptionibus cap. 53. dicens: " Est præterea „ his omnibus etiam Blastus accedens, „ qui latenter Judaismum vult introdu„ cere.„ Theodoretus Lib. 1. hær. fabul. c. 23. expressius loquitur: " Sed & Flo„ rinus & Blastus Presbyterorum in albo „ Romæ conscripti, in Valentini pestem „ declinarunt. „

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Victor I. non abstinuit ab Asiaticis.

PRIMO: Sic affirmat Firmilianus Epist. ad S. Cyprianum his verbis: " Nec ta„ men propter hoc ab Ecclesiæ Catholi„ cæ pace atque unitate aliquando dis„ cessum est. „

Secundo: Hoc ipsum scribit Eusebius Lib. 5. Hist. cap. 24. hoc expressius Hieronymus in Catalogo Script. Eccles.

Tertio: Omnes concedunt controversiam de festo Paschatis tali vel tali tempore celebrando ad metam solum in Concilio I. generali fuisse perductam, quod argumentum est Victorem non excommunicasse Asiaticos: alias jam quæstio fuisset terminata, cum teste S. Aug. Serm. 1. de verbis Apost. causa decreto summorum Pontificum finiatur.

SYNOPSIS OBJECTIONUM ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Si qui auctores Victorem ab Asiaticis abstinuisse scripserint, hoc non nisi suspicative, vel etiam errore facti detenti dixerunt.

Se-

Secundo : Tametsi controversia ab ipso Aniceto cœperit, non inde sequitur ita crevisse, ut Victor anathemate Asiaticos de facto percusserit, sed solum censuram adversus inobedientes interminatus fuerit.

Tertio : Ultro concedimus Blastum fuisse abjectum, sed propter specialia crimina.

ARTICULUS QUARTUS.

De materia Eucharistia.

MATERIAM Eucharistiæ ex variis rebus seu elementis conflatam esse nemo Catholicus non novit : quænam sit absolute necessaria, quævero solum ad integritatem, hic discutiendum est Unde sit

SECTIO PRIMA.

Num panis & vinum simul sint materia essentialis Eucharistiæ?

CONCLUSIO.

Panis & vinum sunt materia necessaria divinæ Eucharistiæ.

Probatur auctoritate & ratione.

PRIMO, Ex Scriptura sacra. Matt. 26. habetur : *Cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque Discipulis suis, & ait : Accipite & comedite : hoc est corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis dicens : bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Dico autem vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis, usque in diem illum cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei*. Idem habetur Marci 14. idem Lucæ 22. idem 1. Cor. 11. Unde sic proceditur : Evangelistæ panem & vinum commemorant. Igitur cum Eucharistiæ materia sit a Christo in pane & vino determinata, utrumque est ejus materia necessaria & essentialis.

Secundo, Concinit Traditio : ita habetur in Concilio III. Carthaginensi can. 4. in Florentino ubi de instructione Armenorum; & hoc de fide determinatum est in Tridentino c. 3. & Sess. 13. can. 2. ubi definit corpus & sanguinem Christi, transacta consecratione, remanere sub speciebus panis & vini, quæ sunt hujus Sacramenti materia. Hinc cap. 4. dicit panem in corpus, vinum vero in sanguinem converti. Ita expresse ejusdem Concilii Catechismus part. 2. n. 11.

Tertio, ex sancto Thoma, qui hic qu. 74. art. 1. quadruplici ratione nostram probat conclusionem. Primam ab usu humano repetit, quæ in hac forma proponitur. Eucharistia est convivium, seu cœna: Sed homines solent panem & vinum in cœna apponere. Ergo &c. "Panis & vinum quibus communius homines reficiuntur, assumuntur in hoc Sacramento ad usum spiritualis manducationis. „ Alteram ex passione Christi, cujus hoc Sacramentum est memoriale desumit; quia vero in ea corpus ab anima separatum est ad tempus, sic & panis separatim a vino sumitur : hinc ista materia Eucharistiæ eatenus optime convenit, quatenus significat mortem Domini. " Secundo, *ait D. Thomas*, „ quantum ad passionem Christi, in qua „ sanguis est a corpore separatus. Ideo „ in hoc Sacramento quod est memoriale Dominicæ passionis, seorsum sumitur panis, ut sacramentum corporis, „ & vinum ut Sacramentum sanguinis. „ Tertiam hujus materiæ convenientiam eruit ex uno Eucharistiæ effectu, qui situs est in eo quod istud Sacramentum valeat ad salutem corporis & animæ; illi autem proficit panis, isti vero vinum lætificans cor hominis. Pergit S. Doctor : " Tertio quantum ad effectum „ consideratum in unoquoque sumentium : quia ut Ambrosius dicit super „ Epistolam ad Cor. hoc Sacramentum „ valet ad tuitionem animæ & corporis: „ & ideo corpus Christi sub specie panis „ pro salute corporis; sanguis vero sub „ specie vini pro salute animæ offertur: „ sicut dicitur Levit. 17. quod anima „ carnis in sanguine est. „ Demum Eucharistia alterum habet effectum, qui est omnes Fideles ad invicem unire : sed hanc unitatem apprime designat panis, apprime & vinum. Igitur utrumque est ma-

materia sacræ Eucharistiæ conveniens. „ Quarto, *inquit D. Thomas*, quantum „ ad effectum respectu totius Ecclesiæ, „ quæ constituitur ex diversis Fidelibus, „ sicut panis conficitur ex diversis granis, „ & vinum fluit ex diversis uvis, ut di- „ cit Glossa super illud 1. ad Cor. 10. „ Multi unum corpus sumus. „

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

OBJICIES: Sacramentum Eucharistiæ est passionis Domini memoriale: Sed passio Christi melius significatur per victimas, ut contingebat in lege veteri, quam per panem & vinum. Igitur panis & vinum non sunt materia conveniens pro Eucharistia conficienda.

Respondeo distinguendo: Est passionis memoriale quantum ad significationem extrinsecam, concedo: quantum ad se, subdistinguo; secundario, & relative ad finem a Christo intentum, concedo: primario & ex ratione intrinseca, nego. Eucharistia dupliciter spectari potest, videlicet secundum se, & per ordinem ad aliquem finem ei affixum. Priori modo est Sacramentum per modum cibi & convivii spiritualis, & sub hoc respectu non aliam præter panem & vinum exigit materiam, cum utrumque alimentum sit apud omnes cibus communis & usualis. Posteriori modo est memoriale passionis, quæ etiam designatur per hoc quod panis & vinum separatim sumantur. Solutio est D. Thomæ hic q. 74. art. 1. ad 1. " Dicendum, *inquit*, quod licet carnes „ animalium occisorum expressius repræ- „ sentent Christi passionem, tamen mi- „ nus competunt ad communem usum „ hujus Sacramenti, & ad Ecclesiasti- „ cam unitatem significandam. „

Instabis: Sacramentum Eucharistiæ est ubique celebrandum: Sed in quibusdam regionibus deest panis, in quibusdam aliis vinum. Igitur non convenienter pro materia Eucharistiæ assignantur panis & vinum.

Respondet S. Thomas ad hanc difficultatem ibidem ad 2. his verbis: " Dicen- „ dum, quod licet non in omnibus terris „ nascatur triticum vel vinum, tamen de „ facili ad omnes terras deferri potest, „ quantum sufficit ad usum hujus Sacra- „ menti: nec propter defectum alterius „ est unum tantum sine altero consecran- „ dum, quia non esset perfectum Sacra- „ mentum. „

Insistes: Eucharistia instituta est ad spiritualem refectionem omnium Fidelium: Sed quidam abhorrent a vino, quidam etiam, ut ægroti, absque vitæ discrimine illud sumere non possunt. Ergo &c. S. Thomas ibidem ad 3. huic objectioni facit satis. " Ad tertium dicendum, „ quod vinum in modica quantitate sum- „ ptum non potest multum ægrotanti „ nocere: & tamen si nocumentum ti- „ meatur, non est necesse quod omnes „ accipientes corpus Christi, etiam ac- „ cipiant sanguinem. „

Replicabis: Hostia quondam ex oblationibus Fidelium consecrabatur; sic habetur in Ordine Romano sæculo VII. conscripto: sed nedum panis & vinum, verum etiam oleum, mel & similia offerebantur. Igitur præter panem & vinum, alia Eucharistiæ materia assignanda est.

Respondeo distinguendo minorem: Quædam alia offerebantur ad usum Ecclesiæ & Sacerdotum, concedo: pro confectione Eucharistiæ, nego. Habetur quidem in Ordine Romano laudato, quod Archidiaconus pro confectione Eucharistiæ oblatos a Fidelibus panes Sacerdoti præsentaret, sed non aliud: immo id muneris illi incumbebat, ut seligeret solum de pane & vino oblatis id quod conveniret. Ita definitum legimus can. 3. Apostol. juxta versionem Dionysii Exigui. " Si „ quis Episcopus aut Presbyter, præter „ ordinationem Domini, alia quædam in „ sacrificio offerat super altare, id est, „ aut mel, aut lac, aut pro vino cice- „ ram, aut confecta quædam, aut vola- „ tilia, aut animalia aliqua, aut legumi- „ na, contra constitutionem Domini fa- „ ciens, congruo tempore deponatur. „ Can. 4. explicatur rerum a Fidelibus oblatarum usus. " Offerre non liceat aliquid „ ad altare præter novas spicas, & uvas, „ & oleum ad luminaria, & thymiama, „ id est, incensum, tempore quo sancta „ celebratur oblatio. „ Ceterum nunc etiam in multis Diœcesibus panis & vinum offeruntur tempore Missæ, maxime cum pro defunctis sacrificium offertur:

sed

sed hæc cedunt in usum Sacerdotis celebraotis, & ante istam oblationem jam oblatio paois & vini consecrandi facta est.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Panis & vinum sunt Eucharistiæ materia.

PRIMO : Hoc constat ex ipso Christo, qui testibus Evangelistis, panem & vinum ad Eucharistiam conficiendam accepit.

Secundo : Hoc & conclamat Traditio, & ita defioitum est in Concilio Tridentino Sess. 13. c. 2. 3. & 4.

Tertio : Vel ipsa ratio elevata hoc subindigitat : cum enim hoc Sacramentum institutum sit per modum convivii omnibus præsentandi, conveniens erat ut in materia apud omnes communi & usuali fieret.

SYNOPSIS OBJECTIONUM ET SOLUTIONUM.

PRIMO : Tametsi sacrificia animalium melius explicent Christi passionem ; quia tamen Eucharistiæ sacramentum in se spectatum est convivium, magis convenit illud habere panem & vinum pro materia, cum expressius panis & vinum designent spiritualem refectionem.

Secundo: Panis quidem & vinum quandoque in certis regionibus non oascuntur, sed absque magno oegotio illuc asportari queuot.

Tertio : Dato & non concesso quod ex oblationibus Fidelium quædam ad sacrificium celebrandum assumerentur, non tamen aliud præter panem selectum & optimum : cetera vero cedebant in usum Ministrorum.

SECTIO SECUNDA.

De qualitate panis, & quantitate consecranda.

Non una est circa qualitatem materiæ assignatæ difficultas ; quocirca ad majorem claritatem cuncta sunt in particulari enucleanda. Unde sit

PUNCTUM PRIMUM.

Utrum panis debeat esse triticeus?

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

Probatur rationibus Theologicis.

PRIMA : Ille solus panis pro Eucharistia conficienda assumendus est, quem vel ipse Christus assumpsit : cum eoim illius Sacramenti materia ab Auctore determinata sit in iodividuo, non licet aliquid in eo immutare. Atqui Christus coosecravit in pane triticeo : Et probatur ex D. Thoma, qui hic q. 74. art. 3. ait illum panem majorem præ ceteris panibus habere convenieotiam cum Christo, qui præsens est io hoc Sacramento. " In hoc Sa„ cramento, *ait*, continetur Christus, qui „ se grano frumenti comparat Joan. 12. „ dicens : *Nisi granum frumenti cadens in* „ *terram mortuum fuerit, ipsum solum ma*„ *net*. „ Alteram subjicit rationem, quia Christus perfectissimam pro Sacrameotis conficiendis assumpsit materiam, quæque apud omnes foret & communis & usualis : his autem dotibus panem triticeum donari asserit sanctus Doctor ibidem io corpore articuli his verbis : " Dicendum, „ quod sicut dictum est, ad usum Sacra„ mentorum assumitur talis materia, quæ „ communius apud homines in talem usum „ venit. Inter autem alios panes, com„ munius homines utuntur pane triti„ ceo: nam alii panes videntur esse intro„ ducti in hujus panis defectum. Et ideo „ Christus creditur in hujus panis specie „ hoc Sacramentum instituisse : quod et„ iam panis magis confortat hominem, „ & ita convenientius significat effectum „ hujus Sacramenti : & ideo propria ma„ teria hujus Sacrameuti est panis triti„ ceus. „

Altera hæc est : Quod Concilia determinant, debet pro materia Eucharistiæ assumi. Atqui Concilia determinant pro materia Eucharistiæ panem triticeum : & probatur. Florentinum Sess. ultima in Decreto unionis sic habet : *Definimus in azymo sive fermentato pane triticeo Corpus Christi veraciter confici*. Succinit Catechismus Romanus p. 2. n. 12. " Cum autem, „ *ait*,

„ *ait*, varia ſint panis genera, vel quia „ materia differunt, ut cum alius ex tri- „ tico, alius ex ordeo, aut ex legumini- „ bus, ceteriſque terræ fructibus confe- „ ctus eſt, vel quia diverſis qualita- „ tibus præditi ſunt (uni enim fermen- „ tum additur, alter vero fermenti om- „ nino expers eſſe poteſt) quod ad primum „ attinet, Salvatoris verba oſtendunt, pa- „ nem ex tritico confici oportere, com- „ muni enim loquendi conſuetudine, cum „ panis abſolute dicitur, panem ex tritico „ intelligi ſatis conſtat. Id etiam veteris „ Teſtamenti figura declaratur. Præce- „ ptum enim a Domino fuerat, ut panes „ propoſitionis, qui hoc Sacramentum ſi- „ gnificabant, ex ſimila conficerentur. „

Tertia: Hoc ipſum Traditio annuntiat, hoc uſus Eccleſiæ, hoc exquiſita materiæ reverentialis præparatio. Ergo &c. Probatur antecedens quoad ſingulas partes. De primo ſic loquitur Catechiſmus Romanus ibidem n. 13. " Quemadmodum „ nullus panis, niſi triticeus, apta „ Sacramenti materia putandus eſt: hoc „ enim Apoſtolica traditio nos docuit „ &c. „ De ſecundo, ſcilicet uſu, nullibi legitur ſanctos Patres in alio pane conſecraſſe, niſi in pane triticeo. Hoc autem clare annuntiat materiam prius ex diverſis granis ſeligendam & præparandam. Concilium Toletanum XVI. can. anno 693. celebratum hæc de hoc momento profert: " Et non aliter panis in „ altari ſanctificandus præponeretur, niſi „ mundus & nitidus, & qui ſtudio præ- „ paratus fuiſſet. „ Hoc eſt, perfectus, adeoque triticeus. Solemnis quondam erat illa præparatio; legitur in Annalibus ſeu Chronico Ordinis S. Benedicti, uſum apud Monachos obtinuiſſe puriſſimum triticum ad Euchariſtiam conficiendam ſeligere, tum ad moletrinam ſervi fidelis & pii miniſterio, ne aliqua fraus obreperet, deferri, ipſo præſente moli, poſtea farinam ad Monaſterium aſportari: quibus abſolutis, Monachi, Acolytho præeunte & crucem deferente dum Sacriſta hoſtias conſecrandas conficiebat, hymnos cantabant. Legitur etiam in vita ſanctæ Radegundis Reginæ, eam Eccleſiis panem conſecrandum diſpenſaſſe, quem ipſa propriis manibus ex devotione confecerat; quæ & ſimilia denotant ſolum panem perfectum, adeoque & triticeum pro materia Euchariſtiæ ab omni ævo fuiſſe aſſumptum. Ergo &c.

CONCLUSIO SECUNDA.

Quælibet quantitas panis & vini eſt debita Euchariſtiæ materia, modo ſit ſenſibilis.

Probatur multis momentis.

PRIMO: Illud eſt debita materia Euchariſtiæ, in quo corpus & ſanguinem Chriſti adeſſe conſtat. Atqui ſive magna, ſive parva ſit materia, Chriſtus, facta conſecratione, adeſt: in magna quidem, cum enim ſit quid phyſicum, eſt quid determinatum in ſe, tum & per intentionem celebrantis, qui intendit conſecrare omnem materiam præſentem. Si vero modica ſit materia, modo ſit ſenſibilis & præſens, & adſit intentio miniſtri, nihil amplius requiritur, quia ibi adeſt & verus panis, & vinum legitimum. Ergo &c. Quod autem adſit Chriſtus in utraque materia conſecrata, de fide definit Concilium Tridentinum Seſſ. 13. can. 3. his verbis: *Si quis negaverit in venerabili ſacramento Euchariſtiæ, ſub unaquaque ſpecie, & ſub ſingulis cujuſque ſpeciei partibus, ſeparatione facta, totum Chriſtum contineri; anathema ſit.*

Jam vero quod ſub modiciſſimis particulis Chriſtus ſit præſens, conſtat ex uſu perantiquo Eccleſiæ, quæ hoſtiarum conſecratarum particulas infantibus innocentibus conſumendas porrigi volebat, ut habetur in Concilio Matiſconenſi anno 588. habito can. 6. his verbis. " Quæ- „ cumque ſacrificiorum reliquiæ poſt per- „ actam Miſſam in ſacrario ſuperſuerint, „ quarta vel ſexta feria innocentes pue- „ ri ab illo cujus intereſt, ad Eccleſiam „ adducantur, & indicto eis jejunio, „ eaſdem riliquias conſperſas vino perci- „ piant. „

Secundo, ſic ratiocinatur D. Thomas hic q. 74. art. 2. " Multum opponitur „ pauco, & magnum parvo: ſed nulla „ eſt ita parva quantitas panis & vini, „ quæ non poſſit conſecrari. Ergo etiam „ nulla eſt ita magna, quæ conſecrari „ non poſſit. „

Ter-

Tertio, materiæ quantitas consecrandæ desumenda est per ordinem ad Fideles, qui quandoque numero pauciores in Parœcia, quandoque etiam majores adsunt. Igitur quælibet pars aut panis aut vini juxta exigentiam Fidelium consecrari potest. " Relinquitur, *ait D. Thomas ibid.* „ quod materia hujus Sacramenti determinetur per comparationem ad usum „ Fidelium absolute. Numerus autem „ Fidelium est indeterminatus, unde „ non potest dici quod quantitas materiæ „ hujus Sacramenti sit determinata. „

FIT SATIS OBJECTIONIBUS.

Objicies: Panis assumptus ad Eucharistiam est nutritivus: Sed panis cujuscumque grani etiam nutrit. Igitur nedum tritici, sed & cujuscumque grani panis est Eucharistiæ materia.

Respondeo distinguendo minorem: Est nutritivus secundum quid, concedo: perfecte, nego. Alimentum perfectum perfecte nutrit: panis autem triticeus inter omnes panes perfectissimus est, adeoque solus est materia conveniens Eucharistiæ, maxime cum Christus eo usus sit; & in hoc ad institutionem attendendum fit. Ceterum nutritio non ex solo pane, sed & ceterorum alimentorum succo profluit. Igitur quod panis quilibet nutriat, non est ratio quod ad conficiendam Eucharistiam quilibet indiscriminatim sit assumendus.

Instabis: Dictum est panem consecrandum esse usualem: Sed panis sive ex ordeo, sive ex aliis granis confectus, est usualis. Igitur non solus panis triticeus est materia Eucharistiæ. Confirmatur: Ipse Christus panibus hordeaceis pavit turbas; igitur panis ex quocumque grano confectus, est usualis.

Respondeo distinguendo minorem: Panis hordeaceus v.g. est usualis apud pauperes, & in defectum panis perfecti, concedo: est vulgo usualis, nego. Si quid argumentum probaret, inde sequeretur panem etiam ex leguminibus confectum esse Eucharistiæ materiam, cum populi in America degentes utantur hoc pane. Ad institutionem igitur, & ad id quod perfectum est pro materia Eucharistiæ attendere debemus.

Ad confirmationem nego paritatem: Christus usus est pane præsenti ad nutriendum turbas, & cum solum quinque hordeacei panes adessent, eos non sine magno miraculo multiplicavit: sed hic agitur de augustissimo Sacramento conficiendo, adeoque necesse fuit uti pane usuali & perfectissimo. Ceterum Christus verbo & exemplo mortificationem commendabat; quocirca conveniebat turbas quæ legem Evangelicam ab eo accipiebant, austeritate initiari.

Insistes: Panis ex aliis confectus granis, est verus panis, ut patet ex figura, & sapore, & colore, cum arte nitidissimus & albus evadat: sed quicumque panis, modo sit verus panis, potest assumi ad Eucharistiam conficiendam. Ergo &c.

Respondeo distinguendo majorem ut supra: Est verus panis, sed imperfectus & non usualis, concedo: usualis & perfectus, nego. Et sic distincta minore, nego consequentiam. Solutio est Divi Thomæ hic 74. art. 3. ad 2. " Si quæ frumenta sunt quæ ex semine tritici ge- „ nerari possunt, sicut ex grano tritici „ seminato in malis terris nascitur siligo, „ ex tali frumento panis confectus, pot- „ est esse materia hujus Sacramenti; „ quod tamen non videtur habere locum „ neque in hordeo, neque in spelta, ne- „ que etiam in farte, quod inter omnia „ est grano tritici similius: similitudo au- „ tem figuræ in talibus magis videtur „ significare propinquitatem, quam iden- „ titatem speciei, sicut ex similitudine „ figuræ manifestatur quod canis & lupus „ sunt propinquæ speciei, non autem „ ejusdem; unde ex talibus frumentis „ quæ nullo modo possunt ex semine tri- „ tici generari, non potest confici panis „ qui sit debita materia hujus Sacra- „ menti. „

Instabis: Quod vinum sit rubrum vel album, generosum vel non, nihil refert ad confectionem Eucharistiæ: Igitur & a simili quod panis sit triticeus, vel non.

Respondeo negando paritatem. Ratio discriminis est, quod color & sapor non nisi accidentalem immutationem inducant, alia vero grana essentialem: panis quippe hordeaceus specie distinguitur a triticeo, qui solus est panis usualis & perfectus.

Jam

Jam vero si vinum ita deficeret, ut foret absolute corruptum, tunc non esset materia Eucharistiæ, ait D. Thomas ibidem ad 4. quia corruptio solveret speciem, & jam non vinum, sed aut acetum, aut onfacium per dissolutionem partium vini in quo præponderaret flegma, evaderet.

Replicabis: Ab actu ad posse valet consequentia. Sed Eucharistia non semel fit ex aliis granis quæ tritico mixta occurrunt. Ergo &c.

Respondeo distinguendo minorem: Eucharistia quandoque fit ex aliis granis a tritico, modo grana tritici aliis præponderent, concedo: sin minus, nego. Solutio est D. Thomæ ibidem ad 3. " Dicendum, quod modica permixtio non „ solvit speciem, quia id quod est modicum, quodam modo absumitur a plurimo: ideo si sit modica admixtio alterius frumenti ad multo majorem „ quantitatem tritici, poterit exinde confici panis qui est materia hujus Sacramenti: si vero sit magna permixtio, „ puta ex æquo vel quasi, talis permixtio speciem mutat; unde panis exinde „ confectus non erit debita materia hujus Sacramenti. „

SYNOPSIS CONTENTORUM.

Solus panis triticeus est materia Eucharistiæ.

PRIMO: Christus hunc assumpsit panem ad conficiendam Eucharistiam, sicque materiam in individuo determinavit: Sed non licitum est materiam a Christo determinatam immutare. Ergo &c.

Secundo: Sic definierunt Concilia, sic annuntiat Traditio. Ergo &c.

Tertio: Materia consecranda potest apponi in modica vel magna quantitate, videlicet juxta numerum Fidelium, qui modo plurimi, modo pauciores ad sacram accedunt mensam.

SYNOPSIS OBJECTIONUM ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Qualitas panis non mensuratur pro Eucharistia penes nutritionem, quæ fit ex succo non tantum panis, sed ceterorum alimentorum, quæ sæpius absque pane ad hoc sufficiunt, sed penes rationem convivii communis, quod ante omnia in pane & vino consistit.

Secundo: Ceterorum granorum panes quandoque triticei panis speciem præ se ferunt, sed non realitatem, cum inter se essentialiter distinguantur. Igitur in solo pane triticeo Eucharistia rite conficitur.

Tertio: Tametsi grana siliginis in tritico quandoque reperiantur, non inde sequitur Eucharistiam confici posse ex siligine, nisi triticum præponderet: tunc enim parum pro nihilo reputatur, & panis triticeus appellatur.

PUNCTUM SECUNDUM.

Num panis azymus sit valida Eucharistiæ materia?

GRÆCI quondam id negavere, ut Michael Cærularius, Leo Aclidanus, & Nicetas Pectoratus schismatis auctores; e contra vero Latini: hinc duo quæruntur: alterum de validitate panis azymi: alterum de tempore quo panis ille fuit in usu. Unde sit

§. I.

De convenientia panis azymi.

CONCLUSIO.

Panis azymus est conveniens.

Probatur rationibus Theologicis.

PRIMA: In eo pane conficienda est Eucharistia, quo vel ipse Christus eam instituendo usus est. Atqui pane azymo in confectione Eucharistiæ usus est Christus. Igitur azymus panis est conveniens Eucharistiæ conficiendæ materia. Minor patet ex dictis supra de tempore quo Christus Pascha celebravit; eo quippe loci omnibus utriusque Testamenti monumentis ostendimus, Christum celebrasse Pascha juxta legis præceptum, adeoque dum vigerent azymi, juxta illud Matt. 26. *Prima autem die azymorum accesserunt Discipuli ad Jesum dicentes: Ubi vis paremus*

mus tibi comedere pascha? Concinunt SS. Patres, ut Chrysostomus Hom. 62. in Matt. " Non enim Christus, *inquit*, tem- „ pus Paschæ transgressus est. „ Rursus 82. in Joan. explicans ista verba S. Joannis, *ut manducarent pascha*, ait: " Quid „ significat, ut manducarent pascha? Atqui „ Jesus jam id fecerat una die azymo- „ rum. „ Teophilactus idem dicit Comment. in cap. 18. ejusdem Evangelistæ: " Quid autem est, *ait*, ut comederent „ Pascha? Sane Dominus illud fecit pri- „ ma die azymorum. „ Suffragatur Humbertus Cardinalis Sylvæ Candidæ Episcopus Lib. adversus Græcorum calumnias: in primis S. Anselmus Epistola ad Vvalteranum his verbis: " Cum legitur „ de Domino, quando corpus suum de pa- „ ne fecit, quia accepit panem & bene- „ dixit, non additur azymum vel fer- „ mentatum: certum tamen est quia „ azymum benedixit, forsitan non quia „ res quæ fiebat, hoc exigebat: sed quo- „ niam a cœna, in qua hoc factum est, „ hoc exigebat.

Altera hæc est: Quod definivit Ecclesia, admittendum est. Atqui Ecclesia definivit azymum esse legitimam Eucharistiæ materiam. Ergo &c. Probatur minor: Sic declarat Leo IX. Epist. 6. ad Michaelem Cærularium Archiepiscopum CP. præcipiens ei ne azymis insultet; de Christo enim sic loquitur: " Qui non venerat, „ *inquit*, solvere legem, sed adimplere, „ juxta ipsius legis præceptum ex azy- „ mis & vino vetus Pascha adimplevit, „ & protinus ex azymis & vino novo, „ sicut aperte Lucas narrat, Discipulis „ tradidit &c. „ Sic definivit Florentinum Sess. ult. *Definivimus in azymo sive fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici*. Ita quoque habetur in Catechismo Romano part. 2. n. 13. his verbis: " Quemadmodum nullus panis, nisi tri- „ ticeus, apta Sacramenti materia pu- „ tandus est, hoc enim Apostolica tra- „ ditio nos docuit, ita etiam ex iis quæ „ Christus Dominus gessit, azymum es- „ se debere, facile intelligitur. Ipse e- „ nim primo azymorum die, quo nihil „ fermentati domi habere Judæis licebat „ hoc Sacramentum confecit atque insti- „ tuit. „ Ergo &c.

Tertia: Ecclesia perstringit Sacerdotes Latinos, qui omisso azymo, in pane fermentato consecrare non dubitant. Ita habetur *Extra* de celebratione Missarum, cap. *Literas*: sed in hoc argumentum est panem azymum esse legitimam Eucharistiæ materiam: sin minus, Sacerdos Latinus celebrans in fermentato, prævaricator non evaderet, nec puniretur. Ergo &c.

S. Thomas hic q. 74. art. 4. ait I. panem azymum & fermentatum esse materiam necessariam Eucharistiæ, quia uterque est verus panis usualis. II. Ecclesiam Romanam uti azymo, Græcam vero fermentato: hinc cuilibet Sacerdoti incumbere suæ Ecclesiæ ritui adhærere; sin minus, peccaret, quia unusquisque obedire debet Ecclesiæ quæ sic statuit. III. Azymum tamen esse fermentato pane convenientiorem propugnat sanctus Doctor; juvat hic ejus verba retexere. " Consue- „ tudo de pane azymo celebrandi ratio- „ nabilior est. Primo quidem propter in- „ stitutionem Christi, qui hoc Sacramen- „ tum instituit prima die azymorum, ut „ habetur Matt. 26. & Marc. 14. & Luc. „ 22. qua die nihil fermentatum in do- „ mibus Judæorum esse debebat, ut ha- „ betur Exod. 12. Secundo, quia panis „ est proprie Sacramentum corporis Chri- „ sti, quod sine corruptione conceptum „ est, magis quam divinitatis ipsius, ut „ infra patebit. Tertio, quia hoc ma- „ gis competit sinceritati Fidelium, quæ „ requiritur ad usum hujus Sacramenti, „ secundum illud 1. Cor. 5. Pascha no- „ strum immolatus est Christus, itaque „ epulemur in azymis sinceritatis & ve- „ ritatis. „

Fit satis objectionibus.

OBJICIES 1. Amos 4. legitur: *Sacrificate de fermentato laudem*: vel ut vertit Aquila, *sacrificate de fermentato Eucharistiam*. Ergo &c.

Respondeo distinguendo: Propheta loquitur reprehendendo Judæos qui idola colebant, & fermentato utebantur loco azymorum, concedo: approbando, nego. Hæc enim sunt verba præcedentia: *Venite ad Bethel, & inique agite ad Galgalam, & multiplicate prævaricationem*. Unde male vertit Aquila, *Sacrificate de fermen-*

tato Eucharistiam. Nec mirum, erat hæreticus.

Instat Calvinus lib. 4. inst. cap. 17. §. 43. dicendo Alexandrum summum Pontificem induxisse azymum in Ecclesiam Latinam.

Respondeo I. morem semper fuisse in Ecclesia Romana uti azymo: ita Leo IX. Epist. 1. ad Michaelem Cærularium, & alii supra laudati. Ita in primis Rupertus Lib. 2. de divinis officiis cap. 22. his verbis: " Cur sancta Romana Ecclesia „ numquam in Sacrificio fermentum admiserit, non otiose quæritur, nec inutiliter scitur, maxime quia consuetudini huic tota hactenus Græcia refragatur; nam de fermentato Græci immolant, & nescio qua auctoritate refragante, quæ procul dubio de authenticis „ numquam profecta est Scripturis, tam „ legalem, quam Evangelicam Romanæ „ Ecclesiæ consuetudinem nimis pertinaciter abhorrent. Veris persæpe rationibus superati sunt, sed Constantinopolitanæ Sedis arrogantia, multarum hæresum genitrix, cedere dedignata est. Leo „ IX. hujus omnium Papa, a Beato Petro „ CXLVIII. per epistolam ad Imperatorem „ Constantinum scriptam, animum ejus „ consilians, Apocrisarios suos Humbertum Sylvæ Candidæ Episcopum, & Petrom Amalsitanorum Archiepiscopum, „ Fridericum quoque VII. Levitam & „ Cancellarium, Constantinopolim dirigens, multas Græcorum confutavit hæreses, qui inter cetera Latinos vocabant Azymitas, & eos nimis persequentes, eorum Ecclesias claudebant, & „ Michaelem Patriarcham a gratia & palatio Imperatoris remotum excommunicationis gladio percussit. Tantis autem hæresibus fermentata est Græcia, „ ut mirum videri non debeat hoc quod „ de fermento immolat. Tantæ e contra „ sinceritatis fuit sancta Romana Ecclesia, ut cui deest Scripturarum notitia, „ vel argumentandi facultas, sola illi de „ azymo contra Græcos sufficere debeat „ ejus auctoritas. „

Respondeo II. dictum Calvini non posse verificari de Alexandro I. qui sedebat circa medium sæcundi sæculi; nullum enim citat auctorem, & nihil simile de illo Alexandro reperitur, qui cum esset vicinus ætatis Christi, talem non tolerasset mutationem. Negandum etiam de Alexandro II. & IV. quandoquidem sederunt post Leonem IX. quo tempore solum Græci accusare cœperunt Latinos de hæresi, eo quod celebrarent in azymo, de qua calumnia Leo vindicavit Ecclesiam Romanam.

Insurges: Concilium Carthaginense III. canon. 24. tria populi oblationum genera distinguit, loquendo vero de Sacramento corporis Domini, ait: " Ut in eo „ panem ostendant non azymum, sed „ fermentatum, qualis offerri solebat, „ consecrari. „ Ita refert Sirmundus. Ergo &c.

Respondeo Sirmundum non referre fideliter canonem: in illo enim hæc tantum habentur: " Ut in Sacramentis corporis „ & sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam quod ipse Dominus tradidit, hoc est, panis & vinum aquæ „ mixtum, nec amplius in sacrificiis offeratur, quam de uvis & frumentis. „ Ita canon refertur apud Binium Tom. 1. pag. 544. col. 2.

Insistes: Canon 6. Concilii Toletani XVI. reprehendit Sacerdotes, qui de panibus suis usualibus crustulam in rotunditatem offerentes, eam consecrabant, & jubet ut nonnisi panis integer & nitidus, qui ex studio fuerit præparatus, offeratur: sed canon non reprehendit istos Sacerdotes quod in pane fermentato consecrarent. Igitur etiam in Ecclesia Latina panis fermentatus est materia conveniens Eucharistiæ.

Respondeo negando minorem; nam eo ipso quo Patres jubent ut Sacerdotes consecrent panes integros, mundos & nitidos, intelligunt azymos, qui dicuntur mundi per oppositionem ad panes fermentatos, qui aliquo modo immundi sunt propter mixtionem fermenti, quod est massa paululum corrupta.

Instabis: In vita S. Melchiadis Eucharistia dicitur fermentum, sicut & in epistola Innocentii I. ad Decentium. Ergo &c.

Respondeo non esse ibi sermonem de Eucharistia, sed de Eulogiis, id est, de pane benedicto, qui sicut nunc, olim dabatur in signum communionis Ecclesiasticæ diebus Dominicis & Festivis. De hoc pane fit sermo in vita Siricii, ubi refer-

M 2 tur

tur quod panem consecratum Episcopi mitterent ad Presbyteros, id est, panem benedictum, cujus reliquiæ manebant pro sustentatione Sacerdotum, quibus ad hæc usque tempora major quantitas porrigitur.

Urgebis: In vita ejusdem Melchiadis panis fermentatus benedictus dicitur Eucharistia, sicut & Eulogiæ dicuntur sacramentum apud Augustinum Lib. 2. de peccatorum meritis cap. 26. Ergo &c.

Respondeo istud argumentum nihil probare contra nos, siquidem procedit de pane benedicto, qui dicitur Eucharistia secundum quid, in quantum scilicet panem Eucharisticum ad cibationem animæ misericorditer datum significat, & vulgo vocatur sacramentale, panis ille benedictus.

Repones: Uti azymo est judaizare. Igitur azymus panis non est conveniens materia Eucharistiæ.

Respondet D. Thomas hic art. 4. ad 2. his verbis: " Conficientes ex azymo, *intellige Eucharistiam*, non intendunt cæ„ remonias legis servare, sed conforma„ re se institutioni Christi, & ideo non „ judaizant, alioquin & celebrantes in „ pane fermentato judaizarent, quia Ju„ dæi panes primitiarum fermentatos of„ ferebant.

Replicabis: Si azymus ita est necessarius, Græci non possunt consecrare in fermentato. Absurdum consequens: ergo & antecedens.

Respondeo distinguendo: Si est necessarius necessitate finis, concedo: si tantum necessitate præcepti, nego. Est de fide quod panis debeat esse triticeus, secus vero quod sit absolute azymus; unde Concilium Florentinum declaravit, quod unusquisque ritum suæ Ecclesiæ in hoc servaret: Latinus consecrando in azymo, Græcus vero in fermentato, etiam in peregrinatione, si fieri posset. Nec semel vidimus Græcos celebrare Parisiis in fermentato, sicut Parochi Latini olim Constantinopoli in azymo consecrabant; quocirca Leo IX. Epist. 1. ad Michaelem Imperatorem conqueritur quod Græci non permitterent Latinis ante hoc tempus celebrare in azymo; si tamen esset scandalum, Constantinopoli degens deberet consecrare fermentatum panem: & vicissim Græcus in Ecclesia Latina azymum, ut patet ex illo Ambrosii apud Augustinum Epist. 118. " Ad quam forte Ecclesiam „ veneris, ejus morem serva, si cui„ quam non vis esse scandalum, nequa„ quam tibi. „

Persistes: Panis azymus non est verus panis, nam panis græce ἄρτος dicitur, hoc est elevatus a fermento. II. Azyma sunt tribulationis symbola, cum designent transitum Angeli vastatoris, qui primogenitos Ægypti una & eadem nocte occidit. III. Matth. 13. regnum cœlorum non azymo, sed fermentato pani comparatur: *Simile est regnum cœlorum fermento, quod accipiens mulier, abscondit in farina satis tribus, donec fermentatum est totum*. Igitur panis fermentatus est magis conveniens pro Eucharistia conficienda.

Respondeo primo, panem fermentatum laudabiles habere significationes, sed controversia præsens movetur de quo pane conficienda sit Eucharistia; cum autem vel ipse Christus in azymo eam confecerit, melius est ei adhærere.

Respondeo secundo, ad primum quidem non unam esse rerum etymologiam, cum teste sancto Thoma hic art. 4. azymus panis designet immaculatam Christi conceptionem; quod autem sit verus panis, ipsa Scriptura passim dicit, ut Exod. 29. *Tolle vitulum, panesque azymos, & crustulam absque fermento*. Jud. 6. Angelus Gedeoni dixit: *Tolle carnes & azymos panes*. Quinimmo panes propositionis erant azymi.

Ad secundum distinguo: Azymus significat afflictionem pro paganis Ægyptiis, qui propter exercitam erga Israelitas crudelitatem occisi sunt, concedo: pro fidelibus, nego. Audi Apostolum dicentem 1. Cor. 5. *Itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis*. Et sic patet solutio ad tertium, cum azymus nitorem animæ subindigitet.

Replicabis: Panis Eucharisticus usualis esse debet: Sed solus fermentatus sic est, namque omnes gentes non azymo, sed fermentato in prandio, cœna & conviviis utuntur. Ergo &c.

Respondeo distinguendo majorem: Panis pro conficienda Eucharistia debet esse usualis tempore quo Christus illam instituit,

tuit, concedo: aliis temporibus, nego; & sic distincta minore, nego consequentiam. Tempore quo Christus instituit Eucharistiam, azymus erat panis usualis, quandoquidem a luna decima quarta ad vesperam, usque ad octavam non licitum erat Judæis alio vesci pane, ut habetur Exod. 12. *Septem diebus azyma comedetis, primo mense, quarta decima mensis ad vesperam comedetis azyma usque ad diem vigesimam primam ejusdem mensis ad vesperam.* Porro pro materiæ qualitate attendendum est ad institutionem. Ergo &c.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Pane azymo recte utitur Ecclesia Latina ad sacram Eucharistiam conficiendam.

PRIMO: Quia ipse Christus Sacramentorum auctor illam in azymo confecit.

Secundo: Sic declaravit Concilium Florentinum Sess. ult.

Tertio: Quia ex D. Thoma panis est proprie sacramentum corporis Christi, quod sine corruptione conceptum est; panis autem fermentatus quamdam spirat corruptionem.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Amos 4. præcipitur quidem Judæis uti fermentato, sed ibi non agitur de Paschate, verum potius de aliis sacrificiis, ut a cultu idolorum quibus panes fermentatos offerebant, retraherentur.

Secundo: Qui in azymo consecrant, rem apud Judæos communem faciunt, sed ea solum intentione, ut Christum in confectione Eucharistiæ imitentur.

Tertio: Panis fermentatus est quidem usualis pro cœna ordinaria, sed non pro Eucharistia conficienda, cum Christus illam in azymo consecraverit, tempore scilicet quo Judæi juxta præceptum legis solo utebantur azymo.

§. II.

Num panis azymus fuerit semper in usu apud Ecclesiam Romanam?

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

Probatur ex Traditione, & rationibus Theologicis.

Primo, ex Traditione.

USUS in hoc solum ponderat, & veritatem astruit: Sed ab Apostolis ad nos usque Ecclesia Latina panem azymum ad Eucharistiam conficiendam assumpsit. Ergo &c.

Probatur discurrendo per Sæcula.

Ex primo Sæculo, habemus Apostolos, qui dubio-procul mysterii testes, eodem modo cum Christo Eucharistiam consecrarunt, maxime cum vel ipso vespertino tempore, inter cœnandum ad imitationem Christi multis annis sacram synaxim Fidelibus ministrarent, ut habetur Act. 2. *Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis.* Et 1. Cor. 11. ubi quosdam arguit Apostolus, quod spretis debitis dispositionibus, nonnulli ad sacram mensam indecenter accederent.

Ex secundo Sæculo, S. Alexander, qui anno 119. summus Pontifex inauguratus est, statuit, " Ut hostia Romanæ Ecclesiæ de azymo esset." Sic scribit Barlaamus Hieracensis Episcopus Epist. ad Græcos, sic Radulfus Dungrensis Lib. de Canonum observantia propos. 23. his verbis: " Alexander Papa præcepit, ut oblatio ex azymo fieret in parva quantitate."

Ex tertio Sæculo, S. Cyprianus Epist. 63. ad Cæcilium sic loquitur: " Sic vero calix Domini non est aqua sola, aut vinum solum, nisi utrumque sibi misceatur, quomodo nec corpus Domini potest esse farina sola, aut aqua sola, nisi utrumque adunatum fuerit." Porro farina & aqua adunata solum panem azymum subindigitant.

Ex quarto Sæculo: In Missa Ambrosiana, quam ex codice MS. edidit Pamelius in Liturgicis, oratio qua panis offer- M 3 in

tur, hunc habet titulum: *Oblatio panis azymi cum patena*.

Ex quinto Sæculo, se prodit S. Augustinus, qui Serm. 83. *de diversis* exigit solum ut aqua conspergatur farina, ut ex ea fiat pro conficienda Eucharistia panis: eo quippe loci loquitur de pane Eucharistico ex multis tritici granis conjunctis facto: tum concludit unitatem inter Fideles resultare, quippe qui omnes eumdem panem percipiant. " Apostolus di„ cit, unus panis, unum corpus multi „ sumus. Commendat vobis in isto pane „ quodammodo unitatem amoris. Num„ quid enim panis ille de uno grano fa„ ctus est? Nonne erant multa tritici „ grana? Sed antequam ad panem veni„ rent, separata erant: per aquam con„ juncta sunt, & post quamdam contri„ tionem. Nisi enim molatur triticum, „ & per aquam conspergatur, ad istam „ formam minime venit &c. „ Certe si fermentatum exigeret, non solam farinam aqua conspersam intelligeret; sed in hoc attendit ad Israelitas, qui de Ægypto, compellentibus ipsis barbaris egredientes, conspersam dumtaxat farinam asportarunt, quia propter angustiam temporum fermentare non valebant. Sic habetur Exod. 12. *Tulit igitur populus conspersam farinam, antequam fermentaretur, & ligans in palliis, posuit super humeros suos*.

Ex sexto & septimo Sęculo, adest Gregorius Magnus, qui in Registro apud D. Thomam hic q. 74. art. 4. ait: " Ro„ mana Ecclesia offert azymos. „

Ex octavo Sæculo, Egbertus Eboracensis Episcopus, qui exceptionum cap. 98. sic loquitur: " Sacerdotes Dei diligenter „ procurent ut panis, & vinum, & „ aqua, sine quibus nequaquam Missæ ce„ lebrantur, pura & munda fiant. „ Quæ verba, *pura & munda fiant*; denotant panem azymum; cum fermentatus nonnihil impuritatis habeat, quandoquidem fermentum ex massa acritate diu inflammata profluat.

Ex nono Sęculo, non unus est veritatis laudatæ testis. Alcuinus Epist. 69. ad Lugdunenses ait: " Tria sunt quæ in sa„ crificio hujus testimonii offerenda sunt: „ panis, aqua, & vinum .... panis qui „ in Christi corpus consecratur, abs„ que fermento ullius alterius infectio„ nis debet esse mundissimus. „

Concinit Rabanus Maurus Lib. 1. de institut. Cleric. c. 31. dicens: " Panem „ infermentatum & vinum aqua mixtum „ in Sacramentum corporis & sanguinis „ Christi sanctificari oportet. „

Mitto subsequentium Sæculorum testimonia, cum a nono sæculo ad hæc usque tempora azyma in Ecclesia Latina fuerint usitata, quandoquidem tempore Photii, Græci in apertum schisma irruentes, decursu temporum inter commentitia separationis motiva improperarent Latinis, quod pane azymo uterentur in sacrificio. Quod autem usus hic ab Apostolorum tempore perseveraverit in Occidente, liquet ex Concilio Toletano XVI. anno 693. celebrato; namque can. 6. quosdam reprehendit Sacerdotes, eo quod partim ignorantia, partim etiam negligentia fermentatum panem in sacrificio adhiberent. " Ad conventus nostri agnitio„ nem delatum est, quod in quibusdam „ Hispaniarum partibus quidam Sacerdo„ tum partim nescientia impliciti, par„ tim temerario usu provocati, non pa„ nes mundos, & studio præparatos su„ pra mensam Domini in sacrificium of„ ferant; sed passim quomodo unumquem„ que aut necessitas impulerit, aut volun„ tas coegerit, de panibus suis usibus præ„ paratis crustulam in rotunditatem aufe„ rant, eamque super altare cum vino & „ aqua pro sacro libamine offerant. Quod „ factum nequaquam in sacræ auctorita„ tis historia uspiam gestum perpenditur. „ Audis Synodicos Patres azyma ex traditione tenere, nec ex historia sacra probari posse, panem fermentatum fuisse pro conficiendo sacrificio ab Ecclesia Romana adhibitum. Hinc Rupertus Lib. de divinis Officiis cap. 2. non solum hunc azymorum morem semper in Ecclesia Romana viguisse testatur, sed subjungit se nescire qua auctoritate suffragante, Ecclesia Græca huic consuetudini opponatur.

Secundo, ex summis Pontificibus.

PRÆTER S. Alexandrum Martyrem jam laudatum, S. Leo IX. hanc veritatem propugnat adversus Michaelem Cærularium

rium Patriarcham CP. qui primus de azymis movit controversiam, & schisma restauravit. Hunc autem tribus validissimis rationibus confutat epistola 90. ad ipsum directa. I. Ait eum esse temerarium calumniatorem, quippe qui primus fuerit qui Ecclesiæ Romanæ improperaverit azyma. II. Ejus reprehensionem vocat incautam, quæ humanis argumentationibus & levioribus conjecturis antiquam fidem subvertere molitur. III. Ostendit utriusque testamenti auctoritate falsissimum esse, Christum venerabile sui corporis sacramentum in fermentato pane commendasse. Tum a passione Salvatoris ad suum usque tempus, id est per mille & fere viginti annos, usum azymorum sine interruptione in Ecclesia Romana perdurasse testatur, quibus azymis ab instituta Eucharistia omnes quotquot extitere Martyres, signatos fuisse commemorat; subdit vero Romanam Ecclesiam verbo & exemplo sacramentum Eucharistiæ in azymo consecrandi morem semper docuisse. Quibus expletis sic concludit: " Quapro-„ pter a tanta amentia jam resipiscite, „ & Latinos omnes Catholicos, atque „ divi Petri familiares discipulos, & ejus „ institutionis sectatores cessate subsan-„ nando Azymitas vocare. „

Ne quis credat nos auctoritati tanti Pontificis aliquid addere; ecce verba ad Cærularium & Leonem Acridanum Episcopum directa apud Binium pag. 1097. " Dicimini Apostolicam & Latinam Ec-„ clesiam, nova præsumptione atque in-„ credibili audacia, nec auditam, nec con-„ victam palam damnasse, pro eo maxi-„ me, quod de azymis audeat commemo-„ rationem Dominicæ passionis celebra-„ re. Ecce incauta reprehensio vestra, „ quando ponitis in cœlum os vestrum, „ cum lingua vestra transiens in terra, „ humanis argumentationibus & conje-„ cturis antiquam fidem consodere & sub-„ vertere moliatur. Ecce, nisi quantocius „ resipiscitis, incorporati & annumerati, „ quod absit, eritis in illa cauda draconis, „ quas tertiam partem stellarum cœli tra-„ xit, & in terram misit. Ecce jam post „ mille ac ferme viginti a passione Sal-„ vatoris nostri annos, incipit per vos di-„ scere Romana Ecclesia, qualiter memo-„ ria passionis ejusdem sit recolenda, quasi „ nihil ei contulerit præsentia, conver-„ satio, & diuturna institutio, seu qua „ clarificavit Deum, mors pretiosa il-„ lius venerabilis senis, cui specialiter „ Christus Filius Dei vivi dicit: Beatus „ es Simon Barjona, quia caro & san-„ guis non revelavit tibi, sed Pater meus „ qui est in cœlis &c. „

Divo Leoni succedit Innocentius III. qui Lib. 4. myst. Missæ cap. 4. de azymis contra Græcos sic loquitur: " Ab istis „ Apostolis Petro & Paulo, quos vivos „ habuit sancta Romana Ecclesia, & de-„ functos custodit, hunc sacrificii ritum „ accepit, quem hactenus inviolabili cul-„ tu custodit. „ Ecce in his verbis traditio Apostolica pro azymorum usu expressa & servata. Ergo &c.

Tertio, rationibus Theologicis.

PRIMA: Christus injunxit Apostolis Eucharistiam in sui commemorationem celebrare, adeoque in azymo; siquidem per omnia in hoc conficiendo sacramento debuerunt Domino assimilari: Sed Ecclesia Romana a S. Petro moribus & ritibus instituta religiose principis Apostolorum documenta servavit: quinimmo perenni Petri successorum fide ritibusque suffulta & perseveravit, & ad finem usque sæculi, juxta Christi promissionem, in hoc perseverabit. Igitur usus azymi panis pro Eucharistia conficienda in Ecclesia Romana ab institutione perpetuus fuit. Ista ratio est Humberti Cardinalis Lib. contra Græcorum calumnias: " Quia, *inquit*, „ sufficiente auctoritate novi & veteris „ Testamenti, constat Dominum nostrum „ Jesum Christum commemorationem suæ „ passionis recolendam in azymo Disci-„ pulis sub ipsa cœna commendasse, sicut „ hodieque sancta Romana & Latina Ec-„ clesia noscitur colere, dicere debetis, „ cujus institutionem in fermentato tam „ obstinate defenditis. „

Secunda: Ecclesia Romana Apostolorum Petri & Pauli ita strenue propugnavit documenta, ut nedum in dogmatibus, sed & in ritibus universalem spectantibus disciplinam, nihil quidquam novi introduci permiserit: hinc Africanis & Orientalibus qui circa modum baptizandi variabant, restitit S. Stephanus I. dicens:

Nihil innovetur nisi quod traditum est. Sed traditum a S. Petro habebat Ecclesia, Eucharistiam conficere in azymo. Igitur semper in azymo consecravit; sin minus, quod absit dicere, novitatem in re gravi fuisset passa.

Tertia: Ecclesia Romana non nisi ab æmulis Græcis & schismaticis erroris pro confectione Eucharistiæ insimulata est: videlicet a Michaele Cærulario, qui primus, adeoque post nonum sæculum, hunc ex azymo consecrandi morem reprehendere ausus est. Sed hunc suo perstrinxit stylo censorio S. Leo IX. asserens in hoc Ecclesiam Romanam servare Apostolicam traditionem; sed hunc & alios Schismaticos debellat Humbertus Cardinalis, & Anselmus, & alii. Ergo &c.

FIT SATIS OBJECTIONIBUS.

OBJICIES: Panis quem antiquitus offerrebant Sacerdotes vel in ipsa Ecclesia Latina erat usualis: sed dubio procul panis usualis erat fermentatus: Igitur Ecclesia prioribus saltem sæculis in fermentato consecrabat. Probatur major, in qua est difficultas: Panis consecrandus ex oblationibus Fidelium assumebatur: hoc ipsum subindigitat Concilium Matisconense II. can. 4. hoc Nannetense can. 9. hoc Sacramentarium sancti Gregorii. Colligitur etiam ex illis Canonis Missæ verbis: *Hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia, &c.* His accedit ista oratio secreta. *Suscipe preces populi tui cum oblationibus hostiarum, suscipe munera populorum tuorum*. Ergo &c.

Respondeo primo, distinguendo: Panis consecrandus erat in primitiva Ecclesia usualis, hoc est juxta usum temporis quo Christus Pascha celebravit, adeoque azymus, concedo: Usualis juxta modum mensæ communis, nego. Quis enim credet primis Ecclesiæ temporibus quo exardescebat Christianorum zelus, pane communi ad conficiendum tantum Sacramentum usos fuisse Sacerdotes, maxime cum sæviente persecutione antiquam brevem & panem assum seu rudem, & ut plurimum ex hordeo vel siligine confectum haberent. Et sic distincta minore, nego consequentiam.

Respondeo secundo negando majorem. Si enim de oblationibus pristinis, perinde ac de eis quæ ad hæc usque tempora fiunt, loquendum incumbat, certum est ex illis Ecclesiam non sumpsisse panem consecrandum, propter duo. Primo quidem, quia oblationes ex quocumque pane indiscriminatim, sicut vel in istis temporibus fit, præsentabantur, quæque ut non semel oculis nostris vidimus in villis, constant ex pane quandoque hordeaceo, quandoque triticeo, quandoque etiam siliginoso, juxta offerentium facultates: Quis autem cordatus dixerit, ex simili materia, nonnumquam crassa & subnigra, Eucharistiam confici, cum Patres & Concilia statuant, materiam hujus Sacramenti & præparatam & mundissimam debere, sicut decet Mysterium, esse: Secundo, usus qui invaluit panem azymum & vinum nostris etiam temporibus offerrendi, ex usu primitivæ Ecclesiæ suam ducit originem; nunc autem nunquam fit Eucharistia de pane & vino a Fidelibus oblatis.

Ad id vero quod dicitur solemne esse apud Concilia commemorare in sacrificio Fidelium oblationes, non inde sequitur Eucharistiam ex panibus oblatis confici, sed istas oblationes inter celebrandum sacrificium benedici, & quodammodo rationem sacrificii inducere, quatenus Christiani fide, devotione & oblatis muneribus cum Sacerdote conjuncti, & sua & seipsos in sacrificium boni odoris Deo offerunt, quæ quidem cordis contriti & humiliati sacrificia non despicit Deus, juxta illud Genes. 4. *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus*.

Quod autem hæc sit genuina solutio, patet ex ipsis Secretæ laudatæ verbis. *Hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia illibata*. Non enim in Missa sunt multa munera, & sacrificia, sed una oblatio panis & vini, unumque Christi immolati sacrificium. Quare igitur multa? Nisi quia attendit Sacerdos & ad oblata ab Ecclesia, scilicet ad panem azymum, ex quo conficienda est Eucharistia, & ad oblationes Fidelium, quæ remanebant pro usu Sacerdotum, quæque etiam omni distribuebantur populo, sicut nunc panis benedictus tribuitur adstantibus.

S. Cyprianus L. de opere & eleemosynis hunc

hunc sensum videtur innuere, cum fœminam divitem sic increpat: " Locuples „ & dives es, & Dominicum celebrare „ te credis, quæ in Dominicum sine sa„ crificio venis, quæ partem de sacrifi„ cio, quod pauper obtulit, sumis. „ Quæ quidem verba in adulteriorum prorsus sensum adversæ sententiæ auctores sumunt, si cuncta maturo & prævio examine ponderentur. Igitur multa in hoc S. Cypriani textu observanda sunt. 1. ait mulierem divitem celebrare Dominicum, & tamen sine sacrificio venire, hoc est sine oblationibus pro more faciendis. 2. Partem sumere de sacrificio quod obtulit pauper: certe hoc non intelligitur de Eucharistia, neque enim mulierem avaram finebat S. Cyprianus corpus Christi sumere, neque etiam in Missa quotidiana tunc temporis semper sacræ synaxi vel ipsi pii & devoti Fideles participabant: Igitur intelligit quod illa dives mulier non de sacrificio quidem oblato a Sacerdotibus, sed de oblatis Fidelium sumeret. Incassum igitur Eucharistium primævis Ecclesiæ sæculis ex fermentato pane fuisse factam aliquis propugnaret.

Nec quidquam roboris habent illa Canonis verba contra nostram sententiam: *Memento Domine famulorum, famularumque tuarum, & omnium circumstantium pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium*. Certe ista verba nostram confirmant sententiam: quodnam enim est illud sacrificium, quod Laici offerunt? Dubio-procul non sacrificium Missæ, sed aliud ab eo prorsus distinctum, videlicet cordis contriti & humiliati, ad imitationem Christi in passione humiliati, cujus Eucharistia memoriale est; vel si vis, qui fide cum Sacerdote conjuncti sunt, offerunt sacrificium, sed ex pane azymo, & vino de vite confectum. Perperam igitur nostræ adversantes conclusioni ex verbis istis Canonis sacrificium esse de pane fermentato, concludunt. Canon nullam facit mentionem de materia, sed de offerentibus sacrificium.

Instabis: Atqui pane fermentato prioribus saltem sæculis in sacrificio utebatur Ecclesia. Ergo &c. Sic probat subsumptum Juveninus arr. 4. de Euch. §. 5. Primo quidem Apostoli eorumque Discipuli furtim ac clanculum, urgente persecutione sacris dabant operam, nec erant in promptu azyma, cum ad illum panem faciendum specialis labor & difficultas sit. II. Qua arte potuissent habere azyma consecranda, ingenti Fidelium numero distribuenda? III. Neque facile erat e Diaconorum manibus accipere azyma in privatis ædibus, immo & in cryptis pro Missa celebranda, cum facilis ad synaxes aditus non pateret. IV. Studebant in secreto sacra celebrare Mysteria Sacerdotes Dei, hinc fermentatus panis & usualis erat ad hunc finem conveniens; si enim azymo usi fuissent Apostoli, eorumque in Sacerdotio successores, absque negotio hoc deprehendissent Pagani. Hanc rationem subindigitare videtur Tertullianus L. 2. ad uxorem cap. 5. his verbis: " Non „ sciet maritus quid secreto ante omnem „ cibum gustes. Et si sciverit panem, „ non illum credit esse qui dicitur. „ Porro si panis consecratus sit fermentatus, maritus non scivisset, quippe qui credidisset usualem esse.

Respondeo negando subsumptum. Ad probationem dico, omnia argumenta in contrarium allata panem non fermentatum, sed azymum arguere, quippe qui absque negotio citius fiat, cum e contra requirantur multi dies ut per tempus liceat massam fermentari. Hinc Israelitæ compulsi ab Ægypto egredi, præcipiente Moyse, tulerunt conspersam farinam, & fecerunt sibi azymos panes; sic enim habetur Exod. 12. *Tulit igitur populus conspersam farinam antequam fermentaretur .... Coxeruntque farinam quam dudum de Ægypto conspersam tulerant, & fecerunt subcinericios panes azymos: neque enim poterat fermentari, cogentibus exire Ægyptiis*. Pari & consimili ratione Elias fugiens Jezabel, accepto subcinericio pane ab Angelo, quo confortatus, ambulavit usque ad montem Dei Oreb. Ecce Scripturæ verba 3. Reg. 19. Timore perterritus propter Jezabel minas, *petivit anima sua ut moreretur, & ait, sufficit mihi, Domine, tolle animam meam: Neque enim melior sum quam Patres mei. Projecitque se, & obdormivit in umbra juniperi, & ecce Angelus tetigit eum, & dixit illi, surge, & comede. Respexit, & ecce ad caput suum subcinericius panis*. Audis vel ipso cœlo teste & ordinante, panem azymum esse panem com-

communem & usitatum pro justis qui latent in cavernis & cryptis, tum ad eos refocillandos, tum ad sacra Mysteria peragenda. Ex his liquet levioribus fundamentis Jveninum propugnare Ecclesiam Latinam per sex priora sæcula in pane azymo vel fermentato indiscriminatim consecrasse. Jam ad singula faciendum est satis.

Respondeo ad primum: Urgente persecutione promptius occurrebant ad consecrandum azymi panes, quippe qui in instanti & absque apparatu facile coquantur, e contra vero fermentati. Hæc ratio ex ipsa colligitur Scriptura Exod. 12. ubi habetur de Israelitis Ægyptios fugientibus: *Fecerunt subcinericios panes azymos: neque enim poterat fermentari cogentibus Ægyptiis.*

Ad secundum: Retorqueo argumentum: Qua arte panis fermentatus non sine diuturnitate & labore coquendus, obvius fuisset pro tanto numero Fidelium? qui, ut habetur in Actibus, perseverabant in fractione panis: id est sæpius sacram sumebant synaxim, & hoc ad vesperam, ut per omnia Christum imitarentur: Ergo-ne omissis azymis, qui in promptu haberi poterant, a vestigiis Apostolorum, utendo pro Eucharistia conficienda fermentato, declinassent? Absit dicere de Ecclesia Romana, quæ a BB. Petro & Paulo edocta, & eorum vegetata sanguine, innumeras fundavit Ecclesias, facta ex animo omnium forma & mater.

Ad tertium: Negamus, non fuisse facile a Diaconis azyma ad consecrandum accipere: cum in brevi fieri possit azymus panis; hinc citra rationem assignatur pro conficienda Eucharistia fermentatus.

Ad quartum: Facilis est responsio, cum ex dictis pateat: sed addo azymum esse ejusdem coloris cum fermentato; hinc maritus Paganus mulieris Christianæ, de qua loquitur Tertull. poterat credere esse panem usitatum. Quinimmo ex verbis istius Doctoris colligitur fuisse azymum, cum enim non eumdem habeat cum fermentato saporem, ne Mysterium homini infideli detegeretur, vult Tertullianus, quod ante omnem cibum mulier Christiana panem consecratum sumat in secreto; qui si fuisset ex pane usuali, & fermentato, non fuisset timendi locus, cum maritus esse usualem aurumasset; non enim Mysterium, nisi aperta confessione sponsæ cognoscere potuisset, namque absque negotio panem consecratum ante communem in hypothesi quod non adfuisset occultandi tempus, sumere valebat.

Insistes: S. Ambrosius, qui quarto florebat sæculo, ait panem consecrandum esse panem usitatum. Igitur citra dubium erat fermentatus. Probatur antecedens L. 4. de Sacr. cap. 4. ait: " Tu forte dicis: „ Meus panis est usitatus, sed panis iste, ,, panis est ante verba Sacramentorum: „ ubi accesserit consecratio, de pane fit „ caro Christi.„ Eo loci sanctus Doctor alloquitur Fidelem, qui panem quo vescebatur in domo sua, vocabat usitatum; cum vero sic edocet de realitate corporis Christi in Eucharistia, replicando hunc ipsum panem communem, post verba sacramentorum carnem Christi evadere. Igitur S. Ambrosius existimavit panem fermentatum tunc fuisse in Ecclesia Romana Eucharistiæ materiam.

Respondeo distinguendo antecedens: S. Ambrosius ait panem usitatum esse consecrandum, & intelligit azymum, concedo: Et alium ab azymo designat, nego. Tunc temporis Romæ azymus erat in usu, quia vero quod est in usu perpetuo, dicitur usitatum, in isto sensu sanctus Doctor vocat panem consecrandum usitatum. Ad probationem similiter distinguo: Et S. Ambrosius loquitur abstrahendo quod panis sit azymus, vel fermentatus, concedo: Et determinat pro materia fermentatum, nego. Quæstio non movebatur de qualitate materiæ Eucharistiæ, sed de realitate corporis Christi in Mysterio, hinc ad scopum responder, panem, quicumque foret, post verba Sacramentorum esse corpus Christi: Ceterum S. Ambrosius ibidem testatur Ecclesiam Mediolanensem adhærere per omnia Romanæ. Igitur non recedebat ab azymo.

Repones: Multa SS. Pontificum decreta fermentatum panem dumtaxat pro Eucharistiæ materia commemorant. Ergo. Probatur antecedens. In vita S. Melchiadis hæc habentur apud Binium Tom. 1. pag.

pag. 254. " Hic fecit, ut oblationes con„ secratæ per Ecclesias, ex consecrato „ Episcopi, dirigerentur, quod declara„ tur fermentum. „ Ibidem pag. 520. Non absimilia leguntur de Siricio in ejus actis: " Hic constituit, ut nullus Pre„ sbyter Missas celebraret per omnem „ hebdomadam, nisi consecratum Episco„ pus loci designati susciperet declara„ tum, quod nominatur fermentum. „ Quod expressius pro fermentato dicit Innocent. I. in sua ad Decentium Episcopum Epistola cap. 5. " De fermento ve„ ro, *ait*, quod die Dominica per titu„ los mittimus, superflue nos consulere „ voluisti, cum omnes Ecclesiæ nostræ „ intra civitatem sint constitutæ. Quo„ rum Presbyteri, quia de ipsa propter „ plebem sibi creditam, nobiscum con„ venire non possunt, idcirco fermentum, „ a nobis confectum per Acolythos acci„ piunt, ut se a nostra Communione, „ maxime illa die, non judicent sepa„ ratos. Quod per Parochias, fieri de„ bere non puto, quia non longe portanda „ sunt Sacramenta. „ Apud Binium Tom. 1. pag. 752. In hanc collimasse sententiam videtur S. Gregorius Magnus, qui quamdam mulierem, accepta Eucharistia, ridentem animadvertit, cujus irreverentiæ ab ea sciscitans motivum, respondit, inquit Joannes Diaconus in vita sancti Pontificis: " Quia panem quem propriis ma„ nibus me fecisse cognoveram, tu cor„ pus Dominicum perhibebas. „ Quis autem dixerit, panem quem consecrandum porrexerat mulier, alium fuisse præter usitatum & fermentatum?

Respondeo primo, distinguendo: Et istæ auctoritates loquuntur de fermentato improprie, propter colorem, nigredinem, & absque figura ordinatum, sic dicto, concedo: De vero fermentato, nego. Cum igitur idem foret sicut fermenti sic & azymi color, & indeterminata figura, quandoquidem totus magni ponderis panis, in multas dividendus partes, innumeræ prope Fidelium multitudini distribuendus, consecrabatur; quia vero extrinsece ad formam, figuram, colorem & quantitatem fermentati accedebat, usualis nuncupabatur. Non quod tamen revera foret fermentatus. Ex Humberto Cardinali ista solutio colligitur, qui in sua ad Cærularium Patriarcham CP. pro defensione azymorum Epistola, asserit panem ingentis magnitudinis prioribus temporibus in Ecclesia Romana consecratum fuisse. " Sicut sancta Romana Ecclesia, *in*„ *quit*, usque nunc observat. Panem in„ tegrum benedixit *Christus* & fractum „ singulis particulatim distribuit, dicens, „ Accipite, & comedite, hoc est corpus „ meum. „ Revera quidem panis azymus erat tempore Paschatis apud Judæos usualis, ejusdem consequenter figuræ & ponderis cum fermentato, quo extra tempus paschale utebantur. Quid mirum igitur si tempore persecutionum Ministri acciperent a Fidelibus præmonitis & edoctis de azymo pane pro Missa celebranda, ut absque mora consecraretur, & Fidelibus adstantibus distribueretur? Labente vero sæculo undecimo Latini in breviori forma, figura, cum maximo nitore panem azymum consecrandum sumpserunt. Sic refert Bernardus Constantiensis Presbyter, qui circa annum 1089. Ordinem Romanum notis illustravit. Hoc idem astruit Ernulphus Episcopus Rostensis in sua ad Lambertum Epistola, quæ refertur Tom. 2. Spicilegii: " Illi, *Apostoli*, panes quotidianos come„ derunt: de genimine vitis biberunt. „ Nos in forma nummi panem accipi„ mus, vinum aqua mixtum potamus. „

Respondeo secundo, cum Baronio, decreta laudata loqui de Eulogiis ex pane fermentato factis, quæ in signum unitatis & pacis ad Fideles mittebantur, sicut nunc in more positum est, eodem motivo & fine, panem benedictum distribuere. Nec una evincit ratio hoc sic contigisse, & in eo sensu a summis Pontificibus laudatis scriptum fuisse; hoc ipsum subindigitant verba Innocentii I. I. Loquitur de pane qui per titulos die Dominico mittebatur, adeoque non de pane consecrato, cum ejus tempore omnes familiæ sacram synaxim omnibus diebus Dominicis non sumerent. II. Sermonem instituit de tanta Fidelium multitudine Presbyteris concredita, ut ne quidem eos adire non valerent, hinc per Acolythos deferebantur panes, hoc est Eulogiæ, & non Eucharistia, cum vel ipso tempore Sancti Cypriani soli Diaconi, occupatis Presbyteris, sacram dispensarent Eucharistiam,

ristiam, & hoc fine ad Confessores in carceribus pro fide detentos mitterentur, ne inermes descenderent cum persecutoribus in prælium. III. Hac ratione deferri vult panem ne a Communione, illo potissimum die, scilicet Dominico, intelligerentur separati. Dubio procul ad hunc scopum deferebantur Eulogiæ; non enim qui sacram frequentissime non sumebant Eucharistiam, dicebantur ab Ecclesia divulsi, maxime si semel in quolibet mense illam acciperent. Demum dicit panem de quo controversia procedit, non esse per Parochias mittendum; sed hoc solum significat Eulogias non omnibus & singulis mittendas esse, cum sufficeret eas distribuere vicinioribus populis. Ceterum nec quisquam moveri debet quod Innocentius, Eulogias vocet sacramenta, namque Eulogiæ a solis Sacerdotibus benedicebantur, sicut nunc Rectores Ecclesiarum, recitatis quibusdam orationibus, panem Fidelibus in signum unionis distribuendum benedicunt: hinc sicut panis benedictus dicitur Sacramentum lato modo acceptum, seu quid sacramentale, sic & dicebantur Eulogiæ.

Hanc solutionem suo munivit calculo Anselmus Havelburgensis Lib. 3. Dialog. his verbis: " Melchiadis & Syricii *decreta* non de fermentata hostia, sed de „ Eulogiis potius intelligenda *sunt*, quæ „ per singulos Dominicos dies per Ecclesiam distribui jubentur. „

Ad S. Gregorii auctoritatem, nego illam mulierem obtulisse panem fermentatum consecrandum: sicut enim his temporibus devotæ filiæ in arca parvula deferunt panes non fermentatos sed azymos, quos offerunt pro se consecrandos, quum Missa celebratur in Capella, ubi non est Pastophorium multas continens hostias, eis, qui accedunt ad sacram Mensam distribuendas, sic & tempore D. Gregorii potuit illa mulier præsentare consecrandum azymum a se coctum, & postea ex fragilitate, fortassis involuntarie risisse. Non desunt, fateor, qui propugnent prioribus temporibus Eucharistiam ex pane a Fidelibus oblato factam, ut indigitare videtur S. Cyprianus L. de opere & eleemosynis, Concilium II. Matisconense can. 4. Nannetense can. 9. sed duplicis generis panem offerebant, alterum pro sacrificio conficiendo, alterum pro usu Sacerdotum: Priorem azymum vocabant, quia sciebant istum solum inservire Mysterio: alterum vero fermentatum. Et in isto sensu explicandi sunt Conciliorum Canones, maxime Concilii XVI. Toletani.

Repones: Photius multa Latinis exprobrat, & tamen silet azymos, quod dubio-procul præ odio erga Ecclesiam Romanam non omisisset, si tunc temporis azymis usa fuisset, nam hoc ipsum non tacuit Cærularius: Sed silentium Photii arguit Ecclesiam Romanam pro Eucharistia conficienda non semel fermentatum sumpsisse panem. Ergo &c.

Respondeo primo multa Cærularium dicteriis suis Ecclesiæ Romanæ objecisse, quæ tamen tempore Photii erant in usu, quæque ipse Ecclesiæ Romanæ non objurgavit, v. g. quod Alleluia reticeret Ecclesia Romana in cantu vigente Quadragesima, quod inter baptizandum unicam adhiberet immersionem &c.

Respondeo secundo, negando minorem, cum enim Photius in sua Bibliotheca codice 106. scribat Christum consecrasse in azymo, non mirum si abstineat a reprehensione pro isto puncto.

Dices: Auctores gravissimi propugnant oppositam sententiam. Igitur illa quæ est de azymorum antiquitate & perpetuitate non est probabilior.

Respondeo quæstiones Scholæ, salvo dogmate, posse in utramque partem defendi, juxta illam divi Augustini Regulam Epist. 118. ad Januarium cap. 2. " Quod „ enim neque contra fidem, neque bonos „ mores injungitur, indifferenter est habendum, & pro eorum inter quos vivitur, societate servandum est. „ Falsum est autem nostram de perpetuitate azymorum opinionem non esse probabiliorem, ut constat ex probationibus. Et vero alteram sententiam defendit quidem Syrmundus §. 1. in disquisitione de azymo. Eamdem Cardinalis Bona Lib. 1. rerum Liturgicarum cap. 23. nostram vero Mabillonius Benedictinus tum in Præfatione sæcul. 3. tum in dissertatione singulari de pane Eucharistico azymo & fermentato: nostram P. Christianus Lupus O. A. Lovaniensis Theologus tom. 3 Scholiorum in decreta & Canones Concil. Rursus in dissertatione de Actis S. Leonis IX. cap. 7.

cap. 7. suffragatur Anselmus Havelburgensis, qui Nechiti Archipræsuli hæc respondet cap. 16. " Ego non facile accesserim „ ad hoc, quod tu tam perfunctorie di- „ ctum putas mihi subito esse persuasum, „ videlicet quod Romana Ecclesia ali- „ quando fermento usa fuerit, quo post- „ ea deposito, azymum assumpserit. „

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Ecclesia Romana semper usa est, pro conficienda Eucharistia, azymo.

PRIMO: Quia Christus præcepit sacrificium Missæ in suam commemorationem fieri, hoc est juxta ejus & intentionem, & ritum quem ipse adhibuit: Porro neminem ex Theologis latet eam in azymo confecisse. Igitur & Ecclesia Romana ejus insistens vestigiis sic semper peregit.

Secundo: Ecclesia Romana ægre tulit Asiaticos non servare pro die Paschatis celebrando disciplinam, quam testatur se accepisse ab Apostolis Petro & Paulo; eam festivitatem die Dominica immediate sequente lunam decimamquartam post æquinoctium vernum celebrandam esse, nec aliud opposuit sanctus Steph. Cypr. & Firmil. pro recipiendo Bapt. ab Hæreticis collato verbis Evangelicis, præter morem ab illis Apostolis acceptum, dicendo, *Nihil innovetur nisi quod traditum est*. Igitur a fortiori nihil immutavit de ritu conficiendi Eucharistiam in azymo, cum Christus præceperit Eucharistiam fieri in suam commemorationem, hoc est sicut ipse in azymo fecerat.

Tertio: Græci Schismatici priores fuere, qui istud momentum Ecclesiæ Romanæ objurgaverint; si qui vero Catholici pro fermentato scripsere, nec inde Ecclesiæ Romanæ ritum damnare audent, nec eorum opinio alteri, virorum doctissimorum suffragio suffultæ anteponenda est.

SYNOPSIS OBJECTIONUM ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Panis consecrandus dicitur quidem usitatus, quia pro more azymo utebatur Ecclesia, hinc & nomine panis usitati celebratur vel ipse azymus.

Secundo: Quod, persecutione sæviente, sancti Confessores sacra Mysteria in cryptis furtim celebrare compellerentur, non arguit panem fermentatum, sed potius azymum, qui promptius fit, & absque magno apparatu.

Tertio: Esto quod decreta quorumdam sanctorum Pontificum & Conciliorum appellent panem consecrandum fermentatum, hoc debet intelligi in quadam lata significatione, quatenus panis azymus eumdem colorem habebat: hinc propter quædam accidentia extrinseca poterat dici secundum quid fermentatus.

PUNCTUM TERTIUM.

Num panis fermentatus, quo Græci a multis sæculis utuntur, sit debita Eucharistiæ materia?

TRIA pro resolutione quæsiti explicanda sunt. Primo quidem num panis fermentatus sit valida Eucharistiæ materia? Secundo utrum licita? Tertio num ab omni Christianitatis ævo Ecclesia Orientalis usa sit fermentato? Pro quorum resolutione sit

CONCLUSIO PRIMA.

Panis fermentatus est valida Eucharistiæ conficiendæ materia.

Probatur variis rationibus.

PRIMA: Quod est vere & substantialiter panis, est valida Eucharistiæ materia: Atqui panis fermentatus est substantialiter & proprie panis: Igitur & valida Eucharistiæ materia. Hæc ratio est D. Thomæ, qui hic qu. 74. art. 4. sic loquitur: " Circa materiam hujus Sacramenti duo „ possunt considerari, scilicet quid sit ne- „ cessarium, & quid conveniens: Neces- „ sarium quidem est, ut sit panis triti- „ ceus, sicut dictum est, sine quo non „ perficitur Sacramentum: Non est autem „ de necessitate Sacramenti, quod sit azy- „ mus vel fermentatus, quia in unoquo- „ que confici potest. „

Altera: Panis usitatus est optima Eucharistiæ materia: sed panis fermentatus triticeus sic est; quod quidem quotidiana

com-

comprobat experientia, cum nedum plebeji, sed Nobiles, sed magni Sacerdotes, sed Principes & Reges eo semper utantur. Ergo &c.

Tertia: Si quid panem fermentatum a ratione panis excidere faceret, maxime fermentatio: Atqui hæc ratio nulla est. Et probatur. I. Fermentatio non est proprie corruptio, cum salis succum quemdam præhabeat, quo panis diutius in panis nutritivi natura perseverat, cum humore non nihil glutinoso partes magis & comprimantur, & fortius cibi ad invicem cohæreant. Hinc earumdem partium dissolutionem, adeoque corruptionem fermentum eliminat. II. Ista fermentationis alteratio panem jucundiorem, & consequenter ad alenda corpora aptiorem reddit. III. Manet semper sub fermentatione quod panis sit triticeus. Igitur cum panis fermentatus non deficiat a ratione veri panis, est valida Eucharistiæ materia.

CONCLUSIO ALTERA.

Panis fermentatus est licita Eucharistiæ materia.

Probatur rationibus Theologicis.

Prima sic exponitur. Illa materia est licita, quam Ecclesia, SS. Pontifices, Concilia & Patres probavere. Atqui res ita se habet pro pane fermentato ad conficiendam Eucharistiam: Ergo &c. Probatur minor variis momentis.

Primo: Ecclesia Orientalis quæ sanctos Doctores habuit, usa est illo pane in Mysterio, quod Romana nedum non arguit, sed sub interminatione peccati gravissimi, voluit Orientales juxta suum morem in fermentato, sicut Latinos in azymo consecrare. De hoc momento sic loquitur S. Thomas ibidem art. 4. " Sicut peccat Presbyter in Ecclesia Latinorum, " celebrans de pane fermentato, ita peccaret Presbyter Græcus in Ecclesia Græcorum, celebrans de pane azymo, quasi " pervertens Ecclesiæ suæ ritum. " Ergo &c. Confirmatur: Leo IX. in sua ad Cærularium Patriarcham CP. conqueritur, quod Græci vim faciant Latinis consecrantibus in azymo, dum vel in urbe Roma licitum est Græcis uti fermentato: " Ecce, *inquit*, in hac parte Romana " Ecclesia quanto discretior & clementior vobis est? Siquidem cum intra & " extra Romam plurima Græcorum reperiantur Monasteria, sive Ecclesiæ, " nullum eorum adhuc perturbatur vel " prohibetur a paterna traditione, sive " consuetudine; quin potius suadetur, & " admonetur eam observare. " Demum idem colligitur ex Concilio Florentino, ubi Eugenius IV. Papa sic loquitur: *Definimus in azymo, sive in fermentato pane triticee Christi corpus veraciter confici.*

Altera ratio: Ipsi Latini in Concilio Lugdunensi sub Gregorio X. passi sunt Græcos, ipsis præsentibus, in Templo S. Joannis in fermentato sacra celebrare Mysteria, nec quidquam negotii inde emersit. Neque legitur Patres Græcos priorum sæculorum Latinos propter azymum panem arguisse, nec vicissim sanctos Ecclesiæ Latinæ Doctores propter fermentatum Græcos exagitasse. Ergo &c.

Tertia ratio: Sicut azymus panis, sic & fermentatus mysticas & pias habent significationes, quibus incarnatio Verbi designatur. Igitur nulla est inconvenientia uti fermentato in sacrificio; maxime cum accedat Romanorum Pontificum consensus. De hoc momento sic discurrit sanctus Thomas ibidem art. 4." Conveniens " autem est, ut unusquisque servet ri" tum suæ Ecclesiæ in Sacramenti cele" bratione. Super hoc autem sunt diver" sæ Ecclesiarum consuetudines: dicit " enim beatus Gregorius in registro, Ro" mana Ecclesia offert azymos panes, " propterea quod Dominus sine ulla com" mixtione suscepit carnem: sed ceteræ " Ecclesiæ offerunt fermentum, pro eo " quod verbum Patris indutum est car" ne, sicut fermentum miscetur fari" næ. "

CONCLUSIO TERTIA.

Orientales Ecclesiæ toto primo ferme sæculo utebantur pane azymo: Tum orta Ebionitarum hæresi, fermentatum pro Sacrificio conficiendo fortasse adhibuerunt: Non desunt tamen qui his etiam temporibus azymum assumant.

Tres sunt in hac conclusione partes. Pri-

Prima, quod vel ipsi Orientales primo sæculo usi sint azymo pane. Secunda, quod eodem labente sæculo orta scilicet Ebionitarum hæresi, vel aliquibus elapsis postea sæculis, adhibuerint in sacrificio Missæ fermentatum. Tertia demum, quod Armeni & Maronitæ nunc assumant azymum.

Probatur prima pars, videlicet quod primo sæculo uterentur Orientales azymo, & hoc pluribus momentis.

Primo: Apostoli Græcam callebant Linguam, cum omnes, si S. Matthæum excipias, græce novum conscripserint Testamentum: Sed ostensum est eos ritum a Christo in conficienda Eucharistia in azymo servasse: Neque vero minus certum est, eosdem sicut Orientalem sic & Occidentalem fundasse Ecclesiam, eorum in Episcopatu successores ritibus ab eis statutis adhæsisse: Igitur Ecclesiæ Orientales primo saltem sæculo, nimirum usque ad Ebionitarum hæresim, quæ juxta Baronium anno circiter 74. cœpit serpere, adhibuerunt pro materia sacrificii Missæ azymum panem. Non enim verisimile est vel ab ipsa vagiente Ecclesia, tantam fuisse inter Ecclesiam Orientalem & Occidentalem in ritu omnium Sacramentorum maximi conficiendi disparitatem, ut Orientalis fermentato pane uteretur, dum Occidentalis omnium Ecclesiarum Mater consecrabat in azymo.

Dixi primo saltem sæculo Orientales adhæsisse Latinis in materia Eucharistiæ assumenda, cum nec Victor I. qui secundo florebat sæculo passus sit eos in die Paschatis celebrando, quod est quid levius Eucharistiæ materia, ab Ecclesiæ Romanæ more secedere; nec Stephanus I. qui clavum universalis Ecclesiæ tertio sæculo tenebat, Firmilianum cum aliis Orientalibus Baptismum verbis Evangelicis ab Hæreticis datum propellere permiserit. Ratio est, quod, quotiescumque disciplina universalem respicit Ecclesiam, ad summum Pontificem utpote Christi Vicarium & totius Ecclesiæ caput, spectet illam determinare. Cum igitur duo laudati Pontifices disciplinæ Orientalium in punctis levioris momenti, quam est ritus consecrandi in azymo in Ecclesia Latina usitato, obstiterint, probabilissimum est azymum uno plusquam sæculo in Ecclesia Orientali perseverasse, & fermentatum nonnisi versus quartum sæculum ab ea in Mysterio sancti Altaris adhibitum fuisse.

Secundo: Falsum est, quod Jveninus art. 4. de Euch. §. IV. dicit, videlicet Latinos sicut Græcos, occasione data ab Ebionitis, fermentatum panem pro Eucharistia conficienda assumpsisse, ut ab istis Hæreticis qui utebantur azymo, secernerentur, cum rationibus omni exceptione majoribus supra probatum sit, Ecclesiam Romanam in sacrificio semper adhibuisse azymum. Sed dato & non concesso, quod Orientales tunc cœperint uti fermentato pane, manet semper azymum primo sæculo viguisse vel in ipsa Ecclesia Orientali. Addo non satis constare fermentatum ab omnibus Ecclesiis Orientalibus, grassante Ebionitatum hæresi, fuisse receptum. Hoc innuit vel ipse Jveninus ibidem his verbis: „ Ex iis „ Scholasticorum placitis colligitur, Græcos labente tantum altero Ecclesiæ „ sæculo quo Ebionitarum hæresis grassari desiit, panem fermentatum constanter ubique consecrasse. „ Si constanter ubique, solum cum desiit Ebionitarum hæresis panis fermentatus pro Eucharistia in Oriente assumptus est: Igitur azymus panis usitatus fuit in universa Ecclesia, nedum usque ad ann. 74. quo Ebion suos vulgavit errores, sed & toto tempore quo ejus perduravit hæresis, scilicet ad quartum usque circiter sæculum, cum & Paulus Samosatenus, & Photinus & ipse Arius adhæserint in hoc Ebionitis, quod Christum purum hominem dicerent: sicque probabilitate non caret opinio tenens Græcos ad hæc usque tempora azymum panem consecrasse.

Tertio: Alexander Alensis, S. Thomas in 4. sent. Scotus in eumdem librum, S. Bonaventura, Durandus, Richardus a S. Vict. & alii gravissimi Auctores supra citati, qui propugnant azymum panem fuisse semper in usu in Ecclesia Romana, tenent quoque sic & fuisse in Orientali saltem primo nominis Christiani ævo.

Probatur secunda pars variis utique rationibus, nimirum quod vel orta Ebionitarum hæresi, vel aliquibus inde sæculis elapsis, Græci usi sint in Liturgia pane fermentato.

Primo,

Primo, auctoritate S. Gregorii Nyss. qui orat. ad san tum Lavacrum ait de pane Eucharistico: " Panis item panis est initio „ commun s, sed ubi eum Mysterium „ sanctificaverit, corpus Christi fit & di- „ citur. „ Si panis communis, non alius est præter fermentatum. Igitur pane fermentato jam prioribus Ecclesiæ sæculis Orientales utebantur in sacrificio. Probatur minor. S. Justinus Apol. 2. sub finem jamjam ante Gregorium dixerat: " Non enim ita sumimus ut communem „ panem. „ Porro in hoc opere alloquitur Imperatorem Antoninum, qui nomine panis communis intelligebat fermentatum, quippe qui azymum prorsus ignoraret: Cum autem Patres clare admodum in Apologiis loquerentur, non est verisimile sanctum Martyrem obscura & impervia eo loci scripsisse, ut Principi illuderet. Ergo &c.

Secundo: Antiquæ Liturgiæ hoc ipsum subindigitant: Non enim unus Historicus scribit Græcos in Liturgia obtulisse pro sacrificio conficiendo panem integrum & turgidum, qui in varias postea partes cultello divisus, populo ad sacram Mensam accedenti distribuebatur: sed panis turgidus fermentatum panem spirat: Ergo &c.

Demum, idem evincunt a Photii tempore iterati Græcorum cum Latinis occasione azymi panis congressus. Ergo &c.

Tertia pars, scilicet quod Armeni & Maronitæ retineant azymum in brevi ostenditur. De Armenis quidem res est aperta, si credamus Demetrio Ciziceno, qui tractatu de Jacobitarum nævis quem Combefisius Dominicanus Juris publici fecit, hæc de illis habet: " Oblationem „ faciunt azymam, quia, *inquiunt*, quem „ Christus panem Discipulis distribuit in „ Cœna mystica, azymus erat, „ De Maronitis idem asserit Morinus Tom. 1. de Ordine, ubi eorum refert ordinationes. Concinit Guillelmus Tyri Archiepiscopus L. 22. cap. 8. Hist.

RESPONDETUR OBJECTIONIBUS.

OBJICIES contra primam conclusionem: Panis fermentatus non habet conditiones requisitas ad Eucharistiam conficiendam: Igitur nullo modo assumendus est. Probatur antecedens: Non præ se fert nitorem ad tantum sacramentum celebrandum, sicut azymus. II. Panis fermentatus est alteratus & vere corruptus, sed nihil corruptionis habere debet Eucharistiæ materia, immo ne quidem spirare, cum Agnum sine macula contineant species. III. Fermentatio designat malitiam, & ea de causa rejicitur ab Apost. dicente 1. Cor. 5. *Itaque epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis.*

Respondeo primo, hæc & similia ostendere azymum panem esse aptiorem fermentato Eucharistiæ conficiendæ materiam, sed non unum solum essentialem, cum fermentatus sit substantialiter panis, ut declarat Ecclesia in Concilio Florentino. Solutio est Div. Thomæ, qui hic qu. 74. art. 4. recensitis utriusque panis proprietatibus, ad Mysterium Incarnationis significandum aptissimis, sic concludit: " Consuetudo de pane azymo celebran- „ di, rationabilior est. Primo quidem pro- „ pter institutionem Christi &c. „

Respondeo secundo, negando antecedens: Ad primam probationem, dico fermentatum sufficientem habere nitorem, ut liquet in pane exquisito qui in mensa Principum ministratur. Ad secundam, nego panem fermentatum corruptionem subire; aliud est enim aliqualiter esse turgidum, aliud corruptum. Panis corruptus partium dissolutionem patitur, minime vero turgidus & mere fermentatus. Ad tertiam respondetur panem fermentatum non semper designare malitiam, sed quandoque, & quidem optime Passionem Christi, qui sicut farina fermento admixto commovetur ut panem omnem suavitatem in se habeat, ita & ut granum frumenti cadens in terram mortuum, cui seipsum assimilat, redemptionem morte sua operatus est, & populum acceptabilem sectatorem bonorum operum, qui foret ejus optimus odor, formavit.

Oppones contra secundam partem tertiæ conclusionis. Humbertus Cardinalis in Epistola, qua alteram scriptam a Michaele Cærulario debellat, ait: " Quam „ reverendam Angelis & hominibus in- „ stitutionem, prima scilicet Ecclesia, „ usque ad hæc moderna tempora, sicut

ab

„ ab Apostolis recepit, fideliter retinuit: „ adeo ut quidam Jerosolymitanorum „ Pontificum, datis Epistolis, significave„ rint quantum illorum institutio discre„ pet a Græcis. „ Quibus verbis ostendit Ecclesiam Jerosolymitanam sua ætate XI. scilicet sæculo perseverasse in azymo consecrando. Rursus vel ipse Cærularius in suis ad Petrum Antiochenum Epistolis apud Baronium Tom. XI. ad ann. Ch. 1054. asserit nedum Jerosolymitanam Ecclesiam, sed & Alexandrinam ad eadem usque tempora panem azymum in Liturgia consecrasse: " Nec hoc solum, „ *inquit*, verum etiam quod prædicti „ duo Patriarchæ, *Alexandriæ & Hierosolymorum*, non solum alios azymis ve„ scentes recipiunt, sed etiam ipsi ali„ quando in azymis sacrum conficiunt „ sacrificium. „ Igitur Orientales nonnisi versus undecimum sæculum fermentato pane inter celebrandum Missæ sacrificium usi sunt.

Respondeo primo, laudatas auctoritates opinioni nostræ plurimum patrocinari, & ostendere morem consecrandi in fermentato non ita, ut volunt contrariæ sententiæ auctores, pervetustum esse. Quidquid sit, ut sua placita reddant probabilia respondet Jveninus art. 4. de Euch. §. IV. Cardinalem Humbertum institutionis nomine: " Non intelligere azy„ mum panem, sed integrum, quem qui„ dem asserit Hierosolymorum Ecclesiam, „ pro ut Romanis moris est, consecra„ re, cum e contra Græci panem in fru„ sta prius divisum usurpent ad sacra My„ steria. „ Ad alteram auctoritatem ibidem sic respondet: " Cærularius non as„ serit Alexandrinum & Hierosolymita„ num Patriarchas passim & ordinarie „ azymos panes consecrasse, sed ut con„ ceptis terminis ait, *aliquando*, tantum; „ idque forsan in Latinorum gratiam, „ qui Hierosolymitanam in urbem pieta„ tis causa confluebant. „

Verum, istæ solutiones sunt admodum jejunæ ad probandum panem fermentatum sex prioribus sæculis fuisse apud Orientales in usu: Nam si de Cardinali Humberto loquamur, ab ejus mente longe recedit Jveninus, dicendo nomine *institutionis* eum non intelligere azymum, cum eo loci ex professo debellet Græcos improperantes Latinis eo quod usurparent pro sacrificio celebrando azymum panem, quem eo loci ut morem avitum apud omnes Ecclesias ab Apostolis acceptum defendit adversus obstrepentes. Nec magis altera solutio facit satis; non enim distinguit Cærularius hospites a ceteris, sed simpliciter dicit Patriarchas laudatos æquo ferre animo Liturgiam in azymo celebrari, & ipsos nonnumquam sic celebrare. Ex his sequitur panem fermentatum validam esse Eucharistiæ materiam, sed non ita, ut quidam jactitant, antiquam.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

PANIS fermentatus valida simul & licita est Eucharistiæ materia, apud Græcos versus quintum aut nonum sæculum frequentata.

Primo quidem est materia valida, quia panis fermentatus est vere substantialiter panis, nec fermento ejus solvitur essentia, quin potius suavior evadit.

Secundo: Est utique licita. Ita declaravit Eugenius IV. in Concilio Florentino, nec ulla umquam saltem gravis mota est de hoc momento a Latinis adversus Græcos controversia.

Tertio: Apostoli edocti a Christo in pane azymo sacrificium obtulerunt; sicut autem Occidentis, sic & Orientis fundaverunt Ecclesias: Igitur primis sæculis & Græci & Latini in azymo consecrabant: unde non nisi decursu temporum Orientales fermentatum, omisso azymo, selegerunt.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Panis fermentatus cum apparatu ex tritico compositus & optime coctus sufficientem habet nitorem & ceteras alimenti exquisiti proprietates.

Secundo: Ille panis fermento quidem turgescit, sed non corrumpitur, cum partes acritate fermenti maxime sibi invicem cohæreant, & contra corrodentem aerem se defendant, ac conserventur.

Tertio: Fermentum se solo propter vehementiorem acritatem malitiam importat, sed non cum farina pura & coagulata prædominante. Porro panis non est fermen-

mentum purum, sed farina superessluente temperatus & coagmentatus.

SECTIO TERTIA.

Utrum necesse sit vinum esse vitigineum.

SUPPONIMUS de fide vinum esse Eucharistiæ materiam, cum Christus eo usus sit in ea conficienda: sed difficultas est, num debeat esse vinum vitis; pro cujus resolutione, sit

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

Probatur multis momentis.

Primo, ex utriusque Testamenti Scriptura.

Veteris Testamenti auctoritas, juxta Patrum interpretationem.

CUNCTA, teste Apostolo, in veteri Testamento contingebant in figuris, quæ infallibilem cum veritate in novo adimplenda connexionem haberent. Sed figuræ veteris Testamenti in vino vitigineo sacrificium Altaris celebrandum præludebant. Igitur vinum dumtaxat vitigineum est materia Eucharistiæ. Probatur minor variis figuris.

Prima inter omnes celeberrima contigit in sacrificio Melchisedech, ut habetur Genes. 14. *At vero Melchisedech Rex Salem, proferens panem & vinum, erat enim Sacerdos Dei Altissimi, benedixit ei*, scilicet Abrahæ. Hunc Sacerdotem fuisse Christi sacrificantis in Eucharistia figuram, ipse David Psal. 109. prænotione Spiritus asserit his verbis: *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*. Porro Christus non in ara crucis fuit Sacerdos juxta vicem Melchisedech, sed potius Aaron, qui inter sacrificandum fundebat victimarum sanguinem. Superest igitur quod in sacrificio Eucharistiæ offerendo fuerit Sacerdos juxta ritum Melchisedech, adeoque sicut iste vinum verum obtulerit: vitigineum enim protulisse Melchisedech constat, quippe qui nedum ad sacrificandum Altissimo illud attulerat, sed ad resocillandum tum Abraham, tum ejus milites prælio, seu etiam itineris labore non modicum fatigatos: certum est autem non alium liquorem præter vinum vitigineum, vires exhaustas restaurare. Jam vero cum figura necessarium habeat ad veritatem respectum, dicendum est Christum sacrificium ex pane & vino vitis consecrasse, & ad finem usque sæculi sic in Altari consecrandum esse.

Audiendus est de hoc momento S. Cyprianus, qui in sua ad Cæcilium epistola sic loquitur: " In Sacerdote Melchi-
„ sedech sacrificii Dominici Sacramentum
„ præfiguratum habemus, secundum quod
„ Scriptura divina testatur, & dicit,
„ Melchisedech rex Salem protulit panem
„ & vinum .... Quod autem Melchise-
„ dech typum Christi portaret, declarat
„ Spiritus sanctus in Psalmis ex persona
„ Patris ad Filium dicens: Ante Lucife-
„ rum genui te: juravit Dominus, &
„ non pœnitebit eum: tu es Sacerdos in
„ æternum secundum ordinem Melchise-
„ dech. „

Altera figura affulget in benedictione quam Jacob moriens Judæ filio suo dedit, ut legitur Geneseos 49. *Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est ... Ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem, o fili mi, asinam suam. Lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum*. Vinum de vite eo loci expresse commemoratur: sed hæc figura annuntiat qualitatem vini quod adhibendum erat in sacrificio a Christo instituto. Ergo &c.

Tertia figura eaque egregia, depromitur ex cap. 9. libri Proverb. ubi hæc habentur: *Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem. Immolavit victimas suas, miscuit vinum, & posuit mensam*. Sapientia illa, de qua loquitur Salomon juxta interpretes, est Christus: domus, quam sibi ædificavit, est Ecclesia, in qua corpus suum & sanguinem reposuit: columnæ quas excidit, sunt septem Sacramenta, quibus totum Ecclesiæ ædificium innititur: mensa & vinum quæ invitatis cibandi causa proposuit, sunt corpus eius & sanguis; corpus quidem ex vero pane triticeo transubstantiato factum cibum viatorum, ait sanctus Thomas: sanguis vero

vero ex vino vitis ut potus adhibitus. Et vero in mensa panis verus & vinum proprie dictum ad cibandum apponuntur. Igitur ut eodem quo supra argumento utar, cum figura in veritate compleatur, ut ista in Eucharistia quam annuntiat, consummetur, vinum ex quo Eucharistia conficitur, debet esse vitigineum.

S. Cyprianus ibidem in isto prorsus sensu hanc explicat figuram, & sic loquitur pag. 147. vet. edit. " Sed & per Salomonem Spiritus sanctus typum Dominici sacrificii ante præmonstrat immolatæ hostiæ & panis & vini, sed & altaris & Apostolorum faciens mentionem. Sapientia, inquit, ædificavit sibi domum, & subdidit columnas septem, mactavit hostias suas, miscuit in cratere vinum suum, & paravit mensam suam, & misit servos suos, convocans cum excelsa prædicatione ad craterem dicens: Qui est insipiens, declinet ad me: & egentibus sensu dixit: Venite, edite do meis panibus, & bibite vinum quod miscui vobis. " In hæc Proverbiorum verba sic S. Doctor ratiocinatur: " Vinum mixtum declarat, id est, calicem Domini aqua & vino mixtum prophetica voce prænuntiat, ut appareat in passione Dominica, hoc est in Eucharistiæ sacrificio id esse gestum, quod fuerat prædictum. "

Novi testamenti pro eodem dogmate testimonia, cum SS. Doctorum explicatione.

CHRISTUS Dominus ex vino de vite fecit Eucharistiam: Sed non licitum est immutare materiam Sacramenti a Christo in individuo determinatam. Ergo &c. Majorem annuntiant Evangelistæ. S. Matth. capit. 26. sic loquitur de Christo: *Cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque Discipulis suis, & ait: Accipite & comedite: hoc est corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Dico autem vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis, usque in diem illum cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei.* Similia dicit Sanctus Marcus capit. 14. similia Sanctus Lucas cap. 22.

Citra dubium est Christum loqui de eo vino quod consecravit, ac de illo quod bibiturus erat in regno Dei, hoc est de vino vitigineo; quod quidem indicant illa S. Matth. verba: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis;* hoc est, de vino quo consecravi, donec bibam novum quoad statum meum, qui tunc erit gloriæ status, adeoque in regno Patris mei, quia ut primum Christus resurrexit, suam effudit gloriam in corpus, quæ quidem integra est regnum Dei. Sic tutum explicat S. Thomas Comment. in capit. 26. S. Matthæi, juxta mentem S. Joann. Chrysostomi Homil. 8. in Matth. " Quod autem dicit novum, clare intelligendum est nove, id est, novo modo, nunquam, si corpus passibile habens, & indigens cibo; non enim post resurrectionem comedit & bibit, quia cibo indigeret, sed propter resurrectionis certitudinem. Quia vero sunt quidam hæretici in sacris mysteriis aqua utentes non vino, demonstrat per hæc verba, quoniam & cum sacra mysteria tradidit, vinum dedit quod resuscitatus bibit. "

Minor vero argumenti initio propositi, videlicet, nemini licere materiam Sacramenti a Christo in individuo determinatam immutare, sed in hoc ejus per omnia adhærendum esse vestigiis, dicit ibidem sanctus Cyprianus his verbis, ubi explicans illa apud Marcum Christi verba: *Amen dico vobis, non bibam de hoc genimine vitis, usque in diem illum cum illud bibam novum in regno Dei:* subdit: " Unde apparet sanguinem Christi non offerri, si desit vinum calici, nec sacrificium Dominicum legitima sanctificatione celebrari, nisi oblatio & sacrificium nostrum responderit passioni. " Tum ait: " Quod si nec minima de mandatis Dominicis licet solvere, quanto magis tam magna, tam grandia, tam ad ipsum Dominicæ passionis & nostræ redemptionis sacramentum pertinentia, fas non est infringere, aut in aliud quam quod divinitus institutum sit, humana traditione mutare. Nam si Jesus Christus Dominus & Deus noster, ipse est summus Sacerdos Dei Patris, & sacrificium Deo Patri ipse primus obtulit,

„ & hoc fieri in sui commemorationem „ præcepit ; utique ille Sacerdos vice „ Christi vere fungitur , qui id quod „ Christus fecit, imitatur, & sacrificium „ verum & plenum tunc offert in Ecclesia Deo Patri , si sic incipiat offerre , „ secundum quod ipsum Christum videat „ obtulisse. „

Secundo, ex rationibus Divi Thomæ.

Prima : Sicut Christus se comparavit grano frumenti , ita & viti . Igitur ut comparatio adimpleatur, convenit materiam Eucharistiæ esse panem triticeum ex frumento coctum, vinum vero de vite ; non enim alius superest locus ut ad litteram hæc figura compleatur . Sic ratiocinatur Sanctus Thomas hic q.74. art. 5. in argumento *Sed contra*. " Sicut Do„ minus se comparavit grano frumenti , „ ita etiam se comparavit viti , dicens „ Joan. 15. Ego sum vitis vera ; sed so„ lus panis de frumento est materia hu„ jus Sacramenti , ut dictum est . Ergo „ solum vinum de vite est propria mate„ ria hujus Sacramenti . „

Secunda : Christus instituit Eucharistiam in vino : Sed Sacerdos agit vice & in nomine Christi. Igitur & in vino consecrare debet. Pergit Sanctus Thomas ibid. in corpore artic. " Dicendum , quod de „ solo vino vitis potest confici hoc Sa„ cramentum ; primo quidem propter in„ stitutionem Christi , qui in vino vitis „ hoc Sacramentum instituit , ut patet „ ex eo quod ipse dicit Mat.26.circa in„ stitutionem hujus Sacramenti : Non bi„ bam amodo de hoc genimine vitis . „

Tertia : Materia Sacramentorum debet indigitare ipsum sacramentum: sed sacramentum Eucharistiæ est convivium spirituale: vinum autem usuale cum pane illud apprime denotat . Ergo &c. Ista ratio est utique ejusdem sancti Doctoris, & sic pergit: " Secundo, quia sicut dictum „ est, ad materiam sacramentorum assu„ mitur id quod proprie & communiter „ habet talem speciem : proprie autem „ vinum dicitur, quod de vite sumitur: „ alii vero liquores vinum dicuntur, se„ cundum quamdam similitudinem ad vi„ num vitis. „

Quarta : Materia sacramenti Eucharistiæ nedum ad Sacramentum , sed & ad sacramenti effectum debet habere analogiam : Sed vinum de vite lætificat cor hominis, sicque convenit cum Eucharistiæ effectu , qui in spirituali lætitia & suavitate situs est . Ergo &c. Hanc etiam tradit rationem Doctor Angelicus ibid. " Tertio quia vinum vitis magis compe„ tit ad effectum hujus Sacramenti , qui „ est spiritualis lætitia : quia scriptum „ est , quod vinum lætificat cor homi„ nis. „

Proponuntur & solvuntur objectiones.

Objicies : Non requiritur ut apponatur vinum . Ergo &c. Probatur antecedens. Non opus est cum discrimine vitæ offerre sacrificium : Sed quidam ita abhorrent a vino, ut non sine vitæ periculo illud sumerent . Ergo non est necesse vinum in sacrificio offerre.

Respondeo negando antecedens. Ad probationem dico , modicum vini non posse nocere sanitati ; hinc iste scrupulus magnam arguit socordiam, quam quidem in sua ad Cæcilium epistola sanctus Cyprianus perstringit his verbis : " Quomodo „ autem possumus propter Christum san„ guinem fundere, qui sanguinem Christi „ erubescimus bibere? Namque si non ap„ ponatur vinum , erit solummodo vi „ verborum corpus Christi in Euchari„ stia , quod est contra sacrificii institu„ tionem, cum aqua sine vino in Christi „ sanguinem non convertatur. „

Replicabis : Non desunt qui solam aquam in sacrificio adhibeant : Sed pro consuetudine spectanda est ratio . Ergo &c.

Respondeo distinguendo : Et iis derelictis, adhærendum est Christi exemplo & præcepto, concedo: & non adhærendum est , nego. Consuetudo mala est corruptela: hinc juxta Summistas non habenda est ei ratio, maxime cum juri divino adversetur, ut in facto laudato. Solutio est D. Cypriani ibid. ubi sic respondet ad difficultatem . " Non est ergo , frater cha„ rissime, quod aliquis existimet sequen„ dam esse quorumdam consuetudinem , „ si qui in præteritum in calice Domi„ nico aquam solam offerendam esse pu„ taverunt . Quærendum est enim , ipsi „ quem

„ quem sint secuti ? Nam si in sacrificio „ quod Christus est, non nisi Christus sequendus est, utique id nos obaudire & „ facere oportet quod Christus fecit, & „ quod faciendum esse mandavit. „

Repones : Ipse sanctus Cyprianus nec damnat, nec absolvit eos qui in sacrificio sola aqua utebantur. Igitur ex eo licitum est aquam solum pro sacrificio celebrando assumere. Probatur antecedens. Ibidem sic loquitur: " Et ideo, frater charissi- „ me, si quis de antecessoribus nostris „ vel ignoranter, vel simpliciter non hoc „ observavit & tenuit, quod nos Domi- „ nus facere exemplo & magisterio suo „ docuit, potest simplicitati ejus de in- „ dulgentia Domini venia concedi. „ Ergo &c.

Respondeo negando antecedens; eo quippe loci contendit sanctus Cyprianus hujusmodi Sacerdotes peccare : sed subjicit veniam posse eis propter supinam ignorantiam aut bardam simplicitatem concedi, si venia & absolutione opus habeant. Igitur Sacrificando cum aqua sola, graviter peccarunt, adeoque nunquam licitum est, non dico citra peccatum dumtaxat, sed & citra ipsius sacrificii integritatem, omisso vino, consecrare.

Insistes: Christus usus est vino solum ad vesperam, quando suum obtulit sacrificium. Igitur posset aliquis sacrificium in pane & aqua solum mane offerre, vespertinis vero horis alternata vice consecrando adhibere vinum.

Respondeo distinguendo: Et Christus hac sola vice sacrificavit, commendavit vero Apostolis & eorum in Sacerdotio successoribus offerre semper ad sui exemplum panem & vinum simul, concedo: secus, nego. Istam solutionem ipsa institutionis verba indicant, Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem* : hoc est, quotiescumque sacrificium corporis & sanguinis mei celebrabitis, sicut ego in pane & vino simul facietis. S. Cyprianus hanc etiam ibidem præoccupat objectionem dicens: " Christum offerre oportebat circa „ vesperam diei, ut hora ipsa sacrificii „ ostenderet occasum & vesperam mun- „ di, sicut in Exodo scriptum est, Et „ occident illum omne vulgus Synagogæ „ filiorum Israel ad vesperam. Et ite- „ rum in Psalmis : Elevatio manuum „ mearum sacrificium vespertinum. Nos „ autem resurrectionem Domini mane „ celebramus: & quia passionis ejus mentionem in sacrificiis omnibus facimus, „ (passio est enim Domini sacrificium „ quod offerrimus,) nihil aliud quam „ quod ille fecit, facere debemus. „

Repones : Eodem modo ratiocinandum est de vino pro Eucharistia, ac de aqua pro Baptismo : Sed quælibet aqua sive maris, sive fontis, ad baptizandum optima est. Igitur & in quolibet vino, puta malorum granatorum, vel mororum, aut hujusmodi, Sacerdos consecrare potest.

Respondeo negando paritatem : quælibet enim aqua laudata est naturalis ; unde potest adhiberi ad baptizandum: sed nullum aliud vinum præter vitigineum, est verum vinum. Sic respondet S. Thomas ad objectionem hic q. 74. artic. 5. ad 1. " Dicendum, quod illi liquores non di- „ cuntur proprie vinum, sed secundum „ similitudinem: potest autem verum vi- „ num ad terras illas deferri, in quibus „ vites non crescunt, quantum sufficit „ ad hoc Sacramentum. „

Insistes: Non est potior ratio cur Eucharistia conficiatur in vino, quam in liquoribus speciem vini præ se ferentibus. Igitur vinum de vite non est absolute necessarium. Probatur subsumptum: acetum est vinum vitigineum: Sed liquores æque sunt vinum ac acetum. Ergo &c.

Respondeo negando antecedens. Ad probationem distinguo : Acetum est vinum vitis, sed corruptum, concedo: non defloratum, nego. Acetum non est materia valida, quia species vini usualis in eo solvitur. Quis enim dixerit esse vinum usuale? Quocirca sicut nec ex ipso, sic nec ex liquoribus confici potest Eucharistia. Solutio est D. Thomæ ibidem ad 2. " Dicendum, quod vinum fit acetum per „ corruptionem : unde non fit reditus „ de aceto in vinum, ut dicitur 8. Me- „ taph. & ideo sicut de pane totaliter „ corrupto non potest confici hoc Sacra- „ mentum, ita nec de aceto. „

Dices : Agresta & mustum vinum de vite præcontinent; & tamen sacrificium fieri ex eis prohibetur a Julio I. in Decreto 7. ibidem apud Divum Thomam. Igitur

Igitur non est simpliciter verum dicere vinum de vite esse Eucharistiæ materiam.

Respondet S. Thomas ibidem ad istas difficultates ad 3. his verbis: "Dicendum, quod agresta est in via generationis, & ideo nondum habet speciem vini, & propter hoc de ea non potest confici hoc Sacramentum: mustum autem jam habet speciem vini: nam ejus dulcedo attestatur digestioni, quæ est completio a naturali calore, ut dicitur in 4. Meteor, & ideo de musto potest confici hoc Sacramentum: non tamen debent uvæ integræ huic Sacramento misceri; quia jam esset ibi aliquid præter vinum. Prohibetur etiam ne mustum statim expressum de uva in calice offeratur, quia hoc est indecens propter impuritatem musti; potest tamen in necessitate fieri: dicitur enim ab eodem Julio Papa, Si necesse fuerit, botrus in calicem prematur."

SYNOPSIS CONTENTORUM.

Solum vinum de vite pro Eucharistia conficienda adhibendum est.

PRIMO: Hoc oblationem panis & vini factam a Melchisedech, qui præludebat Christi sacrificium, annuntiat: hoc ipsa institutio Matt. 26. *Accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes .... non bibam amodo de hoc genimine vitis, usque in diem illum cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei.*

Secundo: Ita censent sancti Doctores, ut S. Cyprianus, & D. Thomas, quia inhærendum est exemplo Christi, qui præcepit hoc sacrificium in sui commemorationem fieri, hoc est, cum eadem qua usus est materia.

Tertio: Materia assumenda pro aliquo Sacramento conficiendo debet aliquam habere ad Sacramentum analogiam: hanc autem vinum vitigineum possidere nemo non novit, cum adhibeatur ad cœnam usualem, adeoque spirituale Eucharistiæ convivium subnotat.

SYNOPSIS OBJECTIONUM ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Incassum aliquis objiceret multos a vino abhorrere, adeoque vinum a sacrificio removendum esse, cum modicum nocere non possit.

Secundo: Quælibet aqua, sive marina & salsa, sive fontis illaque dulcis, ad baptizandum assumi potest, sed non quodlibet vinum, cum solum vitigineum sit usuale.

Tertio: Acetum, onphacium, & liquores a natura vini deficiunt: hinc ad sacrificium valide celebrandum minus habent.

SECTIO QUARTA.

De aqua vino miscenda.

QUÆDAM occurrunt circa istud momentum difficultates, videlicet de aqua miscenda, & quid fiat de ea. Utrum in se remaneat, vel non?

PUNCTUM PRIMUM.

Num vinum sit aqua temperandum?

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo, ex sanctis Patribus.

CLEMENS Romanus Lib. 8. Const. c. 17. ait de Christo: "Similiter & calicem miscens ex vino & aqua, & sanctificans, tradidit eis dicens: Bibite ex eo omnes."

S. Cyprianus Epist. de Sacramento calicis, explicans illa Proverb. verba: *Miscuit vinum, & posuit mensam*, ait: "Vinum aqua mixtum declarat, id est, calicem Domini aqua & vino mixtum prophetica voce denuntiat."

S. Chrysostomus in Liturgia, quæ ejus nomine circumfertur, dicit de Diacono: "Deinde facit commixtionem in calicem mittens vinum & aquam."

Succinit S. Bernardus Epist. 69. his ver-

verbis: " Nec nego, *inquit*, panem &
" vinum aqua quidem mixtum simul de-
" bere poni. " Ergo &c.

Secundo, ex Conciliis,

TRULLANUM anno 692. adunatum can. 32. ita pronuntiat: " Si quis ergo
" Episcopus vel Presbyter non secundum
" traditum ab Apostolis ordinem, & a-
" quam vino non miscens, sic immacu-
" latum offert sacrificium, deponatur,
" imperfecte mysterium enuncians, &
" quæ tradita sunt innovans. "

Carthaginense III. cui adfuit S. Augustinus, can. 24. similia dicit: " Ut, *ait*, in
" Sacramento corporis & sanguinis Do-
" mini nihil amplius offeratur, quam
" ipse Dominus tradidit, hoc est panis
" & vinum aqua mixtum. "

Consentit in hac parte Triburiense can. 19. his verbis: " Cujus rei veritatem,
" *scilicet traditum fuisse ab Apostolis hunc*
" *vinum aqua temperandi ritum*, in hac
" sancta Synodo confitemur, credimus &
" confirmamus, ne ullus sine mixtione
" vini & aquæ mysteria sacra perficiat. "
Suffragatur Tridentinum Sess. 22. cap. 7.

Tertio, ex rationibus Theologicis.

PRIMA: Quod commendatur a Christo in sacrificio, sic debet fieri. Atqui Christus commendavit aquam in vino misceri, non quidem vivæ vocis oraculo, sed exemplo, ut liquet ex sanctis Patribus laudatis. Ergo &c.

Altera: Quod injongit Ecclesia, hoc ipsum fieri debet. Atqui ex præcepto Ecclesiæ tenetur Sacerdos vinum aqua temperare: sic enim habetur in Concilio Tridentino Sess. 22. cap. 7. " Monet sancta
" Synodus præceptum esse ab Ecclesia
" Sacerdotibus, ut aquam vino in calice
" offerendo misceerent. " Ergo &c.

Observes præceptum non esse divinum ex Tridentino, sed Ecclesiasticum: tametsi enim Patres Christum vinum consecrandum aqua temperasse dicant, non tamen asserunt ritum lege sancita ab eo injunctum fuisse. Hinc in Concilio Florentino Armeni reprehensi sunt, quod hanc omittendo cæremoniam, præceptum & morem traditione Apostolica firmatum neglexerint. Quod autem commixtio aquæ cum vino non sit de præcepto divino, liquet ex tribus. Primo, quia urgente necessitate Ecclesia de hoc præcepto dispensare potest. Secundo, si celebrans ex inadvertentia aquam apponere oblitus sit, tenetur quidem ante consecrationem, si recordetur, eam in calicem infundere, secus, si facta sit consecratio. Tertio, si desit aqua, Sacerdos in solo vino ad perficiendum sacrificium inchoatum potest consecrare, quod certe fieri non posset, si aqua miscenda foret de præcepto divino.

Tertia: In sacrificio unio populi cum Christo debet repræsentari: Sed aqua designat populum, juxta illud Apoc. 17. *Aquæ quas vidisti, populi sunt & gentes*. Ista ratio est D. Hieronymi Homil. de corp. Christi. " Cum in Sacramento, *inquit*,
" aqua vino miscetur, Christo fidelis po-
" pulus incorporatur, & quadam ei co-
" pula perfectæ charitatis unitur, ut pos-
" sit dicere cum Apostolo: Quis nos se-
" parabit a charitate Christi? Sicut enim
" aqua semel permixta vino non potest
" ad suam redire substantiam, nec a vi-
" no separari, ita fideles debent quasi
" inseparabilia membra, capiti uno, id
" est Christo, fidei observatione & ar-
" dentissima religione sociari. "

Quarta: In sacrificio oportet nedum conjunctionem populi cum Christo, sed etiam aquam quæ ex ejus fluxit latere, exprimi: Sed aqua hoc apprime significat. Ergo &c. S. Thomas hic q. 74. art. 7. hanc tradit rationem. " Dicendum,
" *ait*, quod judicium de signo sumendum
" est ex eo quod significatur. Appositio
" autem aquæ ad vinum refertur ad si-
" gnificandam participationem hujus Sa-
" cramenti a fidelibus, quantum ad hoc,
" quod per aquam mixtam vino signifi-
" catur populus adunatus Christo, ut di-
" ctum est: sed & hoc ipsum quod de
" latere Christi pendentis in cruce aqua
" profluxit, ad idem refertur: quia per
" aquam significatur ablutio peccatorum,
" quæ fiebat per passionem Christi. Di-
" ctum est autem supra, quod hoc Sa-
" cramentum perficitur in consecratione
" materiæ: usus autem fidelium non est
" de necessitate Sacramenti, sed est ali-

N 4 " quid

„ quid consequens ad Sacramentum, & „ ideo consequens est quod appositio a- „ quæ non sit de necessitate Sacramentu- „ ti. „

CONCLUSIO SECUNDA.

Modicissima aqua apponenda est in vino consecrando.

Probatur rationibus Theologicis.

PRIMA: Quod definiere Concilia, pro regula habendum est. Atqui Con ilia sta tuerunt modicissimum aquæ apponendum esse in calice. Ergo &c. Probatur minor. Synodus Triburiensis capit. 19. ait: " Quod duæ partes sint vini, tertia a „ quæ, quia major est majestas sanguinis „ Christi, quam fragilitas populi. „ Tum in Florentino Eugenius IV. in decreto unionis cum Armenis dicit: " Materiam „ calicis esse vinum de vite, cui ante „ consecrationem modicissima aqua admi- „ sceri debet. „ Ergo &c.

Secunda: Quod foret perniciosum non est admittendum pro sacrificio: Atqui foret perniciosum multum aquæ in vinum consecrandum emmiscere. Et probatur: Honorius Papa III. duodecimo sæculo perstringit quosdam qui plus aquæ quam vini ponebant in calice. Sic habetur *Extra de celebratione Missarum:* " Perniciosus „ inolevit abusus, videlicet, quod in majori quantitate de aqua ponitur in sacrificio, quam de vino, cum secundum „ rationabilem consuetudinem Ecclesiæ „ generalis, plus in ipso sit de vino quam „ de hac ponendum. „

Tertia: Si multum aquæ apponatur, impeditur sacrificium: Igitur sit aqua modica. Probatur antecedens: Si multum aquæ infundatur, species vini solvetur, jam enim non erit vinum Sed mixtum, seu ens per accidens, & unum tertium ex duobus coalescens: Sed sine vino nequit fieri sacrificium, cum una pars essentialis, materia scilicet tunc deficeret. Ergo. &c.

Synopsis eorum quæ in utraque conclusione continentur.

PRIMO: Vinum aqua temperandum est: Sic enim habetur L. 8. Const. Apost. cap. IX. sic in Concilio Triburiensi, tum in Tridentino Sess. 22. capit. 7. ubi ratio pro isto momento non una affertur his verbis: " Monet deinde sancta Synodus, „ præceptum esse ab Ecclesia Sacerdoti- „ bus, ut aquam vino in calice offeren- „ do miscerent; tum quod Christum Do- „ minum ita fecisse credatur, tum etiam „ quia e latere ejus aqua simul cum san- „ guine exierit, quod sacramentum hac „ mixtione recolitur: Et cum aquæ in „ Apocalysi B. Joannis populi dicantur; „ ipsius populi fidelis cum capite Christo „ unio repræsentatur. „

Secundo: Aqua modicissima apponenda est in calice. Ita definivit Concilium Florentinum in decreto unionis. Hoc ipsum docet Catechismus Romanus part. 2. n. 18. Ratio est, quia Honorius III. *Extra de celebratione Miss.* ait quod esset periculosum, multum aquæ cum vino miscere, sic enim species vini solverentur. Et deesset una pars materiæ ad sacrificium essentialis.

PUNCTUM SECUNDUM.

Utrum aqua in vino apposita convertatur in Sanguinem Christi.

NULLAM priorum sæculorum Patres de hoc momento moverunt controversiam, sed simpliciter & sine addito dixere aquam in sanguinem converti: omnium instar sit Ambrosius, qui Lib. 4. de Sacr. capit. 5. de isto capite sic loquitur: " Vinum cum aqua in calice mixtum fit „ sanguis consecratione verbi cælestis. „ Sed utrum hoc fiat mediate, vel immediate magna animorum contentione labente duodecimo sæculo, maxime in Galliis disputatum est. Anno 1188. de hac quæstione Gaufredus Bernardi Monachus fusam de hoc momento scripsit Epistolam ad Episcopum Cardinalem Albanensem Clementis Papæ primi Vicarium Generalem. Quid ille ad propositam litem responderit, non satis constat.

Certum est non esse de fide aquam transubstantiari in Christi sanguinem; de hac quippe controversia Innocentius III. consultus sæculo 13. ab Archiepiscopo Lugdunensi duas refert oppositas sententias,

tias, & neutram rejicit, aut approbat, quod tamen citra dubium fecisset, si quæstio fidei dogma spectaret. Sic loquitur in sua responsione, quæ habetur cap. *cum Martha*, de celeb. Miss. " Quæsivisti utrum aqua cum vino in sanguinem convertatur. Super hoc autem opiniones apud Scholasticos variantur: aliquibus enim videtur quod cum de latere Christi duo præcipua fluxerint sacramenta, redemptionis in sanguine, ac regenerationis in aqua; in illa duo vinum & aqua quæ commiscentur in calice, divina virtute mutantur: alii vero tenent quod aqua non transit in sanguinem, sed remanet prioris vini accidentibus circumfusa. "

S. Thomas hic q. 74. art. 8. caput controversiæ exponit his verbis: " Circa aquam adjunctam vino, sicut Innocentius III. dicit in quadam decretali, Triplex est opinio: Quidam enim dicunt quod aqua adjuncta vino per se manet, vino converso in sanguinem: Sed hæc opinio stare non potest, quia in sacramento altaris post consecrationem, nihil est, nisi corpus & sanguis Christi, sicut Ambros. dicit in Lib. de officiis, ante benedictionem illa species nominatur, post benedictionem corpus significatur, alioquin non totum adoraretur veneratione latriæ, & ideo alii dixerunt quod sicut vinum convertitur in sanguinem, ita aqua convertitur in aquam, quæ de latere Christi fluxit: sed nec hoc rationabiliter dici potest, quia secundum hoc, aqua seorsum consecraretur a vino, sicut vinum a pane. Et ideo sicut ipse dicit, aliorum opinio probabilior est, qui dicunt aquam converti in vinum, vinum in sanguinem. Hoc autem fieri non posset, nisi adeo modicum apponeretur de aqua, quod converteretur in vinum: & ideo semper tutius est parum de aqua apponere, præcipue si vinum sit debile: quia si tanta fieret appositio aquæ, ut solveretur species vini, non posset perfici Sacramentum. Unde Julius Papa reprehendit quosdam qui pannum lineum musto intinctum per totum annum servant, & in tempore sacrificii, aqua partem ejus lavant, & sic offerunt. "

Ex his sequitur inter istas opiniones, duas potissimum probabiles esse: eam scilicet quæ contendit aquam non converti immediate in Christi sanguinem, sed mediate, hoc est prius conversa in vinum, cui primario & per se competit transubstantiatio in pretiosum sanguinem Domini: alteram vero, quæ propugnat aquam vino mixtam non prius in vinum, sed simul cum vino immediate transmutari in Christi sanguinem. Prior sententia est D. Thomæ & ejus Scholæ, cui astipulantur alii permulti. Posterior est Toleti, De Lugo, Ægidii, Conink, maxime Baronii in fine anni 1188. affirmantis id esse de fide. Quocirca in tanto & Theologorum, & Scriptorum sacrorum conflictu, non abs re erit utramque referre opinionem ut cunctis matura deliberatione ponderatis, Lector eligat prout libuerit, ex duobus unam. Unde sit

§. I.

Num aqua vino mixta prius convertatur immediate in vinum, deinde vero in Christi sanguinem, ut propugnat Sanctus Thomas?

Conclusio affirmativa, cui subscribimus.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo, auctoritate.

Innocentius III. cap. *Cum Martha* consultus de hac quæstione ab Archiepiscopo Lugdunensi, summus Pontifex tres refert quæ de hoc capite circumferebantur opiniones, a S. Thoma mox laudatas; suum vero secundæ, quæ aquam prius in vinum dicit converti, addit calculum his verbis: " Verum inter opiniones prædictas illa probabilior judicatur, quæ asserit aquam cum vino in sanguinem transmutari. " Certe non loquitur eo loci de opinione quæ propugnat aquam in propria specie remanere, neque de altera quæ dicit eam converti in aquam quæ fluxit e Christi latere: Superest igitur quod de secunda, eaque nostra quam defendimus, videlicet aquam prius converti in vinum, tum vino admixtam, in sanguinem Christi: " Et ideo, *ait S. Thomas laudatus loquens de Innocentio. cujus*

" ver-

„ *verba retulit*, sicut ipse dicit *Innocentius*, „ aliorum opinio probabilior est, qui di- „ cunt aquam converti in vinum, & „ vinum in sanguinem. „

Rursus idem summus Pontifex ipse suam prodit mentem Lib. 4. de Altaris Mysterio cap. 31. " Aqua, *inquit*, transit in san- „ guinem, ea scilicet ratione, quod aqua „ per admixtionem transit in vinum, & „ vinum per consecrationem in sangui- „ nem; quis enim ambigat aquam in vi- „ num transire, cum multo vino modi- „ cum aquæ infunditur. „ Ista auctoritas irrefragabili hac innititur ratione, quod scilicet modicum aquæ semper in vinum in brevi convertatur. Igitur necesse est dicere aquam prius converti in vinum: Quia vero quandoque contingit vinum non esse generosum, & Dominicani, & Carmelitæ majores nostræ subscribentes sententiæ ante Missæ celebrationem, ut primum accedunt ad altare, apponunt aquam & vinum simul in calice, ut tempus sufficiens inter initium Missæ & consecrationem pro conversione aquæ in vinum adsit.

Concilium Florentinum in Decreto unionis correxit Concilii Triburiensis sententiam, qua tertiam partem aquæ vino admiscendam determinaverat, & dixit modicissimum aquæ esse apponendum: Sed dubio-procul non alia ratione istam adhibuit clausulam, nisi quia aqua debet prius converti in vinum, tum mediante vino in Christi sanguinem. Re vera quidem, si aqua vel in propria specie remaneret, vel in aquam quæ fluxit e Christi latere converteretur, indifferens foret multum vel parum aquæ infundere pro sacrificio. Superest igitur quod Florentinum eo solum motivo voluerit modicissima aqua vinum esse temperandum, quia putavit aquam prius esse in vinum convertendam: " Et ideo, *ait S. Thom.* „ sicut ipse dicit *Innocentius*, aliorum o- „ pinio probabilior est, qui dicunt aquam „ converti in vinum, & vinum in san- „ guinem. Hoc autem fieri non posset, „ nisi adeo modicum apponeretur de „ aqua, quod converteretur in vinum: „ Et ideo semper tutius est parum de „ aqua apponere. „

Concilium Tridentinum astipulatur in sessione 13. can. 2. ubi hæc habentur: *Si quis dixerit in sacrosancto Eucharistiæ Sacramento remanere substantiam panis & vini una cum corpore & sanguine Domini nostri Jesu Christi, negaveritque mirabilem illam, & singularem conversionem totius substantiæ panis in corpus, & substantiæ vini in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis & vini.. anathema sit*. Porro si aqua immediate converteretur in sanguinem, utique facta consecratione, ejus remanerent species, quod tamen silet sacra Synodus: Quare? Nisi quia credebat aquam prius converti in vinum, in quo casu solæ vini species remanent: Ergo &c. Sic interpretatur Concilii mentem Catechismus Rom. pag. 2. num. 18. his verbis: " Illud autem Sacerdotibus anim- „ advertendum est, ut quemadmodum „ in sacris Mysteriis aquam vino adhi- „ beri oportet, sic etiam modicam in- „ fundendam esse: Nam Ecclesiastico- „ rum Scriptorum judicio, aqua illa in „ vinum convertitur. „

Secundo, ex rationibus Theologicis.

PRIMA sic proponitur: Tres de hoc articulo circumferuntur sententiæ; sed ex tribus sola illa vera est, quæ propugnat aquam prius in vinum transmutari: Et probatur ex D. Thoma laudato; namque ait sanctus Doctor, non potest dici aquam in propria specie remanere, cum teste Ambrosio, facta consecratione, nihil præter sanguinem Domini adsit, sin minus non totum quod est in Sacramento, seclusa idololatria, cultu latriæ coleretur: Neque etiam probabile est aquam converti in illam quæ e Christi latere fluxit; in hac enim hypothesi aqua posset separatim a vino consecrari, ait ibidem S. Thomas, quod non potest dici, tum quia multum aquæ e Christi fluxit latere, & tamen ex præcepto Ecclesiæ modicissima infundenda est vino, quæ consequenter, non adæquaret eam omnem quæ e sacro Christi latere promanavit. Ergo &c.

Altera hæc est: Materia Eucharistiæ est solum vinum de vite, & non aqua, cum ista non sit nisi de præcepto Ecclesiæ apponenda; immo & ea prætermissa, perfecte compleatur sacrificium. Igitur prius debet in vinum transmutari; sin minus aliqua

aliqua adesset in Mysterio materia, quæ ipsum non spectaret.

Tertia: Si aqua non prius in vinum convertatur, citra dubium a vino separabilis esset tum ante, tum post consecrationem; ante quidem vi artis, post vero, quia non foret vino admixta, seu in vinum transmutata, ut supponitur in alia opinione: Sed absurdum est dicere aquam consecratam a vino consecrato separari: illa enim aqua vel esset talis substantialiter, vel esset solum illius consecratæ aquæ species: si primum jam non esset aqua in Christi sanguinem conversa, sin minus substantia creata simul adesset cum sanguine Christi, quod est Lutheranum: si vero tantum species aquæ consecratæ remanerent, verum esset dicere quod sanguis Christi esset sub speciebus aquæ, quod illæ species per se subsisterent, quæ omnia solis vini speciebus tribuit Ecclesia. Rursus, si aqua illa consecrata sanguinem Christi contineret, sicut in solo vino fieri potest sacrificium, sic & idem fieri in aqua sola posset, cum aqua converteretur immediate in Christi sanguinem, & ejus species, facta consecratione, sicut vini species, se solis, Christi corpus continerent, cum non esset potior ratio pro uno ac pro altero: Sed hoc ipso renovaretur error Hæreticorum, qui dicebantur Aquarii, eo quod solam aquam in sacrificio apponerent. Ergo &c.

FIT SATIS OBJECTIONIBUS.

Objicies: Patres uno veluti calamo dicunt aquam converti in Christi sanguinem, & hoc absque restrictione, & modificatione: Sed si converteretur primo in vinum, tum in sanguinem Christi, citra dubium appofuissent ex istis duabus clausulis, unam mediate scilicet, vel immediate: Igitur dicendum est eam esse Patrum mentem, aquam immediate in Christi sanguinem transmutari. Probatur major in qua affulget difficultas.

Primo: Ex S. Cypriano, qui Epistola 63. ait " Calix Domini, non est aqua „ solum, vel vinum solum, nisi utrum- „ que misceatur. „

Secundo: Ex Ambrosio Lib. 4. de Sacramentis, c. 5. " Calix est vino, & „ aqua plenus: ubi verba Christi operata „ fuerint, ibi sanguis efficitur. „

Tertio: Expressius loquitur Augustinus apud Gaufredum, qui Epist. ad Cardinalem Albanensem hæc sancti Doctoris citat verba: " Unde & aqua mittitur „ in calicem, & fit sanguis consecratio- „ ne Verbi cœlestis. „

Quarto: Damascenus L. 4. fidei cap. 14. similia loquitur his verbis: " Ex pane „ corpus, & ex vino & aqua, sangui- „ nem suum effecit. „

Quinto: Plures alii eumdem loquuntur sermonem, ut refert Baronius ad annum 1188. sed inter omnes Paschasius Radbertus L. de corpore & sanguine Christi capite 11. quæstionem ad metam perducere videtur his verbis: " Aqua conse- „ cratur, non quod aqua permaneat, „ sed vertatur in sanguinem. „

Respondeo distinguendo minorem: Et ad veritatem solutionis Patrum sufficit quod aqua convertatur in Christi sanguinem mediate, vel immediate, concedo: & requiritur quod convertatur immediate, nego. Neque vero necesse erat sic distinguere, cum, teste Innocentio III. aqua neque remaneat in propria specie, neque in aquam quæ a Christi latere profluit convertatur; unde relinquitur juxta summi Pontificis sententiam a D. Thoma explanatam, aquam prius in vinum converti juxta secundæ opinionis placitum, cui adhæremos.

Non sequitur ex hac solutione Patrum locutionem in adulterinum sumi sensum; sufficit enim aquam converti mediate in Christi sanguinem, ut ista propositio, *Aqua fit sanguis Christi*, sit vera; sicut Exodi 7. habetur: *Devoravit virga Aaron virgas eorum*. Tametsi non virga Moysis immediate, sed solum mediante serpente, in quem conversa fuerat, ceteras Magorum virgas seu potius serpentes devoraverit.

Instabis: Aqua non potest converti in vinum; Igitur dicendum est eam esse Patrum mentem, aquam immediate in Christi sanguinem converti. Probatur antecedens multis momentis. Primo quidem, Aristoteles, Medici, & Chymici propugnant hoc esse impossibile. Secundo quotidiana probatur experientia aquam vino mixtam posse a vino separari per immissionem

sionem medullæ junci; aut per spongiam oleo infusam. III. Ad hoc requireretur quod vinum solveret aquam, & in propriam converteret substantiam, quod quidem non est probabile, alias in hypothesi sicut corpus ex conversione alimenti in propriam substantiam vegetius simul, & fortius evadit, ita & in hypothesi evaderet vinum, cum tamen ex appositione aquæ, omnibus concedentibus, fiat debilius. Ergo &c.

Respondeo negando antecedens; cum enim partes vini aeriores sint aquæ partibus, & virtualiter calidæ, eo ipso quo aqua modica infunditur, solvuntur tum divisione & collisione, tum etiam absorptione istæ guttæ, non secus ac partes aquæ in fornacem missæ, vel etiam in calcem, quæ cito fervescit, & tumescit.

Ad primam probationem dico, falsum esse Aristotelem propugnare conversionem aquæ in vinum esse impossibilem, & falso citari pro isto momento ab Auctoribus contrariæ sententiæ, quandoquidem L. 1. de generatione c. 5. lectione 14. apud D. Thomam, & capite 10. lectione 25. docet hoc esse possibile; sic enim S. Thomas infra q. 77. art. 8. rem explicat: " Gutta aquæ multo vino per-„ mixta, transit in speciem vini, ut di-„ citur I. de generatione. „ Ceterum & Medicis & Chymicis, & ipsi Baronio opponimus Innocentium III. Albertum Magnum, divum Thomam, & alios prope innumeros.

Ad alteram probationem, nego aquam permixtam vino, esse ab eo separabilem; sic propugnat S. Thomas in iv. distinct. 10. in expositione litteræ: eo quippe loci dicit non aquam, sed aqueum quemdam humorem, seu vini flegma, & ut verbis Chymicorum utar, caput mortuum, seu materiam quamdam crassam a composito extrahi.

Ad tertiam, solutio patet ex dictis. Ne miremini tamen si vinum ex conversione aquæ non fortius evadat, sicut contingit in nutritione quæ fit per conversionem alimenti in substantiam aliti. Ratio disparitatis in eo est, quod animal solvat cibum per calorem, qui ab eo per simplicem emanationem profluit; hinc licet paululum debilitetur calor, juxta illud Philosophorum axioma *Agens agendo repatitur*; cito tamen fervescit, & omnes passi qualitates vincens, convertit alimentum in se, & robustius evadit. At vero vinum est quid mixtum cum aqua; hinc non cito reparat vires deperditas; quocirca debilius permanet: si tamen sit valde generosum, jure merito dici potest ne quidem debilitari saltem ita modice, ut vix hoc percipiatur, ut experimento comprobatur in vino usuali Italiæ, Græci nomine nuncupato. Revera quidem, nam gutta aquæ in fornacem immissa non solum non extinguit ignem, quin potius augere eatenus videtur, quatenus ignis, victo & absorpto contrario exardescit. Igitur in proposito si non dicimus vinum ex modicissima aqua fervescere, saltem imminui credimus.

Replicabis: Quando aqua omittitur in oblatione, & Sacerdos immediate ante consecrationem, hujusce omissionis recordatur, tenetur, ut Ecclesiæ præcepto faciat satis, eam apponere: Sed dubioprocul non adest sufficiens tempus, ut vinum priusquam consecretur, aquam in se convertat, cum absque mora tunc temporis fiat consecratio. Et hoc potest illustrari ulteriori exemplo, scilicet Christi, qui utique juxta probabilem Patrum sententiam vinum consecrandum aqua temperavit, & hoc juxta usum, immo dicam & ad sobrietatis, & temperantiæ exemplum: Sed non potest dici tunc adfuisse tempus ut vinum converteret aquam appositam in se, maxime cum non sit probabile Dominum modicum aquæ in calicem infudisse, hoc enim usui adversabatur. Ergo &c.

Respondeo modicissimum aquæ in brevi posse converti in vinum, cum partes vini, & in quantitate & in qualitate plurimum superent aquæ quantitatem, & proprietates: Sed dato, quod in hypothesi, in propria remaneret natura, non inde sequeretur idololatriam fieri a populo dum Eucharistiam adorat, quia moraliter credit aquam in vinum conversam & in calice solum Christi sanguinem adesse.

Ad exemplum Christi facilis est responsio, Christus enim cuncta prænoscens, & mysterium faciens, non arithmetice usum in appositione aquæ sequutus est, sed quod Sacramento conveniebat, fecit;

cit; quocirca ad mensuram justam infudit in calicem aquam. Quia vero non pro se tantum, sed & pro omnibus Discipulis suis consecravit, non guttam solum aquæ, sed multas absque sacrificii discrimine apponere potuit, cum vinum Palæstinæ alias sit generosissimum. Quid plura? Cum sit omnium Dominus, voluit ut aqua absque mora in vinum prius converteretur absque ipsius & vini, & Sacramenti detrimento.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Aqua prius convertitur in vinum quam in Sanguinem Christi.

PRIMO: Ex Innocentio III. sancto Thoma interprete, ista opinio est omnium probabilior.

Secundo: Sic propugnat ex professo Catechismus Rom. p. 2. n. 18.

Tertio: Quia materia Eucharistiæ essentialis est vinum de vite, immo si aqua omitteretur, sacrificium tamen foret completum: sed si aqua in propria manens specie transmutaretur in Christi sanguinem, jam non vinum solummodo, sed & aqua dicenda foret materia Eucharistiæ, quod tamen nemo sanctorum Doctorum dixit. Ergo &c.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Tametsi Patres dicant non distinguendo, aquam converti in sanguinem Christi, nulli mirum videri debet, cum tunc temporis nulla esset de præsenti capite controversia: Sufficit igitur ad veritatem locutionis Patrum, aquam converti mediate in Christi sanguinem.

Secundo: Falsum est, illud quod arte e vino extrahitur, esse aquam prius appositam, cum solvatur in brevi eo ipso quo vino immiscetur, eo quod liquidorum partes se facile penetrent ex superioritate unius super aliud, tum in quantitate, tum in qualitate, sicut contingit in vino, quod in iis omnibus modicum aquæ superat.

Tertio: Ex his patet responsio ad difficultatem emergentem, cum aqua omissa immediate ante vini consecrationem apponitur. Ceterum si non sit in vinum conversa, quia tamen hoc moraliter creditur, nullum inde inconveniens sequitur; sufficit enim, inquiunt Theologi, ad judicium prudentiale de adoranda Eucharistia moralis certitudo de contento sub speciebus.

§. II.

Utrum probabilis sit opinio eorum, qui propugnant aquam non converti physice prius in vinum?

SENSUS hujusce sistematis ille est, aquam non nisi moraliter in vinum transmutari, & eatenus vini nomine donari, quatenus una cum ipso facit compositum, quod a vino propter majorem quantitatem, colorem & generositatem, aliasque prædominantes, aquæ proprietatibus dotes, denominatur immediate consequenter non secus ac vinum in Christi sanguinem, ita tamen quod quæstio procedat non de aqua solitarie & secundum se spectata, sed primo de aqua reduplicative ut vino consecrando mixta, Secundo de aqua modicissima in calice apposita; si enim tantum aquæ adesset quantum vini, jam neque vinum esset, neque aqua, sed ex utroque mixtum & compositum coalesceret. Quibus præmissis, & explicatis, sit

CONCLUSIO.

Probabilis est opinio eorum qui contendunt modicum aqua vino consecrando admixta immediate & physice in Christi sanguinem transmutari.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo ex Conciliis.

CONCILIUM TRIBURIENSE tertiam partem aquæ apponendam statuerat: can. 19. habetur: " Duæ sint partes vini, ter-„ tia aquæ. „ Sed tunc temporis sacrificium ut ratum habebatur, nec Ecclesia in Florentino ad modicissimum aquæ restringendo Canonem Triburiensem, sacrificium cum tertia parte confectum, aut incompletum, aut prorsus vacuum declaravit: Igitur sentiebat immediate & physice

physice aquam non secus ac vinum ea temperatum in Christi sanguinem transmutari; neque enim quis cordatus dixerit tantam aquæ partem scilicet tertiam, prius in vinum conversam fuisse, cum vinum non semel & sæpius ut in villis & pagis fit admodum debile: Nec etiam responderi potest, quandoque & tempore Concilii Triburiensis multum aquæ appositum fuisse, siquidem quod ex definitione fit, pro more semper propter statutum fieri solet. Vel ergo dicendum foret aquam immediate converti in aquam quæ fluxit e Christi latere, vel transacta consecratione, remanere in propria specie non transmutata, quas opiniones rejicit S. Thomas hic q. 75. art. 8. primam quidem, quia ait sanctus Doctor in hac hypothesi aqua separatim a vino posset consecrari: alteram vero propter idololatriæ periculum, cum populus adoret totum quod in calice continetur, in eo autem mera adjaceret aqua cum vino consecrato.

Tridentinum huic sententiæ patrocinari videtur Sess. 13. can. 2. ubi definit solius panis & vini species remanere, nihil igitur de aqua superest. Nec mirum; non potuit prius transmutari in vinum, cum transubstantiatio magnum sit miraculum, quod naturæ vires in immensum excedit, & tamen in hypothesi foret quid commune, cum aqua vi naturalis vini agentis & reagentis, in ipsam ejus converteretur substantiam, hinc & inferretur transubstantiationem panis & vini in corpus & sanguinem Christi non esse miraculum, quod nedum adversus Patres, sed & ipsam fidem militat.

Secundo, ex Traditione.

Ex primo Sæculo. Hanc traditionem a Christo & ab ipso per Apostolos ad nos usque, saltem usque ad duodecimum sæculum deducere, juvat. Certum est enim juxta Patrum placita, Christum in sacrificio vinum aqua temperasse, neque tamen Apostoli ab ipso edocti dixere aquam prius in vinum conversam, sed simpliciter panem & vinum in ejus corpus & sanguinem transmutari, nihil vero de aqua: quod tamen non omisissent propter materiæ momentum. Namque Matth. 28. injunxit Apostolis ut ea omnia servarentur quæ illis mandaverat: sic enim habetur. *Euntes ergo, docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis.*

Ex secundo Sæculo, Alexander I. in Epistola ad omnes Orthodoxos, & refertur capite 1. de consecratione dist. 2. ait: " Non enim debet in calice Domini, aut " vinum solum, aut aqua sola offerri, " sed utrumque permixtum offeratur."

Succinit ejusdem ævi Justinus Martyr Apologia 2. sub finem his verbis: " Postea quam & is, qui præest, gratias " egit, & populus omnis benedixit, ii " qui apud nos Diaconi dicuntur, dant " unicuique eorum qui adsunt, percipiendum panem, vinum, & aquam, " quæ cum gratiarum actione consecrata sunt, & ad eos qui absunt perferunt; atque cibus hic apud nos Eucharistia nominatur."

Certe si aqua ante consecrationem transmutaretur in vinum, non panem, vinum & aquam Justinus diceret mitti, sed solum panem & vinum. Eadem ratione Algerus apud Gaufredum Epistola ad Episcopum Albanensem, ea non vocat tria munera ante consecrationem, sed tantum duo, sicut translata consecratione eadem nuncupat.

Ex tertio Sæculo, occurrit Cyprianus Epistola 63. his verbis: " Calix Domini non " est aqua solum, vel vinum solum, nisi " utrumque misceatur." Rursus ibidem: " Non potest vero nobis ignosci, qui " nunc a Domino instructi sumus, ut " calicem Domini cum vino mixtum " secundum quod Dominus obtulit proferamus."

Ex quarto Sæculo, Hieronymus venit in testimonium, quippe qui in caput 14. Marci sic loquatur: " Format sanguinem " suum in calice, vino & aqua mixtis." Suum addit calculum Ambrosius L. 4. de Sacramentis cap. 3.

Ex quinto Sæculo, S. Augustinus apud Gaufredum jam citatum ait: " Unde & " aqua mittitur in calicem, & fit sanguis " consecratione verbi cœlestis. " Ibi aquam solum commemorat, ne aliquod remaneat dubium de ejus conversione in Christi sanguinem.

Ex

Ex octavo Sæculo, Damascenus L. 4. orthodoxæ fidei cap. 4. jam supra laudatus sicut ex nono Paschasius L. de corpore Christi cap. 11.

His accedit Algerus L. 1. de Sacramento corporis Domini cap. 16. II. Hildebertus Cenomanensis sic loquens: " Aqua in sanguinem vertitur, ut populus „ qui per aquam significatur, in melius „ se mutatum intelligat. „ Ecce ibi loquitur specialiter de aqua. Suffragatur Samona Episcopus Gazensis in disceptatione cum Hamet Sarraceno, quę habetur tomo 6. Bibliothecæ Patrum: Nicolaus Methonensis in libro, seu oratione de Eucharistia, quæ habetur in eodem Bibliothecæ Patrum tomo: " Quid requiris causam, „ *ait*, & ordinem naturæ panis transmu- „ tationis in corpus Christi, & aquæ, „ vinique in sanguinem. „ &c.

Argumenta ex Patribus deducta.

PRIMO: Ex allatis istud conficitur argumentum. Inter istos Patres quidam solum de aqua mentionem faciunt, ne quis dubitet illam in Christi sanguinem transmutari: quidam nonnulli eamdem non permanere asserunt, sed multo plures illam indiscriminatim eam cum vino in sanguinem Domini transmutari conclamant. quæ loquendi formula determinatur ab aliis qui aquam solum nominant, & dicunt in sanguinem Christi converti: Igitur talis est priorum sæculorum Patrum sententia.

Secundo: Quando non est contradictio, Patrum verba in sensu obvio intelligi debent, maxime cum eadem est apud omnes phrasis, sin minus foret errandi porta aperta, cum nullus sit Hæreticorum, qui verba tum Scripturæ, tum Patrum in adulterinum propriumque sensum non detraxerit: Igitur sententiæ Patrum dicentium aquam converti in Christi sanguinem, in sensu obvio accipiendæ sunt.

Tertio: Si quod dubium emersisset circa illam quæstionem, Patres sese explicassent: sic Hieronymus exardescente controversia de nomine hypostasis, quod a quibusdam pro natura, a quibusdam vero pro persona usurpabatur, super hoc sanctum Damasum Papam consuluit: sic Augustinus in libris quatuor contra duas Epistolas Pelagianorum increpat vel ipsum Pelagium quod suam de libero arbitrio sententiam in pravum detorqueret sensum; non enim ajebat, ut tu contendis dixi liberum arbitrium extinctum, sed tantum extenuatum; & rursus in libris retractationum sua correxit de multis placita. Sed nemo sanctorum Doctorum qui aquam non secus ac vinum in Christi sanguinem converti scripserunt, suum dicendi modum correxit. Ergo &c.

Unum non prætereundum est, Patres Synodi Triburiensis can. 19. rationem reddentes, cur plus vini quam aquæ apponendum sit in sacrificio, non dicunt quia aqua prius debet converti in vinum, quod si foret verum, certe non omisissent, sed quia Majestas divina per vinum significata hoc exigit: " Quia ma- „ jor est Majestas Christi, quam fragi- „ litas populi. „ Quæ per aquam denotatur.

Ex rationibus Theologicis.

PRIMA sic exponitur: A primo usque ad duodecimum sæculum nullus fuit tum inter Patres, tum inter Theologos de ista conversione congressus, quin potius ea fuit Theologorum sententia Patres ad hæc usque tempora propugnasse aquam immediate converti in Christi sanguinem: Igitur absque fundamento duodecimo circiter sæculo quidam hanc adinvenerunt sententiam, aquam prius converti in vinum antequam in proprium Christi sanguinem transubstantiaretur. De hac nata controversia scripsit Gaufredus Monachus sancti Bernardi ad Episcopum Cardinalem Albanensem, ubi relatis diversis hinc inde opinionibus, illam quæ propugnat aquam immediate converti in Christi sanguinem, Patrum priorum sæculorum calculo munitam expandit, uti ipsis per omnia cohærentem.

Juvat illius Monachi Epistolæ verba texere, ut referuntur a Baronio ad annum Christi 1188. p. 826. & 827. edit. Coloniæ Agrippinæ 1509. " Et respondetur „ eis, qui auctores, quod non astruunt „ commutationem, non tamen negant, „ & proferunt testimonia de Scripturis, „ in quibus & iidem ipsi, sive alibi reticeant,

„ ceant, sive etiam alibi vini mixti mutationem evidentius assererant. Cyprianus Martyr : Calix Domini non est aqua solum, vel vinum solum, nisi utrumque misceatur, sicut nec corpus Domini potest esse farina sola, vel aqua sola, nisi utrumque fuerit adunatum, & panis unius compage solidatum. Idem Cyprianus : si quis de antecessoribus nostris, vel ignoranter, vel simpliciter non hoc servavit, quod Dominus noster facere exemplo, & magisterio docuit : potest simplicitati ejus, indulgentia Domini, venia concedi; non potest vero nobis ignosci, qui nunc a Domino instructi sumus, ut calicem Domini cum vino mixtum, secundum quod Dominus obtulit, offeramus. Hieronymus in Marcum : Format sanguinem suum in calice, vino & aqua mixtis, ut alio purgemur a vitiis, & a culpis, alio redimamur & pœnis. Ambrosius in libro de sacramentis: Sermone Christi hoc conficitur sacramentum, quia sermo Christi creaturam mutat, & sic ex pane fit corpus Christi, & vinum cum aqua in calice mixtum fit sanguis consecratione Verbi cœlestis. Augustinus de Baptismo : Unde & aqua mittitur in calicem, & fit sanguis consecratione Verbi cœlestis. Paschasius : Aqua consecratur, non quod aqua permaneat, sed vertitur in sanguinem. Hildebertus Cenomanensis : Aqua in sanguinem vertitur ut populus, qui per aquam figuratur, in melius se mutatum intelligat. Algerus : "Sed licet in Mensa Domini tria costituantur munera, sunt tamen duo : per quam sacrificatur, est aqua mixta prius vino, sed quando sacratur, nonnisi sanguis erit, quo anima intus alatur. Ceterum pars adversa, auctoritates priores utcumque permittit, dicens vinum, quod aqua mixtum est, sed non propterea aquam mutari. Testimonium Paschasii quod evidens est, eadem pars contemnit, licet magnum ipsius B. Papa Gregorius in libro Dialogorum perhibeat testimonium sanctitati : Sicut Hildebertum ajunt verificatorem fuisse, non Ecclesiasticorum dogmatum assertorem. De Algero dictum : Nescimus hominem ; ipsius tamen nullum adhuc comperi librum, & sancti, vel cujuscumque Doctoris auctoritatem similiter suffragari. Ac proinde placeat vestræ dignationi, cum Dominis nostris fratribus vestris super hoc verbo, cum opportunum tempus affuerit, diligenti collatione tractare, ut auctoritas S. R. E. definiat, quid super hoc credi debeat, vel doceri. „

Subjicit Baronius, hanc eligens opinionem : " Quid autem rescripserit ad penitam consultationem Cardinalis Episcopus Albanensis, non invenimus: Sed aliud rescribere non potuisse certum est, quam quod credidit, & custodivit semper S. R. E. nimirum aquam simul & vinum transubstantiari in sanguinem Christi. „

Altera ratio hæc est : Opinio probabilior, relicta minus probabili sequenda est: Atqui opinio eorum qui tenent aquam immediate in Christi sanguinem converti probabilior est ; quippe quæ Patrum sententiis, & dictis magis consona sit. Ergo &c.

Tertia : Sententia quæ magis, & ab errore, & ab idololatria secedit, alia omissa, eligenda est : Atqui ista quæ nunc propugnatur talis est, & probatur : Altera quæ tenet aquam prius converti in vinum non semel idololatriæ viam aperit, cum fieri possit quandoque aquam non converti in vinum, puta cum vinum debile est, & aqua omissa, immediate aute consecrationem reponitur ; tunc enim est quædam idololatria materialis, cum populus fidelis adoret totum quod est in calice.

Quarta : Eodem modo ratiocinandum est de aqua modica in vino apposita, ac de grano hordeaceo inter triticum mixto : Sed nemo dixerit granum istud tametsi modicum prius converti in triticum quam in panem, ut propugnat sanctus Thomas hic q. 74. art. 3. ad. 3. Igitur a pari dicendum est modicum aquæ non converti in vinum. Eo quippe loci quærit sanctus Doctor utrum requiratur ad materiam hujus Sacramenti, quod sit panis triticeus, eo quod vix inveniatur farina triticea, quæ alterius frumenti permixtionem non habeat : Et ad 3. respondet : " Si sit modica admixtio alterius frumenti ad multo majorem quantitatem tritici, poterit exinde „ con-

„ confici panis, qui est materia hujus „ Sacramenti. „

Ex rationibus physicis.

Prima : Impossibile est aquam prius converti in vinum. Igitur dicendum est aquam remanere, adeoque immediate converti in Christi sanguinem. Probatur antecedens : Transubstantiatio est miraculum maximum, quia excedit naturæ vires : sed in hypothesi foret quid naturale, quod est contra Concilium Tridentinum, sicque Eucharistiæ Mysterium ex parte solveretur. Ergo &c. Probatur minor. Aqua juxta priorem opinionem in substantiam vini agentis transiret. Ergo &c.

Secunda : Substantia mixta non agit in aliam substantiam ; nec alteram ex virtute prædominaute in se convertit : Et hoc propter multa. Primo quidem, quia mixtio nihil aliud est quam motus perturbatus partium insensibilium, sicque substantia alteri mixta remanet secundum partes suas sensibiles, & in priori statu; nec est mutatio nisi accidentalis. Secundo, mixtio liquidorum fit solum per juxta positionem partium, quæ promiscue hinc inde diversum habent situm, & locum occupant, namque ex robore unius, solum sequitur ejus partes modo sursum, modo a latere, prout est impetus, partes alterius liquidi infirmioris pellere aut præcipitando sub se, aut propellendo a tergo ad latus, sicut piscis internatandum partes aquæ circumstantes modo sub se, & infra, modo ante se, ut ubicumque, locum quem occupabant, corpori occurrenti cedant. Et uno verbo istud concludam ratiocinium ; mixtio aquæ cum vino est interpositio partium aquæ intra partes vini, unde vinum debilitatur, quia licet aqua vini activitatem non tollat, eatenus tamen impedit, quatenus vini substantiam disgregat, seu dispergit; vis enim cujuslibet agentis dispersa minuitur, juxta illud adagium : *Fortior est virtus unita, quam dispersa* : Si vero aqua vinum fieret, dubio-procul vinum fortius evaderet, ut patet in nutritione, quæ fit per conversionem alimenti in substantiam aliti. Ergo &c.

Tertia : Illud intercedit inter viventia & mixta mere corporea ab omni vita etiam vegetante privata, discrimen, quod illa crescunt per intus susceptionem, consumpto cibo qui periit, & nihil sui præter materiam primam remanet, ita ut totum cedat in nutritionem, & augmentum viventis, ista vero nonnisi per juxta partium dispositionem; hinc liquida mixta manent in se quod sunt, & ambo pariter augentur per communicationem partium. Sicut enim partes vini, aquæ partes hinc inde transmeantes, majorem quam antea occupant locum propter dispersionem mixti partium, quæ non ita aliis partibus cedunt locum quin proprium retineant, ita & partes aquæ, vini partibus commixtæ; sin minus non esset commixtio, sed nutritio, quod nemo sensatus dixerit. Ergo &c. Ceterum corpora simplicia, qualis est aqua, non nutriunt, ut multi doctissimi contendunt, illa innixi ratione, quod non possunt immediate converti in mixta.

Quarta : Aqua modica vino respersa in calice remanet : Igitur immediate in Christi sanguinem convertitur, namque vinum usuale aqua temperatum est vera Eucharistiæ materia, inquit divus Thomas hic q. 74. art. 6. & convertitur in Christi sanguinem. Probatur antecedens. Illa aqua potest a vino separari ut propugnat Maignanus noster, Coninch, & alii complures Physici : Atqui experientia constat aquam a vino separari posse; quod enim id quod extrahitur, non sit merum vini flegma, patet ex eo quod vinum remaneat semper debilitatum, hoc autem non contingit, cum humor ille aqueus a vino puro extrahitur, quod argumentum est, id quod e vino lymphato extrahitur, non esse merum vini flegma, sed aquam puram : Tum quia major illius humoris aquei copia extrahitur a vino aqua temperato, quam ex vino puro & mero.

Quid plura adjiciam? Liquida alia præter aquam absque negotio extrahuntur ab aliis liquidis, quidni igitur & aqua posset a vino separari. Hoc ipsum docet Aristoteles cap. 5. Lib. 1. de generatione text. 34. ubi docet id quod solum nutritur, augeri, in mixtis vero utrumque augeri; & exemplum vini aqua temperati

affert, quæ quidem aqua juxta ipsum, in vinum non convertitur, sin minus solum vinum augeretur, cum e contra & aquam mixtam simul augeri constet, adeoque & ab invicem posse separari. Ex Græco ejus textus Latine sic redditur: " Quæret vero aliquis, & quid sit quod „ augetur.... veluti quando misces vi„ num aquæ: similiter enim majus u„ trumque *fit*, an quia hujus quidem „ (*mixti*) manet substantia, illius vero „ non, videlicet substantia vini: cum & „ illic quod prævalet, dicitur sive nomi„ natur in ipsa mixtura; videlicet quod „ vinum sit; nam totum mixtum efficit „ operationem vini, non autem aquæ.„

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objicies primo: Concilium Tridentinum Sess. 13. ait materiam Eucharistiæ esse panem & vinum, nulla facta mentione de aqua: Igitur aqua non est materia hujusce Sacramenti: adeoque non convertitur in Christi sanguinem, cum ex eodem sola materia adæquata transubstantietur in corpus, & sanguinem Christi.

Respondeo distinguendo antecedens: Tridentinum nullam facit mentionem de aqua explicitam, concedo: implicitam, nego. Loquitur enim de vino usuali, adeoque & consequenter aqua temperato, sicut apud homines mos inolevit, vinum usuale aqua temperare, quod innuit Eucharistiæ figura, quæ legitur Sapientiæ 9. his verbis: *Comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis.*

Instabis: Atqui Synodus sacra eliminat aquam. Ergo &c. Probatur subsumptum. Ibidem canone 2. anathematizat eos omnes qui negaverint, facta consecratione, non remanere corpus, & sanguinem Christi sub speciebus panis, & vini: Sed si intellexisset aqua converti in Christi sanguinem; utique dixisset sanguinem remanere sub speciebus aquæ. Ergo &c.

Respondeo distinguendo minorem: Et denominatio a majori, & principaliori parte sumitur, concedo: a minori, nego. Cum aqua sit modicissima, quasi pro nihilo reputatur; quia vero etiam solum vinum juxta colorem apparet, satius fuit denominare compositum ab eo quod in illo in majori copia est, scilicet a vino: maxime cum scopus Concilii sit eo loci perstringere Lutheranos qui impanationem admittunt; quocirca commemorare dumtaxat species & panis, & vini, æquum duxit, ut Hæterodoxi intelligerent nec vini, nec panis substantiam ibi remanere.

Insistes: Concilium ibidem canone 3. definit Christum sub singulis utriusque speciei partibus, separatione facta, integre permanere: sed corpus Christi non potest dici remanere sub specie aquæ, in casu quo a vino separaretur: Igitur non est verum dicere juxta mentem Concilii aquam converti immediate in Christi sanguinem: nam si hoc esset, utique sanguis remaneret sub speciebus aquæ, cum remaneat ex Tridentino sub specie substantiæ quæ in ipsum conversa est. Ecce verba Concilii: *Si quis negaverit in v. sacramento Eucharistiæ sub unaquaque specie, & sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri; anathema sit.*

Respondeo distinguendo majorem: Concilium dicit Christum permanere sub speciebus partium quæ totaliter in se remanent, concedo. Sub specie alicujus quod fuisset in pane, vel in vino appositum, subdistinguo; modo istud perseveret in alterutra substantia cum qua commixta fuit, concedo: si ab ipsa separetur, nego. Farina panis triticei quandoque admixtum habet modicum farinæ grani hordeacei, vel etiam siliginosi, sicut & vinum habet aquam modicam qua temperatum est: tametsi autem farina hordeacea solitarie sumpta non sit sufficiens materia consecrationis panis, bene tamen ut commixta farinæ copiosæ tritici: Non absimili modo aqua secundum se non est materia sufficiens consecrationis vini, bene vero ut ipsi vino abundantiori commixta: sic consequenter & species hordeaceę commixtę cum speciebus farinæ triticeæ, continent corpus Christi, nusquam vero abstractæ, nam in hac hypothesi solveretur compositum mixti, nec ibi aliud adesset præter panis species: Idem proportionaliter dicendum de speciebus aquæ: si enim a vino consecrato non extrahantur, certe cum vino Christi sanguinem complectuntur: secus e contra. Ita Cardinalis de Lugo hic

hic disputatione 4. de Sacramento Eucharistiæ, num. 64. his verbis: " Habemus „ exemplum aptum ad hoc declarandum „ in hoc ipso Sacramento: nam materia „ illius est etiam panis triticeus; & quidem si massa fieret ex solo surfure, „ non esset materia consecrationis; quia „ ille non est panis humanus, sed alius „ diversus ad canes, vel equos alendos: „ si tamen panis fiat ex farina communi „ non defæcata a surfure, erit materia „ consecrationis, non solum quoad partes „ farinæ purioris, sed quoad omnes partes; quia, licet in eo composito aliquæ „ sint partes, quæ seorsum non possent „ consecrari, scilicet illæ quæ pertinent „ ad surfures; sed tamen compositum „ ex utrisque partibus, nempe ex adipe „ frumenti, & ex surfure, est vere, & „ proprie panis, & constat ex utraque „ parte, tamquam ex intrinsece ipsum „ constituente in ratione talis panis; & „ ideo totum illud compositum posset adæquate consecrari.... Vides exemplum simile in omnibus: Nam sicut est panis „ defæcatus, & panis deterior; sed tamen „ uterque est panis simpliciter: ita est vinum purum, & vinum mixtum, sed „ tamen utrumque est vinum simpliciter; „ & sicut surfures seorsim non sunt materia, sunt tamen partialiter, quatenus „ componunt panem vulgarem cum farina pura; ita aqua seorsim non est materia; est tamen partialiter, quatenus „ cum vino puro componit vinum vulgare, & mixtum: & sicut farina est materia necessaria ex institutione Christi, surfures vero non sunt necessarii, possunt „ tamen partialiter consecrari, si misceantur cum farina pura; ita vinum est materia necessaria, aqua vero licet non sit „ necessaria, potest tamen partialiter consecrari, si misceatur cum vino puro. „

Hanc solutionem subindigitat S. Thomas hic q. 74. art. 3. ad 3. his verbis: " Si vero sit magna permixtio, puta ex „ æquo, vel quasi, talis permixtio speciem mutat. Unde panis exinde confectus non erit debita materia hujus „ Sacramenti. „

Dices: Sub modica vini parte remaneret sanguis Christi: Igitur a pari, si aqua immediate converteretur in sanguinem Christi, utique in hypothesi sanguis Christi remaneret sub speciebus aquæ solitarie sumptę.

Respondeo negando paritatem; vinum enim est per se primo, & necessario materia Eucharistiæ, aqua vero non nisi ut mixta, inde fit solas aquæ consecratæ species non continere sanguinem Christi, si aqua separetur.

Insistes: Supposito quod aqua immediate convertatur in Christi sanguinem, erit quoque materia necessaria Eucharistiæ: Igitur par est utrobique ratio.

Respondeo distinguendo: Si adesset præceptum divinum de aqua immiscenda, concedo: si solum Ecclesiasticum, nego. Christus quidem usus est aqua in Mysterio: Sed præceptum pro ea assumenda non emisit, cum ex Conciliis & summis Pontificibus non nisi ex præcepto Ecclesiæ apponatur: hinc Christus aqua temperavit vinum consecrandum, potius ad sobrietatem, & significandam populi cum Ecclesia, & semetipso unionem, quam ad necessitatem, cum, illa omissa, fieret optime sacrificium: hinc potest dici de isto momento, quod ipse Christus de lotione pedum effatus est Joan. 13. *Exemplum enim dedi vobis*, dicebat Discipulis, *ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis*.

Replicabis: Catechismus Roman. p. 2. n. 18. dicit aquam modicissimam apponendam esse, quia prius in vinum converti debet: sed hæc ratio non ponderaret, ut modicissima in calicem infunderetur, nam posset tertia pars saltem juxta statutum Concilii Triburiensis apponi, si aqua immediate converteretur in Christi sanguinem, sieque & absque fundamento Florentinum correxisset Triburiense.

Respondeo auctorem Catechismi in hoc adhæsisse sententiæ quorumdam Theologorum; quia vero ejus dictum definitionis non obtinet rationem, absque dogmatis dispendio quisque potest isti subscribere opinioni, quippe quæ, nedum gravissimorum etiam Theologorum suffragio innixa sit, verum etiam ex eo quod in sententiam priorum sæculorum Patrum collimet.

Ad probationem nego, indifferens esse modicissimam aquam apponere, quia si major adhiberetur copia in periculum veniret, ait Honorius III. sacrificium,

O 2 quan-

quandoquidem posset solvi vinum, si plurimum aquæ infunderetur; tunc enim non vinum, sed mixtum & unum tertium ex vino simul & aqua conflueret. Abstrahendo igitur ab illa scholæ controversia, quod aqua immediate, vel mediate convertatur in sanguinem, statuerunt Synodi modicissimum aquæ esse apponendum.

Oppones II. Innocentius III. consultus ab Archiepiscopo Lugdunensi super hac quæstione, respondit probabilius esse aquam prius in vinum converti: sed standum est summi Pontificis definitioni: Ergo &c.

Respondeo distinguendo: Et summus Pontifex loquutus est ut Doctor particularis, relinquendo arbitrio, ut ad libitum Scholastici alterutram opinionem propugnarent, concedo: Et loquutus est ex cathedra tamquam de fide definiens, nego: quandoquidem quæstio erat solum de disciplina, & scholastica, nec eo loci opinionem istam damnavit, & sic distincta minore, nego consequentiam.

Instabis: Hac posita opinione, aqua sola posset consecrari, ut significaret unionem populi cum Ecclesia. II. Duplex requireretur consecratio, altera pro vino, altera pro aqua, sicut duplex est pro consecratione panis & vini. III. Aqua significaret sanguinem Christi si in illum immediate converteretur. IV. In hypothesi etiam quod aqua consecrata a vino separaretur, non posset dici quid esset; numquid enim rediret in pristinam aquæ substantiam? Numquid corpus Christi contineret? Numquid, si solæ aquæ species eductæ remanerent, per se subsisterent? Sed hæc omnia implicant contradictionem: Ergo &c.

Respondeo ad primum, aquam solam non posse consecrari, quia præceptum divinum positum est, & non præteribit; vinum per se primo esse partialem Eucharistiæ materiam, quocirca hanc non habet rationem aqua, nisi ut est unum moraliter cum vino, & ipsi per contiguitatem physice conjuncta.

Respondeo negando utique secundum; cum enim aqua non sit per se & solitarie sumpta, sed solum ut vino conjuncta seu mixta, materia Eucharistiæ, non speciali indiget consecratione. Re vera quidem, vinum aqua modica temperatum remanet semper vinum usuale; hinc verum est dicere solum vinum esse materiam saltem necessariam sacrificii.

Ad tertium distinguo: Si aqua foret materia principalis partialis calicis, significaret Christi sanguinem, concedo: si solum concomitans, & ratione vini partem calicis subeat, nego. Aqua est quid unum dumtaxat moraliter cum vino: Igitur non ipsa, sed vinum, Christi sanguinem subindigitat, & significat.

Ad quartum dico, posse dici ad solutionem istius difficultatis, species aquæ in momento separationis a composito sacramentali corrumpi, & quemdam humorem aqueum sanguinem Christi non continentem produci, cujus dispositiones præcederent in quantitate specierum vini aqua temperati consecrati, ex quibus educerentur species aquæ, eo non absimili modo quo vermes, aut pulveres juxta S. Thomam ex speciebus panis consecrati corruptis educuntur vi agentis naturalis, cujus dispositiones ait, præcesserunt in quantitate.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Probabilis est opinio qua propugnat aquam immediate converti in Christi sanguinem.

PRIMO: Hoc infertur ex can. 19. Concilii Triburiensis declarantis tertiam partem aquæ imponendam esse calici. In qua definitione duo sunt attendenda, primo sacrificium tunc temporis vere fieri, adeoque & veram substantiarum conversionem: Alterum est quod tertia pars aquæ calici apposita, non possit converti in vinum propter angustiam temporis inter oblationem seu offertorium, & inter consecrationem, intercedentis, maxime si vinum sit debile: Superest igitur aquam immediate converti in Christi sanguinem.

Secundo: Patres simpliciter & absque addito asserunt aquam converti in Christi sanguinem; in primis S. Augustinus de Baptismo Tom. 6. Bib. PP. apud Gaufredum qui ait aquam mitti in calicem, & in Christi sanguinem converti.

Tertio: Impossibilis est conversio unius liqui-

liquidi in alium, quia liquida non convertunt alimenta in suam substantiam, ut viventia, nec crescunt nisi per juxta positionem quod potest illustrari vel ipso ignis exemplo, qui nequidem lignum in suam convertit substantiam, sed sua activitate ejus ita dividit partes, ut in cinerem eas reducat.

SYNOPSIS OBJECTIONUM ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Innocentius III. alteram opinionem probabiliorem existimat, sed ut Doctor particularis: non enim suam ad Episcopum Lugdunensem epistolam ad totam, per modum constitutionis direxit Ecclesiam, immo nec præsentem ut erroneam abjecit.

Secundo: Neque vero negamus auctorem Catechismi Concilii Tridentini alteri subscribere opinioni, sed in hoc quæstionem non satis discussit: non desunt quippe Theologi celeberrimi, ut Algerus, Baronius, Gaufredus, qui suum isti ut Patrum sententiæ magis affini addant calculum.

Tertio: Nec ullum facessit negotium quod species aquæ e vino consecrato eductæ non continerent corpus Christi, quandoquidem aqua non est secundum e materia Eucharistiæ, sed ut mixta, & consequenter ejus species Christi sanguinem continere non valent, nisi ut speciebus vini sunt conjunctæ & unitæ.

SECTIO SEXTA.

Utrum ex dispensatione summi Pontificis, una materia partiali omissa, altera possit consecrari?

CERTUM EST consecrationem unius solum materiæ partialis non posse citra peccatum & licite, alia prætermissa, fieri. Neque minus veritati consonum est unam, alia relicta, posse consecrari; consecratio quippe panis non pendet a consecratione vini, cum ista consequatur ad panis conversionem in corpus Christi, & non una sit utriusque materiæ consecratio, quæ quidem diversa est pro diversa materia. Quæstio igitur inter Theologos est, num ex dispensatione saltem summi Pontificis Sacerdos possit licite in una tantummodo specie conficere sacrificium. Partem affirmativam propugnant aliqui; negativam vero Schola Angelica. Unde sit

CONCLUSIO.

Sacerdos non potest licite, etiam accedente summi Pontificis prætensa dispensatione, in una tantum partiali materia sacrificium conficere.

Probatur rationibus Theologicis.

PRIMA sic exponitur: Summus Pontifex non potest dispensare de jure divino, ut propugnat S. Thomas 2. 2. q. 88. art. 11. v. g. in voto solemni religionis, & citat pro isto momento unum juris canonici Decretum: sic habet ille canon, *sunt quidam*; & alii permulti: tametsi enim illud possit explicari, in capitibus quæ aliquam præ se ferunt ambiguitatem, non tamen quando textus ita apertus est, ut illum trahere a sensu obvio ad alterum, manifestam implicet contradictionem. Atqui est de jure divino & panem & vinum simul consecrare. Igitur nullus Sacerdos, etiam supposita prætensa summi Pontificis dispensatione, in una solum specie licite consecrare potest. Probatur minor in qua est difficultas. I. Christus est Sacerdos non secundum vicem Aaron, sed potius Melchisedech, ut habetur Psal. 109. & Heb. 6. Melchisedech autem panem & vinum obtulit, ut legitur Genes. 14. Igitur Sacerdos qui nomine Christi, & ut ejus minister agit, non potest consecrare in una specie, alia omissa: sin minus, vel ipse Christus defraudaretur, qui sic consecravit, & vult semper per Sacerdotis ministerium ita consecrare, juxta illud Joan. 1. *Hic est qui baptizat*. II. Jus illud repetitur a prima institutione; certum est autem Christum in pane simul & vino consecrasse, ut scriptum legimus Matt. 26. Marc. 14. & Luc. 22. Igitur est de jure divino sic consecrare. III. Christus voluit, immo & præcepit sacrificium illud sic confici: *Hoc facite*, inquit Luc. 22. *in meam commemorationem*. Quod enim illud præceptum spectet solam

Euchristiæ confectionem, patet ex eo quod Christus Apostolos tunc instituerit Sacerdotes.

Concilium Tridentinum Sess. 22. cap 1. verbis tam claris hæc explicat, ut non relictus sit ambigendi locus; ecce verba: " Christus Dominus corpus & sanguinem „ suum sub speciebus panis & vini ob- „ tulit Deo Patri, ac sub earumdem re- „ rum symbolis, Apostolis quos tunc „ novi Testamenti Sacerdotes constitue- „ bat, ut sumerent, tradidit; & eisdem, „ eorumque in Sacerdotio successoribus, „ ut offerrent præcepit per hæc verba: „ Hoc facite in meam commemorationem, „ uti semper Ecclesia Catholica intellexit „ & docuit. „ Rursus can. 3. " *Si quis dixerit illis verbis : Hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi aliique Sacerdotes offerrent corpus & sanguinem suum; anathema sit.*

Secunda : Ibi dispensatio non potest locum habere, ubi, illa admissa, solveretur mysterium. Atqui adhibita dispensatione pro una specie solum consecranda, solveretur mysterium, quod quidem seclusо grandi sacrilegio fieri non potest, ut habetur cap. *Nihil*, & cap. *Referimus*, de consecr. dist. 2. solveretur, inquam, quia jam non esset sacrificium secundum ordinem Melchisedech : jam non foret passionis memoriale, cum vel corpus solum patiens repræsentet panis transubstantiatus, vinum vero consecratum solum sanguinem. Jam sacrificium incruentum non adesset, cum in eo situm sit, quod panis separatim a vino consecretur, in quo secundum nos Thomistas tota consistit sacrificii essentia, & juxta ceteros ita inchoatur, ut non sit sacrificium. Tametsi enim Isambertus propugnet communionem esse de complemento sacrificii, certum est tamen sacrificium ante communionem extare, & oblatum fuisse, cum nemo, si attente cuncta ponderet, dixerit participationem sacrificii esse ipsum sacrificium; hinc Auctores exigentes communionem, solum dicunt esse conotatam, & seclusa consecratione, nullum admittunt sacrificium. Igitur non potest admitti dispensatio pro isto momento, cum in hypothesi novæ legis evacuaret sacrificium. In isto prorsus sensu summus Pontifex non potest dispensare de isto jure divino, ut habetur canone *Sunt quidam*, & can. *Contra* 25. q. 1.

Tertia : Quod est de perfectione essentiali mysterii, non potest per dispensationem tolli. Atqui consecratio panis & vini est de perfectione essentiali sacrificii Missæ. Igitur consecratio unius partialis materiæ numquam potest esse licita. Probatur minor: Ex rubricis quæ injungunt in casu quo Sacerdos post consecrationem panis, apoplexia corriperetur, alterum Sacerdotem etiam non jejunium, si incœnatus deesset, consecrare vinum. Non alio ducitur Ecclesia motivo pro isto facto, nisi ut perficiatur sacrificium, quod, seclusa altera materia, nullum foret. Hanc rationem non in uno loco subindigitat S. Thomas; sic loquitur hic q. 74. art. 1. ad 2. " Licet non in omnibus „ terris nascatur triticum vel vinum, „ tamen de facili ad omnes terras de- „ ferri potest, quantum sufficit ad usum „ hujus Sacramenti : nec propter defe- „ ctum alterius est unum tantum sine al- „ tero consecrandum, quia non esset per- „ fectum Sacramentum. „

Quarta : Eucharistia instituta est a Christo per modum convivii : Sed ad convivium & cibus & potus requiruntur, ita ut si unum desit, jam non esset convivium. Igitur & a pari panis & vinum sunt materia ita sacramento & sacrificio essentialis, ut si alterutra desit, Eucharistia non erit convivium, adeoque non potest in hoc fieri dispensatio, maxime cum dispensatio non tendat ad rem de jure divino institutam annihilandam, sed solum ad usum in aliqua circumstantia temperandum; sic a sumptione Eucharistiæ dispensat Ecclesia ægrotum animam agentem, si propter iteratos vomitus non potest decenter Sacramentum sumere.

FIT SATIS OBJECTIONIBUS.

OBJICIES : Summus Pontifex potest de jure divino dispensare, juxta illud Christi ad Petrum Matt. 16. *Quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cœlis.* Igitur & licentiam facere consecrandi in unica specie : nam ab actu ad posse valet consequentia : Sed summus Pontifex non semel in jure divino dispensavit; & probatur

batur. Votum obligat de jure divino, ficut & matrimonium: & tamen de voto dispensat in emergentibus summus Pontifex, ficut & de matrimonio rato, tametsi vinculum sit de jure divino, & propter rationem Sacramenti sit indissolubile. Ergo &c.

Respondeo distinguendo antecedens: Summus Pontifex potest dispensare in jure divino secundum id quod est præceptum divinum, nego: secundum id quod est materia præcepti, subdistinguo: si istud non sit ab ipso Christo in individuo determinatum, concedo: si sit, nego. Duo sunt in præcepto, videlicet ipsa lex, & legis materia, puta castitas promissa, unio inter duas personas matrimonio celebrata. Certum est summum Pontificem non posse dispensare de præcepto, tametsi enim Deus omnem Petro & suis in Pontificatu successoribus dederit solvendi potestatem, non tamen de eo quod sibi reservavit, quale est præceptum ab ipso suo ore promanatum: non enim potest facere illud quod est voto solemni castitatis consecratum, non esse consecratum. Aliud vero quod sub præceptum cadit, quandoque est determinatum in individuo, quandoque non: si primum, non potest dispensare, quia tam præceptum, quam materia præcepti, est Deo reservata; si secundum, potest dispensare, sed hoc non dicitur dispensare in voto & præcepto, sed in materia, quatenus ex potestate quam summus Pontifex habet in subditos, potest declarare id quod fuerat materia, non esse amplius materiam. Quæ doctrina fundatur in Concilio Tridentino his verbis Sess. 21. cap. 2. " Declarat sancta Synodus, hanc potesta-
„ tem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in
„ sacramentorum dispensatione, salva eo-
„ rum substantia, ea statueret vel muta-
„ ret, quæ suscipientium utilitati, seu i-
„ psorum Sacramentorum venerationi,
„ pro rerum, tempore & locorum varieta-
„ te magis expedire judicaverit. „ Ex quibus duo sequuntur, I. videlicet Ecclesiam posse dispensare in eo quod nondum est determinatum in individuo: II. nusquam vero in iis quæ sunt pro utilitate Fidelium, & quæ cedunt in gloriam legis ac juris divini. Jam ad facta deveniendum est.

Certum est autem utramque speciem in sacrificio jus divinum immediate respicere: nam & præceptum, & præcepti materia ac finis pertinent ad legem; sic enim habetur Luc. 22. *Accepto pane, gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens: Hoc est corpus meum ... Similiter & calicem postquam cœnavit, dicens: Hic est calix novum testamentum in sanguine meo*. Ecce materia præcepti in individuo determinata, ibidem: *Hoc facite in meam commemorationem*. Adest præceptum positivum eodem modo conficiendi sacrificium, ac ipse Christus celebraverat.

Jam si de voto & matrimonio loquamur, longe est dispar ratio; non enim tollit, inquit Gonetus hic disp. 3. art. 6. §. 3. summus Pontifex in dispensatione voti obligationem adimplendi quod quis Deo promisit, sed fundamentum promissionis quam homo actu humano sibi imposuerat, ob jus quod habet Papa in subditos suos, vel etiam materiam voti sic adimplendi immutando, & ejus loco alteram subrogando. De matrimonio non est difficultas, cum enim sit contractus, quasdam subit conditiones, quæ si desint, non subsistit. Una inter alias hæc est, ut matrimonium indissolubilitatem non contrahat, nisi sit consummatum. Hinc licet ista ex ratione Sacramenti procedat, nondum tamen completa censetur, donec accedat consummatio: tunc enim indissolubilitatem habet ex jure Sacramenti & etiam naturali, cum fieret proli injuria, si matrimonium consummatum non foret indissolubile. Sanctus Thomas cuncta hæc explicat 2. 2. q. 88. art. 1. ubi sic loquitur: " Dispensatio voti intelligenda est
„ ad modum dispensationis, quæ fit in
„ observantia alicujus legis, quia ut su-
„ pra dictum est, lex ponitur respicien-
„ do ad id quod est ut in pluribus bo-
„ num. Sed quia contingit hujusmodi in
„ aliquo casu non esse bonum, oportuit
„ per aliquem determinari in illo parti-
„ culari casu legem non esse servandam;
„ & hoc proprie est dispensare in lege.
„ Nam dispensatio videtur importare
„ quamdam commensuratam distributio-
„ nem, vel applicationem communis ali-
„ cujus ad ea quæ sub ipso continentur,
„ per quem modum dicitur aliquis dis-
„ pensare cibum familiæ. Similiter au-
„ tem ille qui vovet, quodammodo sibi sta-

O 4 tuit

„ tuit legem, obligans se ad aliquid quod „ est secundum se, & ut in pluribus bo„ num. Potest tamen contingere, quod „ in aliquo casu sit vel simpliciter ma„ lum, vel inutile, vel majoris boni im„ peditivum, quod est contra rationem „ ejus quod cadit sub voto, ut ex præ„ dictis patet. Et ideo necesse est quod „ determinetur in tali casu votum non „ esse servandum; & si quidem absolu„ te determinetur aliquod votum non es„ se servandum, dicitur esse dispensatio „ voti: si autem pro hoc quod servan„ dum erat, aliquid aliud imponatur, „ dicitur esse commutatio voti. Unde „ minus est votum commutare, quam in „ voto dispensare. Utrumque tamen in „ potestate Ecclesiæ consistit. „

S. Doctor in eo solum sensu admittit dispensationem quæ sit utilis, quod non sit mali occasio, quod non impediat majus bonum: quæ quidem clausulæ non adsunt in dispensatione consecrationis unius materiæ Eucharistiæ, cum sit admodum utile & conveniens duas esse in sacrificio species, & hoc teste D. Thoma supra laudato, cedat in perfectionem tum sacramenti quod est convivium sacrum, tum sacrificii quod est memoriale passionis Christi, quæ unica specie non repræsentatur.

Rursus idem S. Doctor art. 11. in corp. sic loquitur: " Et ideo aliis videtur, „ quod etiam in voto solemni continen„ tiæ possit dispensari propter aliquam „ communem utilitatem seu necessita„ tem, ut patet in exemplo præmisso de „ pacificatione terrarum ex aliquo matri„ monio contrahendo. Sed quia decreta„ lis inducta expresse dicit, quod nec „ summus Pontifex potest contra custo„ diam castitatis Monacho licentiam dare, „ ideo aliter videtur dicendum, quod sicut „ supra dictum est, & habetur Levit. ult. „ illud quod semel sanctificatum est Do„ mino, non potest in alios usus commu„ tari. Non autem potest facere aliquis „ Ecclesiæ Prælatus, ut id quod est san„ ctificatum, sanctificationem amittat, et„ iam in rebus inanimatis: puta quod ca„ lix consecratus desinat esse consecratus, „ si maneat integer ... Unde videtur quod „ per Ecclesiam possit dispensari in voto „ continentiæ solemnizato per susceptio„ nem sacri Ordinis; est autem debitum „ continentiæ essentiale statui Religionis, „ per quem homo abrenuntiat sæculo, „ totaliter Dei servitio mancipatus; quod „ non potest simul stare cum matrimo„ nio, in quo incumbit necessitas procu„ randæ uxoris, & prolis, & familiæ, „ & rerum quæ ad hoc requiruntur. Un„ de Apostolus dicit 1. ad Cor. 7. Qui est „ cum uxore, solicitus est quæ sunt mun„ di, quomodo placeat uxori, & divi„ sus est. Unde nomen Monachi ab uni„ tate sumitur per oppositum ad divisionem „ prædictam: & ideo in voto solemni„ zato per professionem religionis non „ potest per Ecclesiam dispensari, & ra„ tionem assignat Decretalis, quia castitas „ est annexa regulæ Monachali. „

Advertas velim, benevole Lector, Doctorem Angelicum in isto secundo loco hoc statuere inter votum castitatis quod contrahit Subdiaconus suscipiendo Ordines, & solemne a Monacho emissum, quod primum sit dumtaxat de præcepto Ecclesiastico, adeoque ab Ecclesia dispensabile, seu evacuabile: alterum vero sit de præcepto divino, eo quod Monachus mundo renuntiet, adeoque justa de causa a curis sæculi potest dispensari. Sed quæso, quodnam motivum dispensandi a duabus speciebus pro sacrificio repræsentando, unam solum retinendo? Nonne necessitas, nonne majestas sacrificii, nonne gloria Ipsius Christi qui quotidie invisibiliter immolatur in Eucharistia, exigunt ut consecratio fiat in pane simul & vino, & sacrificium recte repræsentetur, quod citra dubium sine utraque specie fieri non potest?

Instabis: Ab actu ad posse valet consequentia. Atqui contigit summum Pontificem Innocentium VIII. ut scribit Volaterranus Lib. 3. Geog. cap. de Saxonibus dispensasse eum illis ad consecrandum tantum in pane, eo quod in illis regionibus vinum absque mora acescat. Ergo &c.

Respondeo negando minorem. Ad probationem dico, fidem non esse Volaterrano adhibendam, quippe qui contraria loquatur; ait enim quod " vinum in Norvegia non crescat, & aliunde asporta„ tum cito acescat. „ Quotidiana enim comprobat experientia vinum ad regiones Septemtrionales absque negotio deferri, & ibi

ibi facile etiam diutius conservari. Nec abs re erit hic subnotare versus illa tempora nonnullos Sacerdotes, qui postea igni traditi sunt propter falsificata diplomata Pontificia, ut scribit Bzovius ad annum 1490. potuisse ibi falsam aliquam dispensationem disseminare.

Insistes: Supponamus duo præcepta simul adimplenda occurrere, puta unum de Missa audienda die Dominica, & alterum de Missa sub utraque specie celebranda; sed vinum de longinquo in amphora asportatum casu confracta in ingressu Ecclesiæ deficere. In hac hypothesi videtur quod dispensatio de consecrando solo pane, ne populus transgrediatur præceptum audiendi Missam, possit concedi, & hoc quoties similis continget casus. Ergo &c.

Respondeo in hac hypothesi melius esse ista die omittere Missam, quia illam audire die Dominica est tantum de præcepto Ecclesiastico, de quo Ecclesia dispensare potest: ad illam enim spectat potestatem de lege dispensare, ad quam pertinet eamdem condere. Sed consecrare in pane simul & vino præceptum divinum injungit, quocirca de eo non datur ab hominibus dispensatio; qui enim dispensat, superior est: porro quis æquabitur Deo? Igitur nemo ab ejus lege dispensare præter ipsum valet, nullibi autem in Scriptura legitur Christum aut in hoc dispensasse, aut suis ministris dispensandi concessisse facultatem.

Contra: Neque etiam Christus legem sanxit, ut in pane & vino simul Sacerdotes consecrarent. Ergo &c. Probatur subsumptum multipliciter. Primo quidem, hoc non potest colligi ex illis Luc. 22. verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*. Ista quippe verba innuunt quidem Sacerdotibus incumbere Eucharistiam in memoriam passionis Domini conficere, minime vero in pane & vino simul & semper consecrare. Ista interpretatio est D. Pauli 1. Cor. 11. his verbis: *Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat*. Secundo, ipse Christus Mat. 26. ait: *Accipite & comedite..... bibite ex hoc omnes:* & tamen his verbis præceptum non imposuit, cum certum sit non omnes bibere sanguinem, siquidem laici non nisi sub specie panis Eucharistiam accipiunt. Igitur a simili sufficit, saltem necessitate premente, cum solo pane celebrare Missam. Tertio, in Missa præsanctificatorum non nisi una species consecrata adest: & tamen ista Missa quotannis die parasceves semel in Ecclesia Latina, in Græca vero omnibus ferme diebus hebdomadarum Quadragesimæ, si excipias diem Sabbati & Dominicam, celebratur. Ergo &c.

Respondeo negando subsumptum. Ad primam probationem, non diffiteor ista verba: *Hoc facite in meam commemorationem*, designare Eucharistiam esse passionis Christi repræsentationem, ut explicant Apostoli verba, & post ipsum sanctus Thomas dicens: " O sacrum convi„ vium, in quo Christus sumitur, reco„ litur memoria passionis ejus. „ Sed addo esse utique pro Sacerdotibus præceptum, ut indispensabiliter in pane simul & vino conficiant sacrificium, cum Christus ipse sic fecerit. Primario igitur illa verba, *Hoc facite in meam commemorationem:* continent præceptum in utraque specie Eucharistiam celebrandi: est enim actio quam immediate præcipit, tum Eucharistia facta & passive considerata sub utraque specie est sacrificium incruentum designans cruentum. Sic verba Christi interpretatur Concilium Tridentinum supra laudatum Sess. 22. cap. 1. maxime vero canon. 2. *Si quis dixerit*, inquiunt Patres, *illis verbis, Hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non ordinasse ut ipsi, aliique Sacerdotes offerrent corpus & sanguinem suum, anathema sit*. Nullibi reperies aut Patrem aliquem, aut Concilium aliquod unam speciem ab altera sejungere: quod argumentum est unam, alia omissa, non posse consecrari, seu panem, relicto vino, in Missa consecrandum offerri.

Ad alteram probationem distinguo: Et Christus præceptum non imposuit laicis bibere calicem; hinc si quando biberint, hoc ex licentia Ecclesiæ contigit, concedo: Apostolis eorumque in Sacerdotio successoribus, nego. Manifestum est eo loci Salvatorem nostrum solos alloqui Apostolos, quos constituebat Sacerdotes; quocirca dixit: *Bibite ex hoc omnes*. Hoc

ipsum

ipsum patet ex antecedentibus & consequentibus: Ex antecedentibus quidem; sic enim habetur Matt. 26. *Cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque Discipulis suis, & ait: Accipite & comedite: Hoc est corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus.* Ex subsequentibus vero: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis, usque in diem illum cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei.* Utique ad solos Discipulos sermo dirigitur.

Ad tertium dico, Missam Præsanctificatorum non esse sacrificium nisi late sumptum: unde non mirum si cum una hostia consecrata celebretur.

Replicabis: Communio Sacerdotis tam est sacrificio essentialis, juxta Isambertum & quosdam alios non ignoti nominis Theologos, quam consecratio sub utraque specie. Atqui tamen Ecclesia dispensat a communione sub utraque specie; & probatur. Qui Sacerdotes ordinantur, simul cum Episcopo consecrant, & tamen non nisi sub specie panis sacrificio communicant. Ergo &c.

Respondeo negando antecedens: namque secundum nostram Scholam Angelicam, essentia Missæ in sola consecratione utriusque speciei sita est, ut dicemus infra; sed hoc dato & non concesso, falsum est Ecclesiam dispensare a communione, quandoquidem rubricæ injungunt alterum accersiri Sacerdotem, etiam non jejunum, si alterius non est copia, ad consummandum sacrificium, quando Celebrans apoplexia correptus non potuit communione utriusque speciei perficere sacrificium. Ad probationem dico, Presbyteros ordinandos non esse primarios sacrificii ministros, sed solum Episcopum: hinc singula consecrationis verba non nisi post ipsum proferre debent, suam conjungendo intentionem cum intentione Episcopi. Unde si per impossibile omnes aut obmutescerent, aut verba proferre simularent, foret tamen sacrificium, & quidem perfectum, cum nihil roboris virtutisve accipiat ab ordinandis, qui ordinante Ecclesia, sic sacrificio cooperantur, ut hac cæremonia quasi initientur ad sacrificium se solis conficiendum.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Nequidem ex dispensatione licitum est in una tantum specie consecrare.

PRIMO: Quia sacrificium in utraque specie conficere est de jure divino: porro de jure divino non datur dispensatio, nisi Deus ipse in aliqua circumstantia permiserit; quod nullibi legitur pro Eucharistia in una tantum specie consecranda.

Secundo: Dispensatio divideret, immo solveret sacrificium, cum amplius non esset secundum ordinem Melchisedech, in pane scilicet & vino.

Tertio: Eucharistia instituta est per modum convivii: sed pane vel vino ablato, jam non est convivium. Igitur de hoc non datur dispensatio; potestas enim Ecclesiæ, ait Apostolus 2. Cor. 10. est *in ædificationem, & non in destructionem.*

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Non negamus Ecclesiam posse dispensare in votis, immutando vel auferendo materiam, sed non in jure divino, maxime si vel ipsa materia intra jus illud concludatur, ut panis & vinum pro sacrificio celebrando.

Secundo: Ecclesia potest utique solvere matrimonium ratum, sed non consummatum, ex eo quod sit contractus qui quasdam subit conditiones, quæ si desint, solvitur. Sed sacrificium est quid absolutum, & a Christo in individuo determinatum, adeoque ab hominibus prorsus independens.

Tertio: Missa Præsanctificatorum in una quidem specie celebratur, sed non est sacrificium proprie dictum: unde idem non potest dici de illa in qua sacrificium sicut inchoatur, sic perficitur in duplici specie.

AR-

ARTICULUS QUINTUS.

De forma qua Euchariſtia conſecratur.

NON una eſt omnium circa iſtud caput ſententia. Diſputant Theologi de formis panis & vini a Chriſto præſcriptis; num ſcilicet verba omnia Canonis pro calice conſecrando ſint eſſentialia, vel non. Majori animorum contentione diſceptatum eſt de formis Græcorum, quæ multas habent tum antecedentes, tum conſequentes orationes; hinc non ſine temeritate poſuerunt aliqui Sacerdotem ſola Spiritus ſancti advocatione per ſolas preces, omiſſis verbis Evangelicis, poſſe conſecrare. Quocirca tria circa formam Euchariſtiæ diſcutienda ſunt. Primo quidem de forma in prima ſui inſtitutione: tum de uſitatis in Eccleſia: tertio quid ſentiendum ſit de advocatione Spiritus ſancti.

SECTIO PRIMA.

Utrum Chriſtus uſus ſit verbis Evangelicis ad conſecrationem?

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

Probatur rationibus Theologicis.

PRIMA: Quod vel ipſum annuntiat Evangelium ſic factum eſſe, in dubium non revocandum eſt. Atqui ſic annuntiatur factum in Evangelio; & probatur. Evangeliſtæ hiſtoriam actuum Chriſti ſcribentes, expreſſe dicunt Chriſtum conſecraſſe verbis propriis, eaque refert S. Matthæus cap. 26. his terminis: *Cœnantibus autem eis, accepit Jeſus panem, & benedixit, ac fregit, deditque Diſcipulis ſuis, & ait: Accipite & comedite: hoc eſt corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic eſt enim ſanguis meus novi teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Obſerves velim modum loquendi eſſe cauſalem, eo quippe loci ait Chriſtus: *Comedite: Hoc eſt corpus meum:* hoc eſt, *comedite*, quia eſt corpus meum. Similiter & pro calice: *Bibite ex hoc omnes: Hic eſt enim ſanguis meus.* Audis particulam cauſalem, *enim*, clare admodum exprimi, & motivum ſumptionis calicis Chriſtum ſic deſignare: *Hic eſt enim ſanguis meus.* Obſerves etiam voces, *ait*, & *dicens*, quæ annunciant verborum prolationem pro forma. Mirum eſt quod his tam clare ab ipſo Salvatore explanatis, nonnulli poſuerint Chriſtum non verbis, ſed per ſuam excellentiæ potentiam tranſmutaſſe dona. Potuit quidem non uti verbis; ſed quod ea ad conſecrationem de facto adhibuerit, conclamat S Matthæus, conclamat S. Marcus, conclamat & S. Lucas.

S. Thomas Comment. in Matth. explicans iſta verba, probat auctoritate Ambroſii & Auguſtini Chriſtum ipſis ſuis verbis panem corpus, vinum vero ſanguinem ſuum feciſſe.

Ambroſius, ait ibi S. Thomas, de Sacramentis lib. 4. c. 4. " Iſte autem panis „ ante verba ſacramentorum, panis eſt „ uſitatus; ubi acceſſerit conſecratio, de „ pane fit caro Chriſti. Conſecratio autem quibus verbis eſt, & quibus ſermonibus, niſi Domini Jeſu? Si enim „ tanta vis eſt in ejus ſermone, ut inciperent eſſe quæ non erant, quanto „ magis operatorius eſt, ut ſint quæ „ erant, & in aliud commutentur? ... „ Auguſtinus de verb. Domini. Sicut ergo per Spiritum ſanctum vera caro ſine „ coitu creatur, ita & per eumdem ſubſtantia panis & vini in idem corpus „ Chriſti & ſanguinem conſecratur; & „ ideo quia verbo Domini fit prædicta „ conſecratio, ſubditur, Benedixit. „

Hanc inſtituit S. Thomas auctoritate Ambroſii ſuffultus comparationem, quod ſicut verbo Dei cuncta creata ſunt, ſic & Chriſtus ſuo verbo, ſeu ſuis verbis tranſmutaverit dona; tum ſuam opinionem illuſtrat altera comparatione a S. Auguſtino deprompta, ſcilicet quod ſicut per Spiritum ſanctum Verbum unitum eſt humanitati, ſic & conſecratio facta eſt a Salvatore, ejus verbis operantibus. Igitur Chriſtus protulit verba, quando auguſtiſſimum altaris Sacramentum inſtituit.

Altera ratio: Ex traditione conſtat Chriſtum uſum fuiſſe verbis, ut conficeret Euchariſtiam. Ergo &c. Probatur antecedens: Sic propugnat Tertullianus Lib. 4. contra

contra Marcionem cap. 4. ubi loquens de Christo ait: " Acceptum panem & di-
" stributum Discipulis, corpus suum il-
" lum fecit, hoc est corpus meum di-
" cendo. "

Subscribit Damascenus Lib. 14. de fide cap. 15. " Sicut, *inquit*, Deus dicendo, fiat lux, fecit lucem, ita dicendo, hoc est corpus meum, & hic est sanguis
" meus, perfecit hoc Sacramentum. "

Ceteros Patres in testimonium adducere supersedeo, cum usus Ecclesiæ & possessio sit Eucharistiam verbis Christi in sua priori institutione confectam fuisse.

Tertia sic procedit: Non est contradictio admittenda in institutione Eucharistiæ: sed si excludantur verba Christi, apparebit, quod absit dicere, in verbis Domini contradictio; & probatur. Matt. 26. Christus ait: *Bibite ex hoc omnes: Hic est enim sanguis meus*. Si istis verbis vinum non fecit suum sanguinem, ista particula *enim* causalis nihil significabit. Ratio enim sumptionis a particula subindigitata ea est, quia dicendo, *Hic est sanguis meus*, de facto vinum conversum est in sanguinem. Si vero verba Christi nihil fecere, ut quidam autumant, jam nihil factum est per verba Christi, immo vinum in se remansit, maxime cum Christus eo loci non dicat se velle sanguinem ibi adesse per suam potentiam, quod tamen significasset, si res ita gesta fuisset, ut non relinqueretur ambigendi locus; testator enim moriens, secundum Summistas, clare semper suam aperit mentem.

FIT SATIS OBJECTIONIBUS.

OBJICIES: Concilium Tridentinum Sess. 13. cap. 1. sic loquitur: " Quotquot
" in vera Christi Ecclesia fuerunt, qui
" de hoc sanctissimo Sacramento disserue-
" runt, apertissime professi sunt, hoc
" tam admirabile Sacramentum in ulti-
" ma cœna Redemptorem nostrum insti-
" tuisse; cum post panis vinique benedi-
" ctionem, se suum ipsius corpus illis
" præbere, ac suum sanguinem disertis
" ac perspicuis verbis testatus est. " Igitur ut primum facta est benedictio, jam erant corpus & sanguis Christi independenter a verbis subsequentibus.

Respondeo negando consequentiam; non enim benedictio erat practica, sed solum præparatio ad consecrationem, quam Christus tribuit solum subsequentibus verbis: *Hoc est corpus meum, hic est calix sanguinis mei*.

Instabis: Christus nonnisi postquam dedit panem & vinum Eucharisticum sumenda, protulit hæc verba. *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*. Igitur independenter ab istis verbis jam dona erant transmutata, quandoquidem Apostoli vere corpus & sanguinem Christi sumpsere. Probatur antecedens: Marci 14. sic habetur: *Et accepto calice, gratias agens dedit eis, et biberunt ex illo omnes, et ait illis, hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur*. Ergo &c.

Respondeo primo, opponendo textum Matthæi, qui nonnisi consecrationem per hæc verba, *Hoc est corpus meum*, factam refert, cui assentitur Traditio Patrum; sin minus Eucharistia fieret independenter a verbis Evangelicis uti superfluis, quod citra dubium implicat.

Respondeo secundo: Et verba S. Marci eumdem præ se ferunt sensum, ac verba B. Matthæi, concedo: & non præ se ferunt, nego. S. Evangelista suum ipse prodit sensum, addendo *hic est sanguis meus*: ad quid enim illa subjungeret, nisi ut doceret Lectorem per ista verba independenter ab ordine verborum, vinum fieri Christi sanguinem?

Solutio est D. Thomæ hic q. 78. art. 1. ad 1. ubi dicit quod: " Christus mani-
" feste ea proferens consecraverit: & ideo
" alii dixerunt quod Evangelistæ non sem-
" per eumdem ordinem in recitando ser-
" vaverunt, quo res sunt gestæ, ut pa-
" tet ex Augustino in libro de consensu
" Evangelistarum: Unde intelligendum
" est ordinem rei gestæ, sic exprimi pos-
" se: Accipiens panem benedixit, dicens,
" hoc est corpus meum, & deinde fre-
" git, & dedit Discipulis suis: Sed idem
" sensus haberi potest, etiam verbis E-
" vangelicis non mutatis: Nam hoc par-
" ticipium, *dicens*, concomitantiam
" quamdam importat verborum prolato-
" rum ad ea quæ præcedunt: Non autem
" oportet quod hæc concomitantia intel-
" ligatur solum respectu ultimi verbi pro-
" lati, quasi Christus tunc ista verba pro-
" tule-

„ tulerit, quando dedit Discipulis suis: „ Sed potest intelligi concomitantia re- „ spectu totius præcedentis, ut sit sensus, „ dum benediceret, frangeret, & daret „ Discipulis suis, hæc verba dixit: Ac- „ cipite &c. „

Replicabis: Innocentius III. L. 4. de Mysterio Altaris c. 6. ex professo docet Christum non per verba, sed ratione potentiæ excellentiæ consecrasse: Ergo &c.

Respondeo distinguendo: Et sic loquutus est ut Doctor particularis; nondum enim erat inauguratus summus Pontifex quando hunc scripsit librum, concedo; & loquutus est ex cathedra, nego. Re vera quidem, si ratione potentiæ excellentiæ Christus consecrasset, non protulisset verba Evangelica: nec eis tribuisset consecrandi efficaciam.

Respondeo secundo: Et Innocentius loquutus est opinative, concedo: assertive, nego: Sic respondet D. Thomas ibidem; relata enim opinione Innocentii, & aliorum qui tenent Christum non consecrasse verbis Evangelicis, ait: " Sed contra „ hoc expresse sunt verba Evangelii, in „ quibus dicitur, quod Christus benedi- „ xit, quæ quidem benedictio aliquibus „ verbis facta est. Unde prædicta verba „ Innocentii sunt opinative magis dicta, „ quam determinative. „

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Christus usus est verbis sacram consecrando Eucharistiam.

PRIMO: Hoc ipsum patet ex Evangelio. Matth. 26. habetur: *Accipite & comedite: hoc est corpus meum, &c.*

Secundo: Idem ex Traditione liquet: Sic enim propugnat Tertullianus Libr. 4. contra Marcion. c. 4. Sic Ambrosius L. 4. de Sacr. cap. 4. Sic Damascenus L. 14. de fide cap. 15. D. Thomas Comment. in cap. 26. Matth.

Tertio: Ratio suffragatur. Christus Dominus sacram instituendo Eucharistiam, suum Testamentum faciebat; hinc clare & citra ambiguitatem loquebatur: Sed verba Christi ut sonant, Eucharistiam conficiunt. Igitur Christus Dominus instituendo Eucharistiam verbis usus est.

SYNOPSIS OBJECTIONUM ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Tametsi Concilium Tridentinum dicat Christum post benedictionem, suum corpus benedictione facta, dedisse Discipulis, non inde sequitur non adhibuisse verba, quibus panis in suum transubstantiaretur corpus, cum Matthæus hoc ipsum referat, dicens: *Benedixit, ac fregit, deditque Discipulis suis, & ait: Accipite & comedite: hoc est corpus meum.*

Secundo: Neque vero aliquod facessit negotium textus S. Marci, qui, inverso ordine, sic refert consecrationem: *Accepto calice gratias agens dedit eis, & biberunt ex illo omnes, & ait illis, hic est sanguis meus.* Verba quippe priora, supponunt posteriora; quia vero Matthæus qui primus ex Evangelistis scripsit, ordinem sententiarum apposuerat, de hoc ideo non curavit S. Marcus.

Tertio: Non diffitemur Innocentium III. propugnasse Christum consecrando abstinuisse a verbis; sed loquutus est ut Theologus particularis, & ut ait D. Thomas hic q. 78. art. 1. ad 1. solum opinative.

SECTIO SECUNDA.

Utrum istæ formæ, Hoc est corpus meum; Hic est sanguis meus, *sufficiant ad Eucharistiam conficiendam?*

SUPPONO I. istas formas esse convenientes, quia ait S. Thomas hic qu. 78. art. 2. Christus dum Eucharistiam instituit, usus est eis, ut habetur Matth. 26. utraque, sicut exigit signum practicum facit quod significat.

Suppono II. verba laudata pertinere ad essentiam formæ Eucharistiæ, & de hoc ultro conveniunt Theologi Orthodoxi; sed utrum subsequentia, quæ leguntur in canone? disputant inter se: Gonetus hic disp. 7. art. 2. §. 1. 2. 3. cum quibusdam aliis affirmativam partem tenet. Sed contra sit

CON-

CONCLUSIO.

Ista verba, *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus*, totam formæ essentiam continent.

Probatur omni argumentorum genere.

Primo, ex Scriptura sacra.

Quæ sunt a Christo in individuo determinata, absque addito accipienda sunt, & ut sonant: Atqui forma utraque, panis scilicet & vini a Christo determinata & data est in solis istis verbis, *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus*. Ergo &c. Probatur minor ex tribus Evangelistis qui de utraque forma scripserunt. Matthæi 26. habetur: *Accepit Jesus panem & benedixit, ac fregit, deditque Discipulis suis, & ait accipite & comedite*: HOC EST CORPUS MEUM. *Et accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis dicens: bibite ex hoc omnes*: HIC EST ENIM SANGUIS MEUS novi Testamenti, *qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*.

Apud S. Marcum cap. 14. hæc leguntur: *Et manducantibus illis, accepit Jesus panem, & benedicens fregit, & dedit eis, & ait, sumite*: HOC EST CORPUS MEUM. *Et accepto calice, gratias agens dedit eis: & biberunt ex illo omnes, & ait illis*, HIC EST SANGUIS MEUS *novi Testamenti, qui pro multis effundetur*.

S. Lucas capit. 22. sic scribit: *Et accepto pane gratias egit & fregit, & dedit eis, dicens*: HOC EST CORPUS MEUM, *quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem, postquam cœnavit, dicens*: HIC EST CALIX NOVUM TESTAMENTUM IN SANGUINE MEO, *qui pro vobis fundetur*. Multa sunt in his ponderanda. Primo quidem verba quæ transubstantiationem operantur; deinde vero antecedentia, tum & consequentia: certe ista antecedentia apud Matthæum: *Accepit Jesus panem & benedixit ac fregit, deditque Discipulis suis, & ait, accipite & comedite .... & accipiens calicem, gratias egit: & dedit illis, dicens, bibite ex hoc omnes*, & similia apud alios Evangelistas sunt solum quædam ad operationem miraculosam & ad Eucharistiæ conficiendæ sumptionem præparationes, nec quidquam in se practicum important. Jam vero si de subsequentibus sermo sit, ne minimum quidem Eucharistiæ sacramentum conficiunt, sed factum supponunt, ut sensus obvius dicit. Apud Matthæum pro forma panis nihil prorsus conjungitur cum illa; hæc vero verba, *novi Testamenti qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*: formam calicis subsequuntur. Quis autem cordatus dixerit ista verba conficere Eucharistiam, eum supponant factam, nec nisi effectus mirabiles subsequendos significent. Superest igitur illa sola verba: *Hoc est corpus meum; hic est sanguis meus*, esse formam essentialem, cum per ea sola transubstantiatio fiat.

Confirmatur: Quæ sunt essentialia referunt omnes Evangelistæ: Sed verba quæ notant fructum ex Eucharistia percipiendum non omnes referunt. Matthæus enim & Marcus fructum solius sanguinis effundendi commemorant, sed nihil de effectibus corporis dicunt, quos tamen non omisissent si verba fructum percipiendum significantia, forent de essentia. Solus Lucas ait in persona Christi; *Hoc est corpus meum quod pro vobis datur*: Cum tamen omnes verba transubstantiationem conficientia adamussim referant.

Rursus: Si verba subsequentia intra essentiæ limites concluderentur, non licitum foret aliquid aut detrahere, aut ipsis addere: Atqui tamen quædam in antiquis Liturgiis aut detrahuntur, aut miscentur. Et probatur: In Liturgia S. Jacobi fratris Domini hæc habentur. *Levatis oculis in cœlum, aspexit ad te Deus Pater, & gratias agens benedixit, sanctificavit, fregit, & dedit Discipulis suis sanctis & Apostolis, dicens: accipite, manducate ex eo omnes, Hoc est corpus meum, quod pro vobis, & pro multis frangitur & datur in remissionem peccatorum & vitam æternam*. Sacerdos: *Similiter etiam & calicem postquam cœnaverunt, miscens vino & aqua, & gratias agens benedixit, sanctificavit, & dedit iisdem Apostolis sanctis, dicens: Accipite, bibite ex eo omnes. Hic est sanguis meus Testamenti novi, qui pro vobis, & pro multis Fidelibus effunditur, & datur in remissionem peccatorum, & vitam æternam*. Ubi, quæso, in toto Scripturæ contextu reperies formas tot terminis com-

compositas, tot adornatas explicationibus, tot modis, effectus Eucharistiæ designantes? sed in uno omnes adunantur, quod verba transsubstantiationis invariabiliter exprimant: argumentum sane, sola verba in conclusione laudata esse formis essentialia.

Secundo, idem probatur ex Liturgiis.

HABEMUS ex istis antiquis monumentis Traditionem Apostolicam, pro formis Eucharistiæ: Sed ex omnibus liquet sola ista verba: *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus*, esse formis essentialia: Ergo &c. Ad probandam minorem sufficit per ordinem singulas Liturgiarum formas enarrare.

Prima est ea quæ S. Jacobi fratris Domini nomen præ se fert, cujus verba mox texuimus.

Altera nomine D. Petri insignitur, & in priorem collimat; hæc autem habet: *Panem accepit super manus suas ab omni macula immunes, & elevavit eum, & aspectu visibili, tum etiam insensibili benedictione, dignatus est, & benedixit eum, sanctificavit eum, & fregit deditque Discipulis, Apostolis suis, dicens: Mysteria hæc viatica vobis sint, & quandocumque comedetis istud ad modum alimenti, credite & certum habete, quod hoc est corpus meum quod pro vobis & pro multis frangitur, & datur ad expiationem delictorum, remissionem peccatorum, & vitam æternam .... Similiter & calicem postquam cœnaverant, miscuit vino & aqua, & benedixit eum, sanctificavit, & dedit Discipulis suis Apostolis, dicens: Accipite, bibite ex eo omnes: hic est sanguis novi testamenti qui pro vobis & pro multis effunditur & datur in veniam delictorum, remissionem peccatorum, & vitam æternam.*

In Liturgia quæ inscribitur, *Liturgia sancti Joannis Evangelistæ*, habetur: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis, & pro omnibus in me credentibus frangitur, & dividitur in expiationem delictorum, remissionem peccatorum, & vitam futuram in sæcula .... Hic est calix sanguinis mei, novi Testamenti, accipite, bibite ex eo omnes: iste effunditur pro vita mundi, & ad expiationem delictorum, remissionem peccatorum omnibus in me credentibus in sæcula sæculorum.*

Liturgia S. Marci Evangelistæ, hanc habet formam pro pane quidem: *Hoc est corpus meum, accipite, manducate ad remissionem peccatorum vestrorum & omnium Fidelium verorum ad vitam æternam*. Pro calice vero: *Hic est sanguis meus Testamenti novi, accipite, bibite ex eo omnes, ad remissionem peccatorum vestrorum, & omnium Fidelium verorum ad vitam æternam.*

Liturgia quæ duodecim Apostolorum nomine celebratur, utramque formam sic annuntiat. *Hoc est corpus meum, quod pro vobis & pro multis frangitur, & datur in remissionem peccatorum, & vitam æternam .... Hoc est Testamentum novum in meo sanguine, qui pro vobis & pro multis effunditur ad expiationem delictorum.*

S. Xystus in sua Liturgia formas istis verbis refert. *Hoc est nempe corpus meum, quod pro vobis & pro multis frangitur, & dividitur ad expiationem delictorum, & remissionem peccatorum, ad vitam æternam ... Hic nempe est calix sanguinis mei novi Testamenti, qui pro vobis, & pro multis effunditur & datur ad expiationem delictorum, & remissionem peccatorum, dedit nobis ad vitam æternam.*

Liturgia S. Clementis Papæ hæc consecrationis verba complectitur: *Accipite & manducate ex eo, quia Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur & datur, ad veniam omnium Fidelium plurimorum pro quibus immolatur, & dividitur, ad propitiationem delictorum, remissionem peccatorum, & vitam æternam. Hic est sanguis meus, qui confirmat Sacramentum mortis meæ: qui pro vobis effunditur, & pro multis datur, & dividitur ad propitiationem delictorum, remissionem peccatorum & vitam æternam.*

Liturgia S. Dionysii, Athenarum Episcopi, hanc habet utriusque Materiæ consecrationem: *Accipite & manducate ex eo pane, & credite, quod corpus meum est, illud ipsum quod pro vobis & pro multis frangitur et datur, ad expiationem delictorum, remissionem peccatorum, et vitam æternam ... Bibite ex eo omnes, et credite quod hic est sanguis meus Testamenti novi, qui pro vobis et pro multis effunditur et datur, ad expiationem delictorum, remissionem peccatorum, et vitam æternam.*

Obser-

Observes velim Jacobitas qui ista utuntur Liturgia, hunc Dionysium habere ut Areopagitam, quem etiam arabice, *Boulousi*, Paulinum vocant, sive Pauli Discipulum. Ejusque libros ut genuinos ventilant, & majores eorum Monophysitæ, qui sub Justiniano, anno J.C. 523. Constantinopoli de fide collationem cum Orthodoxis habuerunt, primi illius testimoniis usi sunt, quod a viris doctissimis dudum fuit observatum. Morinus de Sacr. Ord. pag. 2. cap. 1. Launojus de duobus Diony. Renaudotius Tom. 2. Lit. Orient. pag. 212.

Circumfertur etiam Liturgia, quæ dicitur sancti Ignatii Martyris, ubi habetur: *Accipite, edite ex eo: Hoc est corpus meum, quod vos & multos praparat ad remissionem peccatorum, & vitam æternam .... Accipite, bibite ex eo vos omnes: Hic est sanguis meus, quem pro vita mundi do ego, vos autem & multos præparat ad remissionem peccatorum, & ad vitam æternam.*

Liturgia Julii I. Papæ hanc habet pro utraque forma lectionem. *Hoc est corpus meum ipsum, quod pro vobis, & pro multis datur in expiationem delictorum, & remissionem peccatorum, & vitam æternam .... Hic est sanguis meus Testamenti novi, qui pro vobis & pro multis datur, ad expiationem delictorum & remissionem peccatorum, & vitam æternam.*

Liturgia S. Eustathii Patriarchæ Antiocheni verba consecratoria hæc sunt. *Hoc est corpus meum quod vos & omnes suscipientes illud, Fideles præparat ad vitam æternam .... Hic est sanguis meus qui vos & omnes suscipientes eum Fideles præparat ad vitam æternam.*

Celebris sancti Joannis Chrysostomi Liturgia, istam continet pro pane consecrando formam. *Hoc est enim vere corpus meum, quod pro vobis & pro multis frangitur & datur in remissionem peccatorum.* Tum pro vino. *Hic enim est sanguis meus vere, ipse qui pro vobis & pro multis effunditur & datur in remissionem peccatorum, & vitam æternam: hoc facite in mei memoriam. Quotiescumque enim manducatis panem hunc, & calicem hunc bibetis, mortem meam annuntiabitis, donec veniam.*

In alia ejusdem sancti Doctoris Liturgia, quæ habetur in Missali Caldaico, non nihil diversitatis a priore in utraque forma reperitur. Hæc est panis consecratio. *Hoc est corpus meum, quod datur ad remissionem peccatorum, & vitam novam, quæ est in æternum.* Tum hæc vini consecratio sequitur. *Hic est sanguis meus qui pro vobis funditur ad expiationem delictorum, remissionem peccatorum, & vitam novam quæ est in æternum.*

In Liturgia S. Maruttæ Catholici sic legitur: *Credite & certi estote, atque ita prædicate, & docete quod corpus meum hoc est, quod pro salute mundi frangitur, & illis qui comedunt illud, & crediderint in me, dat expiationem peccatorum, & vitam æternam: prædicate, & docete, quod hic est sanguis meus, qui pro salute mundi effunditur, iisque qui bibunt illum & credunt in me, dat expiationem peccatorum, & vitam æternam.*

Liturgia S. Cyrilli Alexandrini celeberrima est apud Copticas, & est una ex tribus quibus solent uti. Eam a S. Marco promanasse testatur Abulbircat. Apud eam hæc est panis consecratio: *Hoc est corpus meum quod pro vobis frangitur, vos autem, & multos Fideles præparat ad vitam.* Vini vero hæc est sequitur: *Hic est sanguis meus, qui obsignat testamentum mortis meæ, vos autem, & multos Fideles præparat ad vitam æternam.*

Mitto alias permultas, sed Liturgia S. Basilii apud Orientales magni ponderis, non est omittenda. In ea sic habetur: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis & pro multis frangitur, & dividitur in expiationem culparum remissionemque peccatorum, ac in vitam sempiternam ... Iste est sanguis meus ille novi Testamenti qui pro vobis & pro multis effunditur & spargitur, in expiationem culparum & remissionem peccatorum, atque in vitam æternam.*

Demum in Missa, qua Mozarabes in Hispania usi sunt, composita a S. Leandro, & a S. Isidoro, formæ his solum verbis referuntur. *Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur ..... Hic est calix novi Testamenti in meo sanguine, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

Observandum est istas Liturgias ex Manuscriptis optimæ notæ Bibliothecæ Regiæ, Colbertinæ, Seguianæ excerptas esse.

Plures Tom. 4. vel etiam 6. Bibliothe-

cæ

cæ Patrum referuntur. De Lugo disput. 4. de Sacramento Eucharistiæ sect. 4. n. 61. commemorat eas quæ nominibus SS. Jacobi, Chrysostomi, Sixti, S. Joannis Evangelistæ, Eustathii, Joannis Patriarchæ, S. Marci, & Mozorabum inscribuntur. Addit unam Æthiopum quæ ibidem in Bibliotheca PP. continetur, quæque a S. Matthæo creditur composita, ubi forma calicis hæc legitur: *Hic est calix sanguinis mei, qui pro vobis effunditur, & pro redemptione multorum. Amen.* *Subjicit*: " Quas formas ex Missali manuscripto Maronitarum a Monte Libano Roman misso dedit mihi perdoctus vir Victorius Scialath, Abbas S. Gregorii natione Maronita, & in urbe Roma a multis annis Linguarum publicus Interpres. "

His præmissis sequitur illud irrefragabile argumentum: Verba essentialia a nemine omitti debent, & eumdem sensum præ se ferre debent; sin minus nihil fieret: Atqui in Liturgiis omni exceptione majoribus, nedum diversa prorsus est lectio verborum antecedentium, ista. *Hoc est corpus meum*; *hic est calix sanguinis mei*, tum & subsequentia: Sed & multa omittuntur quæ auctores contrariæ sententiæ ut essentialia ventilant. Igitur a veritate alienum videtur dicere verba omnia quæ proferuntur in Missali Romano pro consecratione esse calici essentialia: Probatur minor quæ tres continet partes: Prima est lectionem Liturgiarum esse prorsus diversam a lectione formæ consecrationis juxta Ritum Romanum. Secunda, easdem Liturgias esse omni exceptione majores. Tertia quædam ex verbis formam subsequentibus in Liturgiis omitti.

Primo quod lectiones diversæ sint, legenti patebit: unum aut alterum exemplum hic texere sufficiat. In Liturgia S. Jacobi hæc est lectio: *Levatis oculis in cœlum, aspexit ad te Deus Pater, & gratias agens benedixit, sanctificavit, fregit, & dedit Discipulis suis, sanctis Apostolis dicens: Accipite, manducate ex eo omnes, hoc est corpus meum, quod pro vobis, & pro multis frangitur, & datur in remissionem peccatorum, & vitam æternam. Similiter etiam, & calicem postquam cœnaverunt miscens vino, & aqua, & gratias agens benedixit, sanctificavit, & dedit eisdem Discipulis, & Apostolis sanctis, dicens, accipite, bibite, ex eo omnes: Hic est sanguis meus Testamenti novi, qui pro vobis, & pro multis Fidelibus effunditur, & datur in remissionem peccatorum, & vitam æternam.*

In Missali Romano: *Qui pridie quam pateretur, accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas*, quæ verba desunt in priori. Tum: *Et elevatis oculis in cœlum ad te Deum Patrem suum omnipotentem gratias agens, benedixit, fregit, deditque Discipulis suis, dicens: Accipite, & manducate ex hoc omnes.* In Liturgia S. Jacobi: *Aspexit ad te Deus Pater, & gratias agens, benedixit, sanctificavit.* Et in Missali Romano. *Hoc est enim corpus meum.* In Liturgia mox citata. *Hoc est corpus meum quod pro vobis & pro multis frangitur, et datur in remissionem peccatorum, et vitam æternam.* In isto textu, *enim* omittitur, additur vero, *quod pro vobis frangitur etc.* quæ verba non sunt in Missali Romano.

Forma calicis juxta Missale Rom. *Accipiens et hunc præclarum calicem in sanctas ac venerabiles manus suas, item tibi gratias agens, benedixit, deditque Discipulis suis, dicens, accipite, et bibite ex eo omnes: hic est enim calix sanguinis mei, novi et æterni Testamenti Mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

In Liturgia vero S. Jacobi hæc est consecrationis calicis lectio, & quidem in multis diversa: *Similiter etiam, et calicem postquam cœnaverunt, miscens vino, et aqua, et gratias agens, benedixit, sanctificavit, et dedit iisdem Discipulis, et Apostolis sanctis, dicens, accipite, bibite ex eo omnes: Hic est sanguis meus Testamenti novi, qui pro vobis, et pro multis Fidelibus effunditur, et datur in remissionem peccatorum, et vitam æternam.*

Secundo: Neque minus constat in Liturgiis Orientalibus multa verba consecrationis, quæ leguntur in Missali Romano, omitti; in nulla quippe ista vocabula, *Mysterium fidei*, reperies, sicut & vox *æterni*; ista vero *novi & æterni testamenti* desunt in Liturgia S. Clementis, S. Ignatii, S. Chrysostomi, S. Marutæ, S. Cyrilli Alexandrini.

Observes velim, realem corporis & sanguinis

guinis Christi in Eucharistia præsentiam mirum in modum in istis Liturgiis astrui, maxime in Liturgia S. Petri his verbis: *Quandocumque istud ad modum alimenti*, CREDITE, ET CERTUM HABETE QUOD HOC EST CORPUS MEUM.

In Liturgia S. Dionysii: *Accipite et manducate ex eo pane*, CREDITE, *quod corpus meum est* ILLUD IPSUM, *quod pro vobis, et pro multis frangitur*. Tum in Liturgia S. Chrysostomi, *Hoc est enim* VERE *corpus meum*.

Tertio denique istas Liturgias esse omni exceptione majores, ex antiquitate, tum & sanctitate atque eruditione auctorum liquet.

Confirmatur: Si verba subsequentia ad istam calicis formam, *Hic est calix sanguinis mei*, sicut in Missali Romano leguntur forent de essentia, inde sequeretur nec Patres priorum sæculorum, nec ipsos Apostolos consecrasse, cum aliqua verba quæ auctores alterius sententiæ essentialia autumant, omisissent; in eorum quippe Liturgiis, nec ista vocabula *Mysterium fidei*, nec ista *æterni Testamenti*, reperiuntur: sed nemo cordatus hæc dixerit, maxime cum istæ Liturgiæ munitæ sint calculo, & summorum Pontificum, & Concilii Florentini Patrum, qui nihil in eis reprehensione dignum invenerunt. Ergo &c.

Hac ratione Cardinalis De Lugo hic disp. 11. de Euch. sect. 4. n. 61. pag. 384. debellat opinionem contrariam; laudatis enim multis ex Liturgiis quas commemoravimus, subjicit: " Dici autem non „ potest, eas omnes Provincias & san„ ctissimos Patres Ecclesiæ, essentialem „ formam consecrationis ignorasse, ac „ omisisse, atque ideo caruisse vero sa„ crificio per tot sæcula: præsertim, „ cum Romana Ecclesia, quæ aliarum „ magistra est, eos numquam correxerit, „ sed toleraverit, neque in Concilio Flo„ rentino, ubi alia, quæ difficilia appa„ rebant de ritu Græcorum, fuerunt exa„ minata, circa hoc nihil quidquam dif„ ficultatis illis objectum fuerit a Ponti„ fice, immo aperte suppositum ibi sit, „ Græcos Sacramentum Eucharistiæ con„ ficere; & valida verba proferre, cum „ rogati fuerint sessione ultima, cur post „ verba consecrationis adjungerent preces, „ quibus conversionem quasi nondum fa„ ctam a Deo petebant. „

Tanto auctoritatum pondere oppressi opinionis contrariæ auctores, replicant formam quidem, ubi verba subsequentia vel ex parte, vel totaliter omittuntur valere quidem apud Orientales Ecclesias, secus vero apud Occidentales: sed hoc incassum reponitur, cum Liturgiæ etiam Occidentalis Ecclesiæ, v. g. SS. Petri, Clementis, Xysti, verba laudata non secus ac Orientales ex parte omittant: Quinimmo Romanæ Ecclesiæ Patres ut Cyprianus, Ambrosius, Gaudentius, & alii complures, omissis vocibus, *novi & æterni Testamenti* &c. Pro forma calicis ea solum referant: *Hic est calix sanguinis mei*.

Tertio, ex Conciliis.

EUGENIUS IV. in Concilio Florentino pro instructione Armenorum circa divinam Eucharistiam hæc profert: " Forma „ hujus Sacramenti (Eucharistiæ) sunt „ verba Salvatoris, quibus hoc Sacra„ mentum conficitur; Sacerdos enim in „ persona Christi loquens hoc conficit Sa„ cramentum; nam ipsorum verborum „ virtute, substantia panis in corpus „ &c. „

Synodus Tridentina Sess. 13. cap. 3. similia loquitur: " Semper hæc fides in Ec„ clesia Dei fuit, statim post consecra„ tionem verum Domini nostri corpus, „ verumque ejus sanguinem sub panis & „ vini specie una cum ipsius anima, & „ divinitate existere; sed corpus quidem „ sub specie panis, & sanguinem sub vi„ ni specie, ex vi verborum. „

In iis sententiis sola Christi verba panis & vini transubstantiativa, sunt Eucharistiæ sacramenti forma. Sed illa sola: *Hoc est corpus meum, hic est calix sanguinis mei*, sunt I. verba Christi, cum multa de forma Missalis Romani, desint in Liturgiis laudatis. II. Quædam ex Traditione Apostolica sunt addita. III. Cuncta nonnisi Eucharistiæ effectus important; effectus autem supponit causam jam productam, adeoque verba illum designantes, ipsam quoque Eucharistiam jam transubstantiatione completam

tam

tam subnotant. Igitur cetera verba non sunt essentialia.

Catechismus Rom. suse explicat, quædam verba subsequentia esse verbis Christi addita, & non nisi Eucharistiæ effectus explanare, P. 2. num. 20. " Itaque a sanctis Evangelistis Matthæo & Luca itemque ab Apostolo docemur, illam esse formam, Hoc est corpus meum; scriptum est enim: *Cœnantibus illis, accepit Jesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque Discipulis suis, & dixit: Accipite & manducate; Hoc est corpus meum.* Quæ quidem consecrationis forma cum a Christo Domino servata sit, ea perpetuo Catholica Ecclesia usa est."

Pergit: " Ratione etiam id facile persuaderi potest; nam forma ea est qua illud significatur quod in hoc sacramento efficitur: cum autem hæc verba id quod fit significent ac declarent, hoc est, panis conversionem in verum Domini nostri corpus, sequitur formam in illis ipsis verbis constituendam esse; in quam sententiam, quod ab Evangelista dictum est, benedixit, licet accipere. Perinde enim videtur intelligendum, ac si dixisset, accipiens panem benedixit, dicens: Hoc est corpus meum. Quamvis enim Evangelista verba illa, *Accipite & comedite*, præposuerit, illis tamen non materiæ consecrationem, sed usum tantummodo significari perspicuum est. Quare a Sacerdote quidem omnino proferri debent, sed ad sacramentum conficiendum necessaria non sunt."

Rursus: " Quemadmodum etiam proferatur conjunctio illa, *enim*, in corporis & sanguinis consecratione: aliter enim fiet, ut, si hoc Sacramentum nemini administrandum sit, confici non oporteat, aut non possit quidem: cum tamen dubitare non liceat quin Sacerdos prolatis ex more atque instituto sanctæ Ecclesiæ verbis Domini, aptam panis materiam vere consecret: quamvis deinde contingat, ut nulli unquam sacra Eucharistia administretur."

Prosequitur num. 21. " Jam vero quod ad vini, quæ est altera hujus Sacramenti materia, consecrationem attinet, ob eamdem causam quam supra commemoravimus, opus est ut Sacerdos formam cognitam & perspectam habeat. Eam igitur his verbis comprehendi, certo credendum est: *Hic est calix sanguinis mei, novi & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Ex quibus verbis plura quidem e sacris Scripturis colliguntur: quædam vero in Ecclesia ex Apostolica traditione conservata sunt. Nam quod dicitur, *Hic est calix*, a D. Luca & ab Apostolo scriptum est. Quod vero sequitur: *Sanguinis mei, vel Sanguis meus novi testamenti, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, partim a D. Luca, partim a D. Matthæo, dictum est. Verba autem illa, *Æterni*, & *Mysterium fidei*, sancta traditio, Catholicæ veritatis interpres & custos, nos docuit."

Rursus, " Verum de hac forma nemo dubitare poterit, si quod antea dictum est de forma consecrationis, quæ ad panis elementum adhibetur, hoc etiam loco attendatur. Constat enim iis verbis quæ vini substantiam in sanguinem Domini converti significant, hujus elementi formam contineri. Quare cum verba illa hoc aperte declarent, perspicuum est aliam formam constituendam non esse."

Demum num. 22. " Exprimunt autem præterea quosdam effusi sanguinis in passione Domini admirabiles fructus qui ad hoc Sacramentum maxime pertinent. Unus est, aditus ad æternam hæreditatem, quæ novi atque æterni testamenti jure ad nos venit. Alter est, aditus ad justitiam per mysterium fidei; *Jesum* enim *per fidem in sanguine ejus propitiatorem Deus proposuit, ut ipse sit justus et justificans eum qui ex fide est Jesu Christi*. Tertius est, remissio peccatorum."

Quarto, ex Sanctis Patribus.

Patres Græci.

JUSTINUS Apologia 2. ad Antoninum Imperatorem pro Christianis conscripta, sic loquitur: " Apostoli in commentariis suis, quæ Evangelia dicuntur, ita sibi Jesum præcepisse tradiderunt, eum

„ eum accepto pane, cum gratias egisset, dixisse: Hoc facite in memoriam mei: hoc est corpus meum; dixisse etiam accepto poculo: Hic est sanguis meus, ipsisque solis dedisse. „

S. Chrysostomus Serm. de proditione Judæ Tom. 3. operum ipsius: “ Hoc est, „ *ait*, corpus meum. Hoc verbo proposita consecrantur; & sicut illa vox quæ dixit: *Crescite, & multiplicamini, & replete terram*, semel quidem dicta est, sed omni tempore sentit effectum ad generationem, operante natura, ita & vox illa semel dicta est, sed per omnes mensas Ecclesiæ usque ad hodiernam diem, & usque ad eius adventum præstat sacrificio firmitatem. „

S. Damascenus Lib. 4. de fide Orthodoxa cap. 14. idem innuere videtur: “ Dixit, „ *inquit*, in principio, *Producat terra herbam virentem*. atque ea etiam nunc orto imbre, fœtus suos producit, divino præcepto impulsa ac roborata. Dixit Deus: *Hoc est corpus meum*; &, *Hic est sanguis meus*; &, *Hoc facite in meam commemorationem*; atque omnipotenti ipsius præcepto, donec ipse veniat, hoc efficitur. „

Patres Latini.

INNOCENTIUS III. præibit ante omnium faciem. In libro de mysterio Altaris, quem composuit antequam summus Pontifex inauguratus esset, cap. 6. sic loquitur. “ Cum ad prolationem verborum „ istorum: *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus*; Sacerdos conficiat, credibile judicatur, quod Christus ea dicendo confecerit. „

S. Cyprianus nostræ subscribit propositioni sermone de cœna Domini pagin. 464. his verbis: “ Manducaverant & biberant „ de eodem pane secundum formam visibilem: sed ante verba illa cibus ille communis tantum nutriendo corpori commodus erat, & vitæ corporalis subsidium ministrabat. Sed ex quo a Domino dictum est: *Hoc facite in meam commemorationem: Hæc est caro mea*, & *Hic est sanguis meus*; quotiescumque his verbis & hac fide actum est, panis iste substantialis, & calix benedictione solemni sacratus, ad totius hominis vitam salutemque proficit, simul medicamentum & holocaustum ad sanandas infirmitates, & purgandas iniquitates existens. „

Concinit Tertullianus Libr. 4. adversus Marcionem. Inter omnes eminet S. Ambrosius Lib. 4. de Sacram. cap. 4. ubi ait: “ Sicut cuncta verbo suo fecit Deus, sic „ & per verbum suum Christus panem in corpus, vinum vero in sanguinem suum transmutat. „ Tum capit. 5. explicat quibus verbis sacram conficiat Eucharistiam, & nulla mentione facta de verbis subsequentibus, in illis solis *Hic est enim sanguis meus*, totam reponit formam consecrativam calicis. Sic inchoat caput: “ Vis scire quia verbis cœlestibus consecratur? accipe quæ sunt verba. Dicit „ Sacerdos: Fac nobis, inquit, hanc oblationem adscriptam, rationabilem, acceptabilem: quod est figura corporis sanguinis Domini nostri Jesu Christi. Qui pridie quam pateretur, in sanctis manibus suis accepit panem, respexit ad cœlum, ad te sancte Pater omnipotens æterne Deus, gratias agens, benedixit, fregit, fractumque Apostolis suis & Discipulis suis tradidit, dicens: Accipite & edite ex hoc omnes: „ *Hoc est enim corpus meum, quod pro multis confringetur*. Similiter etiam calicem, postquam cœnatum est, pridie quam pateretur, accepit, respexit ad cælum, ad te sancte Pater omnipotens æterne Deus, gratias agens, benedixit, Apostolis & Discipulis suis tradidit dicens: Accipite & bibite ex eo omnes: *Hic est enim sanguis meus*. Vide singula: „ Qui pridie, inquit, quam pateretur, in sanctis manibus suis accepit panem. Antequam consecretur, panis est; ubi autem verba Christi accesserint, corpus est Christi. Denique audi dicentem: Accipite & edite ex eo omnes: „ *Hoc est corpus meum*; & ante verba Christi, calix est vini & aquæ plenus. *Demum* totam capite superiori scilicet 4. jam diremerat controversiam: recensitis enim verbis Evangelicis, ne quis putaret verba subsequentia pertinere ad essentiam, subjungit: “ Reliq a omnia quæ „ dicuntur, laus Deo defertur, oratione petitur pro populo, pro regibus, pro ceteris. Ubi venitur ut conficiatur

„ vene-

„ venerabile Sacramentum, jam non suis „ sermonibus Sacerdos, sed utitur ser„ monibus Christi.„

Gaudentius Brixiæ Episcopus Tract. 2. de Exodo similia profert, nec ulla commemorat verba post ista: *Hic est sanguis meus*. Certe cum in Italia sæculo 4. floruerit, apprime noverat quænam erat Ecclesiæ Romanæ de formis Eucharistiæ sententia. " Cum panem consecratum, *ait*, „ & vinum discipulis suis porrigeret, sic „ ait: *Hoc est corpus meum; hic est sanguis* „ *meus*. Credamus cui credidimus: ne„ scit mendacium veritas: non infringa„ mus illud os solidissimum: *Hoc est cor*„ *pus meum*; *Hic est sanguis meus*.

Quinto, ex Sancto Thoma.

NONNULLI ex nostris Thomistis S. Thomam in suas trahunt partes: in primis Gonetus. Quia vero sanctum Doctorem in omnibus habere ut magistrum gloriamur, quantum alii a mente Doctoris Angelici recedant, luce meridiana clarius ostendo.

S. Doctor in hac quæstione 78. tres articulos de forma tum panis, tum vini instituit. In primo quærit: *Utrum hæc sit forma hujus Sacramenti; Hoc est corpus meum; &, Hic est calix sanguinis mei?* In secundo, *Utrum hæc sit conveniens forma consecrationis panis; Hoc est corpus meum:* In tertio: *Utrum hæc sit conveniens forma consecrationis vini, Hic est calix sanguinis mei?* &c. Ex his titulis patet S. Thomam in primo solum articulo movere quæstionem de essentia formæ, in aliis vero duobus tantummodo de convenientia, & consequenter ea omnia quæ in istis ultimis dicit, non essentiam, sed convenientiam dumtaxat spectant; e contra vero quæ in priori docet, ad essentiam formæ totaliter pertinent. Quibus prælibatis variis argumentis aperitur mens Doctoris Angelici, & argumentis irrefragabilibus ostenditur, eum propugnare sola verba in titulo primi hujusce quæstionis articuli posita, totam essentiæ formam complecti.

Primo: Ille propugnat ista solum verba, *Hoc est corpus meum, Hic est calix sanguinis mei*, totam complecti utriusque formæ essentiam, qui pro more objectiones quæ sunt fundamenta sententiæ oppositæ proponit, & his non obstantibus, concludit pro opinione defendente totam in verbis laudatis formarum essentiam concludi. Atqui res sic se habet. Et probatur: Propositis rationibus in contrarium, sic concludit: " Sed contra est, quod Ambrosius dicit in Lib. de Sacramentis: „ Consecratio fit verbis, & sermonibus „ Domini Jesu: nam per reliqua omnia „ quæ dicuntur, laus Deo refertur, „ oratione petitur pro populo, pro Re„ gibus, pro ceteris: ubi autem Sacra„ mentum conficitur, jam non suis ser„ monibus Sacerdos utitur, sed utitur „ sermonibus Christi. Ergo sermo Christi „ hoc conficit Sacramentum.„

Secundo: Ea verba sola docet esse essentialia, quæ panem in corpus, & vinum in sanguinem Christi convertunt; hanc enim statuit inter materiam aliorum sacramentorum, & Eucharistiæ materiam, quod illa transeat, in usu sita sit & benedicatur; ista vero permaneat, & transubstantietur: Sed ex eodem sancto Doctore verba laudata id totum faciunt; quod quidem probat auctoritate D. Ambrosii; ista enim solum verba, *Hic est calix sanguinis Christi*, commemorat, & reliqua verba tum antecedentia, tum consequentia laudem Deo, & orationem pro populo continere asserit. Igitur Doctor Angelicus non alia pro forma essentiali præter laudata admittit. Ratio a priori ea est, quod Minister in hoc Sacramento agat in persona Christi, & ejus utatur sermonibus, in aliis vero sit ut Minister exercens, cujus actus in forma exprimitur. Sic loquitur in corpore articuli primi:" Dicendum, quod hoc Sacramentum „ ab aliis sacramentis differt in duobus: „ primo quidem, quantum ad hoc, quod „ hoc Sacramentum perficitur in conse„ cratione materiæ: alia vero sacramen„ ta perficiuntur in usu materiæ conse„ cratæ. Secundo, quia in aliis sacramen„ tis consecratio materiæ consistit solum „ in quadam benedictione, ex qua mate„ ria consecrata accipit instrumentaliter „ quamdam spiritualem virtutem, quæ „ per ministrum, qui est instrumentum „ animatum, potest ad instrumenta inani„ mata procedere: sed in hoc Sacramento „ consecratio materiæ consistit in quadam mira-

„ miraculosa conversione substantiæ, quæ „ a solo Deo perfici potest. „

Tertio : S. Thomas hanc sibi proponit difficultatem : “ Si ergo prædicta verba „ sunt forma hujus Sacramenti, videtur „ quod aliquando possit hoc Sacramentum perfici his solis verbis prolatis, „ scilicet, *Hoc est corpus meum*, *Hic est calix sanguinis mei*, & omnibus aliis prætermissis, quæ in Missa dicuntur, quod „ tamen videtur esse falsum : quia ubi „ alia verba prætermitterentur, prædicta verba acciperentur ex persona Sacerdotis proferentis, in cujus corpus „ & sanguinem, panis & vinum non „ convertuntur. Non ergo prædicta verba sunt forma hujus Sacramenti. „ Ecce status quæstionis clare expositus, & gravior contra nostram sententiam objectio, cui objectioni facit satis sanctus Doctor iterum exponendo opinionem contrariam, quam debellat, repetita S. Ambrosii auctoritate, his verbis.

“ *Ad* quartum dicendum, quod quidam dixerunt, hoc Sacramentum perfici non posse, prædictis verbis prolatis, „ & aliis prætermissis, præcipue quæ „ sunt in Canone Missæ: sed hoc patet „ esse falsum, tum, ex verbis Ambrosii „ supra inductis, tum etiam, quia Canon „ Missæ non est idem apud omnes, nec „ secundum omnia tempora, sed diversa „ sunt a diversis apposita: unde dicendum „ est, quod si Sacerdos sola verba prædicta proferret cum intentione conficiendi hoc Sacramentum, perficeretur „ hoc Sacramentum: quia intentio faceret, ut hæc verba intelligerentur quasi ex persona Christi prolata, etiamsi „ verbis præcedentibus hoc non recitaretur: graviter tamen peccaret Sacerdos „ sic conficiens hoc Sacramentum, utpote „ ritum Ecclesiæ non servans: Nec est simile de Baptismo, quod est Sacramentum necessitatis; defectum autem hujus Sacramenti potest supplere spiritualis manducatio, sicut Augustinus dicit. „

Sexto, rationibus Theologicis.

PRIMA : Forma essentialis Eucharistiæ sita est in verbis quæ faciunt quod significant : Sed conversio panis in corpus, vini vero in sanguinem significatur his verbis: Prima fit per illa sola verba *Hoc est corpus meum*, altera, per ista ulteriora, *Hic est calix sanguinis mei*, cetera quippe nonnisi aut laudem Deo, aut pro populo deprecationem important, nusquam vero transubstantiationem. Ergo &c. Ista ratio est D. Thomæ ibidem art. 1. “ Forma hujus Sacramenti differt a formis „ aliorum sacramentorum in duobus. Primo quidem quia formæ aliorum sacramentorum important usum materiæ, „ puta baptizationem, vel consignationem : sed forma hujus sacramenti importat solam consecrationem materiæ, „ quæ in transubstantiatione consistit; puta cum dicitur, Hoc est corpus meum, „ vel, Hic est calix sanguinis mei. „

Altera, Sacerdos teste D. Ambrosio L. 4. de Sacr. cap. 4 jam non suis sermonibus, sed verbis Christi, & in persona ejus loquitur, conficiendo Eucharistiam : sed illis solis, *Hoc est corpus meum*, *Hic est calix sanguinis mei*, agit in persona Christi, in reliquis vero in nomine Ecclesiæ : Ergo &c. Istud argumentum est etiam D. Thomæ, qui ibidem sic pergit : “ Secundo, quia formæ aliorum sacramentorum „ proferuntur ex persona Ministri, sive „ per modum exercentis actum, sicut cum „ dicitur, Ego te baptizo, vel, Ego te „ confirmo: sive per modum operantis, „ sicut in Sacramento Ordinis dicitur, „ Accipe potestatem, &c. sive per modum deprecantis, sicut cum in Sacramento Extremæ-Unctionis dicitur, Per „ istam unctionem, & nostram intercessionem, &c. sed forma hujus Sacramenti profertur quasi ex persona ipsius „ Christi loquentis, ut detur intelligi, „ quod Minister in perfectione hujus Sacramenti nihil agit, nisi quod profert „ verba Christi. „

Tertia: Forma Sacramentorum, maxime Eucharistiæ debet esse certissima, ita ut non possit ei subesse falsum : Atqui sola verba laudata, sunt certa, cum de reliquis nihil certi habeatur, quandoquidem in diversis Liturgiis citatis diversa leguntur ; neque enim earum omnium una est lectio, unus textus, unusque in subsequentibus verbis sensus, cum in multis multa ex verbis de quibus movetur quæstio, desiderentur. Ergo &c.

Quar-

Quarta: Si verba subsequentia ad istam formam, *Hic est calix sanguinis mei*, forent de essentia, utique & ista, hanc formam panis concomitantia, *Quod pro vobis datur*; Juxta S. Lucam capit. 22. *Quod pro vobis, et pro multis frangitur et datur in remissionem peccatorum, et vitam æternam*. Ut habetur in Liturgia S. Jacobi: nam eadem est ratio pro una forma, ac pro altera, & corpus Christi non secus ac ejus sanguis est causa & remissionis peccatorum & vitæ æternæ assequendæ. Atqui tamen ex D. Thoma hic art. 1. (nec diffitentur opinionis contrariæ assertores) verba ad formam panis consequentia ad essentiam non pertinent. Ergo &c.

Gonetus alteram sententiam propugnando, contradictoria loquitur.

PRIMA Contradictio disp. 7. de Euch. art. 1. pag. 282. sic loquitur: " Dico breviter, in his quatuor verbis, *Hoc est corpus meum*, formam necessariam & essentialem consecrationis panis consistere. " Idem dicit æquivalenter de ista calicis forma; *Hic est calix sanguinis mei*: hac enim ratione suam probat conclusionem: " Illa sola verba sunt de essentia formæ qua consecratur panis, quæ significant præsentiam corporis Christi sub speciebus: sed hanc significant sola verba in conclusione posita. " Nonne & ista, *Hic est calix sanguinis mei*, significant pariter sanguinem esse sub speciebus? Igitur ex ejus principio, ista sola verba, *Hic est calix sanguinis mei*, sunt verba essentialia, sicut & ista *Hoc est corpus meum*, totam complectuntur formæ panis consecrandi essentiam; cum eadem sit phrasis, eadem pro utraque forma respectiva significatio, eadem & efficacia.

Altera ejusdem auctoris contradictio. Suam eamdem probat opinionem, ulteriori ista ratione: " Probatur secundo conclusio specialiter contra Scotum. Illa solum verba necessaria sunt ad consecrandum corpus Christi, quæ Christus protulit conficiendo hoc Sacramentum, & Sacerdos profert, ut gerens personam ipsius Christi. " Rursus art. 3. pagin. 289. " Sacerdos consecrat ut Minister Christi, & ut vices gerens ut docet Florentinum in decreto unionis. Ergo &c. " Certe juxta Patrum dicta, ista sola verba, *Hoc est corpus meum*. *Hic est calix sanguinis mei*, sunt verba Salvatoris. Sanctus Thomas art. 1. sic propugnat, vel ipse Gonetus sic intelligit de priore forma, ex quibus concludit contra Scotum ista antecedentia, *Qui pridie quam pateretur*, &c. *Accipite & manducate*, non esse ad consecrationem necessaria: Igitur & idem tenetur dicere de verbis formam calicis concomitantibus, & subsequentibus.

Tertia Contradictio. Ibidem art. 1. *Utrum Christus in consecratione sui corporis & sanguinis, aliquibus verbis usus fuerit?* Et respondet affirmative, quod quidem probat auctoritate sancti Cypriani, Ambrosii, Damasceni a nobis citata, qui certe omnes, nihil aliud pro forma calicis ponunt, præter ista verba: *Hic est Calix sanguinis mei*. Igitur vel non alia verba essentialia admittat, vel Patres laudatos sibi adversantes esse fateatur.

Quarta Goneti allucinatio. Suam probat sententiam auctoritate Div. Thomæ, maxime duplici, desumpta ex q. 78. art. 3. sed luce meridiana clarius apparet, eo loci sanctum Doctorem non loqui de essentia formæ, sed solum de convenientia, ut ex titulo patet, & dum dicit reliqua verba esse de substantia, nomine substantiæ nihil aliud præter integritatem, seu complementum compositi, quo sensu pedes & brachia dicuntur de substantia hominis, intelligit; cujus explicationis duplex est irrefragabile argumentum, primum quidem quod in hoc articulo sanctus Doctor non agat de essentia formæ, cum hanc quæstionem in primo articulo compleat: Alterum est quod vel in ipso articulo 3. suam ipse prodat mentem: ita enim reliqua verba dicit de substantia, ut sola ista priora transsubstantiationem operentur, & jam sit facta, dum subsequentia pronuntiantur. Imponit igitur Gonetus Div. Thomæ, seu ad ejus sensum non attendit. Ecce verba sancti Doctoris: " Dicendum est ergo quod omnia prædicta verba sunt de substantia formæ, sed per prima verba, cum dicitur, Hic est calix sanguinis mei, significatur ipsa conversio vini in sangui-

„ nem, eo modo quo dictum est in for- „ ma consecrationis panis. " Audis sanctum Doctorem eamdem tribuere efficaciam istis verbis : *Hic est calix sanguinis mei : Hoc est corpus meum*. Sed ex ipso Goneto ista, Hoc est, &c. contioent totam panis formam : Igitur & illa, Hic est &c. totam calicis, juxta inconcussam Doctoris Aogelici doctrinam continent.

Proponuntur difficultates contra genuinitatem Liturgiarum, quæ in probationem conclusionis afferuntur.

Objicies : Argumentum quod ex rebus aut dubiis, aut apocryphis deducitur, infirmum est. Atqui argumentum ex Liturgiis pro conclusione laudata astruenda est hujusmodi. Et probatur multis momentis. I. Liturgiæ citatæ, quæ circumferuntur, ooo suot antiquæ, sio minus foreot Scripturæ Sacræ, cum quædam Apostolis tribuantur. II. Earum multitudo novitatem spirat, Æthiopes duodecim circiter habent ; Jacobitæ, complures, similiter & Maronitæ ; Echellensis in notis ad Hebed-Jesu quinquaginta & amplius apud Syros extitisse scribit : Non una est etiam in omuibus lectio. III. Nec quidquam certi pro auctoribus habetur. IV. Istarum Liturgiarum sententiæ & orationes non satis sibi cohærent, & quædam veritati contraria complectuntur, namque pro Regibus Christianis in *Memento* funduntur preces, ut videre est in Liturgiis Syriacis, Regum autem Christianorum primus extitit Constantinus Magnus Imperator ; sicque illas Liturgias ante quartum sæculum ventilare non oportet, vel si ante istud ævum reponantur, manifesta contradictio occurrit: Quasi vero Ecclesiæ Tyranni & persecutores, alias idololatræ, nomine Regum piorum insignirentur. Demum quædam nedum Traditioni opposita, sed & absona in aliquibus referunt ; videlicet deprecatio in Memento vivorum pro requie SS. Martyrum, immo & ipsius sanctissimæ Virgiois. Ordo quippe communis in MS. Colbertino commemorat eos pro quibus oratur, ut Deus præstet *illis requiem & memoriam bonam*, & ibi nominatur Beata Virgo. *Præsta etiam per illud incensum, quietem, & memoriam bonam Genetrici tuæ, & sanctis tuis, fili Christe, qui adoraris, & glorificaris cum Patre tuo, & Spiritu tuo*, & paulo prius : *Ecce obsecramus te, Domine Deus, suscipe incensum istud aromatum, quod offert tibi tenuitas nostra, pro sancta genitrice Dei Maria, pro patre nostro Adamo, & matre nostra Æva, pro Prophetis, & Apostolis &c. pro divitibus, & pauperibus, pro angustiatis, & afflictis*. Iterum : *Deus per clementiam tuam, præsta requiem & memoriam bonam Genitrici tuæ, & sanctis tuis, omnibusque defunctis, super altare tuum sanctum, & caleste*.

Antiquitas & genuinitas Liturgiarum responsionibus ad objectiones firmatur.

Respondeo primo in genere, istas Liturgias esse optimæ notæ, quippe quæ sint vel ex editione Romana, vel ex manuscriptis Bibliothecæ Regiæ, Colbertioæ, Seguierianæ &c. " Illud porro, *ait Renaudotius Tom. 2. Liturg. dissert. de Syriacis & Jacobitarum Liturgiis pagin. 5.* " patebit enumeratis illis Liturgiis, quç „ vel in Romana editione sunt, vel in „ codicibus MS.

" *Liturgia* Jacobi fratris Domini, quæ „ reliquarum omnium canon est, ea ra- „ tione quam alibi explicavimus : scili- „ cet ut prima ejus pars, quæ usque ad „ osculum pacis perducitur, inserviat, „ cujus loco Xysti Romani Liturgiam „ Romani editores substituerunt, juxta „ exemplarium recentiorum fidem.

„ *Ejusdem* Jacobi Liturgia brevior, in „ epitomen redacta a Gregorio Jacobita „ Catholico Orientis, ante annos non „ multos. „

„ *Petri* Principis Apostolorum, edita, & io Manuscriptis codicibus.

„ *Petri* Papæ Romani : in editione Ro- „ mana, sed non ioveoitur in Manuscriptis codicibus.

„ *Tertia* Petri Principis Apostolorum „ nomine extat in codicibus Colberti- „ ois, & Seguieriano uoo. „

„ *Clementis* Romani, in Manuscri- „ ptis. „

„ *Dionysii* Atheniensis nomine una ex- „ tat in Manuscriptis, sed ab ea diversa „ est quam Romana editio repræsentat.

„ *Ea* vero quam Atheniensi tribuuot, „ secundum codices MS. opus est Dio-

„ oysii

„ nysii Barsalibi Metropolitæ Amidæ Ja-
„ cobitæ.
„ *Ignatii* Antiocheni Episcopi, & Mar-
„ tyris in editione Romana, prorsus dif-
„ fert ab altera ejusdem tituli manu-
„ scripta.
„ *Marci* Evangelistæ, in Romana edi-
„ tione: in Manuscriptis plane diversa.
„ *Joannis Evangelistæ* ibidem edita: quæ
„ extat in codicibus MSS. Duodecim
„ Apostolorum: ibidem & in Manuscri-
„ ptis.
„ *Iulii Papæ* Romani edita, & in codd.
„ Manuscriptis.
„ *Eustathii* Antiocheni in editione Ro-
„ mana, & in MSS.
„ *S. Joannis Chrysostomi* secundum Ro-
„ manam editionem, sed in codicibus
„ Manuscriptis, Joannis dicitur simpli-
„ citer.
„ *Alia* sancti Joannis in codicibus MSS.
„ *Marutæ* Metropolitæ Orientis in edi-
„ tione Romana, & in MSS.

Respondeo secundo, ad singula.

Ad primum quidem, esto quod quædam recentiores sint, illæ scilicet quæ post bella Mahumetanorum qui sexto sæculo & sequentibus ætatibus Asiam, & Africam vastarunt, restauratæ sint, eas tamen essentialia veterum retinere, luce meridiana clarius apparet, cum easdem in substantia lectiones, eumdemque ordinem habeant, immo & formam. Renaudotius ibidem hæc de vestutate Liturgiarum Jacobitarum Syriæ loquitur pag. 14. & 15. contendens non esse per omnia in hoc credendum Minoritis, & Missionariis, qui de illis dubitant. " Unum, *ait*, adjicere operæ pretium erit: Nempe quid „ quid de illis officiis statuatur, illa du„ plici ratione commendari, sinceritatis „ scilicet, atque vetustatis. Nam omnia, „ quorum versionem damus, ex optimis, „ nec interpolatis codicibus expressa sunt, „ iisque non unis: atque adeo plurium „ consensu in genuina lectione confirman„ da, plenam auctoritatem habent, quam „ exemplarium antiquitas ab omni suspi„ cione vindicat. Ipsa vero in usu fuisse, „ libri quoque ipsi testantur, adeo triti „ apparent Sacerdotum manibus: & multi „ extant in quorum vacuis foliis aliquo„ rum nomina, tum eorum quos bapti„ zaverunt, dies ordinationis, obitus E„ piscoporum, aut Patriarcharum, aut „ Sacerdotum suæ Ecclesiæ, adscribun„ tur. Eumdem usum probant recentio„ ra nonnullarum exemplaria, quæ vetu„ stis simillima sunt: Sparsim enim Litur„ giæ illæ reperiuntur, neque ex multis „ codicibus quos habuimus, nobis appa„ ruit, unum aliquem fuisse quo omnes „ continerentur, adeo ut nullus, ut apud „ Coptitas, codex extet, qui liturgiarum „ corpus integrum complectatur. Hinc „ quantum conjectari licet, confirmatur „ id quod superius tetigimus, in vastis„ sima illa Antiochena Diœcesi, Catho„ licos, & ipsos etiam Episcopos, mul„ tas scripsisse, vel probasse, quæ in Ec„ clesia Antiochena usum non haberent. „ *Pergit*: " Omnium porro exemplarium, „ quæ in Oriente ab indigenis descripta „ sunt, forma eadem est quæ antiquissimo„ rum: a qua longius abeunt, quæcum„ que ex illorum manibus prodierunt qui „ in Europam venientes, dum fidei suæ „ sinceritatem demonstrare satagunt, mu„ taverunt quæcumque a Missionariis, „ improbata esse audierant, & similia „ sæpe vidimus, quæ ut inutilia plane, „ ex hac collectione rejicienda judicavi„ mus, cum nulla sit illorum auctoritas: „ neque enim quærimus, quæ debeat ex „ talium censorum sententia esse Orien„ talium disciplina, sed qualis revera sit, „ & antiquitus fuerit. Neque ullius mo„ menti sunt hoc in genere Maronita„ rum testimonia, qui ad codices suos pro„ vocant, tamquam sinceriores, & ab om„ ni erroris suspicione immunes, cum il„ las ipsas liturgias, quas ex multis elege„ runt, ut Romæ ederentur, Jacobitarum „ esse demonstretur tam certis argumentis, „ ut reponi nihil possit, & illas notas in„ dubitatas interpolationis præ se ferunt.„ Verum omnem suspicionem novitatis tollit antiquitas Liturgiæ S. Jacobi, quippe quæ sit ceterarum pro Coptitarum, Melchitarum & Syrorum Liturgiis regula: eam autem esse vetustissimam asserit Renaudotius ibidem pag. 1. & 2. his verbis. " Sane maximus omnium Syrorum de Ja„ cobi liturgiæ antiquitate, & auctorita„ te consensus est, in quo illorum tradi„ tio, Græcarum Ecclesiarum traditioni „ est plane similis; nam licet illa rarius „ utantur a multis sæculis, primam tamen,

„ & an-

„ & antiquissimam omnium fuisse, non „ modo Theologi, sed Synodus sexta, „ statuerunt. Nulla hic inter Orthodoxos, & Hæreticos opinionum dissensio est: Et re vera nulla inter eos, aut „ etiam inter Græcos, & Syros, esse potuit; quandoquidem ex Codicum utriusque linguæ comparatione, Syriacam Lyturgiam Jacobi ex Græca fuisse expressam statim intelligitur. Græcæ usum „ communem in Ecclesia Hierosolymitana „ fuisse, certissimo Cyrilli ejusdem Episcopi testimonio demonstratur, cujus „ auctoritatem labefactare dum conatus „ est Andreas Rivetus Criticorum infelicissimus, imperitiam ipse suam, non „ Catecheseon Mistagogicarum suppositionem demonstravit, ut fusius alibi probavimus. Unde non modo Hierosolymis, sed in Palæstinis Ecclesiis usurpatam fuisse Jacobi Liturgiam evidenter conficitur. Cum vero Syriaca „ lingua iis in provinciis vernacula foret, „ prætertim in pagis, & extra urbes, „ originem inde habuit Liturgia Syriaca, „ quam Orthodoxi, & Jacobitæ tamquam antiquitus traditam huc usque „ servaverunt, & Syri omnes. „

„ *Rursus* pag. 10. Jacobi quidem Liturgiam omnes ut vetustissimam agnoscunt, „ & eam in cœnaculo Sion ab Apostolo „ ipso scriptam fuisse communis traditio „ est, quam refert, ut apud suos r eptam, Dionysius Barsalibi. Ea scilicet „ offerendi sacrificii Eucharistici forma „ fuit, quam Ecclesia Hierosolymitana „ antiquitus tenuit: similis in multis „ Græcæ, quæ extat sub eodem titulo, „ ut vel ille solus Diptychorum locus „ significat: ubi oratur pro sancta Sion „ Ecclesiarum omnium matre. „

Ast tametsi multæ Liturgiæ Apostolos auctores habeant, non inde sequitur ipsas Scripturæ sacræ naturam & auctoritatem sibi vindicare, quod quidem non una evincit ratio. Prima est, in Canone Scripturarum, ab Ecclesia non fuerunt adscitæ. Secundo, non habent certitudinem fidei & inspirationem, sed tantum moralem & Ecclesiasticam; quatenus ab illis ut a Pastoribus, quibus incumbit juxta leges humanas prudenter regere Ecclesiam Dei, emanarunt. Sic statuta pro jejuniis, vel festis celebrandis, licet Apostolica, non sunt tamen Scripturæ sacræ, neq; ejus sibi vindicant auctoritatem. Observes tamen velim dogmata quæ in Liturgiis leguntur contineri in Libris sacris.

Ad secundum, distinguo: Incerti sunt Liturgiarum auctores & incertus ordo, physice, concedo: moraliter, nego. Cum Libri sacri multa passi sint naufragia tribus prioribus sæculis, propter persecutiones, & rursus subsequentibus ævis malitia, & molitione Turcarum, quibus adversus Christianos sævire gloria est, non mirum si hinc inde dispersi & mutilati codices, integri ad Ecclesias non pervenerint; ex quo factum est modo nomen auctoris in fronte librorum appositum, modo partem Liturgiæ excidisse: Sed unum inconcussum habemus, quod inter quadraginta Liturgias, quas refert Renaudotius Tom. 1. & 2. Liturgiarum, & alias, quæ supersunt in Bibliotheca tum Vaticana, tum ceterorum virorum doctorum, omnes, ne una quidem excepta, conveniant in rebus essentialibus, scilicet in consecratione panis & vini, quod fidem transubstantiationis adversus Protestantes mirum in modum astruit. Neque vero prætermittendum est, argumentum pro earum vetustate inconcussum illud esse, quod plurimarum, maxime S. Petri, Jacobi, Marci, Joannis, Clementis, Ignatii, initium temporis quo apparuerunt, designari non possit; hinc & vetustissimas eas esse liquet juxta illam S. Augustini regulam non semel decantatam, quando alicuius rei initium non invenitur, illud ab Apostolis suam originem ducere signum est.

Ad tertium, distinguo: Liturgiæ laudatæ non sibi cohærent in quibusdam levioribus: concedo: In re essentiali, videlicet in ratione Sacrificii peragendi, & in transubstantiatione, nego. Tria potissimum in Liturgia consideranda sunt: Primum, quod sit ordo Sacrificium celebrandi: Secundum, quod sit ritus quibusdam constans orationibus & cæremoniis: Demum, quod sit cæremonia in qua panis & vinum vi verborum transubstantiantur in corpus & Christi sanguinem. In primo & tertio omnes adunantur Liturgiæ; in secundo solum discrepant, quia ritus in quibusdam Ecclesiis fusior, in aliis brevior, in qualibet etiam

etiamnum pro memoria sanctorum cujuslibet Diœcesis Canon non nihil diversus est, sed hæc accidentalia meram spectant disciplinam, quæ in Ecclesiis diversa, juxta Episcoporum placita & devotionem evadit.

Ad quartum similiter distinguo: Funduntur preces pro Regibus idololatris reduplicative ut idololatris, nego: pro Regibus idololatris timentibus Deum, subdistinguo: ut ad fidem convertantur, vel etiam, ut minus adversus Christianos sæviant, concedo: absque fine bono & indiscriminatim, nego. Apostolus 1. Tim. 2. præcepit orare pro Regibus universim: vel ipsa Ecclesia in die Parasceves orat & pro Paganis, & pro Judæis; sed ut Christum verum Deum agnoscant, hoc enim orationum verba sonant: Immo vel in ipsa veteri Lege oraverunt Prophetæ pro Nabuchodonosor, Dario, Artaxerxe, qui timentes Deum, multa beneficia populo Judaico præstitere, sicut & Reges tum Syriæ, tum Ægypti, qui non semel munera templo Jerosolymitano præstitisse leguntur in libris Machabæorum. Neque prætereunda sunt edicta Nabuchodonosor, & istius Balthasaris qui Danielem e lacu leonum educi voluit, quibus populis suis Deum venerari jusserunt. Quid ni igitur & Ecclesia funderet pro Imperatoribus primorum sæculorum, saltem ut mitescerent, & a persequendis Christianis, cessarent? Unum tamen observandum est, precem in Liturgiis pro Regibus Christianis ut plurimum intelligi, & additam fuisse a Christianis, qui antiquas Liturgias descripsere.

Non abs re erit hic texere quæ Renaudotius ibidem pag. 101. pro explicatione difficultatis dicit in suis ad Liturgias Syriacas observationibus. " De o„ ratione pro Christianis Principibus di„ ctum est ad Copticam Basilii Litur„ giam, & dicetur adhuc in observatio„ nibus ad aliquot sequentes. Duplex e„ nim in Syriacis occurrit illarum ora„ tionum lectio. Prima est ei similis quam „ hæc Liturgia repræsentat, & quæ Græ„ cis prope omnibus communis est, ut „ scilicet oretur pro Imperatoribus aut „ Regibus, *Christianis piis, & Deum ti„ mentibus* .... Illud autem nomen Syri „ reddere solent per *Deum timentes*, & „ Religionem per *Dei timorem*. Altera est „ ut simpliciter oretur pro Regibus, & „ Principibus, qualescumque sint: quod „ in plerisque observatur, Mahumetano„ rum metu. Utraque illa formula æque „ communis est omnibus Liturgiis Syria„ cis, præter illas quæ sunt Nestoriani „ ritus. Observat hoc loco Barsilibi quos„ dam Sacerdotes orationem pro Regi„ bus omittere, quod ubique prope in„ fideles sint, & hostes Christiani nomi„ nis: aut Chalcedonenses sive Ortho„ doxi, qui Ecclesiæ Jacobiticæ non ma„ gis faveant, quam Mahumetani. Ne„ gat tamen id recte fieri, cum Paulus „ Apostolus doceat orandum esse pro Re„ gibus, qui sua ætate infideles erant, „ & Christianos durissimis persecutioni„ bus affligebant: ut tranquillam vitam „ agamus. „

Ad quintum distinguo: Funduntur preces in Liturgiis pro SS. Martyrum & ipsius Beatissimæ Virginis requie extrinseca, concedo: intrinseca, nego. Requies Sanctorum est ipsorum gloria, quæ ab Ambrosio definitur, *clara Dei cum laude notitia*: & hæc duplex est, una intrinseca & essentialis, extrinseca altera & accidentalis: prior sita est in visione Dei, quæ est omnium bonorum causa, & suavis agregatio; posterior, est veneratio qua viatores prosequuntur Sanctos, quamque perturbant Heterodoxi. Certe non primam gloriam pro Sanctis Martyribus, & BB. Virgine petit Ecclesia, cum teste S. Augustino Serm. 16. eos benedicat. " Ideoque habet, *inquit Augustinus*, Ec„ clesiastica disciplina, quod fideles no„ runt, cum Martyres eo loco recitan„ tur ad altare Dei, ubi non pro ipsis „ oratur: pro ceteris autem commemo„ ratis defunctis oratur. Injuria est enim „ pro martyre orare, cujus nos debe„ mus orationibus commendari: „ Sed posteriorem, hoc est ut Sancti colantur, ut omnes eos sicuti decet digno prosequantur obsequio, & mali insulsis dicteriis eorum cultum impetere desinant.

Quod autem Ecclesia solum in Memento commemoret Sanctos, qui pro nobis intercedant, habemus in Liturgia S. Jacobi, pag. 36. in qua hæc leguntur. *Quoniam igitur est tibi potestas vitæ, & mortis, Domine, Deusque misericordiarum, & amo-*

ris

ris erga hominem tu es, dignos effice ut omnium illorum qui a sæculo tibi placuerunt, memoriam agamus: Patrum Sanctorum & Patriarcharum, Prophetarum, & Apostolorum, Joannis præcursoris & Baptistæ, sancti Stephani primi Diaconorum; & primi Martyrum, & sanctæ genitricis Dei, semperque Virginis beatæ Mariæ, & omnium Sanctorum, elevans vocem. *Rogamus te Domine multa misericordia, qui impossibilia, veluti possibilia creas, constitue nos in hac beata Congregatione: accense nos huic Ecclesiæ, statue nos per gratiam tuam inter electos illos qui scripti sunt in cœlis. Idcirco enim memoriam illorum agimus, ut dum ipsi stabunt coram throno tuo, nostræ quoque tenuitatis, & infirmitatis meminerint: tibique nobis cum offerant sacrificium hoc tremendum, & incruentum ad custodiam quidem eorum qui vivunt, ad consolationem infirmorum, & indignorum, quales nos sumus ad quietem, memoriamque bonam eorum, qui in fide vera dudum obierunt, patrum, fratrum, & magistrorum nostrorum per gratiam & misericordiam &c.* Populus: *Amen*.

Respondeo II. Ad eamdem difficultatem has voces: *Præsta requiem, & memoriam bonam genitrici tuæ*; ex ignorantia vel inadvertentia irrepsisse in quosdam actus, & in multo pluribus non reperiri: sic censet Renaudotius ibidem pag. 98. observ. in Liturg. Syriac. "Non dubitamus " igitur his in locis peccatum potius a " Librariis imperitis fuisse, qui ea quæ " disjunctim scribenda erant, ut passim " alibi, conjunxerunt, quam certo consilio admissum id fuisse, ut nova doctrina, a qua remotissimi sunt, & " quam quotidiana illorum disciplina refellit, induceretur. Commemorationes " a B. Virgine, & Sanctis incipiunt per " illa verba *Memento Domine*, & ista, " *fac memoriam bonam*: similibus verbis " continuantur memoriæ vivorum, & " mortuorum. In prima periodo quæ ad " Virginem, & Sanctos refertur: terminatur oratio per hanc clausulam *ut* " *per eorum preces obtineamus*. "

Ceterum ad pleniorem intelligentiam observandum est, diversitatem ex calamitatibus simul & insciencia prodiisse, ita tamen ut nec antiquitas, nec pars officiorum essentialis desit. Sic propugnat Renaudotius ibidem pag. 45. obs. in communem ritum Jacobitarum. "In maxima, quam periti rerum Orientalium " Ecclesiasticarum satis sciunt, codicum " vetustorum raritate, mirum esse non debet, si ad Eucharisticos ritus explicandos, multa nobis deesse ingenue fateamur. Vastatę bellis continuis Provincię " antequam in Arabum potestatem venirent: Spoliatæ multoties ab illis Ecclesiæ, Christianis, qui a mille & amplius " annis durissimam sub infidelibus Dominis servitutem serviunt, vix quidquam " relictum est, unde decor domus Dei " sustentari posset. Itaque cum Episcopi, " & ordo omnis Ecclesiasticus facultatibus suis spoliati non aliunde, quam " ex plebis eleemosynis vitam tolerare, " & quæ ad sacerdotum functiones necessaria erant, habere possent, in extremis angustiis ferme semper constituti, " ornamenta, & præsertim sacros libros, " comparare dudum ægre possunt. Itaque " nullæ sunt a multis sæculis Ecclesiarum Bibliothecæ, vetusti codices, qui " olim fuerant, usu quotidiano detriti, " & consumpti sunt, pluresque fortasse " tales in Occidente, qui ex communi " naufragio evaserunt, quam in Oriente, " reperirentur. Aucta est majorem in " modum illa calamitas per Ecclesiasticorum Orientalium ignorantiam, qui veteres codices neglexerunt, optimum " rati, si novos potius quam antiquos haberent, quorum sæpe fragmenta semilacera, noviter scriptis amiciendis destinata, perierunt. Accessit zelus, non " quidem secundum scientiam, Missionatiorum quorumdam, qui præsertim ubi plurimum poterant, ut in Libano " apud Maronitas, & in Malabaricis " Ecclesiis, veteres sacramentales libros " flammis abolendos potius judicaverunt, " quam in Europam transmittendos. Unde in Romanis Collegiis Maronitarum, Sapientiæ, & de Propaganda fide, immo, & in ipsa Vaticana Bibliotheca, paucissimi reperiuntur tales Orientalium libri, cum ingens illorum " copia comparari facile potuisset, & " Romæ maxime debuisset, ubi toties " de Orientalium fide & ritibus judicatum est.

" *Pergit*. Cum vero hæc veterum codicum raritas ad omnia sacramentalia officia

„ ficia pertineat, habemus tamen satis „ antiquos, qui Anaphoras proprie dictas „ accurate repræsentent, præcipue Jacobiticas. Sunt autem Anaphoræ, præcipua illa pars Officii Eucharistici, quæ ab oratione osculi pacis incipit, & usque ad gratiarum actionem extenditur. Illarum quæ Syriace extant, multos codices tractavimus, atque ideo de illis dubitatio prope nulla est, neque majoris momenti discrimen ullum animadvertitur: At partem alteram in qua cærenoniæ, preceique continentur quibus Sacerdotes Syri uti solent ad altaris ingressum, ad primam donorum præparationem, & illationem, publicam pro variis rebus & personis supplicationem, Scripturarum lectionem, & alia omnia προαναφορικὰ, pauci libri accurate repræsentant. Neque mirum id cuiquam videri debet, cum Græci Latinique sacramentales libri alicujus vetustatis, ea quoque cæremoniali parte careant: scilicet quia ritus illos, Sacerdotes, & alii altarium Ministri, usu quotidiano potius, & assiduo ministerio quam scripto docebantur, & quando scribi cœperunt, non in libris sacramentalibus, sed in aliis scribebantur, quod apud Græcos, & Copticas factum fuisse observavimus.

Rursus pag. 73. *Liturgia sive Anaphora S. Jacobi*: „ Hoc loco secundum Orientales omnes incipit *Anaphora* sive Liturgia proprie dicta, ut de latina Missa ab antiquis ejus expositoribus scriptum est, illam a præfatione incipere: qua de re dictum est in primo Commentario. Sed cum Liturgiæ Orientales, osculum pacis ante præfationem præscribant, incipiunt vulgo ab oratione quæ eidem præmittitur, sequiturque Sacerdotis benedictio super populum, tandem præfatio. Igitur in MSS. Codicibus Copticis, Syriacis, & cujusque linguæ, novus titulus apponitur, hoc ipso loco, qui Anaphoram incipere significat: Cumque omnes officium quod præcedit commune habeant, illud quod sequitur, & *Anaphora* proprie vocatur, secundum diversas liturgias varium est, & multiplex, quamvis in ordine, & sententiis nulla sit diversitas. „

„ *Pergit*. Ista quæ Jacobi nomen præfert, communis est Syris, Melchitis, seu Orthodoxis, & Jacobitis; unde antiquitas ejus ultra schismatum initia promovetur: Habetque multa, cum Græca ejusdem nominis, communia: qua de re dictum est in dissertatione prævia. Jacobum fratrem Domini auctorem illius esse, Syri existimant, ex antiqua sua traditione, cujus fundamentum, ut videtur, aliud non fuit, quam usus illius liturgiæ in Ecclesia Hierosolymitana ab Apostolo fundata.. „

Solvuntur objectiones adversus alias probationes.

OPPONES: Sancti Patres quandoque asserunt Eucharistiam confici deprecatione Sacerdotis: Ergo, &c. Probatur antecedens: Justinus Apolog. 2. sic loquitur: “ Per precem Eucharistiam factum „ cibum sumimus. „ Concinit Gregorius Nyssenus Orat. Catechetica cap. 37. his verbis. “ Hic panis per verbum Dei, & „ orationem sanctificatur. „ Gregorius Magnus L. 7. Epist. 63. subindigitat morem fuisse Apostolorum, Dominicam tantum orationem, oblatione facta recitare. Demum Patres Græci passim dicunt corpus, & sanguinem Christi fieri in Eucharistia per preces, & sancti Spiritus illapsu. Ergo, &c.

Respondeo distinguendo antecedens: Et sancti Patres, tunc alludunt ad verba immediate antecedentia, & subsequentia concedo: Et loquuntur de ipsis formis, nego. Si tamen formæ Eucharistiæ quandoque apud eos orationes appellentur, hoc profecto, non nisi de oratione late sumpta, in quantum mentio fit in forma calicis de passione Christi, per quam omnes obtinemus gratias, intelligendum est. In isto sensu loquitur Justinus cum Gregorio Nysseno, & sic patet solutio ad eorum auctoritates.

Quoad Gregorium Magnum, dicimus unum solummodo indicare velle, scilicet quod initio Ecclesiæ, peracta oblatione, nedum simplici, sed & trantubstantiativa prece, qua sistitur victima in altari, Apostoli recitarent orationem Dominicam, tum facta communione, propter angustias temporum, remittebant fideles.

Ad-

Ad id vero quod subjicitur, Patres Græcos passim asserere Eucharistiam fieri invocatione Spiritus sancti, sic respondet Arcudius Lib. 3. de Eucharistia cap. 28. pag. 230. ubi hanc præoccupans objectionem, illam solvit his verbis: " Consecratio cum his omnibus ad eum locum terminatur, ubi dicitur, tua ex tuis tibi offerimus. Nam post verba Salvatoris sequitur, memores igitur Crucis, Sepulcri, Resurrectionis, Ascensionis, &c. tua ex tuis tibi offerimus. Hinc vero habemus ex sententia Jeremiæ, consecrationem fieri antequam dicantur in Liturgia illa verba: Domine, qui tertia hora sanctissimum tuum spiritum ad tuos Apostolos dimisisti, hunc, bone, ne auferas a nobis. Quæ verba sacrificantium Sacerdotum, præcedunt illa alia verba; fac hunc panem. Igitur signum est, ea quoque verba minime spectare ad consecrationem; sed ad tertiam & postremam partem Liturgiæ pertinere, cum & adventus Spiritus sancti ad eam pertineat. " Sed de ista difficultate mox fusior redibit sermo, & ex professo demonstrabimus, invocationem Spiritus sancti, & preces non conficere corpus Christi.

Instabis: Eusebius Episcopus, & refertur de consecratione distinctione 2. capite *Quid corpus Assumptum*, dicit: " Quod invisibilis Sacerdos visibiles creaturas in suum corpus convertit, dicens, accipite & comedite, *hoc est corpus meum*: Igitur etiam istæ voces, *Accipite, & commedite*, sunt de essentia. "

" *Respondeo* distinguendo antecedens: Hæc verba dicit tamquam pertinentia ad usum materiæ, concedo: ad essentiam formæ, nego: ita divus Thomas hic art. 1. ad 2. " Dicendum quod in his verbis, Accipite, & comedite, intelligitur usus materiæ consecratæ, qui non est de necessitate hujus Sacramenti, ut supra habitum est, & ideo nec verba sunt de substantia formæ: quia tamen ad quamdam perfectionem sacramenti pertinet materiæ consecratæ usus, sicut operatio non est prima, sed secunda perfectio rei, ideo per omnia ista verba exprimitur tota perfectio hujus Sacramenti: Et hoc modo Eusebius intellexit his verbis confici Sacramentum quantum ad primam & secundam perfectionem ipsius. "

Instabis: Græci in prima forma non ponunt *enim*. II. In illa non explicatur imperium loquentis, & persona Ministri. III. Deberet potius apponi, hic est, ut fieret mentio de termino a quo scilicet de pane. IV. Oporteret etiam poni corpus Christi, ut propositio foret ex omni parte determinata. Igitur prima forma non est conveniens.

Respondeo determinari actionem Domini consecrantis causaliter: Christus enim porigendo cuilibet Apostolorum buccellam panis angelici reddebat illis rationem cur daret illis talem panem edendum, dicendo *hoc est enim corpus meum*: hæc tamen particula non est de essentia, unde illa omissa, Græci conficiunt sacramentum: si tamen Sacerdos Latinus illam omitteret, peccaret moraliter, inquit Divus Thomas, quia peccaret in ritu, quandoquidem existimat illam particulam *enim* derivatam esse a beato Petro.

Respondet D. Thomas, hic art. 2. ad 2. verba operari effective, & sacramentaliter, & ideo propositionem non fieri mere per modum Imperii ut in creatione, ubi Deus pure, effective, & per potentiam absolutam egit. Ceterum sufficienter explicatur persona Ministri, eo ipso quo Sacerdos agit in persona Christi: " Sermo Dei, *ait*, operatus est in creatione rerum, qui etiam operatur in hac consecratione: aliter tamen, & aliter. Nam hic operatur effective, & sacramentaliter, id est secundum vim significationis: & ideo oportet in hoc sermone significari ultimum effectum consecrationis per verbum substantivum indicativi modi, & præsentis temporis: Sed in creatione rerum operatus est solum effective, quæ quidem efficientia est per imperium suæ sapientiæ: & ideo in creatione rerum exprimitur sermo divinus per verbum imperativi modi, secundum illud Genes. 1. Fiat lux, & facta est lux. "

Respondet ad 3. Terminum a quo, non retinere naturam suæ substantiæ, sicut terminus ad quem retinet; adeoque mentionem solum faciendam esse de termino ad

ad quem: " Ad 3. dicendum quod terminus a quo in ipso facto esse conversionis, non retinet naturam suæ substantiæ sicut terminus ad quem; & ideo non est simile."

Ad 4. dico per istam vocem *meum*, sufficienter exprimi personam Christi, qui est principalis Sacerdos: " Dicendum, ait S. Thomas ibidem ad 4. quod per hoc pronomen, *meum*, quod includit demonstrationem primæ personæ, quæ est persona loquentis, sufficienter exprimitur persona Christi, ex cujus persona hæc proferuntur."

Notat hic sanctus Doctor art. 3. convenienter poni *testamentum*, in forma calicis, & quidem novum & æternum: quia cum testamentum sit dispositio hæreditatis, & Eucharistia contineat sanguinem Christi, illumque repræsentet ut effusum, a quoquidem omne donum: merito dicitur hic est calix &c. Unde, inquit sanctus Doctor in Eucharistia pignus nobis datur æternæ gloriæ.

Solvuntur objectiones ex divo Thoma depromptæ.

Objicies: D. Thomas hic quæst. 78. art. 3. duas affert opiniones, quarum una dicit verba, de quibus currit præsens difficultas, non esse de substantia. Secunda e contra: Primam rejicit, posteriorem vero approbat: Sed nomine substantiæ intelligit essentiam: Igitur sequendo secundam opinionem, vult reliqua verba esse de essentia: Probatur minor: Quotiescumque D. Thomas agit de essentia sacramentorum, pro eodem sumit essentiam, & substantiam, ut hic q. 60. art. 8. " Si diminuatur aliquid eorum, quæ sunt de substantia formæ sacramentalis, tollitur debitus sensus verborum, & ideo non perficitur Sacramentum."

Respondeo negando minorem; nam D. Thomas quandoque nomine substantiæ intelligit quidem essentiam rei, sed quandoque etiam solum integritatem, ut hic. Et vero Sacramenta constant rebus & verbis tamquam materia & forma: quæ igitur pertinent per modum complementi solum respiciunt integritatem: Sic brachia sunt de substantia corporis, & tamen minime de essentia, quia sunt solum partes integrantes substantiæ corporis.

Respondeo ad probationem negando paritatem, nam in utroque loco seipsum explicat D. Thomas. In primo nomine substantiæ intelligit essentiam, quandoquidem verba in tantum habent rationem formæ, in quantum significant: in secundo vero dicit solum pertinere ad integritatem locutionis.

Instabis: D. Thomas hic art. 1. dicit ista verba, *Accipite, et comedite*, non esse de substantia formæ; sed per verbum *substantia*, intelligit essentiam, ut patet: Igitur etiam ibi nomine substantiæ intelligit essentiam.

Respondeo distinguendo: Ibi, id est, in ista quæstione quandoque nomine substantiæ etiam intelligit essentiam, concedo: semper, & ubique nego: Dum autem dicit istas voces, *Accipite*, & *comedite*, non esse de substantia, optime intelligit nomine substantiæ essentiam, quia solvit argumentum illorum qui volebant verba ista, *Accipite*, & *comedite*, esse de essentia: Sed art. 3. quærit solum, an verba omnia sint convenientia: unde dum dicit verba, de quibus nunc est sermo, pertinere solum ad integritatem locutionis, nomine substantiæ ibi non intelligit essentiam.

Instabis: Ibi articulo 3: sumit nomen modo opposito primæ opinioni: Sed auctores primæ opinionis, dicendo reliqua verba non esse de essentia, nomine substantiæ intelligebant essentiam: igitur divus Thomas e contra, dum dicit adversus istam opinionem esse de substantia; alias nihil diceret contra primam opinionem.

Respondeo negando minorem, quæ non satis explicat opinionem contrariam; quippe quæ non tantum dicat reliqua non esse de substantia, vox illa ut sumitur pro essentia, sed etiam ut sumitur pro integritate; nam vult reliqua verba non magis pertinere ad formam, quam ista, *Qui pridie quam pateretur*; quæ verba sunt solum dispositiva ad formam pronuntiandam, & nullo modo de essentia, & integritate; quod patet ex divo Thoma dicente, reliqua verba pertinere ad integritatem locutionis: si autem dixisset solum non pertinere ad essentiam, intelligendo per-

pertinere ad integritatem, debuisset illam refutare, dicendo simpliciter pertinere ad essentiam; & tamen non dixit, sed solum pertinere ad integritatem: Igitur non corrigit illam opinionem in eo quod dicat reliqua verba non esse de essentia, sed in eo quod dicat non esse etiam de integritate.

Instabis: Hic art. 3. ad 2. sibi objicit istud argumentum: Verba consecrationis panis non sunt majoris efficaciæ quam verba consecrativa vini: Sed statim post hæc verba, *Hoc est corpus meum*, est perfecta consecratio panis: Ergo statim atque dictum est, *Hic est calix sanguinis mei*, est perfecta consecratio sanguinis: & ita ea quæ sequuntur non sunt de substantia formæ præsertim cum pertineant ad proprietates hujus Sacramenti. Ad hoc argumentum sic respondet: " Quia sanguis seorsum consecratus, expresse passionem Christi repræsentat; ideo potius in consecratione sanguinis fit mentio de effectu passionis, quam in consecratione corporis, quod est passionis subjectum." Sed si intelligeret verba reliqua non esse de essentia simpliciter, responderet negando paritatem, dicendo non esse de essentia: Igitur cum hoc non dicat, intelligit reliqua verba esse de essentia.

Respondeo negando minorem; nam in hoc articulo quærit solum an verba formæ sint convenientia; in argumento habetur reliqua verba pertinere ad proprietates hujus Sacramenti, & non solvit hoc; non habetur autem esse de essentia, & quia hic agitur solum de convenientia, D. Thomas ibi affert rationes convenientiæ cur potius adhibeantur in forma calicis, quam panis: Igitur non debuit dare responsionem in objectione apposita: & nostra responsio patet ex lectione totius articuli, & solutionis objectionum ibi contentarum: Hic enim D. Thomas explicat singulas particulas, & affert rationem pro singulis: v.g. dicit convenienter poni mysterium fidei, & non charitatis: quia, inquit, istud sacramentum est fidei subjectum, nam quod sanguis Christi sit ibi realiter, sola fide tenetur, & quia etiam passio Christi expresse per sanguinem principaliter operatur per fidem, mentio fidei specialis debet fieri. Ecce verba: " Dicendum quod quia ut dictum est, sanguis seorsum consecratus, expresse passionem Christi repræsentat, ideo, potius in consecratione sanguinis fit mentio de effectu passionis, quam de consecratione corporis, quod est passionis subjectum, quod etiam designatur in hoc quod Dominus dicit, quod pro vobis tradetur: quasi diceret, quod pro vobis passioni subjicietur."

Repones: Verba Christi sunt de essentia formæ: Sed verba omnia in forma Canonis Missæ sunt verba Christi, quandoquidem ab Evangelistis referuntur. Ergo &c.

Respondeo distinguendo majorem: Verba Christi quæ important transsubstantiationem sunt de essentia formæ, concedo: quę solum Eucharistiæ effectum explanant, nego. Et sic distincta minore, nego consequentiam. Porro verba subsequentia nonnisi effectum demonstrant, quocirca juxta distributionem accommodam omnia formę canonis verba intelligenda sunt, ita ut priora sint de essentia primario & tamquam consecrativa, cetera vero ut effectus explicativa, itaque sic tota solvitur controversia; namque priora verba ex D. Thoma hic articulo 3. sunt de substantia per modum essentiæ, cetera per modum integritatis, eo proportionali modo, quo partes omnes integrantes dicuntur de substantia rei; sed quomodo? Scilicet per modum complementi. En verba? " Dicendum est ergo, *ait sanctus Doctor*, quod omnia prędicta verba sunt de substantia formæ: Sed per prima verba, cum dicitur, Hic est calix sanguinis mei, significatur ipsa conversio vini in sanguinem, eo modo quo dictum est in forma consecrationis panis: per verba autem sequentia designatur virtus sanguinis effusi in passione; quæ operatur in hoc sacramento; quæ quidem ad tria ordinatur. Primo quidem & principaliter, ad adipiscendam æternam hæreditatem, secundum illud Heb. 10. Habentes fiduciam in introitu Sanctorum in sanguine Christi, & ad hoc designandum dicitur, Novi, & æterni testamenti. Secundo, ad justitiam gratiæ, quæ est per fidem, secundum illud Rom. 3. Quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius, ut sit ipse justus, & justificans eum, qui ex fide est Jesu Christi, & quantum ad hoc subditur, Mysterium fidei. Tertio autem, ad removendum impedimenta

„ menta utriusque prædictorum, scilicet „ peccata, secundum illud Heb. 9. Sanguis Christi emundabit conscientiam „ nostram ab operibus mortuis, id est, „ a peccatis, & quantum ad hoc subditur, Qui pro vobis, & pro multis effun„ detur in remissionem peccatorum. „

Ad verba antecedentia respicere non abs re erit, ubi expresse dicit verba subsequentia nonnisi ad integritatem pertinere: " Dicendum, *inquit*, quod circa „ hanc formam est duplex opinio; qui„ dam enim dixerunt, quod de substantia „ formæ hujus est hoc solum quod dici„ tur, Hic est calix sanguinis mei; non „ autem ea quæ sequuntur: Sed hoc vi„ detur inconveniens, quia ea quæ sequ„ untur, sunt quædam determinationes „ prædicati, id est sanguinis Christi: unde „ pertinent ad integritatem locutionis. „ Audis non dicere ad essentiam. Tum subdit reliqua verba ita esse de substantia formæ, ut per priora hæc: *Hic est calix sanguinis mei*, significetur conversio vini. Igitur cum dicit sive in isto articulo, sive alibi reliqua verba esse de substantia, vel etiam de essentia & necessitate, hoc non debet intelligi nisi lato modo, hoc est de integritate, maxime cum solum de convenientia formæ moveat quæstionem, ubi dicit ea esse de substantia. Ceterum quæ dicit in Summa, sunt reliquarum sententiarum regulæ: hic autem art. 1. tractans ex professo de essentia, solum ista appellat verba, *Hic est calix sanguinis mei*, essentialia formæ.

Insistes: D. Thomas in 4. Sent. dist. 8. q. 2. art. 2. quæstiunc. 1. dicit reliqua verba esse de essentia; relata enim utraque opinione subdit: " Alii probabilius „ dicunt quod totum quod sequitur est „ de forma. „ Ergo &c.

Respondeo distinguendo: Vel per modum partis essentialis aut integralis, concedo: essentialis, & absolute, nego. Unde ex ipso debent intelligi secundum distributionem accommodam.

Persistes: Ibidem ad 3. sibi objicit istud argumentum. Quod consequitur substantiam, nequit esse factivum transsubstantiationis: ergo cum verba subsequentia designent aliquam proprietatem Sanguinis, videtur quod non sint de forma. Cui argumento sic respondet: " Dicendum quod „ quamvis illa quæ sequuntur sint ut pro„ prietates consequentes Christi sangui„ nem, in quantum hujusmodi, sunt ta„ men essentiales sanguini Christi in quan„ tum est per passionem effusus. „ Et paucis interjectis, sic concludit: " Et „ ideo oportet quod sint de substantia. „ Sed quod est essentiale sanguini consecrando, videtur esse de essentia. Ergo &c.

Respondeo distinguendo: Quæ sunt essentialia sanguinis consecrando, sunt essentialia formæ per modum expressionis, in quantum magis explicant & determinant formam, concedo: per modum partis essentialis absolutæ, nego. Primum vult solum D. Thomas, & hoc solum probant omnes objectiones, quæ facile solvuntur distinguendo de integritate & de essentia: quia tamen altera opinio graves habet auctores, Sacerdos debet consecrando pronuntiare omnia verba.

Repones: Idem sanctus Doctor in caput 11. 1. Cor. lectione 6. dicit verba sequentia esse de necessitate formæ: Ibidem asserit reliqua verba habere vim effectivam ad transsubstantiandum vinum in sanguinem Christi, his verbis: " Et quia „ ut sæpe dictum est, formæ sacramen„ torum significando efficiunt, totum „ pertinet ad vim effectivam formæ. „ Atqui quod habet vim ad transustantiandum, est de essentia formæ. Ergo &c.

Respondeo ad primum ut supra; ad 2. distinguo minorem: Quod habet vim ad transsubstantiandum vinum ratione sui, concedo: ratione annexi tantum, nego minorem, & consequentiam. Reliqua verba habent quidem vim effectivam, sed tantum ratione primorum verborum quibus connectuntur.

Instabis: Ecclesia præcipit repetere reliqua verba, quando prætermissa sunt, & quidem absolute: si autem esset dumtaxat dubium an essent de essentia? juberet repeti solum sub conditione, sicut Baptismus repetitur tantum sub conditione quando est dubium an forma debite prolata sit: Ergo &c.

Respondeo negando paritatem. Cum alia opinio sit probabilis, ideo vult Ecclesia absolute repeti totam formam, ne mysterium in periculum veniat.

Urgebis: Ideo reliqua verba non sunt de essen-

essentia, quia prima sola significant explicite conversionem vini: Sed hæc ratio nulla est: Et probatur. Ista verba, *Ego te baptizo*, perfecte significant ablutionem interiorem, & tamen sine istis verbis, *in nomine Patris &c.* forma non est completa essentialiter. Igitur nec forma calicis, sine reliquis verbis.

Respondeo negando minorem: Ad probationem nego paritatem; nam Baptismus est professio fidei, per quam homo Dei servitio mancipatur, unde mentio de SS. Trinitate fieri debet.

Contra: Forma debet explicare quod facit: Sed facit sacramentum ad remissionem peccatorum per effusionem sanguinis: Igitur ulteriora verba sunt de essentia.

Respondeo distinguendo: Forma debet explicare quod facit, id est, terminum primarium, scilicet conversionem, concedo: terminum secundarium, nempe effectum sacramenti, qui est remissio peccatorum, subdistinguo: ad melius, concedo: absolute loquendo, nego.

Respondeo aliter distinguendo. Reliqua verba sunt de essentia Eucharistiæ ut est sacrificium, concedo; nam mentio expresse debet fieri pro sacrificio de effusione sanguinis: Sunt de essentia Eucharistiæ ut sacramentum est, nego. Quia vero Sacerdos numquam consecrat nisi faciat sacrificium simul & sacramentum, & quidem primario sacrificium, ideo reliqua verba possunt sub isto respectu dici essentialia, & sic unico verbo solvuntur omnes objectiones, & amore conciliantur opiniones, & videtur esse mens D. Thomæ, qui ait de verbis subsequentibus: " Sunt tamen essentiales sanguini „ Christi, in quantum est per passionem „ effusus. In 4. Sent. dist. 8. q. 2. art. 2. quæst. 7.

Persistes: S. Pius V. jussit nostram opinionem expungi e commentariis Cajetani ad articulum tertium quæstionis 78. D. Thomæ. Immo alia opinio videtur esse Catechismi Romani. Ergo &c.

Respondent quidam summum Pontificem amplexum fuisse contrariam opinionem ut Doctorem particularem: Alii dicunt ideo jussisse expungi, quia Cajetanus non satis fideliter interpretatus fuerat D. Thomam; nam existimavit S. Doctorem putasse reliqua verba esse de essentia simpliciter. Ad id autem quod dicitur, Catechismum tenere contrariam opinionem, hoc non potest clare probari; dicit enim reliqua verba esse solum de substantia, quod quidem potest intelligi, ut explicavimus, vel de integritate, vel de essentia; sed adhærendo penultimæ solutioni omnia adamussim explicantur, & conciliantur.

Dices: Scotus in 4. dist. 8. q. 2. §. *De secundo*, ait vel ipsa verba, *Qui pridie quam pateretur, accepit panem &c.* esse necessaria ad consecrationem panis & vini, quippe quæ sint verba Christi. Igitur forma essentialis totaliter non sita est in istis verbis, *Hoc est corpus meum* &c.

Respondeo distinguendo: Verba formam antecedentia sunt necessaria ut conditiones sine qua non, concedo; & hoc solum ista ratio probat, quia sunt verba Christi: tum quia Ecclesia vult ea pronuntiari, ut habetur in Missali; hinc graviter peccaret, qui illa vel ex incuria, vel etiam ex contemptu omitteret. Sunt necessaria ut partes essentiales, nego.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Ista sola verba, Hoc est corpus meum: Hic est calix sanguinis mei, *sunt de essentia utriusque formæ*.

PRIMO QUIDEM ex Evangelistis qui omnes ea referunt, sed non cuncta ad formam calicis consequentia aut saltem eodem modo, & eodem ritu. Matth. 26. habetur, *Hic est enim sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*: Marci 14. hæc solum: *Hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur*. Luc. 22. *Hic est calix novum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur*. Ista formæ Missalis verba, *æterni*, *mysterium fidei*, desunt, immo nec in Liturgiis reperiuntur, quarum utique non una est lectio.

Secundo: Nec alia commemorant Concilia, maxime Florentinum Sess. ultima; sciscitans enim a Græcis cur orationem formæ adderent, responderunt se nihilominus credere prioribus verbis Christi sanguinem effici.

Tertio: Est unanimis SS. Patrum doctrina,

ctrina, neque enim Cyprianus Serm. de cœna Domini, Chrysostomus in sua Liturgia, Ambr. L. 4. c. 4. de sacramentis alia referunt verba, loquendo de forma calicis. Quod enim verba laudata sufficiant, illud est argumentum irrefragabile, quia significant quod faciunt, scilicet transubstantiationem.

SYNOPSIS OBJECTIONUM ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Non est relictus ambigendi locus de Liturgiarum genuinitate, cum sint antiquissimæ, & si quid de requie tum Beatissimæ Virginis, tum sanctorum Martyrum commemorent, hoc intelligendum est de requie extrinseca; licitum est enim a Deo petere ut Sancti ab omnibus tamquam ejus amici, agnoscantur, & ab impiis Hæreticis eorum memoria non exagitetur. Non desunt qui autument vocem *requiem* pro eis, ignorantia vel inadvertentia Librariorum in textum irrepsisse.

Secundo: Nonnulla adversus formarum convenientiam opponuntur; sed secundum distributionem accommodam, juxta D. Thomam hic art. 3. intelligenda sunt, ita ut quædam essentiam, quædam vero solum integritatem spectent.

Tertio: S. Thomas quandoque dicit cuncta verba ad ista, *Hic est calix sanguinis mei*, subsequentia, esse de substantia, sed profecto nomine substantiæ intelligit integritatem, cum hic art. 3. ubi hæc profert, solum de convenientia agat: unde de ejus mente dijudicandum est ex eis, quæ ibidem art. 1. dicit, cum eo loci ex professo tractet de essentia.

SECTIO TERTIA.

Utrum ista verba, Hic est calix sanguinis mei, novi, & æterni Testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum, *sint omnia de essentia formæ calicis?*

EUCHARISTIA duplici modo spectari potest, videlicet ut sacramentum, & ut sacrificium; priori modo considerata, habet pro forma essentiali ista sola verba, *hic est calix sanguinis mei*, ut probatum est in articulo præcedenti: Sed si posteriori consideretur modo, magna est vel inter ipsos nostros Thomistas controversia. Gonetus hic Disput. 7. art. 2. varias pro isto momento sententias refert. Prima asserit totam formam compleri essentialiter in istis verbis, *hic est calix sanguinis mei*, & hæc est inter Theologos communis. Cajetanus, & Joannes a S. Thoma contendunt quatuor ista priora verba: *Hic est sanguis meus* esse quidem de essentia, cetera tamen de substantia, hoc est de integritate. Quidam tertii generis, ut Philippus a sancta Trinitate, & Cornejo volunt esse non solum de integritate, verum etiam & de essentia; Labat vero, & Pater Nicolai in Scholiis ad art. 3. D. Thomæ q. 78. propugnant omnia esse de substantia, & essentia formæ, quam quidem opinionem propter reverentiam erga Theologos scholæ Angelicæ ponimus, ut probabilem & sensui D. Thomæ satis affinem: quia tamen suse in sectione postuma clare aperuimus S. Thomæ mentem, credimus primam, & ultimam posse consociari, si dicamus formam Eucharistiæ, ut Sacrificium est, omnia verba pro ut sunt in Canone dicenda, formam essentialem exprimere: Unde sit

CONCLUSIO.

Opinio quæ tenet omnia verba esse de essentia formæ Eucharistiæ, ut Sacrificium est, tamquam probabilis propugnari potest.

Probatur rationibus auctoritate Scripturæ & D. Thomæ suffultis.

PRIMA: Quæ dependent a voluntate Dei, nobis per Scripturas sacras manifestantur: Sed omnia verba referuntur Lucæ 22. in forma calicis, & colliguntur ex Matth. cap. 26. & Marco cap. 14. Ergo &c.

Altera: Illa verba sunt de substantia formæ, quæ sunt determinationes prædicati: Atqui reliqua verba talia sunt, quippe quæ determinent quinam sit sanguis, & ad quem effectum detur: Igitur sunt de substantia formæ: ita D. Th. hic q. 78. art. 3. ubi duas circa istud momentum refert opiniones, alteram scilicet quæ dicit posteriora verba non esse de substantia, seu essentia formæ, alteram vero e con-

contra quæ asserit esse; & huic subscribit, ea ductus ratione, quod sint prædicationes prædicati. " Quidam enim dixerunt, *inquit*, quod de substantia formæ hujus est hoc solum quod dicitur, Hic est calix sanguinis mei, non autem ea quæ sequuntur: Sed hoc videtur inconveniens: Quia ea quæ sequuntur, sunt quædam determinationes prædicati, id est sanguinis Christi: Unde pertinent ad integritatem ejusdem locutionis, & propter hoc sunt alii qui melius dicunt, quod omnia sequentia sunt de substantia formæ, usque ad hoc, quod postea sequitur, Hæc quotiescumque feceritis; quod pertinet ad usum hujus Sacramenti. "

Tertia: Verba formæ faciunt quod significant; hinc debent explicare efficaciam, & effectum Sacramenti: sed nisi adsint omnia verba, non explicatur effectus Eucharistiæ, ut Sacrificium est, quandoquidem explicatur solum per passionem, & sanguinem effusum: & consequenter per reliqua verba, Qui pro vobis, & pro multis effundetur &c. Igitur verba sequentia sunt de essentia formæ Eucharistiæ, ut sacrificium est. Hæc ratio est D. Thomæ, qui ibidem duplicem distinguit effectum, scilicet conversionem vini quæ competit Eucharistiæ ut alimentum, & sacramentum est, alteram vero ut sacrificium est in remissionem peccatorum: Quocirca priora solum verba, Hic est calix sanguinis mei, sunt solum de essentia Eucharistiæ ut sacramentum est, reliqua vero etiam de substantia si consideretur ut sacrificium " Propter hoc *ait*, sicut alii melius dicunt, omnia sequentia sunt de substantia formæ usque ad hoc, quod postea sequitur, Hæc quotiescumque feceritis, quod pertinet ad usum hujus sacramenti; unde non est de substantia formæ. Et inde est, quod Sacerdos eodem ritu, & modo, scilicet tenendo calicem in manibus, omnia hæc verba profert. Lucæ etiam 22. interponuntur verba sequentia verbis præmissis, cum dicitur, Hic calix novum testamentum est in meo sanguine: dicendum est ergo, quod omnia prædicta verba sunt de substantia formæ: Sed per prima verba, cum dicitur, Hic est calix sanguinis mei, significatur ipsa conversio vini in sanguinem, eo modo quo dictum est in forma consecrationis panis: per verba autem sequentia designatur virtus sanguinis effusi in passione, quæ operatur in hoc sacramento, quæ quidem ad tria ordinatur. Primo quidem, & principaliter ad adipiscendam æternam hæreditatem, secundum illud Hebræorum 1. Habentes fiduciam in introitu Sanctorum in sanguine Christi. Et ad hoc designandum dicitur, Novi, & æterni Testamenti. Secundo, ad justitiam gratiæ quæ est per fidem, secundum illud Rom. 3. Quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius, ut sit ipse justus, & justificans eum, qui ex fide est Jesu Christi; & quantum ad hoc subditur, Mysterium fidei. Tertio autem, ad removendum impedimenta utriusque prædictorum, scilicet peccata, secundum illud Hæb. 9. Sanguis Christi emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, id est a peccatis. Et quantum ad hoc subditur, Qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. "

Quarta: D. Thomas in 4. Sent. dist. 8. q. 2. art. 2. quæstione 1. hoc sibi proponit argumentum contra præsentem opinionem ad 3. his verbis: " Proprietates naturaliter consequuntur substantiam rei: Sed illud quod consequitur substantiam non potest esse factivum transubstantiationis: Ergo cum illa verba quæ sequuntur, designent aliquas proprietates sanguinis, in quem fit transubstantiatio, videtur quod non sint de forma. " Hanc difficultatem solvit, non quidem dicendo verba subsequentia esse de integritate formæ, sed potius asserendo esse partes essentiales. " Ad Tertium, *inquit*, dicendum, quod quamvis illa quæ sequuntur, sint ut proprietates consequentes Christi sanguinem, in quantum hujusmodi, sunt tamen essentiales sanguini Christi, in quantum est per passionem effusus .... & ideo illa quæ sequuntur, sunt essentialia sanguini, pro ut in hoc sacramento consecratur, & ideo oportet quod sint de substantia formæ " Audis, *sunt tamen essentiales sanguini Christi*, *in quantum est per passionem effusus*, igitur essentiales Eucharistiæ, ut sacrificium est.

Quinta

Quinta sic procedit: Quia Baptismus est fidei Sacramentum, requiritur essentialiter in forma, ut exprimatur clare sancta Trinitas. Igitur a simili eo ipso quo Eucharistia est sacrificium, debet clare exprimi effusio sanguinis Christi, adoque verba subsequentia sunt de essentia. Hinc S. Pius V. jussit opinionem contrariam expungi e commentariis Cajetani in articulum tertium quæstionis 78. D. Thomæ, eo quod, ut putabat, non satis attigisset Angelici Doctoris sensum.

Sexta hæc est: Ea verba sunt de essentia formæ; quæ sunt necessaria ad conversionem donorum, nam sacramentum est signum practicum & effectivum: Atqui S. Thomas propugnat omnia verba sic esse ad transubstantiationem vini necessaria, & hoc contra negantes. Sic loquitur Comment. in cap. 11. 1. ad Cor. Lect. 6. " Circa ista verba quibus Ecclesia utitur in consecratione sanguinis, quidam opinantur quod non omnia sint de necessitate formæ, sed solum quod dicitur, Hic est calix sanguinis mei, non autem residuum quod sequitur, Novi & æterni Testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Sed hoc non videtur convenienter dici. Nam totum illud quod sequitur est quædam determinatio prædicati. Unde & ad ejusdem locutionis sententiam seu significationem pertinet. Et quia ut sæpe dictum est, formæ sacramentorum, significando efficiunt, totum pertinet ad vim effectivam formæ. Ergo &c.

FIT SATIS OBJECTIONIBUS.

OBJICIES: Illa sola verba sunt essentialia formæ Eucharistiæ, quæ faciunt quod significant: Atqui illa sola verba, Hic est calix sanguinis mei, uti talia habentur, cum, his prolatis, fiat conversio vini in Christi sanguinem: Igitur illa sola verba sunt essentialia.

Respondeo distinguendo minorem: Verba præcedentia sola sunt talia, respectu Eucharistiæ, ut sacramentum est, concedo: ut sacrificium, nego. Cum autem Eucharistia sit essentialiter sicut sacramentum, sic & sacrificium, dubio-procul debet exprimi effusio sanguinis Christi: Hinc Sacerdos qui omitteret verba subsequentia, totam formam repetere teneretur.

Instabis: Atqui præcedentia verba sufficienter explicant rationem sacrificii. Igitur subsequentia ad hoc prorsus inutilia sunt. Probatur subsumptum: Juxta Theologos Angelicæ Scholæ, sacrificium perfecte explicatur eo ipso quo sanguis separatim ponitur vi verborum a corpore: Igitur eo ipso quo præcedentia verba consecrant separatim vinum a pane, sufficienter exprimunt sanguinis effusionem.

Respondeo negando subsumptum. Ad probationem distinguo: Sufficienter explicatur sanguinis effusio per factum eo ipso quo vinum separatim a pane consecratur, concedo: per expressionem, nego: cum autem verba ex ipso S. Thoma significandi vim apud homines obtinuerint, non sufficit factum, seu consecratio separata vini a pane, ad designandam separationem animæ Christi a corpore, facta per sanguinis effusionem, sed prærequiritur, ut verba formæ hoc ipsum exprimant.

Urgebis: Ista verba, v. g. 1. Cor. 11. *Quod pro vobis tradetur*, supponunt effusionem sanguinis; quod enim tradetur pro nobis non nihil refertur ad sacrificium: Igitur saltem omnia verba non sunt de essentia formæ.

Respondeo distinguendo: Ista verba *quod pro vobis tradetur*, supponunt effusionem, & habent necessariam relationem ad illam, concedo: secus, nego. Non quæcumque effusio sanguinis, sed ea quæ fit pro redemptione habet rationem sacrificii, cum Christus eo solum fine passus sit; ut nos & a peccato, & a morte æterna redimeret; unde cum relativa sint simul natura, & cognitione, eo ipso quo debet exprimi effusio sanguinis, necessarium est & explicare quo sensu fusus sit, & ideo etiam illa verba, *quod pro vobis tradetur*, dicuntur essentialia formæ Eucharistiæ, ut sacrificium est.

Replicabis: Orientales vere conficiunt Eucharistiam & ut sacramentum, & ut sacrificium est: Sed in forma Liturgiarum non habentur omnia verba: Et probatur. In Liturgia sancti Marci habetur solum, *Corpus meum est hoc*: *Sanguis meus est hic*: in Liturgia S. Matth. & Pastoris,

Hoc caro mea est, *Hoc sanguis meus est* sic testatur Cardinalis De Lugo hic disput. 11. Sectione IV. n. 6. se accepisse ex Missali Manuscripto Maronitarum. Ergo &c.

Respondet Gonetus hic disput. 7. art. 2. §. 4. Christum reliquisse Ecclesiæ potestatem determinandi totam formam calicis, & ideo juxta diversas Ecclesias propter disciplinam diversam, utique diversimode exprimi sanguinis effusionem.

Respondeo II. negando subsumptum. Ad probationem dico, fidem non esse absolute adhibendam in hoc puncto Cardinali De Lugo, qui forte illusus est a Maronitis, cum in Liturgiis Orientalibus a Renaudotio, duobus in quarto voluminibus collectis, verba subsequentia saltem magis explicativa adsint. Et vero in Liturgia sancti Jacobi habetur, *Hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro vobis, & pro multis effunditur, & datur in remissionem peccatorum*: in Liturgia sancti Marci: *Hic est enim sanguis meus novi Testamenti, qui pro vobis, & pro multis effunditur & distribuitur in remissionem peccatorum*: in Liturgia sancti Basilii, *Hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro vobis, & pro multis effunditur in remissionem peccatorum*: in Liturgia cujus auctor dicitur esse D. Matthæus, *Hic est calix sanguinis mei, qui pro vobis effundetur, & pro redemptione multorum. Amen*. In Missa Mozarabica, *Hic est calix novum testamentum in meo sanguine, qui pro vobis effunditur*.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Omnia verba sunt de essentia formæ, ut Eucharistia Sacrificium est.

Primo: Quia determinant formam, quatenus vim habent exprimendi rationem sacrificii, quæ est a conceptu Eucharistiæ inseparabilis.

Secundo: Sic propugnat S. Thomas hic q. 78. art. 3. ubi expresse dicit illa verba esse de substantia formæ, propter quod, eodem ritu proferuntur: si vero aliqua omissa sint, ex præcepto Ecclesiæ Sacerdos tenetur repetere formam, quod certe præceptum non urgeret, si omnia non essent de essentia.

Tertio: Jussit S. Pius V. opinionem isti contrariam e commentariis Cajetani expungi, ut D. Thomæ menti minus conformem.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET RESOLUTIONUM.

Primo: Ratio sacrificii tacite quidem exprimitur, quatenus consecratio panis fit separatim a consecratione vini: Sed non expresse, cum sola verba ex S. Thoma obtinuerint significandi principatum.

Secundo: Neque vero negamus ista verba, *Hic est calix sanguinis mei*, significare conversionem vini in sanguinem, sed hoc spectat Eucharistiam ut sacramentum, sub quo respectu est alimentum; at ulterius consecratio utriusque substantiæ debet explicari per modum sacrificii, cum Eucharistiæ confectio per se primo rationem sacrificii importet.

Tertio: Tametsi omnia verba arithmetice non reperiantur in Liturgiis Orientalibus, adsunt tamen sufficientia quæ rationem sacrificii clare exprimunt: Unde ad summum inde tantummodo sequeretur, omnia omnino verba subsequentia ad essentiam non pertinere: sed dubio-procul illa quæ explicant effusionem sanguinis, & passionem in remissionem peccatorum, debent adesse, ut quid sacrificio essentiale.

SECTIO QUARTA.

Utrum citra errorem propugnaretur Eucharistiam fieri posse, omissis verbis Evangelicis, per invocationem Spiritus sancti, & Preces?

Valdenses, si credamus Sylvio, Eucharistiam posse confici sola orationis Dominicæ recitatione autumarunt. Arcudius Lib. 3. de Sacramentis cap. 28. scribit Nicolaum Cabasilam in expositione Liturgiæ cap. 27. 29. & 30. Marcum Ephesiorum Antistitem in opusculo, cujus hic est titulus, *Quod non solum a voce Dominicorum verborum sanctificantur divina dona, verum a consequente oratione, & benedictione Sacerdotis*, in eo fuisse errore, quem etiam non nihil affingit Simeoni Archiepiscopo Thessalonicensi, & Samonæ Archiepiscopo Gazæ.

Si

Si de Protestantibus instituamus Sermonem, Bucerus Comment. in caput 26. Matth. non sine temeritate verba Christi, ad consecrationem nihil conducere ait. " Dominus enim, *inquit*, jussit panem frangere, & manducare, sed non „ jussit dici super panem, Hoc est corpus „ meum: „ Calvinus L. 4. instit. cap. 17. §. 29. admittit quidem verba Salvatoris, sed ea conditione, ut se habeant mere per modum concionis, & instructionis, hinc & in formula de Sacramentis administrandis præscribit Lectionem ex cap. 11. 1. Cor. desumptam. Lutherus vero L. de abroganda Missa privata, tum & in libro contra Regem Angliæ, & in formula Missæ pro Ecclesia VVittembergensi, asserit nedum verba Christi, sed & preces totius Liturgiæ esse ad consecrationem necessaria. Idem propugnat Kemnitius apud Bellarminum L. 4. de Sacramento Eucharistiæ c. 12. Quidam etiam Theologi nostris temporibus hanc perversam doctrinam, sed incassum, disseminare tentarunt. Contra quos omnes sit

CONCLUSIO.

Eucharistia non aliis, quam Christi verbis confici potest, nec citra errorem per solas preces fieri posse, quis propugnaret.

Probatur multis argumentis.

Primum argumentum, ex Scriptura sacra deducitur.

Tametsi istud momentum ex probationibus omni exceptione dignis, ubi de formis, colligatur, operæ tamen pretium est, ne aliquis in posterum obrepat error & contentio fiat; hoc dogma in particulari probare, unde sic argumentor. Illud non potest citra errorem propugnari quod manifeste sacris Scripturis adversatur. Atqui contendere Eucharistiam posse fieri, omissis verbis Evangelicis, per solas preces, & Spiritus sancti advocationem, est contradicere Scripturæ sacræ, quæ non precibus, sed solis Christi verbis, *Hoc est corpus meum, Hic est calix sanguinis mei*, confici Eucharistiam asserit. Ergo &c. Probatur minor: Matth. 26. habetur, *Accipite, & comedite, hoc est corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit: & dedit illis dicens, bibite ex hoc omnes: Hic est enim sanguis meus*. Non absimili modo S. Marcus c. 14. S. vero Lucas c. 22. referunt utramque formam. Porro de fide est Christum, I. tunc confecisse Eucharistiam. II. Non alias fudisse preces, sed statim & absque mora dixisse discipulis suis, *Hoc facite in meam commemorationem*. III. Ex hoc sequitur nihil aliud requiri ad consecrationem Eucharistiæ. IV. Textum Evangelii sic interpretantur Ambrosius L. 4. de Sacramentis c. 4. Chrysostomus homilia de proditione Judæ, & alii Patres infra citandi: Ergo &c.

Confirmatur: Hoc intercedit discrimen inter formam istius Sacramenti, & ceterorum sacramentorum formas, quod illa nedum institutionem, sed & ipsius sacramenti confectionem contineat: Igitur Eucharistia non aliis, quam Christi verbis fieri potest.

Rursus confirmatur, & eadem Scriptura explicatur. Non licitum est aliquid addere Scripturæ: Sed Scriptura laudata refert formam determinatam in individuo, immo vel ipsa forma Baptismatis multo magis individuatam, quando-quidem tametsi Christus mittendo discipulos præceperit eis baptizare, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, reliquit tamen Ecclesię potestatem, ut minister pronunciaret formam dicendo, vel Ego baptizo; vel etiam, Baptizatur servus Christi: At vero inquit Ambrosius L. 4. de Sacramentis c. 4. cum Minister venit ad consecrationem, *Jam non suis sermonibus Sacerdos, sed utitur sermonibus Christi*: Ergo &c.

Verum quod celeberrimum est, habemus ipsum Apostolum Evangelii interpretem, qui 1. Cor. 11. erudiens fideles de fide Eucharistiæ, omissa quacumque oratione, & prece, uti ab ipso Christo didicerat, ait, *Ego enim accepi a Domino quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit & dixit; accipite et manducate*: Hoc est corpus meum. *quod pro vobis tradetur; Hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem, postquam cœnavit dicens; Hic calix novum Testa-*

Q 4 men-

mentum est in meo sanguine. Hoc facite quotiescumque bibetis, in meam commemorationem. Tum absolutis istis formis, quibus solis contendebat fieri Eucharistiam, suum convertit sermonem & ad dispositiones requisitas, & ad fructus spirituales de Eucharistia percipiendos. Audis, & vides ex ipso Doctore Gentium, Eucharistiam non aliis quam verbis Evangelicis posse fieri, quod constat tum ex institutione, tum ex vivæ vocis Christi oraculo, qui non alium præscripsit modum conficiendi Eucharistiam: Igitur non citra errorem diceretur Eucharistiam per preces solas, consecrari posse.

Atque vero ne aliquis suboriatur ambigendi locus, advertendum est controversiam præsentem moveri de verbis solis Evangelicis, ita ut contendamus Eucharistiam nec fieri posse, illis omissis, per preces, vel etiam preces ad verba Evangelica subsequentes, non concurrere ad confectionem Eucharistiæ, sed eas, jam perfecte confectam supponere.

Alterum argumentum, ex Liturgiis depromitur.

OMNES Liturgiæ tam Orientales, quam Occidentales exhibent corpus Christi realiter substantialiter præsens, sanguinem vero similiter præsentem, ut primum prolata sunt verba Evangelica: Igitur per illa sola verba confici potest Eucharistia: & hunc effectum ulterius orationi, seu advocationi Spiritus sancti tribuere, est aperte adversus Liturgias perniciosam novitatem instituere. Jam probatur Antecedens multis momentis.

Primo: In Liturgia S. Jacobi minoris apud Renaudotium Tom. 2. Liturgiarum pag. 127. sic habetur de Christo: *Gratias agens benedixit, sanctificavit, & fregit, deditque Apostolis suis sanctis, & dixit: accipite, manducate ex eo: Hoc est corpus meum, quod pro vobis, & pro multis frangitur, & datur ad remissionem peccatorum, & vitam æternam.* Populus respondet, *Amen.*

Similiter, *& calicem accepit, & gratias agens benedixit, sanctificavit, & dedit iisdem Apostolis suis sanctis, & dixit: Accipite, bibite ex eo vos omnes*, Hic est sanguis meus, *qui pro vobis, & pro multis effunditur, & datur ad remissionem peccatorum, & vitam æternam.* Populus respondet, *Amen.* Tum Sacerdos subdit, in nomine Christi loquens: *Hoc facite in meam commemorationem: quando communicabitis huic Mysterio, mortem meam, & resurrectionem meam commemorate, donec veniam.* Non alia reperiuntur verba in Liturgia, quæ confectionem Eucharistiæ spirent. Ergo &c.

Secundo, absolutis verbis relatis, populus respondet, *Amen*; sed istud vocabulum non nisi post Mysterium confectum pronunciatur, & actum fidei quo plebs fidelis testatur ibi agnoscere Christum præsentem denotat. Ergo &c.

Tertio: Tunc fit adoratio Eucharistiæ, ab omnibus circumstantibus, qui audiunt Liturgiam, vel Orientalem, vel Occidentalem. Ergo &c. Audiendus est de hoc momento S. Justinus, qui Apolog. 2. explanans illud *Amen* populi, illum ipse prodit lenium, & sic loquitur: " Apostoli enim in Commentariis suis, quæ " Evangelia dicuntur, ita sibi Jesum " præcepisse tradiderunt. eum accepto " pane, cum gratias egisset, dixisse, hoc " facite in memoriam mei, *Hoc est corpus meum*; dixisse etiam accepto poculo, " cum egisset gratias, *Hic est sanguis meus* " ... Quo terminato, preces, & Eucharistiam, omnis qui præsens est populus acclamat, dicens, Amen &c. " Peracta vero Eucharistia, & universi " populi acclamatione, qui a nobis vocantur Diaconi singulis præsentibus tradunt communicandum panem Eucharizatum, hoc est, in Eucharistiam conversum, & vinum & aquam. " Ex illo Patre absolutis verbis Evangelicis, transsubstantiatio facta est, Eucharistia confecta adoratur, tum & populo distribuitur. Ergo &c

Quarto: Si tunc temporis non fieret adoratio, nihil esset pro ea determinatum, neque enim instans, nec pars assignaretur quando foret facienda, cum non determinaretur quænam preces forent Eucharistiæ confectivæ, & quandonam sufficienter forent finitæ, ut corpus Christi realiter adesset in Eucharistia, sicque vel ipsa Christi præsentia nutaret in hoc Mysterio, si semel concedere-

deretur confectionem Eucharistiæ pendere a precibus. Quin immo dicendum esset totam Liturgiam esse consecrationis formam, cum illa tam initio, quam sub finem multas contineat orationes, quæ ad omnes personas & specialiter ad Spiritum sanctum, ut in Missa votiva ejusdem sanctus Spiritus dirigeretur: absurdum consequens: Ergo & Antecedens.

In ceteris Liturgiis idem est ritus. In ea quæ nomine S. Sixti Papæ circumfertur similiter habetur, *Accipite, & manducate ex eo:* Hoc est nempe corpus meum, *quod pro vobis, & pro multis frangitur, & dividitur, ad expiationem delictorum, & remissionem peccatorum, ad vitam æternam.* Populus respondet, *Amen;* similiter & absoluta forma calicis habetur. Idem legitur in Liturgia S. Petri, & in ceteris quæ numero circiter 40. habentur in tomo laudato.

Quinto: Replicatio loquentium iniqua, dicendo per ceteras preces fieri corpus Christi, petit pro ipsis jugulum, cum non sint nisi ad laudem Sanctorum, pro pace viventium, & refrigerio animarum in purgatorio detentarum: quod quidem Ambrosius Lib. 4. de Sacramentis cap. 4. expresse dicit. " Consecratio igitur, *inquit*, " quibus verbis est, & cujus sermonibus? " Domini Jesu. Nam per reliqua omnia " quæ dicuntur, laus Deo defertur: in " oratione petitur pro populo, pro Regibus, pro ceteris. Ubi venitur, ut " conficiatur venerabile Sacramentum, " *jam non suis sermonibus Sacerdos, sed utitur sermonibus Christi.* "

De ceteris vero quæ subsequuntur consecrationem utique laus Deo redditur: fit memoria Sanctorum, tum & funduntur preces pro defunctis, ac demum Sacerdos humiliter Deum deprecatur, quatenus Sacrificium prosit viventibus, & maxime assistentibus, quod quidem uno aut altero exemplo ex Liturgiis desumpto absque negotio probatur.

In Liturgia S. Jacobi laudati absoluta oblatorum consecratione, Sacerdos orat Deum, ut sacrificium jam libatum offeratur, pro remissione peccatorum; sic enim habetur: *Idcirco sacrificium hoc incruentum offerimus tibi, ut non secundum delicta nostra facias nobis ..... ut dona sanctificent animas, & corpora communicantium illis, ad ferendos fructus operum bonorum, & ad confirmationem Ecclesiæ sanctæ, quæ super petram fidei stabilita est ..... offerimus tibi Sacrificium hoc incruentum, pro Sion matre omnium Ecclesiarum, & pro Ecclesia tua sancta..... memento etiam Domine, Patrum nostrorum Piorum, & Orthodoxorum, Patriarchæ nostri..... Memento Domine Patrum, & Fratrum, qui nobiscum adstant, & orant: & eorum qui a nobis migraverunt.... Memento Domine Regum, & Reginarum qui veram Religionem profitentur. Reliqua* Liturgiæ non nisi similes præcontinent orationes. *In Liturgia laudata S. Sixti post consecrationem fit*, multiplex Memento: Eo quippe loci habetur. *Nos quoque Domine, infirmi, & peccatores servi tui, gratias agimus tibi, & laudamus te pro omnibus, & propter omnia. Te glorificamus, præcipue vero, & primario sanctam, & benedictam semper virginem beatam Mariam Dei genitricem commemoramus. Memento illius Domine Deus, & per orationes illius puras & sanctas, parce nobis & miserere nobis.* Observes velim advocationem Spiritus sancti, esse post istam orationem qua Sacerdos orat, ut sacrificium prosit ad salutem, adeoque consecratio jam est facta.

In Liturgia Principis Apostolorum immediate post consecrationem hæc utique legitur deprecatio pro fructu sacrificii suscipiendo: *Adventum miserationum tuarum expectamus Domine, Dominus noster, refugium peccatorum.* Tum & alia ista sequitur oratio: *Miserere nostri Domine, miserere nostri, & mitte ad nos e solio tuo Regio, & ex Threno tuo infinito Spiritum tuum sanctum...... Et nunc requiescat, & maneat super oblationes nostras, & super nos infirmos, ut possimus percipere afflatum, & radium adventus ejus..... ut illabens, efficiat panem quidem hunc, corpus salutare, corpus vivificum, corpus Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, ad expiationem delictorum.* Observes per ista ultima verba, non intelligi transubstantiationem fieri, nisi mystice, & moraliter pro nobis, qui est fructus sacrificii percipiendus, cum Spiritum sanctum eodem modo illabi super nos, ac super oblata, annuntiet oratio, adeoque jam supponitur consecratio facta: Quod & probat oratio immediate post verba Evangelica prolata, qua petitur, ut sacrificium

ficium nobis ad remissionem peccatorum proficiat. Supponitur igitur jam factum, non enim fructus expostulatur e sacrificio percipiendus, nisi victima jam sit oblata & mystice immolata.

Canon Missæ Latinæ, omnem adimit dubitationem, scilicet, quod Patres Græci non intellexerint per invocationem sancti Spiritus quæ fit in Liturgiis, confici Eucharistiam, sed solum nobis prodesse ad salutem, adjuvante sancto Spiritu, qui adest sacrificio jam litato. Ecclesia enim Latina cui obedit Græca post consecrationem, omissa invocatione sancti Spiritus, ait: *Offerimus præclaræ majestati tuæ, de tuis donis, ac datis, Hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam, panem sanctum vitæ æternæ, & calicem salutis perpetuæ. Supra quæ propitio, ac sereno vultu respicere digneris: & accepta habere &c.*

Pergit, *Supplices te rogamus, omnipotens Deus: jube hæc perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum, in conspectu divinæ majestatis tuæ, ut quotquot ex hac altaris participatione, Sacro-sanctum Filii tui corpus, & sanguinem sumpserimus, omni benedictione cælesti, & gratia repleamur:* Sequitur postea memento pro defunctis, tum recitata oratione Dominica, funduntur preces, fit communio, & dimittitur populus.

TERTIUM ARGUMENTUM.

Ex Traditione procedit.

QUÆCUMQUE adversantur Traditioni, uti erronea propellenda sunt: Atqui ex traditione constat Eucharistiam confici solis verbis Evangelicis, nec ullum in ea invenitur vestigium, advocatione Spiritus sancti, & precibus eam fieri: Ergo &c. Probatur minor ex Patribus utriusque Ecclesiæ.

Patres Græci.

TAMETSI ea quæ ex Patribus Græcis pro forma ordinaria astruenda in posteriori articulo protulimus, sufficiant, ad abundantiam tamen juris quædam eorum & aliorum selecta loca juvat hic texere; in primis vero sanctorum Doctorum quos in suas partes adversarii trahere conantur.

Basilius agmen ducet. In quæstionibus breviter explicatis q. 172. sic loquitur de consecratione Eucharistiæ: " De rei veritate certissimos nos reddit fides verborum Domini, qui dixit, Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur, hoc facite in meam commemorationem. „ Eo loci S. ille Pater nihil aliud pro consecratione præter verba Evangelica exigit; nec ejus sententia cum fide cohæreret, si transubstantiatio non verbis Evangelicis, sed ulterioribus precibus fieret. Ergo &c.

Celeberrimum est testimonium S. Gregorii Nazianzeni, qui secunda oratione de Paschate, ait: " Sermonibus, *inquit*, qui de carne habentur, ne fidem deneges. At inter sermones de carne, præcipui sunt illi Christi; *Hoc est corpus meum*: illisque prolatis a Sacerdote qui non credit esse verum corpus Christi, sine dubio fidem derogat. „ Audis non expectandam esse invocationem Spiritus sancti, non preces, sed eum esse a fide alienum, qui absolutis verbis Evangelicis, non credit corpus Christi sub speciebus adesse.

S. Epiphanius in Anchorato circa medium non absimilia profert de Christo consecrante, his verbis: " Voluit per gratiam dicere, *hoc meum est corpus*, & nemo non fidem habet sermoni. Qui enim non credit esse ipsum verum *corpus*, excidit a gratia, & salute. „ Quæ verba ponderans Arcudius Lib. 3. de Sacramentis cap. 31. pag. 244. subdit: " Ergo in statu damnationis sunt qui post illa verba Dominica non credunt esse ipsum verum corpus Christi, sed expectant nescio quas preces humanas ut fiat. Neque enim sancti Patres magis de præterito Sacramento corpus Christi continente ac manibus Christi exhibito loquebantur; quam præsens sacramentum intelligebant. „

Concinit Chrysostomus Homil. 82. in Matth. & Homilia 60. ad populum Antiochenum, ubi de Christo Eucharistiam conficiente instituens sermonem ait: " Quoniam ergo ille dixit, *Hoc est corpus meum*, nulla dubitatione teneamur, sed

„ cre-

„ credamus, & mentis oculis illud aspi-„ ciamus.„ Rursus Hom. 82. in Matth. " Non sunt humanæ virtutis hæc opera; „ qui tunc in illa cœna confecit, ipse „ nunc quoque nobis operatur. Mini-„ strorum nos ordinem tenemus, qui ve-„ ro hæc sanctificat, & transmutat, ipse „ est. „ Igitur ex Chrysostomo fide tenendum est corpus Christi realiter esse in Eucharistia ut primum Sacerdos dixit, *Hoc est corpus meum*; Hinc si aliquid ulterius expectandum foret, nullus fide tenere mysterium deberet, donec accederent preces, & invocatio Spiritus sancti.

Mitto ceteros Patres Græcos, qui similia loquuntur, ut Dionysius L. de Ecclesiastica Hierarchia cap. 3. Irenæus L. 5. adv. Hær. c. 2. Justinus Apol. 2. Gregorius Nyss. orat. Catech. cap. 37. Damascenus L. 4. de fide ortod. cap. 14. Eusebius Emissenus Serm. de corp. & sang. Domini, qui omissis precibus, simpliciter & absolute ait consecrationem fieri solis verbis Domini: " Invisibilis Sa-„ cerdos, *inquit*, visibiles creaturas in „ substantiam corporis & sanguinis sui „ verbo suo secreta potestate convertit. „

Patres Latini.

NON injucundum erit hic alternata vice ista Ambrosii verba texere L. 4. de Sacramentis cap. 4. quibus, retorto telo, præoccupat difficultatem, & veritatis inimicos confodit; allatis enim verbis Evangelicis, quibus dicit confici corpus Christi, subjungit: " Per reliqua omnia „ quæ dicuntur, laus Deo defertur; ora-„ tione, petitur pro populo &c. „

Subscribit S. Augustinus Sermone 28. de verbis Apostoli: " Ante verba Christi, „ quod offertur in altari, panis dicitur. „ Ubi Christi verba deprompta fuerint, „ jam non panis dicitur, sed corpus ap-„ pellatur.„ Quæ quidem sancti Doctoris sententia falsa foret, si aliquid ulterius ad consecrationem exigeretur.

Gaudentius Brixianus Tract. 2. de Exodo suum addit calculum: " Quod, *inquit*, „ annuntiatum est, credas, quia quod „ accipis, corpus est illius panis cœlestis, „ & sanguis est illius sacræ vitis. Nam „ cum panem consecratum, & vinum „ Discipulis suis porrigeret, sic ait, *Hoc* „ *est corpus meum*, *hic est sanguis meus*. „ Credamus, cui credidimus; nescit men-„ dacium veritas. „ Sed quæso ubi ve-„ ritas? Nisi in Eucharistia, ubi corpus Christi realiter præsens est, statim atque prolata sunt verba Evangelica; nam motivum actus fidei nostræ juxta Gaudentium in eo maxime situm est, quod ipsa verba Evangelica sine ulterioribus precibus conficiant corpus Christi: Similia loquuti sunt Patres Latini, ne uno quidem excepto, ubi de consecratione Eucharistiæ sermonem habent.

Quartum argumentum ex definitione Concilii Florentini procedit.

QUOD a judicio comparativo definitum est, non remanet circa controversiæ caput ambigendi locus: Atqui a judicio comparativo, occasione quorumdam recentiorum Græcorum obstrepentium, declaratum est per sola verba Evangelica, nusquam vero per invocationem Spiritus sancti, & preces ulteriores expectandas, consecrari panem & vinum: Nec Eugenius Papa IV. permisit unionem, & pacem concludi inter Latinos, & Græcos, donec isti concederent consecrationem & transubstantiationem donorum fieri solis verbis Evangelicis: Ergo &c. Probatur minor ex iis quæ tunc agitata sunt pro isto momento inter Græcos & Latinos, quorum omnium historiam hic texere necesse est.

Historia Critica

Eorum quæ agitata sunt in Concilio Florentino pro consecratione Eucharistiæ solis verbis Evangelicis facienda.

PRIMO, collatione 22. p. 2. n. 5. pag. 1143. Concilii Florentini apud Labbeum Tom. 13. Joannes de Turrecremata proposuit summo Pontifici explicanda duo momenta circa Eucharistiam: alterum de azymo, alterum vero de forma; ea ductus ratione, quod Græci quidam de utroque articulo obstreperent: " Venio, „ *inquit*, ad particulam, ubi tangitur „ forma consecrationis... Pauca dicam „ quia, neminem credo virum sapientem, „ qui

„ qui non debeat suscipere hæc verba „ plena fide, tamquam auctoritatem ad „ probandum, quod per sola verba Salvatoris conficiatur corpus Christi. „

Secundo, ibidem pag. 1143. probat auctoritate SS. Chrysostomi, Damasceni, Dionysii, Ambrosii, & Augustini solis verbis Evangelicis, prætermissis ulterioribus, panem & vinum consecrari.

Tertio, absoluto Theologi sermone n. 6. pag. 1144. hortatur summus Pontifex Græcos ut sicut Latini credunt, sic & ipsi concedant consecrationem panis & vini verbis Evangelicis, non expectando ulteriores preces, fieri: " Audivistis quæ „ dicta sunt ad complacentiam vestram, „ vobis morem gerendo, non autem ut „ credamus vos omnes non ea tenere, „ ut nos, specialiter in consecratione „ corporis Domini nostri Jesu Christi, „ quod perficitur verbis Christi. Nec est „ credendum, quod aliquis Doctor possit dare formam ex verbis suis, confectioni corporis Christi. Viri sanctissimi non aliter crediderunt quam alii, „ qui omnes tenuerunt, quod solis verbis Domini conficeretur: nec propter „ hoc ponitur in illa cedula, ut credamus, „ id vos non credere, sed propter rusticos. „

Quarto, n. 8. pag. 1153. Joannes Turrecremata, jubente summo Pontifice, iteratis probationibus, ostendit verba Christi, non per modum simplicis enarrationis, sed practice prolata, efficere corpus Christi: tum explicat Patres, quibus Novatores suam volebant firmare sententiam, non esse intelligendos de advocatione Spiritus sancti, & precibus: " De mandato „ SS. D. N. *ait ille Theologus*, sermonem „ brevem facturus, paucissimis utar, & „ rescindendo multa, breviter tangam quę „ ad propositum faciunt. Imperator respondens ad proposita per Reverendissimum Dominum Cardinalem, dixit inter alia, quod illa particula, quod Sacramentum conficiebatur ex solis verbis „ Salvatoris, non poterat ibi in cedula „ poni. Quæ responsio relata SS. Domino „ nostro & Patribus sacræ Synodi, tam „ beatitudo sua, quam Patres non parum „ admirati sunt, quod hoc dictum reputaretur impossibile, cum hæc additio „ contineat conditiones quas sancti Patres „ constituerunt in rebus definiendis per „ Synodum. Quæ sunt I. veritas. II. necessitas, III. utilitas, IV. charitas: quia „ sine offensa cujuscumque, quod hæc additio contineat veritatem, pridie ostensum est auctoritatibus sanctorum Græcorum ... inducta est auctoritas Ambrosii, „ quæ manifeste illud ponit, quia post „ multa ita dicit: Quod dum conficitur „ Sacramentum, non suis utitur Sacerdos, „ sed sermonibus Christi, dicens: *Hoc est* „ *corpus meum*. „ Ac demum pag. 1154 probat verba Dionysii, Damasceni, & Basilii non conficere corpus Christi, & sic loquitur; " Volo ostendere quod verba Basilii non possunt esse forma consecrationis; nec aliquis debet moveri ex illis „ verbis ad credendum aliter. „

Quinto, Dominus Andreas Archiepiscopus Russiæ pag. 1157. replicavit verba quidem Evangelica inchoative panem corpus Christi facere, completive vero, id fieri per preces subsequentes Spiritus sancti advocativas, rogavitque de hoc non fieri definitionem: " Credimus, *inquit*, „ Dominicam vocem esse effectricem divinorum munerum, & illa vox semper replicatur a Sacerdote ... Et ut „ ita aptetur, invocatur Spiritus sanctus, „ & supplicat Sacerdos, ut per virtutem „ Spiritus sancti concedatur gratia, ut „ vox repetita efficiatur, ita effectiva, ut „ verbum Dei fuit: & ita credimus consummativam fieri per illam orationem „ Sacerdotis: & probo quod Dominicæ „ voces habent operationem, ut semina, „ quia sine semine non potest effici fructus; „ ita in hac Dominica voce, tamen ubi „ cadit semen, eget aliis instrumentis, „ ut Sacerdotis, altaris, & orationum: „ unde credimus per hoc vobiscum esse „ concordes. „

Sexto, ex his liquet, duas fuisse inter Græcos recentiores de forma Eucharistiæ sententias, una Cabasilæ contendentis verba Evangelica ad consecrationem nihil conducere; sic enim legitur in expositione Liturgiæ cap. 27. " Pretiosa dona Sacerdos consecrat, & totum sacrificium „ peragitur, cum venerandam illam cœnam narravit, & quonam modo? ... „ orat, & supplicat ut divinas illas voces „ ipsius Unigeniti Salvatoris nostri etiam „ ad dona proposita applicet, & suscepto „ ejus

„ eius sanctissimo, & omnipotente Spiri-
„ tu, convertatur quidem panis in ipsum
„ pretiosum, & sanctum ejus corpus,
„ &c. „ Rursus capit. 29. suam explanat sententiam, dicendo verba a Christo semel prolata sufficere pro consecrationibus quæ ad finem usque sæculi faciendæ sunt, nec aliud exigi, nisi ut per preces, & Spiritus sancti invocationem applicentur priora Christi verba in Cœna prolata, ut fiat corpus ejus, itaut nonnisi per modum narrationis, & historiæ primæ Cœnæ verba Evangelica pronuntientur, nun secus ac illud *fiat* semel prolatum, sufficiens fuit ad ceteras creaturas producendas, quæ formatæ sunt post creationem cœli & terræ, sicut etiam & omnes generationes subsequutæ sunt ad illas voces: *Crescite et multiplicamini*: " Dixit
„ Deus, *inquit Cabasilas: Crescite & mul-*
„ *tiplicamini*. Quid ergo? Post illum ser-
„ monem, nullo ad id egemus, & nullo
„ nobis alio opus est ad generis incre-
„ mentum. „ Sic refert Arcudius Lib. 3. cap. 28. pag. 224. & 225.

Alia vero ceterorum sententia exigit quidem verba Evangelica ut practica, & consecrationis factiva, sed solum inchoative, complementum vero nonnisi per advocationem Spiritus sancti haberi autumant.

Sed nedum prior, verum etiam & ista posterior opinio rejicitur a Concilio Florentino. Sic enim ibidem pag. 1157. reponit Turrecremata alloquens Archiepiscopum Russiæ: " Ego cum magno gau-
„ dio audivi sapientiam tanti Patris,
„ quia audivi paternitatem suam confi-
„ tentem quod verbis Salvatoris confici-
„ tur sacramentum, & formam verborum
„ Salvatoris esse factricem, & operatri-
„ cem sacramenti. II. Videbatur dicere
„ quod verba Basilii faciunt per modum
„ virtutis activæ. Orat, *inquit*, Sacerdos,
„ ut sermo ille prolatus per me habeat
„ virtutem illam transsubstantiandi panem
„ in corpus Christi; & ut hoc sacramen-
„ tum consummetur, dicuntur operari
„ verba Basilii. Posuit exemplum de se-
„ minibus, quæ licet habeant virtutem
„ activam, tamen egent aliis operationi-
„ bus, sicut orationis & altaris. Ista quæ
„ paternitas sua dixit, non habent locum
„ &c. „ Tum probat Basilii, aliasve preces, nullo modo concurrere ad consecrationem. „

Septimo: num. 9. consenserunt Græci de dogmate juxta relationem Cardinalis Placentini: " Alia, inquit, pag. 1160. diffe-
„ rentia fuit de azymo, quia etiam a-
„ pud Græcos aliqui volebant, quod non
„ conficeretur in azymo, dicentes Chri-
„ stum usum pane fermentato: & tan-
„ dem conclusum est, ut in pane & azy-
„ mo, & fermentato conficeretur: & ra-
„ tionibus auditis, assenserunt... Fuit ex-
„ orta alia difficultas, quæ quasi pertur-
„ bavit totum opus, nec unquam hæc
„ quæstio fuit mota. Nam nuntiato Do-
„ mino nostro, quod Græci in confectio-
„ ne Sacramenti certis aliis orationibus
„ uterentur, visum est sanctitati suæ, ut
„ sciretur eorum intentio, an tenerent
„ illas orationes esse de substantia conse-
„ crationis: & confessi sunt, auditis ra-
„ tionibus nostris, quod semper tenue-
„ runt, quod solis verbis Dominicis con-
„ ficeretur, & quod putarent anathema,
„ qui aliud crederet, fuit institutum ut
„ hoc poneretur in definitione. Dixe-
„ runt, quod hoc non erat necessarium:
„ immo si poneretur, Ecclesia ipsorum
„ reciperet ignominiam, ac si hactenus
„ tenuissent aliud. Unde cum semper
„ fuerimus concordes, in hoc definitio
„ non debet fieri, nisi de dubiis. Tandem
„ sanctissimus Dominus noster dedit heri
„ certos deputatos, & post multos tra-
„ ctatus dixerunt Græci: Ad hoc ut sitis
„ certi de credulitate nostra, videatis
„ Joannem Chrysostomum, qui hoc cla-
„ re ponit, & sumus parati confiteri pu-
„ blice, quod nos tenemus sicut vos,
„ quod in verbis solis Dominicis confici-
„ tur. Unde sanctissimus Dominus no-
„ ster, hoc audito, obtemperavit, ut non
„ deduceretur in dubium, quod numquam
„ fuit; maxime quia alii Pontifices ten-
„ tantes reductionem Græcorum, nil a-
„ liud ab eis petierunt, nisi ut confiteren-
„ tur, quod in azymo conficeretur. „

His prælibatis non una prioris argumenti minoris probatio effulget, ut omni patebit legenti. I. Ex Concilio Patres a Turrecremata laudati verba Evangelica exigunt, eaque ut practica ad consecrationem habent, & ulteriores preces ab hoc prorsus eliminant: Igitur ex Concilio Flo-

Florentino, quod per Turremcrematam se explicat, sola verba Evangelica sunt consecratoria : sic habetur pag. 2. collatione 22. n. 5. pag. 1143. his verbis: " Est au-„ ctoritas Damasceni Græci sapientis vi-„ ri, qui in quarto sententiarum suarum „ dicit quod sola operatione Spiritus san-„ cti ex pane fit caro Christi : Si ergo „ sola operatione Spiritus, formæ sacra-„ mentales sunt operativæ : Ergo solius „ Dei verbum potest hoc facere . Item „ ad hoc videtur facere, quod Dionysius „ Græcus ponit in fine Ecclesiasticæ Hie-„ rarchiæ , qui dicit , in consummativis „ formis sacramentorum operativas esse „ ex Deo . „

II. A judicio comparativo controversia sicut mota, & discussa, sic & finita est: Et vero cum Joannes Turrecremata liquido probasset sola verba Evangelica esse consecratoria ; Græci tamen nolebant isti assentiri doctrinæ ; sic euim num. 8. habetur pagin. 1153. " Imperator respon-„ dens ad proposita per Reverendissimum „ Dominum Cardinalem , dixit inter a-„ lia , quod illa particula , quod sacra-„ mentum conficiebatur ex solis verbis „ Salvatoris , non poterat ibi in cedula „ poni . „ Ægre hoc tulit omne Concilium, & sic ibidem legitur : " Quæ re-„ sponsio relata sanctissimo Domino no-„ stro , & Patribus sacræ Synodi , tam „ beatitudo sua, quam Patres non parum „ admirati sunt, quod hoc dictum repu-„ taretur impossibile , cum hæc additio „ contineat conditiones , quas sancti Pa-„ tres constituerunt in rebus definiendis „ per Synodum, quæ sunt primo , veri-„ tas, secundo necessitas, tertio utilitas, „ quarto charitas , quia sine offensa cu-„ juscumque, quod hæc additio contineat „ veritatem, pridie ostensum est auctori-„ tatibus multis SS. Græcorum . „ In his verbis duo observanda veniunt : Primum quidem , Patres Synodicos contendere, sola Evangelica verba juxta sanctorum Doctorum sententiam , transubstantiationem operari : Alterum vero quod omnes adsint conditiones ut hoc evadat fidei definitio , hinc stupentes demirantur , Græcos de hoc momento iterum mussitare. Ergo &c.

III. Igitur Eugenius IV. noluit quidquam pro reconciliatione Græcorum concludi , donec ipsi concederent solis verbis Evangelicis per ceterorum exclusionem , consecrationem panis & vini fieri confiterentur; hoc ipsum apparet num. 9. his verbis pag. 1160. " Nuntiato Domino „ nostro , quod Græci in confectione sa-„ cramenti certis aliis orationibus ute-„ rentur, visum est sanctitati suæ ut sci-„ retur eorum intentio , an tenerent il-„ las orationes esse de substantia conse-„ crationis: & confessi sunt, auditis ra-„ tionibus nostris , quod semper tenue-„ runt, quod solis verbis Dominicis con-„ ficeretur, & quod putarent anathema , „ qui aliud crederet . „ Audis summum Pontificem ne minimum quidem ab isto dogmate detrahi passum fuisse: Audis vel ipsos Græcos Præsules ita obedire definitioni , ut anathemate percellant eos omnes , qui contrarium propugnari audérent. Ergo &c.

IV. Quod ut antiquum fidei dogma habetur , & hoc ita annuentibus Græcis , ut pro infamia ducant , ulteriorem pro isto momento dari definitionem, certe est de fide tenendum. Atqui res sic se habet pro consecratione per verba Evangelica facienda ; ibidem enim pagin. 1161. hæc verba immediate sequuntur mox laudata: " Fuit institutum , ut hoc poneretur in „ definitione , *videlicet per sola verba Evan-„ gelica fieri Eucharistiam*. Dixerunt, *Græ-„ ci* , quod hoc non erat necessarium : „ immo si poneretur, Ecclesia ipsorum re-„ ciperet ignominiam, ac si hactenus te-„ nuissent aliud. Unde cum semper fue-„ rimus concordes , in hoc definitio non „ debet fieri , nisi de dubiis . Tandem „ sanctissimus Dominus noster dedit heri „ certos deputatos , & post multos tra-„ ctatus dixerunt Græci: Ad hoc ut si-„ tis certi de credulitate nostra , videa-„ tis Joannem Chrysostomum , qui hoc „ clare ponit ; & sumus parati publice „ confiteri, quod nos tenemus sicut vos, „ quod in verbis solis Dominicis confici-„ tur . Unde sanctissimus Dominus no-„ ster hoc audito obtemperavit ; ut non „ deduceretur in dubium quod nunquam „ fuit. „ Attendas v lim, doctissime lector, neminem ad illa usque tempora revocasse in dubium aliis verbis quam Evangelicis, Eucharistiam consecrari.

Quin-

Quintum argumentum ex rationibus Theologicis coalescit.

QUOD rationes omni exceptione majores annuntiant, in dubium non debet revocari: Atqui hujusmodi rationes annuntiant per sola verba Evangelica posse fieri consecrationem panis, & vini in Eucharistia. Ergo &c.

Probatur minor multis momentis.

Rationes Joannis Turrisfremata.

VARIIS rationibus ille Doctor collatione 22. n. 5. pag. 1143. & 1144. probat illam minorem, quæ quidem ita solidæ apparuere Patribus Synodicis, ut his suasi, veluti dogma antiquum habere statuerint conclusionem nostram.

Prima sic procedit: " Illius verbis Sacramentum conficitur, cujus virtute panis transubstantiatur in corpus Christi. Ista propositio est manifesta verbis B. Dionysii, qui, ut supra jam tetigi, dicit quod in verbis Sacramentorum sunt virtutes operativæ: sed impossibile est, quod virtute cujuscumque creaturæ, fiat transubstantiatio de pane in corpus Christi: Igitur impossibile est, quod ex aliis verbis quam Salvatoris fiat transubstantiatio. "

Altera secundo loco apponitur: " Christus instituit hoc Sacramentum aut perfectum, aut imperfectum: non est autem dicendum, quod imperfectum fecerit, Deuteronomii 32. *Dei perfecta sunt opera*: Perfectio autem consistit in materia & forma: Ergo Christus conficiendo dedit perfectam materiam, & perfectam formam. "

Tertia: " Forma verborum perficit Sacramentum, sicut diximus in naturalibus, quod forma perficit materiam: ita forma sacramentalis cadens super debitam materiam, perficit Sacramentum. Unde beatus Augustinus dicit, quod forma verborum accedit ad elementum, & perficitur Sacramentum: sed verba nullius Sancti possunt hoc facere, sed Christi solum: Ergo sequitur de necessitate, quod in solis verbis Salvatoris perficiatur Sacramentum. "

Quarta: " Christus, & Apostoli qua forma usi sunt in hoc Sacramento? clarum est, quod non verbis in orationibus Basilii, sed verbis Christi, qui hanc imitationem, & exemplum reliquit. Ergo solius Salvatoris verbis nos debemus uti. "

Quinta: " Unitas Ecclesiæ, *ait ibidem*, pag. 1144. necessario fundatur in unitate fidei, & unitate sacramentorum, in iis quæ sunt de substantia sacramenti: hanc non potest mutare Ecclesia, nec totus mundus, nisi Dominus mandaret: Ergo necesse est, ut omnes Fideles conveniant in hoc Sacramento, quod est consummativum omnium sacramentorum, ut dicit Dionysius. Ergo necessarium est quod eadem verba substantialia sint apud omnes, quoniam addens aliqua ad verba Christi tamquam de substantia consecrationis, jam mutat speciem formæ Ecclesiæ .... sic est de forma Baptismi inter nos, & vos, quia quidquid de substantia Baptismi, vos & nos habemus. Ita necesse est, ut in nostra cedula si debeat dari doctrina omnibus Fidelibus, & maxime simplicibus qui possent dubitare, an alia verba Sanctorum quæ apponuntur, sint verba de substantia consecrationis, vel non, quod ponatur hoc, quod verbis Salvatoris sit consecratio. " Ergo &c.

Ulteriores Rationes.

PRIMA: Absurdum est dicere, immo & impium, Ecclesiam Fidelibus præcipere actum fidei falsum de Eucharistia elicere: Atqui posita adversa opinione, hoc ipsum Ecclesia præciperet: Et probatur: Vult illa sancta Mater quod credamus corpus, & sanguinem Christi inesse sub speciebus, ut primum absoluta sunt verba Evangelica: & hoc liquet tum ex Patribus laudatis, tum ex praxi Ecclesiæ; adstantes enim Missæ fidei confessionem tenentur emittere, & actum fidei elicere, ad talem hostiam terminatum, statim atque animadvertunt Sacerdotem celebrantem pronuntiasse verba Evangelica super oblata, & tamen si expectandæ forent preces ulteriores ad consecrationem, fidei actui elicito subesset falsum: Ergo &c.

In-

Incassum reponerent veritatis adaperti hostes opinionem nostram esse probabilem, & hoc sufficere ad fundandum fidei actum, nam fides annexam habet certitudinem physicam, juxta illud Apostoli Heb. 11. *Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*: Hinc probabilem solum certitudinem, subripiendo physicam, illi accommodare, est illam funditus evertere. Ergo &c.

Altera hæc est: Posita probabilitate alterius sententiæ Ecclesia inducit erga Eucharistiam idololatriæ cultum: Sed hoc vel ipsas pias aures offendit, & est horribile dictu: Ergo &c. Probatur major. Ecclesia demandat Sacerdoti adorare Christum realiter præsentem in Eucharistia in eodem primo instanti quo absoluta sunt verba Evangelica, hoc & præcipit adstantibus: sed ex altera opinione nondum est corpus Christi, sed adhuc expectandæ sunt preces, expectanda & est ad consecrationem Spiritus sancti invocatio: Igitur fieret idololatria, vel ipsa jubente Ecclesia.

Tertia: Opinio erronea & uti talis habita, ac profligata non potest citra peccatum propugnari: Atqui opinio adversa talis est, & fuit uti talis ab omnibus abjecta, quinimmo nusquam Ecclesia passa est hujusmodi sententiam propugnare, sed quando quidam obstrepentes illam ut probabilem vulgavere, eos suo perstrinxit stylo censorio. Ergo &c. Probatur minor: in Concilio Florentino insurrexit adversus recentiores Græcos propter istam novitatem, nec reconciliationem voluit eis concedere Eugenius IV. summus Pontifex donec illum ejurarent errorem, & ipsi anathemate percellerent eos qui talia cogitarent, ut liquet ex dictis. Sic enim habetur collatione 22. pag. 1161. " Confessi sunt, auditis rationibus nostris, „ quod semper tenuerunt, quod solis „ verbis Dominicis conficeretur, & quod „ putarent anathema, qui aliud crede- „ ret. „

Concilium Tridentinum omnes Protestantes paucis verbis damnat propter errorem circa formam Eucharistiæ, & sic definit dicens: *Corpus quidem existere sub specie panis, & sanguinem sub vini specie, ex vi verborum*. Loquitur de corpore Christi. Quia vero canones ex capitibus desumuntur, posita explicatione fidei capite 3. expressius definit Christum vi solum verborum Evangelicorum realiter esse in Eucharistia præsentem. Sic enim pronunciat ibidem can. 1. *Si quis negaverit in sanctissimæ Eucharistiæ Sacramento contineri vere, realiter, et substantialiter corpus, et sanguinem una cum anima, et divinitate Domini nostri Jesu Christi, ac proinde totum Christum; sed dixerit tantummodo esse in eo, ut signo, vel figura, aut virtute; anathema sit*. Can. 2. idem repetit definiendo veram fidei transubstantiationem in Eucharistia. Can. 3. declarat totum Christum contineri sub unaquaque specie, & etiam sub singulis speciei partibus separatis. Tandem ne remaneat aliquod circa formam Eucharistiæ dubium declarat tamquam de fide, consecratione facta, scilicet vi verborum Christi, ut explicat cap. 3. corpus, & sanguinem Christi realiter substantialiter adesse sub speciebus. Et can. 4. ita pronuntiat: *Si quis dixerit*, PERACTA CONSECRATIONE, *in admirabili Eucharistiæ Sacramento non esse corpus, et sanguinem Domini nostri Jesu Christi ... anathema sit*.

Quarta: Academiæ de hoc momento audiendæ sunt: Sed ad nostra usque tempora ne unam quidem inter Catholicos invenies, quæ aut docuerit, aut doceat consecrationem posse fieri, omissis verbis Evangelicis per preces & S. Spiritus invocationem; quin immo omnes earum Theologi contrarium propugnant, in primis S. Thomas hic 1. p. q. 78. art. 1. 2. & 3. Gonetus disp. 7. de forma sacramenti Eucharistiæ, art. 2. Cajetanus, Soto, Nugno, Joannes a S. Thoma, Marcus a Serra, & alii qui Liturgias, Concilia & Patres in eo prorsus sensu quo supra explanavimus, intelligentes, uno veluti calamo scripserunt, consecrationem vini, non nisi verbis Evangelicis posse fieri. Ergo &c.

Quinta: Si licitum sit formam Sacramenti ab ipso Christo in individuo determinatam, ita substantialiter immutare, ut aliæ preces ejus loco substituantur, actum est de omnibus nostris Sacramentis, de quibus nihil certi habebimus; cum enim formæ sint de essentia Sacramentorum, ut primum nutant, jam Sacramenta evacuantur: Atqui forma Eucharistiæ est ab ipso Christo determinata in

in individuo, ut nedum Patres, sed & omnes Academiæ Catholicæ propugnant, immo, ut inquit Arcudius L. 3. de Eucharistia, est magis determinata quam forma Baptismi, quam tamen vel ipsi Græci, inquit ille auctor, agnoscunt in individuo determinatam, quandoquidem, ait, non totam Baptismatis formam Christus determinavit, sed simpliciter dixit, Matth. 28. *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris &c.* reliquit vero Ecclesiæ potestatem instituendi initium formæ. Hinc in Ecclesia Latina Sacerdos dicit, *Ego te baptizo &c.* In Græca vero *Baptizatur servus Christi*. At vero dum agitur de Eucharistia conficienda, jam non suis sermonibus loquitur, ait Ambrosius. L. 4. de Sacramentis cap. 4. sed verbis Christi, qui in nomine ejus, nihil detrahendo aut addendo, pronuntiat dicens, *Hoc est corpus meum &c.* Ergo &c.

Sexta: Certum est advocationem Spiritus sancti, & preces in canone adjacenres esse hominum verba; tum quia in sanctis Evangelistis ne quidem indirecte reperiuntur; tum quia etiam in Liturgia Latina, qualem celebramus, desunt: Sed verba hominum non possunt, omnium miraculorum maximum, qualis est transubstantiatio, operari: Igitur impossibile est quod hujusmodi supplicationes formam Eucharistiæ efficiant.

Septima: Si preces forent Eucharistiæ forma, populus utique cum Sacerdote consecraret, siquidem orat cum eo: erroneum consequens. Ergo & Antecedens.

Ultima, eaque demonstrativa hæc est. Ecclesia Latina non secus ac Græca, adhibet sancti Spiritus invocationem in Missa: sed ne minimum quidem, consecrationis effectivam esse autumat: Et probatur. Immediate post oblationem panis & vini, illam pronuntiat his verbis: *Veni Sanctificator omnipotens æterne Deus, & benedic hoc sacrificium tuo sancto nomini præparatum*. Tum sequitur præfatio, tum Canon, tum & in medio Canonis consecratio per ista verba *Hoc est corpus meum*, &c. hinc præcedentes orationes, non nisi ut præparationes, ad consecrationem, sicut & subsequentes, ad Dei laudem, & ut ad communionem dispositiones habentur. Ergo &c.

FIT SATIS OBJECTIONIBUS.

Objicies: Illud pro forma consecrationis assumi potest, quod & Apostoli, & summi Pontifices, & priorum sæculorum Patres, uti Eucharistiæ consectivum assumpsere: Atqui advocationem Spiritus sancti, & preces concomitantes, uti verba consecrationis practica, & effectiva assumpsere: Ergo &c. Probatur minor multis momentis.

I. In Liturgia S. Jacobi, apud Renaudotium Tom. 2. Liturgiarum pag. 33. sic legitur: Sacerdos inclinatus dicit invocationem Spiritus sancti: *Miserere nobis, Deus Pater omnipotens, & mitte Spiritum tuum sanctum .... ut adveniens efficiat panem istum, corpus vivificum, corpus cæleste* &c.

II. *In* Liturgia S. Joannis Evangelistæ, eadem Legitur invocatio ibidem pag. 148. iisdem prope terminis.

III. *In* Liturgia S. Joannis Evangelistæ, eadem invocatio invenitur pag. 165. ubi de Spiritu sancto hæc leguntur: *Ipseque illabatur super hæc Mysteria, & sanctificet illa ... ut illabens efficiat panem quidem istum corpus Christi Dei nostri ... & calicem istum sanguinem Christi Dei nostri*.

IV. Eadem habetur in Liturgia sancti Clementis Romani pag. 199. Dionysii Atheniensis pag. 202. S. Joannis Chrysostomi, pag. 254. ex Missali Caldaico, item in Liturgia S. Basilii pag. 548. & in aliis similiter.

V. Clemens Romanus L. 8. constitut. cap. 13. relatis formis per verba Evangelica, hanc immediate post subjicit orationem: *Memores igitur passionis ejus, mortis, ex mortuis resurrectionis, reditus in cælos, & futuri ejus secundi adventus .... mittere digneris sanctum tuum Spiritum super hoc sacrificium, testem passionum Domini Jesu; ut ostendat panem hunc corpus Christi tui, & calicem hunc sanguinem Christi tui*. Ergo &c.

Respondeo I. impossibile esse invocationem & preces intelligi de confectione corporis Christi propter rationes in probationibus allatas, cum in omnibus Liturgiis corpus Christi dicatur confici eucharistice per verba Evangelica, & Eucharistia ab ipso Christo vocetur non panis, sed

sed suum corpus. Adeoque si postea dicatur panis, hoc intelligi necesse est de pane consecrato juxta Ambrosii explanationem L. 4. de Sacramentis cap. 4. " Substantia illic est panis & vini. Post „ verba autem Christi, corpus & sanguis „ est Christi. „ Non dicit post preces; sed post verba Christi. Jam ipsum Christum audiamus in Liturgia sancti Jacobi loquentem; sic enim habetur: *Deo gratias agens, benedixit, & sanctificavit, & fregit & dedit Discipulis suis sanctis, & Apostolis, dicens: Accipite, manducate ex eo vos omnes*, HOC EST CORPUS MEUM. Nullas ulteriores preces fudit Christus, & tamen dicit Apostolis esse corpus suum, ipsi manducaverunt, & receperunt Christum in Eucharistia realiter præsentem, quod tamen falsum esset, si advocatio Spiritus sancti ad consecrationem uti essentialis requireretur. Idem est sermo in ceteris Liturgiis.

Respondeo secundo distinguendo: Et per orationes in objectione laudatas, nihil aliud expostulatur, nisi fructus ex sacrificio percipiendus, concedo: & petitur consecratio, & sanctificatio munerum, subdistinguo: passiva, & respectu nostri, concedo: activa seu Eucharistiæ confectiva, nego. Nec refert quod verba posteriora sonent quodammodo confectionem, quandoquidem Eucharistia supponitur jam facta: Sed orat Sacerdos ut Eucharistia consecrata fiat nobis in salutem, sic Propheta Regius Ps. 4. se exauditum prodit his verbis: *Cum invocarem exaudivit me Deus justitiæ meæ*; & tamen subdit postea quasi non exauditus, *Miserere mei, & exaudi orationem meam*. Non absimile exemplum legitur de re jam facta quasi facienda Marci 5. ubi Christus mulierem quæ ejus fimbriæ contactu a profluvio sanguinis liberata fuerat, sic alloquutus est: *Esto sana a plaga tua*: sicut igitur ista verba Christi non factiva sanitatis jam per contactum vestimenti obtentæ erant, sed solum sanitatis confirmativa, sic invocatio Spiritus sancti non est consecratoria, sed annuntiat consecrationem factam, & fructuose tum Sacerdoti, tum astantibus applicandam.

Ista solutio colligitur ex verbis subsequentibus ad invocationem Spiritus sancti in Liturgia S. Jacobi fratris Domini, ubi immediate post hæc leguntur: *Ut sint nobis, & omnibus qui ex illis accipient, iisque communicabunt, ad sanitatem animarum, & corporum, ad fructificationem operum bonorum: ad confirmationem Ecclesiæ tuæ sanctæ &c.*

Eadem solutio est Concilii Florentini parte 2. collatione 22. n. 8. ubi respondetur, Canonem Missæ non eumdem semper fuisse, sed quondam brevissimum, ubi preces & invocatio Spiritus sancti reticebantur, & tamen Missa, illis omissis, recte celebrabatur. Sic legitur pag. n. 8. 1154. " Sanctissimi Doctores de isto „ Sacramento tractantes, in solis verbis „ Salvatoris dicunt confici Sacramentum, „ & una ratio vulgaris ponitur a sancto „ Thoma: Quia idem Canon Missæ non „ est idem apud omnes, nec secundum „ omnia tempora, sed diversa sunt a diversis apposita. Unde Missa nostra dicitur habuisse principium a beato Petro, qui solum in canone dicitur posuisse brevissimam orationem: postea per „ sanctos Doctores factæ sunt additiones „ orationum. Ex quibus manifeste arguitur, quod consecratio hujus dignissimi „ Sacramenti non conficitur verbis Sanctorum, quæ varietatem receperunt, „ sed verbis Christi, quæ semper uniformiter manserunt. „

Rursus pag. 1155. ad Liturgiam Basilii, quæ sicut ceteræ Liturgiæ invocationem Spiritus sancti præcontinet, ibidem sic respondetur: " Oratio Basilii est deprecatoria, ut Deus mittat Spiritum sanctum super nos .... verba autem precationis non possunt habere operationes activas: nemo potest dicere quod „ verbis Basilii conficiatur *Eucharistia* sed „ verbis Christi. „

Respondet ad eamdem difficultatem Arcudius L. 3. cap. 33. pag. 250. " Non „ itaque, *ait*, in eum sensum orant *Patres in Liturgia*, quasi consecratio nondum sit peracta, ut contendebat probare Cabasilas. Si enim hujusmodi deprecatio pro muneribus est indicium „ nondum esse consecrata proposita dona, „ igitur neque illa verba Græcorum, *fac hunc panem*, erunt forma consecrationis. Nam longe post illa, denuo Græci „ orant pro donis expresse consecratis. Sic „ enim precatur Diaconus, vel ipse Sacerdos,

„ cerdos, si Diaconus desit: *pro sanctificatis pretiosis donis Dominum deprecemur.* „ Neque tantum in his ordinariis per „ annum Liturgiis, sed etiam idem fit in „ Præsanctificatis, quas vocant: *Pro præsanctificatis pretiosis donis Dominum deprecemur.* Non itaque orant pro consecra- „ tione, sed potius pro nostra imbecil- „ litate, atque ut inde utilitatem nos „ capiamus. „

Replicabis: Quando Patres universim absque explicatione, aliquid docent, hoc traditionem quæ est fidei regula, & cui refragari non licitum est, astruit: Sed præter Apostolos, Chrysostomus, Basilius, & universim omnes Patres Græci in suis vicissim Liturgiis dicunt corpus, & sanguinem ex pane & vino fieri per invocationem Spiritus sancti, & una eademque voce illud conclamant, & expostulant: Igitur in sensu obvio concludendum est donorum transubstantiationem ita confici.

Instar omnium sit illa Spiritus sancti invocatio quæ habetur in Liturgia sancti Joannis Chrysostomi, in qua quidem Sacerdos peracta consecratione, sic loquitur: *Spiritum sanctum mitte Domine ex habitaculo tuo sancto, illabaturque, & requiescat super panem hunc, & mistum propositum, illaque sanctificet, meque etiam mundum, & purum efficiat, exaudi me, & panem istum exhibeat corpus Christi Dei nostri.*

Respondeo distinguendo majorem: Si non sit implicantia, & præter patrum auctoritatem accedat Ecclesiæ consensus, ac definitio, concedo: sin minus, nego. Et sic distincta minore, nego consequentiam. Implicat autem Patres dicere consecrationem fieri verbis Evangelicis, & postea idem corpus fieri precibus, & advocatione Spiritus sancti: Unde opponimus Patres Patribus: vel ipsi enim supra laudati, nempe Chrysostomus, Basilius & alii, ingenue fatentur consecrationem fieri verbis Evangelicis, quocirca invocationem Spiritus sancti ab eis superadditam, non alio instituitur motivo, quam ut Fideles ex sacrificio, fructus æternæ vitæ percipiant: Sic censet Concilium Florentinum, quod ipsorum Patrum habemus interpretem; cum enim Archiepiscopus Russiæ p. 2. collatione 22. contra veritatem sic replicasset: " Missale quo ultimum est „ traditum a Basilio, & B. Chrysostomo „ utebamur autem ante tempus schisma- „ tis, nec aliqua facta est mutatio: tamen Occidentalis Ecclesia numquam de „ hoc verbum fecit, videlicet cum fuerimus concordes ... invocatur Spiritus „ sanctus, & supplicat Sacerdos, ut per „ virtutem Spiritus sancti concedatur gra- „ tia, ut vox repetita efficiatur ita effe- „ ctiva, ut verbum Dei fuit, & ita cre- „ dimus consummativam fieri per illam „ orationem Sacerdotis. „

Respondet Turrecremata negando advocationem Spiritus sancti, & preces habere vim effectivam ad consecrandum panem: " Ista, *inquit*, pag. 1157. quæ Pa- „ ternitas sua dixit, non habent locum „ propter duo. Primo, ratio dicta est „ ex me quæ accipiebatur ex ordine ver- „ borum Basilii, quia rem perfectam non „ supplico, ut quis perficiat; etiam non „ petimus, sed postquam prolata sunt „ verba Christi, non sequuntur verba de- „ precatoria, ut fiat consecratio, sed se- „ quitur deprecatio in canone nostro, „ ut corpus Christi consecratum fiat no- „ bis in vitam æternam. Cum ergo ver- „ ba Basilii sequantur consecrationem, „ non possunt habere verba deprecatio- „ nis vim, ut fiat quod factum est. „ Non minus claret sensus D. Chrysostomi, & est sui interpres, quippe qui ibidem dicat consecrationem fieri istis verbis: *Hoc est enim vere corpus meum, quod pro vobis et pro multis frangitur etc. Hic enim est sanguis meus vere, ipse qui pro vobis et pro multis effunditur etc.* Ista autem particula, *vere*, quam addit, omnem tollit ambigendi locum. Namque si sanctus Doctor exigeret ulteriores preces ad confectionem Eucharistiæ, falsum foret corpus Christi, absolutis verbis Evangelicis, vere esse sub speciebus, ut asserit sanctus Thomas. Quid plura adjiciam? accessit judicium Concilii Florentini; accessit, & sufficiens definitio Trident. Ad auctoritatem Missalis, dictum est non unum & idem fuisse apud omnes Ecclesias. Tempore B. Petri immediate post consecrationem recitabatur Oratio Dominica, tum Communio Sacerdotis sequebatur. Demum remittebantur Fideles.

Repones: Atqui Patres in Liturgiis contendunt advocationem Spiritus sancti, &

R 2 præ-

preces vim activam, & effectivam ad consecrationem operandam saltem consummative habere: Ergo &c. Probatur subsumptum: Omnes, ne uno quidem excepto ex Græcis, Eucharistiam vel ipsis verbis Evangelicis absolutis, panem & vinum nuncupant, nec nisi post invocationem Spiritus sancti eam nomine corporis, & sanguinis Christi celebrant: Igitur preces habent vim activam ad consecranda dona oblata.

Respondeo negando subsumptum. Ad probationem distinguo: Eucharistia absolutis verbis Evangelicis dicitur panis mystice, concedo: panis physice per exclusionem corporis & sanguinis Christi, nego antecedens, & consequentiam. Hæc explicatio est ab ipsa Ecclesia interprete his verbis: *Panis Angelicus, fit panis hominum*; hoc est ad nostram prodest salutem: Est quoque Concilii Florentini, quod ibidem pag. 1155. solvit difficultatem dicendo panem, quem faciendum postulat in Canone Græco, faciendum esse corpus Christi mysticum, hoc est unionem Fidelium, primo cum Christo, tum inter se ad invicem: " Dicit Basilius, *ait Turrecremata* n. 8. rogamus, & supplicamus, mitte Spiritum sanctum super „ nos, & hæc apposita munera, ut nobis sint salutaria, & faciat panem „ hunc, id est ceterorum Fidelium. Istum panem intelligimus corpus mysticum Ecclesiæ. „

Quia vero replicaverant Græci, Missale in quo continetur Liturgia, exhibere preces ut Eucharistiæ confectivas, quod quidem sic credendum erat, eo quod hujusmodi Missale a magno sancto Basilio promanasset, respondet idem Theologus pag. 1144. his verbis: " Aliud est dicere, „ hoc Missale est unius Sancti; & aliud, „ quod sanctus dicit, quod omnibus contentis in hoc Missall conficiatur corpus „ Christi. Non est credendum beatum „ Basilium, nec alium Doctorem dixisse, „ quod aliis verbis quam Christi conficia„ tur corpus, quantumcumque sint mul„ tæ orationes, & preces ibi. „

Insistes: S. Basilius Lib. de Spiritu sancto cap. 27. distinguit preces a verbis Evangelicis, & ait habere robur ad mysterium conficiendum: " Non enim, *inquit*, „ his contenti sumus, quorum Apostolus & „ Evangelium mentionem facit; sed & an„ te, & post alia dicimus veluti magnum „ robur ac mysterium habentia, quæ ex „ doctrina scripto non prodita nos acce„ pimus. „ Igitur juxta Basilium ex traditione preces habent robur ad mysterium.

Respondeo distinguendo: Preces habent robur ad mysteria nobis applicanda, scilicet ut simus unum cum Christo, & inter nos, juxta illud Apostoli 1. Cor. 10. *Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus omnes, qui de uno pane participamus*; concedo: ad mysteria transubstantiative conficienda, nego.

Arcudius Græcus ibidem cap. 29. pag. 232. col. 2. explicat Basilium his verbis: " Neque officit quod Basilius dicat, in „ ostensione panis. Quamquam enim cum „ recitantur ea verba, non ostendatur „ panis consecratus populo: tamen Dia„ conus, dum commemorata verba reci„ tantur, in Sanctuario existens, quam„ vis non videatur a populo, duobus di„ gitis apprehensa stola ostendit panem „ jam consecratum a Sacerdote; & ille „ iterum benedicit, non aliter atque fe„ cerat in ipsa consecratione. Idque vo„ care videtur, ostensionem panis. Neque „ tamen ex ista cæremonia postremæ „ ostensionis concludet aliquis, ut hoc „ etiam obiter addam, eo tempore fieri „ consecrationem. Nam ea cæremonia „ jam antecessit, & potius hæc posterior „ confirmat priorem. „

In eodem sensu intelligendus est Clemens Romanus, cum L. 8. constitut. cap. 13. referens Canonem Missæ post consecrationem, subdit, Deum optimum, sic alloquens: " Te rogamus ut propitio, „ serenoque vultu respicias super hæc re„ posita dona coram te, tu qui nullius „ indiges Deus. Et tibi complacitum sit „ in eis ad honorem Christi tui. Et mit„ tere digneris sanctum tuum Spiritum „ super hoc sacrificium, testem passionum „ Domini Jesu, ut ostendat panem hunc „ corpus Christi tui, & calicem hunc „ sanguinem Christi tui. „ Observes velim nec Clementem, nec Basilium dicere panem Eucharisticum, & jam verbis Evangelicis consecratum produci, sed ostendi.

Instabis: S. Joannes Damascenus dicit expresse Eucharistiam fieri per preces quæ vim

vim habeant activam ad productionem corporis Christi in Eucharistia, sicut illa vox Dei, *fiat*, habuit ad productionem mundi: Ergo &c. Sic loquitur L. 4. de fide orthodoxa c. 14. " Dixit in principio, Producat terra herbam virentem, atque ea etiam nunc orta imbre, fœtus suos producit, divino præcepto impulsa, ac roborata. Dixit Deus, Hoc est corpus meum, & Hic est sanguis meus, & hoc facite in meam commemorationem: atqui omnipotenti ipsius præcepto, donec ipse veniat hoc efficitur. Sic enim dixit, donec veniat, quasi dicat, non esse opus ut verba iterentur, satis est quod a Christo semel prolata fuerint. Et pluvia huic novæ segeti per invocationem existit sancti Spiritus, vis inumbrans. Quemadmodum enim quid Deus fecit, id sancti Spiritus opera fecit, eodem modo nunc quoque Spiritus operatio ea quæ naturam superant, efficit."

Rursus ibidem, *ait*, " Panis, vinumque & aqua per invocationem, & adventum Spiritus sancti supernaturaliter transmutantur in corpus Christi, & sanguinem." Quibus verbis sententia Græcorum recentiorum, & recte explicatur, & non levius confirmatur. Ergo &c.

Respondeo primo, opponendo ceteros Patres ipsamque Ecclesiam, & Concilia auctoritati divi Damasceni; dato enim, & non concesso in citata fuisse sententia, non inde sequeretur consecrationem fieri per meras preces, cum apertus sit de hoc momento Evangelii textus, & Ecclesiæ sententia manifestata, quæ omnibus prævalet, cum hoc fuerit clare in Patribus Latinis, in Canone Missæ, & in duobus Conciliis œcumenicis sicut explicatum, sic & declaratum.

Respondeo secundo, opponendo ipsum Damascenum Damasceno; vel in ipsis ejus verbis solutio affulget. Igitur L. 4. de fide orthodoxa c. 14. ita loquitur: " Dixit Deus, Hoc est corpus meum, & Hic est sanguis meus, & hoc facite in meam commemorationem. Atque omnipotenti ipsius præcepto donec ipse veniat hoc efficitur. Sic enim dixit, donec veniat." Quæ quidem verba citra contradictionem non possunt in alio sumi sensu quam activo usque ad perfectionem, cum verbis paulo antecedentibus eamdem eis tribuat virtutem ac verbo, fiat, quo cuncta Deus produxit: " Dixit, *inquit*, in principio, Producat terra herbam virentem, atque ea etiam nuc orto imbre, divino præcepto impulsa ac roborata. Dixit Deus, Hoc est &c."

Expressius & sine ambiguitate loquitur ibidem cap. 15. " Sicut, *ait*, Deus dicendo fiat lux, fecit lucem, ita dicendo, Hoc est corpus meum, &, Hic est sanguis meus, perficit hoc Sacramentum." Audis Damascenum non ulteriora verba quærere, sin minus comparatio claudicaret.

Arcudius pag. 254. hanc tradit solutionem: " Non igitur mirum, *inquit*, si etiam Sacerdos in sacrificio petat ut fiat corpus Domini, quod jam est factum. Similes enim locutiones per exaggerationem, ecstasin quamdam, ac divinum amorem amantis indicant erga rem amatam. Unde Theodoretus ex sententia Chrysostomi, teste Bessarione, memorati Psalmi locum exponens, non satiatur, inquit, *Justus orando, sed supplicans, & impetrans, & fructus orationis colligens, adhuc orando, ac supplicando perseverat, scit enim quanta inde sequatur utilitas*. Et hoc non est petere mutationem panis in corpus Domini, ut verba sonare videntur; sed potius confirmationem, & stabilitatem rei jam factæ." Qua quidem solutione explicantur omnia Patrum Græcorum loca, quæ aliquam præ se ferunt difficultatem.

Rursus idem Auctor ibidem cap. 33. pag. 252. col. 2. sic explicat Basilium: " Sed & Basilius Magnus pro nobis facit, qui orat ut Spiritus sanctus veniat, atque ostendat panem ipsum pretiosum corpus, per effectum scilicet sacramentalem in anima justi. Non secus, ac si aliquis dicat Regi, Ostende & præbe te Regem, hoc est Regia, & præclara facinora; quæ verba accepta sunt a Mystagogia Clementis. Et ideo concludit Clemens, ut qui eum panem participaverint, in pietate firmentur."

Hac solutio mirum in modum astruitur per ista Missæ Latinæ verba, quibus quidem petitur ut fiat corpus, & sanguis

guis Christi, nec tamen fiunt nisi per verba Evangelica: *Quam oblationem tu Deus in omnibus, quæsumus, benedictam, adscriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris, ut nobis corpus, & sanguis fiat Dilectissimi filii tui Domini nostri Jesu Christi, qui pridie quam pateretur &c.*

Respondeo tertio, distinguendo: Et Damascenus sicut alii Patres per invocationem Spiritus sancti, eatenus intelligunt ipsam formam Evangelicam, quatenus opera ad extra communia sunt omnibus Personis, & sicut Filio, sic Patri, & Spiritui sancto tribuatur transubstantiatio donorum, concedo: secus, nego. Sic respondet Turrecremata in Concilio Florentino collat. 22. n. 8. pag. 1154. his verbis: " Ex verbis Dionysii nulla sequi„ tur consequentia, quod aliis verbis „ quam Christi confici possit, *Eucharistia*. „ Nec dictum Damasceni procedit, quod „ per invocationem virtutis Spiritus san„ cti conficiatur, quoniam per invocatio„ nem non intelligit Damascenus aliam „ orationem quæ sequatur verba Christi „ in confectione, sed invocationem in„ telligit secundum sententiam Diony„ sii, formam sacramenti, quæ consistit „ in verbis Christi. „

Replicabis: Atqui Damascenus intelligit verba Christi nonnisi historice proferri: Igitur tribuit virtutem activam invocationi Spiritus sancti ad transmutanda dona. Probatur subsumptum tribus momentis: I. Quia ibidem assimilat consecrationem faciendam creationi, quæ solo imperio Dei ad omnia sese extendente, facta est: II. Non vult reiterari verba Christi in prima cœna prolata: " Sic enim *subdit*, „ dixit, donec veniat. „ Quasi dicat non esse opus ut verba iterentur, satis est, quod a Christo semel prolata fuerint. III. Tribuit specialiter transubstantiationem Spiritui sancto propter ejus invocationem. Pergit ib.: " Et pluvia huic „ novæ segeti per invocationem existit „ sancti Spiritus vis inumbrans. Quemad„ modum enim quidquid Deus fecit, id „ sancti Spiritus opera fecit, eodem mo„ do nunc quoque Spiritus operatio, ea „ quę naturam superant, efficit. „ Ergo „ &c.

Respondeo negando subsumptum, ad probationem respondeo ut supra. Ad secundam distinguo: Non requiritur ut verba iterentur a Christo, concedo: a Ministro, nego. Sensus est, non opus esse ut Christus ipse pronuntiet verba, sicut protulit in prima institutione: Sed satis est, ut Minister ipsius personam gerens, ejus nomine ea proferat super oblata. Ad tertiam; ultima Damasceni verba indicant solum efficaciam verborum Christi: Igitur non minuunt, quod tamen contingeret, si verba priora, eaque Evangelica consecrationem perfectam non operarentur.

Insistes: Patres Græci non semel vocant Eucharistiam Antitypon, absolutis etiam verbis Evangelicis, nusquam vero post invocationem sancti Spiritus: Igitur existimant Eucharistiam nonnisi per preces & invocationem sancti Spiritus, confici. Probatur antecedens: Arcudius Lib. 3. c. 34. hoc ipsum tribuit Basilio; tum cap. 35. Damasceno. In Liturgia S. Basilii post illud, *tua ex tuis tibi offerimus*; sequuntur hæc alia verba: " Ideo Domine sanctis„ sime, & nos peccatores, & indigni „ servi tui, quos ipse voluisti ministrare „ sancto Altari tuo, non propter justitias „ nostras, non enim fecimus quicquam „ boni in terra, sed propter misericor„ dias, & miserationes tuas, quas effu„ disti copiose super nos, confidentes ap„ propinquamus sancto Altari tuo, & „ proponentes antitypa sancti Corporis, & „ sanguinis Christi tui, te obsecramus, & „ te postulamus Sancte Sanctorum, bene„ placita tua benignitate, ut veniat Spiri„ tus sanctus tuus super nos, & super pro„ posita munera ista, & benedicat ea, & „ sanctificet, atque ostendat panem qui„ dem istum, ipsum pretiosum corpus „ Christi. „ Ergo &c.

Respondeo distinguendo: Vocant Eucharistiam antitypon plenum & vivum, concedo: vacuum, & inane, nego. Antitypon, seu figura duplex distinguitur: alia inanis, ut tabella, alia vero plena, quæ vel ipsam præcontinet veritatem; in quo quidem sensu filius dicitur imago Patris, sic juxta Apostolum Heb. 1. Verbum æternum dicitur figura substantiæ paternæ, scilicet viva, his verbis: *Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus, &c.*

In

In priori sensu Patres Græci nonnunquam Eucharistiam vocant antitypon, nusquam vero in posteriori. Habemus ipsum Damascenum, & sui, & ipsius Basilii interpretem; namque Libr. 4. de fide Orthodoxa cap. 14. sic explicat Basilium: " Quod si nonnulli panem, & vinum nominarunt ἀντίτυπα signa typum gerentia corporis, & sanguinis Domini, sicut Deifer Basilius dixit, non post consecrationem, sed priusquam consecraretur ipsa oblatio, sic appellarunt: " Ex illis verbis sequitur ne quidem ullo modo Eucharistiam esse appellandam antitypon.

Habemus & ipsos Patres Concilii septimi generalis sancti Basilii interpretes. Cum enim Iconoclastæ omnes abjicerent imagines, & solam Eucharistiam, ut Christi imaginem non colorum lineamentis, sed vivam haberent, ne quis crederet Eucharistiam esse imaginem corporis Christi vacuam, noluerunt istam ullo modo vocari imaginem, nisi ante oblatorum consecrationem, & hanc esse Basilii mentem propugnant. " Manifeste ostensum est, *inquiunt*, quod nullibi neque Dominus, neque Apostoli, vel Patres imaginem dixerunt incruentum sacrificium per Sacerdotem oblatum, sed ipsum corpus, & ipsum sanguinem. Attamen ante sanctificationis consecrationem, quibusdam Patribus pie sane visum est antitypa nominare. Quorum de numero Eustathius est, Orthodoxæ fidei constans, ut scilicet nomen sonat, propugnator, & Arianæ insaniæ expugnator. Basilius item ejusdem superstitionis extinctor..... Uno namque, & eodem Spiritu cum loquerentur, hic quidem exponens locum illud in Proverbiis Salomonis, Edite meum panem, & bibite vinum, quod miscui vobis, hæc ait. Per panem, & vinum antitypa membrorum corporalium Christi prædicat; ille vero ex eodem fonte hauriens, ut omnes Sacerdotii mystæ in precatione divinæ oblationis norunt, ad hunc fere modum ait, confidentes tuo sacro altari appropinquamus, & proponentes Antitypa sancti corporis, & sanguinis Christi tui, te precamur, & invocamus, & quod deinceps sequitur mentem Patris manifestiorem reddit, quod antequam sanctificarentur, Antitypa vocata sunt; post consecrationem autem corpus proprie, & sanguis Christi dicuntur, sunt, atque creduntur. "

Respondeo II. ut supra, Patres per invocationem Spiritus sancti, nihil aliud petere nisi quod corpus, & sanguis Christi fiant nobis ad salutem, & unionem; hinc Basilius in Liturgia laudata advocat Spiritum sanctum, non ut consecretur hostia, sed ut ostendatur panem vi transubstantiationis factæ, esse corpus Christi. Quod ne minimum quidem dicit produci, sed per invocationem nobis prodesse, ad vitam æternam. Hæc sunt verba Liturgiæ vocabulum antitypi subsequentia " Obsecramus...., ut veniat Spiritus sanctus tuus super nos, & super proposita munera ista, & benedicat ea, & sanctificet, atque ostendat panem quidem istum, ipsum pretiosum corpus Domini & Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi: quod autem est in hoc calice, ipsum pretiosum sanguinem Domini, ac Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi, qui effusus est pro mundi vita. Nos autem omnes de uno pane & calice participantes coadunet invicem in unius Spiritus sancti communionem. Et nullum nostrum ad judicium, aut condemnationem faciat accipere sanctum corpus, & sanguinem Christi tui. "

Replicabis: Concilium Florentinum tametsi disceptaverit de hoc momento, nihil tamen de fide determinavit: sed quod non est de fide determinatum, in utramque partem propugnari potest: Ergo &c.

Respondeo I. Falsum esse, Concilium Florentinum non definivisse solam formam Evangelicam, ad consecrandum panem & vinum valere: sic enim habetur pagin. 1160. *Fuit exorta alia difficultas, quæ quasi perturbavit totum opus*, unionis, *nec unquam hæc quæstio fuit mota*. Quibus verbis testatur Concilium hanc fuisse primitivæ Ecclesiæ fidem: Unde si terminis litteraliter expressis, non pronunciavit Anathema, sufficienter tamen definivisse censetur, ut primum declarat neminem sanctorum Doctorum, ad hæc usque tempora existimasse consecrationem fieri post invocatione Spiritus sancti, & precibus Ecclesiæ.

Secundo: Græci, auditis Latinorum rationibus, ita ſententiæ Concilii adhæſerunt, ut anathemate feriendos eſſe negantes, & obſtrepentes aſſeruerint. Sic legitur pag. 1161. *Confeſſi ſunt, auditis rationibus noſtris, quod ſemper tenuerunt, quod ſolis verbis Dominicis conſecraretur, & quod putarent anathema qui aliud crederet.* Ea conditione ad unionem recepti ſunt; qua conditione? Niſi ut anathema diceretur contrarium propugnantibus: quibus, quæſo, verbis, poteſt melius explicari definitio?

Tertio: Definitionem fidei & factam, & concluſam fuiſſe nemo negabit niſi hoſpitem ſe probet in notitia Concilii Florentini; non ſcriptam quidem ultro fatemur, ſed quare? Audi doctiſſime lector, propter duo. 1. Quia Græci cernui expoſtulavere, ut hæc definitio ſcriptis non mandaretur, ne vitio & opprobrio verteretur ſuæ Eccleſiæ quod poſteri crederent Eccleſiam Orientalem eo cæcitatis gradu quoudam deveniſſe, ut tranſubſtantiationem non verbis Evangelicis fieri propugnaret; ecce verba, uti leguntur ibidem Collat. 22. num. 9. pag. 1161. col. 1. *Fuit inſtitutum, ut hoc poneretur in definitione. Dixerunt Græci, quod hoc non erat neceſſarium, immo ſi poneretur, Eccleſia ipſorum reciperet ignominiam, ac ſi hactenus tenuiſſent aliud.* Audis decretum definitionis. 2. Altera ratio cur definitio ſcriptis non fuerit demandata affertur nedum a Græcis, ſed a ſummo Pontifice Eugenio IV. quod ubi non adeſt de aliquo dogmate dubium, inutilis ſit de eo definitio, cum praxis, & poſſeſſio Eccleſiæ ita clare annuntiet dogma, ut contrarium propugnantes, evadant fidei hoſtes. Sic Græci loquuntur Latinis, *Cum ſemper fuerimus concordes, in hoc definitio non debet fieri niſi de dubiis.* Tum ſummus Pontifex concluſit: *Unde, ſanctiſſimus Dominus noſter hoc audito obtemperavit, ut non deduceretur in dubium quod numquam fuit, maxime quia alii Pontifices tentantes reductionem Græcorum, nihil aliud ab eis petierunt, niſi ut conſiterentur, quod in azymo conficeretur.*

Quarto: Si quæras præter declarationem Concilii Florentini, ulteriorem definitionem, & expreſſiorem, audi Tridentinum, quod Seſſ. 13. c. 3. dicit. " Semper hæc fides in Eccleſia Dei fuit, „ ſtatim poſt conſecrationem verum Domini noſtri corpus, verumque ejus ſanguinem ſub panis, & vini ſpecie una „ cum ipſius anima, & divinitate exiſtere..„ Obſerves I. eam fuiſſe ſemper Eccleſiæ fidem ſtatim, abſoluta conſecratione, corpus, & ſanguinem Chriſti adeſſe ſub ſpeciebus: II. Concilium nihil aliud ad conſecrationem exigere præter verba Evangelica; ſic ejus prodit ſenſum ipſius. Catechiſmus p. 2. de Euchariſtia n. 20. his verbis: " Itaque a ſanctis Evangeliſtis, „ Matthæo, & Luca, itemque ab Apoſtolo docemur, illam eſſe formam, Hoc „ eſt corpus meum; ſcriptum eſt enim: „ *cœnantibus illis accepit Jeſus panem, &* „ *benedixit, ac fregit, deditque diſcipulis* „ *ſuis, & dixit: Accipite, & manducate:* „ *Hoc eſt corpus meum.* Quæ quidem conſecrationis forma, cum a Chriſto D. „ ſervata ſit, ea perpetuo Catholica Eccleſia uſa eſt. „

Audis non aliam fuiſſe in uſu, nec eſſe poſſe. Idem Catechiſmus probat verba antecedentia *Accipite & comedite*, non eſſe de eſſentia: n. 21. calicis formam refert, tum ſubjicit: " Quare cum verba „ illa hoc aperte declarent, perſpicuum „ eſt, aliam formam conſtituendam non „ eſſe. „ Deinde vero ait iſta poſteriora verba *Myſterium fidei* explicare quidem præſentiam ſanguinis, & fructum, ſed ſupponere veritatem, & conſecrationem factam; ſic habetur n. 23. " Quod ſubjungitur, *Myſterium fidei*, non rei veritatem „ EXCLUDIT, ſed, quod occulte latet, „ atque ab oculorum ſenſu remotiſſimum „ eſt, CERTA FIDE CREDENDUM eſſe ſignificat. „ Videas velim eſſe de fide, quod abſolutis verbis Evangelicis adſit corpus, & ſanguis Chriſti, ſub ſpeciebus: erroneum igitur eſt dicere eſſe probabile conſecrationem fieri per advocationem Spiritus ſancti, & preces ſubſequentes.

Ecce ejuſdem dogmatis iterata definitio ibidem ſectione 13. can. 4. *Si quis dixerit, peracta conſecratione, in admirabili Euchariſtiæ Sacramento, non eſſe corpus, & ſanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti.... Anathema ſit.* Rurſus, ſeſſ. 22. can. 2. his verbis: *Si quis dixerit, illis verbis, hoc facite in meam commemorationem,*

Chri-

Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi, aliique Sacerdotes offerrent corpus, et sanguinem suum; Anathema sit. Quæ quidem verba *Hoc facite*, supponunt Eucharistiæ consecrationem verbis Evangelicis jam confectam, ut primariam actionem, qua Christus sui Sacerdotii divini functus est, ad illam communicandam Apostolis, & ceteris illius in Sacerdotio successoribus.

Quid plura adjiciam? Definitionem habes in traditione Patrum utriusque Ecclesiæ, quorum expressa testimonia explanata ab ipso Concilio Florentino retulimus.

Replicabis: Illustrissimus Bossuetius, tenet contrariam opinionem esse probabilem: Ergo &c.

Respondeo tantum virum in ea non fuisse sententia; hinc aut non dixit quæ illi imputantur, aut si dixit, non nisi historice & juxta quorumdam recentiorum placita scripsisse credendum est. Ceterum dato & non concesso Meldensium Præsulem similia propugnasse, anteponenda est declaratio duorum Conciliorum Oecumenicorum, Praxis, & possessio Ecclesiæ.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Citra errorem non defenditur Consecrationem fieri posse per alia verba quam per Evangelica.

Primo: Hoc patet ex Evangelistis, qui ne minimum quidem de invocatione Spiritus sancti, & precibus ulterioribus mentionem faciunt. Sed tantum de verbis Christi, ubi agitur de consecratione: certe si ulteriores preces necessariæ fuissent, dubio procul eas non omisissent.

Secundo: Nec aliud quidquam exigit Florentinum collatione 22. & Tridentinum Sess. 13. cap. 3. can. 4. & Sess. 22. can. 2. ubi rem sufficienter definiunt de fide, cum huic veritati confirmandæ accedat perpetua fides, & traditio & consensus Ecclesiæ ne dum tacitus, sed & expressus.

Tertio: Nec desunt ad hoc dogma probandum rationes. Namque verbis humanis fieri non potest miraculum inter omnia prodigia maximum, qualis est transubstantiatio: Igitur solis Christi verbis & operatur, & confici potest. Sic credit Ecclesia quæ vult Christum adorari in Eucharistia, ut primum absolutis verbis Evangelicis, elevatur, & ostenditur populo nostra, ut cernens, & prosternatus Christum in tanto Sacramento tuoc præsentem adoret.

SYNOPSIS OBJECTIONUM ET RESOLUTIONUM.

Primo quidem, nec quisquam moveri debet si nonnulli Patres Græci advocent Spiritum sanctum, ut panis corpus Christi, vinum vero ejus sanguis evadant; quandoquidem, non transubstantiationem petunt, sed corpus Christi Mysticum, hoc est, unionem fidelium cum Christo, & fidelium ad invicem: namque Ecclesia fide, & charitate cum Christo conjuncta, teste Apostolo, 1. Cor. 10. dicitur corpus Christi, scilicet mystice, & moraliter.

Secundo: Nec magis proficiunt Novatores, dicendo Eucharistiam vocari a Patribus Græcis antitypon: non enim nisi ante consecrationem isto nomine illam celebrant; sed dato, & non concesso eam utique post consecrationem ab eis sic denominari, citra dubium est illos loqui de imagine viva, veritatem corporis Christi non excludente, sed potius concludente; in quo sensu filium Dei vivam sui Patris imaginem appellare non dubitat Apostolus Hæb. 1.

Tertio Incassum aliquis replicaret nostram sententiam non fuisse in Concilio Florentino definitam, cum Patres Synodici non acquieverint unioni Græcorum, donec anathema dicerent illis qui contrariam opinionem uti probabilem defendere tentarent. Enim vero summus Pontifex emiserat decretum de definitione, sed expostulantibus Græcis, ne vitio verteretur eorum Ecclesiæ, testantes in hoc cum Ecclesia Latina semper fuisse concordes, consensit Eugenius IV. definitionem scripto non mandari propter duo: Primo quidem ex eo quod definitio non nisi in dubiis, & controversiis fiat; Græci vero de hoc nollent disputare: Secundo quia compertum habebat illos vera loqui, dum dicebant Ecclesiam Orientalem, in hoc dogmate fuisse semper Latinæ consociatam, cujus rei argumentum prodit ipse

sum-

summus Pontifex, asserendo quod quotiescumque reducti Græcorum tertara est, nulla evaserit de forma Eucharistiæ controversia, sed solum de materia, nempe de Azymo.

ARTICULUS SEXTUS.

De Cultu sacræ Eucharistiæ.

QUATUOR ad debitum cultum sacræ Eucharistiæ concurrunt: Primo quidem adoratio: Secundo, reverentia: Tertio, festivitas: Quarto, dovotio: unde sit

SECTIO PRIMA.

Utrum Sacra Eucharistia adoranda sit?

CONCLUSIO.

Sacra Eucharistia cultu latriæ, seu adoratione colenda est.

Probatur rationibus Theologicis.

PRIMA sic exponitur: Qui cultu latriæ donatur, ita colendus est ubi realiter præsens est: Atqui Christus cultu latriæ adorandus est, in Eucharistia vero ille idem est realiter, & personaliter, quem Magi in præsepe, Apostoli in Galilæa, cæcus in urbe Jerusalem illuminatus, adoraverunt: Sic legitur de Magis Matthæi 2. de Apostolis, ibidem 28 de cæco Joan. 9. Ergo &c. Quod autem Christus in Eucharistia sit realiter, & personaliter præsens, suse supra ostensum est.

Altera: Ibi Christus adorandus est, quem adorandum esse docet perpetua Ecclesiæ Traditio: Arqui res sic se habet: Ergo &c. Probatur antecedens ex usu perpetuo Ecclesiæ. In omnibus Liturgiis facta consecratione Sacerdos, & populus adorant Christum, in Eucharistia. Instar omnium sit Liturgia Missalis Chaldaici, quæ sancto tribuitur Chrysostomo, in qua & Sacerdos & Diaconus capitibus in terram inclinatis tremenda Mysteria cernui adorant: Sacerdos, *Nos Domine servi, peccatores, et insipientes, memoriam agimus omnis periodi dispensationis tuæ salutaris, adventusque tui secundi, terribilis, & gloriosi, quem trementes expavescimus, orationem & deprecationem tibi offerimus, & te mediante, Patrem etiam interpellamus dicentes*: Diaconus: *Miserere*. In alia ejusdem sancti Liturgia apud Renaudotium Tom. 2. lit. pag. 252. Diaconus conclamat, ut omnes coram sanctissimo altaris Sacramento se inclinent. *Domino*, ait, *capita nostra inclinemus*.

Tertia: Quod definitum est a Conciliis Oecumenicis, sic tenere debemus: Atqui Concilium Trid. Sessione 13. c. 5. definivit Eucharistiam esse adorandam; sic enim loquitur: " Nullus dubitandi locus relinquitur quin omnes Christi fideles pro more in Catholica Ecclesia semper recepto latriæ cultum qui vero Deo debetur, huic sanctissimo Sacramento in veneratione exhibeant."

Quarta: Nedum Rubricæ, sed & immemorialis Ecclesiæ praxis, sed & sancti Patres istum astruunt Eucharistiæ cultum: Ergo &c. Probatur minor ex testimoniis Patrum utriusque Ecclesiæ Orientalis scilicet, & Occidentalis.

Patres Græci.

S. Athanasius Epist. ad Adelphium de cultu Eucharistiæ, ait: " Non creaturam, absit .... sed Dominum rerum creatarum incarnatum Dei Verbum adoramus ": Porro Patres passim dicunt Christum in altari in Missis quotidianis eatenus spiritualiter incarnari, quatenus per consecrationem in eo sistitur: Igitur ibi adoranda est Eucharistia.

Tum S. Chrysostomus homilia 28. ad populum Antiochenum: " Tempore sacrificii, mi frater charissime, non solum homines clamorem illum tremendum reddunt, sed etiam Angeli Domino genuflectunt &c. "

Succinit Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 5. Mystagogica, ubi dicit quod: " Accedens ad Eucharistiam pronus, & adorationis in modum. " Cum accedere necesse sit, & justum. "

Theodoretus eumdem tenet sermonem Dialogo II. qui *inconfusus* inscribitur adversus Eutychianos, ubi sic loquitur:

Sym-

" Symbola mystica . . . intelliguntur ea „ esse quæ facta sunt, & creduntur, & „ adorantur. „

Patres Latini.

Ceteris accedit Ambrosius Lib. 3. de Spiritu sancto capite 12. explicans enim illa Psalmistæ verba *adorate scabellum pedum ejus*, ait : " Itaque per scabellum „ terra intelligitur, per terram autem „ caro Christi, quam hodie quoque in „ mysterio adoramus, & quam Apostoli „ in Domino Jesu adorarunt. „

S. Augustinus ejusdem est labii epistola 120. ad Honoratum, ubi interpretans istud Psalmistæ oraculum *manducaverunt, et adoraverunt omnes divites terræ*, cap. 27. ita loquitur : " Manducaverunt, & ado„ raverunt omnes divites terræ, & ipsi „ quippe adducti sunt ad mensam Chri„ sti, & accipiunt de corpore, & san„ guine ejus, sed adorant tantum, non „ etiam saturantur, quia non imitan„ tur. „ Scilicet superbi divites, de quibus sermonem instituit.

Non omittendus sanctus Thomas, qui in hymno sacræ Eucharistiæ, ait : " Ado„ ro te devote latens deitas, quæ sub „ his figuris vere latitas &c. „ quibus positis sequitur istud argumentum. Christus in Eucharistia latens, est verus Deus, cum corpori, & sanguini quæ in hoc Sacramento latent, Verbum sit hypostatice unitum : Atqui Deus Verbum cultu latriæ, & adorationis colendum est; Igitur & Eucharistia, quippe quæ totum Verbum incarnatum contineat, ut definivit sacra Synodus Tridentina Sessione 13. c. 2. Ergo &c.

Quinta ratio : Vel ipsi Protestantes tenentur admittere pro Eucharistia cultum latriæ : Ergo &c. Probatur antecedens. Calvinistæ propugnant adversus Lutheranos admittentes realem Christi in Eucharistia præsentiam, in hac hypothesi absque fundamento eos abjudicare sacramento Eucharistiæ latriæ cultum. Ita Calvinus de vera Christi participatione contra Heshusium Lutheranum opusc. col. 1965 eo loci ait Christum esse in Eucharistia adorandum, si sit in ea realiter præsens. Idem propugnat Beza lib. de cœna contra Vvestphalum Lutheranum pag. 245. idem Derelincour in libro cujus titulus *falsus Pastor* Gallice *faux Pasteur*, sectione 12. p. 123. idem etiam propugnant Ministri Tigurini in Apologia edita anno 1545. contra ultimam Lutheri confessionem, ubi ultro fatentur, se cum Catholicis Romanis fideliter adoraturos Eucharistiæ Sacramentum, si crederent verum Domini corpus realiter in eo adesse.

Lutherani multi veritate victi concedunt Eucharistiam esse cultu latriæ adorandam in usu, hoc est dum sumitur, alias sibi contradicerent; si enim tunc Christus Deus realiter adest, utique & adorandus. Hanc pro usu doctrinam tenent, vel ipse Lutherus in formula Missæ, & in libro de verbis : *Hoc est corpus meum*, & alibi ; Bucerus in actis colloquii Ratisponensis; Brintius in Apologia pro confessione Vvittembergensi pericope 2. Kemnitius in 2. part. exam. Conc. Tridentini, ss. 13. c. 5. Sed ut aliquas habeant in impietate excusationes, subjungunt se adorare quidem Christum in usu Eucharistiæ, at non Sacramentum, ne ut falso putant, idololatræ evadant, ut Catholici qui adorando Sacramentum, utique & merum panem, quem ibi remanere confingunt, etiam adorant : Sed recte mentiti sunt in caput suum, cum Catholici fide teneant inesse solum in Eucharistia corpus, & Christi sanguinem cum ejus divinitate, eo quod panis in corpus, vinum vero in sanguinem Domini conversa sint.

FIT SATIS OBJECTIONIBUS

Lutheranorum.

Objiciunt : Quod est humanum præceptum non obligat saltem de fide : Atqui adoratio Eucharistiæ cadit super præceptum mere humanum : Et probatur multis momentis : I. Quidem, nullibi adest Christi præceptum pro isto cultu. II. Vel ipsi Apostoli dum a Christo in mensa sacram suscepere Eucharistiam non adorando, sed simpliciter ad summum se inclinando acceperunt, & hoc in mensa sedentes, cum illis per modum cibi inter cœnandum porrecta sit : Ergo &c.

Respondeo negando minorem. Scriptum est enim Deuteronomii 6, & Matthæi 4.

Domi-

Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies. Immo eo ipso quo Christus est Deus, ex jure naturali competit ei adoratio, cum sit omnium Dominus: quod præceptum eleganter explicat Apostolus Hæbr. 1. ubi de Christo disserens, ait, *Et adorent eum omnes Angeli Dei*. Hoc ipsum in Evangelicis se prodit: dictum est enim in iis, Christum adoratum fuisse a Magis: hunc cultum explanat S. Chrysostomus in primam ad Corinthios, "Hoc
„ corpus, *ait*, in præsepe reveriti sunt
„ Magi, & viri barbari, longo itinere
„ confecto, cum timore, & tremore
„ plurimo adoraverunt; imitemur ergo
„ Barbaros &c. „

Ad primam probationem distinguo: Nullibi adest præceptum explicitum pro adoratione Eucharistiæ, transeat: implicitum, & virtuale, seu etiam naturale, quod ex jure avito Chisto debetur, eo ipso quo Deus est, nego.

Ad alteram probationem sufficit quod Scriptura sacra in uno asserat loco Apostolos adorasse Christum in Galilæa: ceterum ad adorationem sufficit submissio mentis, & inclinatio corporis, cum Deum quandoque erecti, quandoque etiam curvati, & prostrati, justi, & sancti eum venerati sint.

Instabis: Atqui præceptum adorationis est mere humanum & Ecclesiasticum: Ergo &c. Probatur subsumptum: Honorius III. ut habetur capite, *Sane de celebratione Missarum*, prior instituit adorationem Eucharistiæ, ejusque cultum: tum Urbanus IV. instituit festum corporis Christi, quod Clemens V. cum Concilio generali Viennensi firmavit, ut habetur *in Clementina unica de Reliquiis, et veneratione Sanctorum*: Ergo &c.

Respondeo negando subsumptum. Ad probationem distinguo: & auctoritates laudatæ probant solum summos Pontifices speciale determinasse tempus pro cultu Eucharistiæ, concedo: Et ille cultus non erat debitus, nego. Cultus ex natura rei Deo debetur, adeoque & Christo ubicumque adest: & licet quidam adorationis ritus in aliquo fixo tempore sit ab hominibus, non inde sequitur cultum adorationis esse novum, cum a sæculo Deus sit Deus: Hinc Apostolus Philippensium 2. mirum in modum exaltat adorationis cultum pro Christo, his verbis: *In nomine Jesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum*. Quod autem festivitates supponant adorationem esse Deo debitam, & in ea fundentur, non unum extat in veteri lege exemplum; nam festum fortium a Mardochæo, & Æsther, sine ullo Dei mandato institutum fuit, & ab omni Synagoga receptum, ut habetur Æsther 9. Item festum victoriæ Judith institutum est ab Hebræis secluso Dei mandato, Judith. 16. Idem dicendum de festo Encæniarum a Machabæis instituto Lib. 1. Machabæorum 4. quod vel ipse Christus celebrare voluit, Joannis 10.

Insistes: Si Christus adorandus foret in Eucharistia eo quod ibi adsit, ubique etiam esset adorandus, cum ut Deus sit ubique præsens: Atqui nullus Theologus hæc dixerit: Ergo a pari &c.

Respondeo negando sequelam, & paritatem. Ratio discriminis ea est, quod Christus, ut Deus sit personaliter propter unionem hypostaticam cum corpore, & sanguine in sacra Eucharistia; in orbe vero terrarum solum per præsentiam generalem, quatenus omnia implet, cuncta videt, & regit, & ei subjecta sunt omnia.

Replicabis: Ad adorationem requiritur certitudo præsentiæ Christi in Eucharistia: Sed nullus de hoc certior factus est, cum ignoret num Sacerdos habuerit consecrandi intentionem, vel non: Ergo &c.

Respondeo distinguendo majorem: Requiritur certitudo moralis, concedo: Physica, subdistinguo: ad melius, & pro celebrante, concedo: absolute nego. Certitudo moralis sufficit ad fundandum judicium prudentiale pro actu morali rite eliciendo, & hæc semper adest.

Repones: In casu quod deficeret ex pravitate ministri intentio illa, jam idololatriæ exponeretur populus: Sed absurdum consequens: ergo & antecedens.

Respondeo distinguendo: Exponeretur idololatriæ materialiter, & per accidens, concedo: formaliter, nego. Populus enim semper intendit adorare solum Christum; quocirca non esset idololatria formalis.

Repones: Atqui esset idololatria etiam for-

formalis: Ergo &c. Probatur subsumptum. Adoratio terminatur etiam ad species, ut propugnant quidam Theologi: Sed species sunt quid creatum, cui non debetur adoratio: Ergo &c.

Respondeo negando subsumptum. Ad probationem distinguo: Adoratio terminatur etiam ad species secundum se, & in abstracto sumptas, nego. Ut sunt unum Sacramentum cum corpore, & sanguine Domini subdistinguo; ita ut non fiat abstractio in adorante, concedo: secus, nego. Ceterum Christus adoratur in Eucharistia cultu absoluto, species vero cultu relativo, & ut habent cum corpore, & sanguine Domini connexionem.

Persistes: Atqui adorare sacramentum Eucharistiæ idololatriam absolute spirat: Ergo &c. Probatur subsumptum: S. Cyrillus Alexandrinus Nestorium, ut idololatram habebat, eo quod Christi humanitatem adoraret, ut patet ex ejus anathematismis: Sed vi verborum primario, & per se corpus, & sanguis humanitatis sanctæ ponuntur in Eucharistia: igitur ista nullo modo est adoranda.

Respondeo negando subsumptum. Ad probationem distinguo: Cyrillus habebat Nestorium ut idololatram, eo quod adoraret humanitatem nudam, & a supposito divino separatam, quippe qui Christum, ut purum hominem reputaret, concedo: eo quod præcise adoraret Christum, nego. Non dicimus hominem adorandum, sed Christum, qui est homo simul & Deus.

Dices: Igitur Eucharistia est solum adoranda cultu relativo, & non absoluto, sicut eam colit Ecclesia Romana, inquiunt Heterodoxi, cum non nisi relative, ad verbum incarnatum colenda sit, eo non absimili modo, quo sanctam imaginem relative ad prototypum veneramur.

Respondeo negando sequelam & paritatem. Ratio discrepantiæ ea est, quod humanitas subsistat subsistentia divina, quæ suum est complementum; hinc & Christus secundum se, & sacramentum Eucharistiæ, in quo continetur, cultu latriæ adoranda sunt: at imago non continet personaliter prototypum.

Hæc solutio colligitur ex sancti Athanasii Epistola ad Adelphium, ubi probat Verbum humanitati unitum esse absolute adorandum his verbis: " Non creaturam
„ absit ... sed Dominum rerum creata,
„ rum incarnatum Dei Verbum adora-
„ mus. Nam tametsi caro ipsa per se pars
„ sit rerum creatarum; attamen Dei cor-
„ pus effecta est, neque hujusmodi cor-
„ pus seorsum discriminatum a Verbo
„ adoratione prosequimur, neque Ver-
„ bum adoraturi, Verbum a carne longe
„ seponimus, sed cum sciamus, ut dictum
„ est, Verbum caro factum esse, hoc ipsum
„ etiam in carne positum Deum agno-
„ scimus.

SYNOPSIS PROBATIONUM

Eucharistia est adoranda.

PRIMO: Quia in utroque testamento prædicatur, Deum esse adorandum, Christus autem Deus, est realiter in Eucharistia præsens.

Secundo: Ita de fide definivit sacra Synodus Trid. S. 13. c. 5. sic propugnant Patres, ut Dionysius de Ecclesiast. Hierarch. c. 3. p. 3. Clemens L. 2. Const. Apost. c. 61. Origenes Homilia 5. in diversa loca Evangelii; Cyrillus Jerosl. Catech. 5. Mystagog. Eusebius Emissenus Hom. 5. de Paschate; Greg. Naz. Orat. de sancta Gorgonia.

Tertio: Hoc ipsum indicant Liturgiæ, libri rituales, & rubricæ, nec dissentiunt, vel ipsi Calvinistæ, in hypothesi quod Christus sit realiter in Eucharistia præsens, ut propugnamus.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET EXPLICATIONUM.

PRIMO: Tametsi præceptum de adoratione non sit specialiter factum pro Eucharistia a Conciliis, non silet tamen Scriptura, quæ Deuteronomii 6. & Matthæi 4. sic loquitur: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.*

Secundo: Non est timendum pro idololatria cum cultus terminetur ad Christum, ut latet sub speciebus.

Tertio: Neque ullum facessit negotium, quod S. Cyrillus insimulet idololatriæ Nestorium adorantem Christi humanitatem; enim vero vir pessimus credebat Christum a divinitate separatum, in qua hypo-

hypothesi, humanitas sancta non foret cultu latriæ adoranda, quandoquidem esset mera creatura.

SECTIO SECUNDA.

Num summa debeatur Eucharistiæ reverentia?

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

Probatur multis argumentis.

Primum argumentum

Ex sacra Scriptura veteris Testamenti depromitur.

A veteri Testamento exordium sumendum est: Abraham Deum alloquens ait: *Gen. 18. Loquar ad Dominum meum cum sim pulvis et cinis.*

Rursus David eumdem habet sermonem dicens: *Tamquam nihilum ante te.* Legitur quoque in libro 1. Paralipomenon quod Salomon, Sacerdotes, & populi, tanta erga Deum moverentur reverentia, ut non nisi prostrati super pavimentum in templo propter summam ejus majestatem quæ repleverat templum, suas funderent preces; hinc & in Psalmo 33. habetur, *Timete Dominum omnes sancti ejus.* Sed inter omnia pro reverentia erga Dum debita, celebris est Isaiæ visio cap. 6. ubi legitur, vel ipsum Prophetam vidisse duos Seraphim, velata solum facie præ reverentia coram Majestate divina astantes. *Vidi Dominum*, inquit, *sedentem super solium excelsum, et elevatum; et ea quæ sub ipso erant, replebant Templum: Seraphim stabant super illud: sex alæ uni, et sex alæ alteri. Duabus velabant faciem ejus, et duabus velabant pedes ejus, et duabus volabant. Et clamabant alter ad alterum, & dicebant, sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria ejus.* Non omittendum, Josue coram arca Dei prostratum adorasse Deum, L. Jos. cap. 7. *Josue vero scidit vestimenta sua, & pronus cecidit in terram coram arca Domini usque ad vesperam.*

Ex his sequitur istud argumentum: Gradus isti diversi reverentiæ ad Deum, quem non nisi, ut potestates Angelicæ tremente juxta Ecclesiæ eloquium colere, & venerari debemus, fundantur maxime in eo quod sit, *Qui est*; hoc est juxta Divum Bernardum L. 5. de Consf. cap. 6. independens, & omnium perfectionum Oceanus, sicut ipse Deus, ait Moysi Exod. 33. *Ego ostendam omne bonum tibi.* Quod sim Rex Regum, quod terra plena sit gloria mea, quod sim Dominus vitæ, & mortis: Sed his omnibus dotibus donatur Christus juxta illud Apostoli Hæbr. 1. *Multifariam, multisque modis olim Deus loquens Patribus in prophetis; novissime, diebus istis loquutus est nobis in filio, quem constituit hæredem universorum, per quem fecit, & sæcula. Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus, portansque omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram Majestatis in excelsis: tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit. Cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu, Ego hodie genui te?* Sed ille Deus tot motivis venerandus, est realiter in Eucharistia: Igitur sacra Eucharistia ea qua par est reverentia veneranda est, quippe quæ sit arca vivens, in qua concluduntur omnes Thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei; domus est panis, & quidem plena Majestatis divinæ gloria; ipse enim Christus est ille Deus quem Seraphim apud Isaiam velata facie venerabantur, juxta illud Chrysostomi Homil. 1. in Isaiam, ubi verba Prophetæ sic interpretatur, *Vidi Dominum*, ait: " Non cogitas quod Angeli huic stupendæ assistunt mensæ, & hanc cum reverentia circumvallant? " Nec mirum; si enim arca quæ non nisi erat Eucharistiæ figura tanto honore, tantaque reverentia apud populum Judaicum habita est, quid dicendum a fortiori de Eucharistia, quæ non manna, & virgam Moysis, sed ipsum Christum Deum præcontinet?

SECUNDUM ARGUMENTUM

Ex novo Testamento fit.

Non unum est ibi erga Eucharistiam reverentiæ argumentum, cum Christus ubique beneficus mediator, & singulorum hominum Redemptor, Rex Regum pro-

proclametur. Unam aut alteram Apocalypseos sententiam pro isto momento proferre sufficit. Sic enim Propheta cap. 5. de Christo in Eucharistia loquitur: *Vidi, & ecce in medio Throni, & quatuor animalium, & in medio seniorum agnum stantem, tamquam occisum, habentem cornua septem, & oculos septem, qui sunt septem Spiritus Dei, missi in omnem terram. Et venit & accepit de dextra sedentis in Throno librum. Et cum aperuisset librum quatuor animalia, & viginti quatuor seniores ceciderunt coram Agno... Et cantabant Canticum novum, dicentes, Dignus es Domine accipere librum, & aperire signacula ejus... dignus est Agnus qui occisus est, accipere virtutem, & divinitatem, & sapientiam, & honorem, & gloriam, & benedictionem. Et omnem creaturam qua in cælo est, & super terram, & sub terra, & quæ sunt in mari, & quæ in eo: omnes audivi dicentes, sedenti in Throno, & Agno, benedictio, & honor, & gloria*. Tum cap. 4. sub finem habetur: *Procidebant viginti quatuor seniores ante sedentem in Throno, & adorabant viventem in sæcula sæculorum: & mittebant coronas suas ante Thronum, dicentes, Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam et honorem*, Christus in Eucharistia est Agnus stans, quia est vivens, & gloriosus in sæcula: ibi adstat quasi occisus, eo quod Eucharistia sit ejus passionis memoriale, & verum sacrificium incruentum: habet cornua septem, ut intelligat fidelis Christum paratum esse sese de injuriis & irreverentiis vindicare: habet oculos septem, hoc est, videt cuncta, sive bona, sive mala, quæ in sua fiunt præsentia: in iis autem, quot reverentiæ motiva!

TERTIUM ARGUMENTUM.

Ex sanctis Patribus, et disciplina Ecclesiæ.

Sancti Patres certatim ad venerationem hujus Sacramenti adhortantur fideles, maxime Chrysostomus Hom. 26. de Sacerdotio c. 4. Rursus homilia 28. ad populum Antiochenum, maxime vero in oratione de S. Philogonio ubi hæc loquitur. " Ne brevi quidem spatium e-„ metiri sustines, ut hoc felici specta-„ culo perfruaris: Nam, si cum fide ac-„ cesserimus, procul-dubio videbimus „ eum in præsepi jacentem, hæc siqui-„ dem mensa vicem explet præsepis: „ Nam & hic ponitur corpus Domini-„ cum, non quidem fasciis, sicut tunc, „ sed undequaque Spiritu sancto con-„ vestitum.

Rursus Homilia 60. " Inhumanus accedat nemo, nemo crudelis, & immise-„ ricors, nemo prorsus immundus. „ Quæ, & similia subindigitant magnam erga Eucharistiæ Sacramentum reverentiam.

Motivum aliud reverentia a sanctis Patribus celebratum, ut nihil de particulis Hostiæ ludibrio exponatur.

Illud summa reverentia celebrandum est, quod Patres prædicant tanto honore afficiendum esse, ut præcaveri velint ne Hostiæ, aut corrumpantur, aut aliquid ex eis in terram decidat, aut profanationi impiorum exponatur: Atqui sic prædicarunt Patres, sic Ecclesia: Ergo &c.

Res aperta est pro Ecclesia, quæ vel ipsis Laicis cujuscumque sexus permittit deficientibus clericis sumere sacram pyxidem, & hostias consumere, ubi imminet profanationis periculum: hoc utique patet ex modo eleganti quo Ecclesia utitur, ad servandam sacram Eucharistiam.

Disciplina Ecclesiæ.

§. I.

De modis diversis Eucharistiam asservandi.

Non levius annuntiant erga Eucharistiæ Sacramentum reverentiam, modi quibus sancta Ecclesia ab omni ævo usa est ad Eucharistiam reverenter asservandam, & vasa pretiosa in quibus reponitur Eucharistia. Domnus Marten p. 1. de Ritibus Ecclesiæ Lib. 1. art. 3. multa de hoc momento erudite scripsit. Mabillonius Comment. ad ordines Romanos pag. 139. tres enumerat modos sacram asservandi Eucharistiam apud Latinos. Primus illeque omnium antiquior est, ut in sacristia servaretur, qui quidem mo-

modus ad Gregorii XI. usque tempora videtur perseverasse in Basilica Lateranensi, ut constitutiones editæ pro eadem Ecclesia subindigitare videntur; nam numero 18. *mensa Domini* in sacristia custodiri recensetur: quidam tamen suspicantur nomine *mensa Domini*, intelligi mensam, in qua Christus cenam ultimam cum discipulis celebravit, quam quidem inter sacras illius Ecclesiæ reliquias commemorat Joannes Diaconus Historicus libro de Ecclesia Lateranensi cap. 3. Posset de hoc intelligi sanctus Hieronymus in capite 4. Ezechielis, ubi ait: "Quare Sacrarium in quo jacet corpus Christi, qui verus est Ecclesiæ, & animarum nostrarum sponsus & proprie thalamus, seu Παστοφόριον appellatur.

Alter modus est, ut sacra Eucharistia in altari principali servetur: qui quidem modus communior est, & his præcipue temporibus floret. De eo mentionem facit Guillelmus Durandus in Rationalis Lib. 1. c. 2. " In quibusdam Ecclesiis, *inquit*, super altare collocatur arca, seu tabernaculum, in quo corpus Domini, & reliquiæ ponuntur." Observes velim, pro more positum esse apud principales Galliarum Ecclesias, Eucharistiam in pyxide suspensa asservari, ut videre est in Cathedralibus, & Collegiatis. Celebre suppeditat de hoc momento exemplum Hugo Flaviniacensis in Chronico Vvirodunensi; eo quippe loci dicit Henricum Imperatorem tempore Richardi abbatis monachi S. Vitoni dedisse: " Pyxidem unam de Onichino, in qua servaretur corpus Dominicum dependens super altare." In Italicis tamen Basilicis, ut scribit Mabillonius in itinere Italico p. 186. non suspenditur Eucharistia.

Tertius modus. In Basilica sanctæ Crucis in Jerusalem, & apud Belgas familiaris ille est quo Eucharistia prope majus altare, ad summum Basilicæ parietem, absque ara supposita, servatur in vasculo patente, adjectis loco ornamentis, quod opus est Francisci Guigonii Cardinalis; in Cathedrali vero Bituricensi Patriarchali neque in altari, neque in vase suspenso Eucharistia reservatur; sed in quodam Pastosorio quatuor circiter pedum elevato, in rotunditatem acutam terminato, quasi per modum turris, latitudinis trium circiter pedum, ornamentis circum ornatæ, & a parte post habentis velum hinc inde amobile, modo ut occultetur Sacramentum, modo etiam ut populo appareat, ejusque exponatur venerationi. Sicque venerabile Sacramentum est semper venerationi expositum, cum ibi adstet in vase per modum solis fabricato, qui modus asservandi Eucharistiam, ut nonnulli autumant, est solis Ecclesiis Patriarchalibus proprius.

Fortunatus carmine 25. Lib. 3. ad Felicem Bituricensem scripto, in turrem ejus sic canit.

Quam bene juncta docent, sacrati ut corporis Agni,
Margaritum ingens, aurea dona ferant.

De ritu servandi Eucharistiam ad latus Evangelii, sic scribit Mabillonius in tractatu de azymo, & fermentato p. 83. " Ad latus Evangelii, seu ad Aquilonarem partem habebantur quibusdam in locis armaria in quibus Sanctissimum Sacramentum recondebatur, & quidem mos iste hactenus perseverat in quibusdam Ecclesiis, puta Romæ in Ecclesia sanctæ Crucis in Jerusalem, in Gallicanis nonnullis, ut Peronæ in Parochiali Ecclesia sancti Joannis Baptistæ, & ante decem annos in Basilica Furseana, atque in Belgicis plerisque." Concilium Turonense secundum, Canone 3. videtur rescindere illum modum; præcipit enim: " Ut corpus Domini in altari non in imaginario ordine, sed sub crucis titulo componatur." Mabillonius tractatu de azymo cap. 8. & Lib. 1. de Liturgia Gallicana cap. 9. in isto sensu interpretatur Canonem, ut corpus Domini *non in imaginario ordine*, hoc est, in parietibus, aut in sacristiis, in quibus, aut cælatæ, aut depictæ habebantur imagines, sed *sub crucis titulo*, qui altari in suprema Ciborii parte appendebat, componatur.

§. II.

§. II.

De Vasis.

VASORUM in quibus Eucharistia ab ipsa vagiente Ecclesia reposita est, non una fuit figura: Antiquiores, figuram turris aut columbæ exprimebant. Turris usus obtinebat in Richomagensi vico civitatis Arvernæ, si fidem adhibeamus Gregorio Turonensi Lib. 1. de gloria Martyrum cap. 85.

In Majori-Monasterio Turonensi Congregationis sancti Mauri ad hæc usque tempora in turre argentea in altari suspensa Eucharistia asservatur. Inter veteres figuras columbas præivisse turres non sine fundamento multi autumant. Et vero in vita sancti Basilii, quæ sub nomine Anphilochii circumfertur, scriptum est, quod idem aliquando sanctus Hostiæ: " Tertiam partem imponens columbæ „ aureæ pependit super altare. „ In Monasterio quoque Bobiensi, ut legere est apud Mabillonium in Italico itinere pag. 217. " Habetur vetus columba ex auri- „ calco, ad reponendum olim viaticum. „ Quid plura adjiciam? In Fossatensi sancti Mauri Basilica, hactenus Eucharistia columbæ inclusa, super altari appensa cernitur.

Porro in tali columba, *cortice apixis*, corpus Dominicum continens, recondita quondam apud Cluniacenses habebatur: ut Uldaricus L. 2. cap. 30. commemorat. Pyxidem quoque ligneam, & in ea corpus Domini conclusum commemorat Rupertus Lib. de incendio Tuitiensis Monasterii cap. 5.

In Veronensi Canonicorum Regularium sancti Leonardi Ecclesia, ante trecentos annos in urna eburnea asservabatur Eucharistia, ut refert Paulus ejusdem Ecclesiæ Canonicus Regularis epistola 3. quam laudat Mabillonius in itinere Italico pag. 138. Ciborium similiter eburneum vidimus in conventu nostro Fublinensi prope Meldenses, in quo Eucharistia quandoque asservata est. De capsa etiam eburnea & obtecta mentio fit in vita sanctæ Claræ Virginis c. 14. apud Surium 12. Augusti. Legitur quoque in historia Episcoporum Antisiodorensium cap. 57. Guillelmum Episcopum dedisse Ecclesiæ sancti Stephani, " Cuppam argenteam quatuor Marcharum de intus, „ & deforis peroptime deauratam, ad „ reponendum in ea corpus Dominicum. „ Nunc in Parochia sancti Pauli Parisiorum defertur Eucharistia a duodecim Levitis in arca per octavas corporis Christi. Tempore Gregorii Papæ XI. Romæ servabatur in Cophino, ex cæremoniali Petri Amelii c. 51. & 131. Græci vero in sacculo quem muris appendunt, Eucharistiam servant, ut habetur L. 3. Perpetuitatis fidei, & apud Renaudotium Tom. 3. ejusdem perpetuitatis. Quinimmo in Ecclesia Bajocensi in Neustria, vasculum recondendæ Eucharistiæ destinatum, seu ut vulgo loquuntur, bursa includitur, sed parieti non adhæret.

Disciplina Ecclesiæ.

§. III.

De Renovatione Eucharistiæ.

PRÆTER modum celebrem, & vasa pretiosa in quibus sacra Eucharistia servatur, ejusdem Eucharistiæ renovatio magnum est erga eam reverentiæ argumentum, quandoquidem eo prorsus scopo renovantur Hostiæ, ne aut putrescant, aut in cinerem abeant, in tanti Sacramenti dedecus: Quocirca Episcopi, Abbates, & Provinciales in suis vicissim visitationibus, celebrata Missa, & præeuntibus turificationibus ciborium detergunt, ut videant num ea qua par est reverentia asserventur Hostiæ. Decretum Concilii Turonensis legitur apud Reginonem L. 1. de Ecclesiasticis disciplinis cap. 7. ubi habetur ut; " De tertio in tertium diem „ semper mutetur Hostia, id est illa a „ Presbytero sumatur, & alia quæ ea- „ dem die consecrata est in locum sub- „ rogetur, ne forte diutius reservata, „ mucida, quod absit, fiat. „ Communis tamen Ecclesiæ Latinæ usus est, ut semel tantum singulis hebdomadis, aut ad summum singulis quibusque quindennis diebus, Eucharistia, ad Viaticum infirmorum reservata, innovaretur. Concinit Concilium Rothomagense anno 1072. Canone 6.

In Lemovicensi Ecclesia, ista quondam fuit consuetudo, quam sic delineat MS. celebris Abbatiæ sancti Martialis, istis verbis expressa: " Consuetudo est apud
" Lemovicenses propter auctoritatem Cle-
" mentis Papæ, de diligentia corporis
" Domini, ut non solum per Monaste-
" ria, sed etiam per omnes Ecclesias
" primatis Lemovicensis, ne vetustate in-
" veniatur aliqua putredo in fragmentis
" Dominici corporis, renovetur corpus
" Domini per duodecim terminos in an-
" no, & vetus quod mutatur non nisi a
" nostris Clericis sumatur." Quæ quidem consuetudo in multis Cathedralibus viget.

§. IV.

Modus renovationis Eucharistiæ apud Græcos.

Arcudius L. 3. c. 53. scribit Græcos non nisi semel in anno in Cœna Domini Eucharistiam renovare, esto quod Eucharistia ex pane fermentato fiat, adeoque citra corruptionem diutius perseveret, hoc tamen non satis spirat eam qua prosequenda est Eucharistia, reverentiam; addo tamen cum Renaudotio eos impense illam venerari, tametsi propter Turcarum tyrannidem eam in domibus asservare cogantur. Allatius Epistola, ad Joannem Morinum de recentioribus temporis, de hoc momento sic loquitur. " In
" hoc eodem Sacrario pretiosissimum
" Christi corpus pro infirmis non certo
" in loco, cum id ex arbitrio Sacerdo-
" tum pendeat; in muro tamen appen-
" ditur, & non sine veneratione asserva-
" tur. Quandoque vero in Ecclesiis pu-
" sillis misellisque neque lampade, neque
" alio lumine colitur. Id quomodo præ-
" paretur, opere me facturum pretium
" opinor, si paucis expediam. Quinta
" magnæ hebdomadis feria, dum tanti
" Mysterii memoria recolitur, Sacerdos
" in prothesi solita, majorem panis re-
" centis partem in commemorationem
" Christi ante omnes alias abscindit, &
" pro more, ut alias fieri solet, cruce
" signatam, punctam, & reliquo vene-
" rationis cultu cohonestatam tum ceteris
" particulis coopertam conservat, quo-
" usque, ita exigente Missæ ordine, ad
" altare majus convectam una cum aliis
" consecrat. Postmodum dum Sacerdos
" communicat, quartam illius partem
" absumit, tres reliquas summis digitis
" in particulas, easque minutas super pa-
" tenam comminuit, quod aptius commo-
" diusque ex pane recenti absolvitur, cum
" veterascens, alias panis humore absum-
" pto, in pulverem, ut ita dicam, fati-
" scat. Particulas ita digestas velo co-
" opertas veneratus, quod superest Mis-
" sæ, absolvit.... Post meridiem regres-
" sus Sacerdos, effusis prius nonnullis
" precibus, venerabundus, Margaritas e
" patena diligenter desumptas in vas li-
" gneum, ubi vero id licuerit argentum,
" vel aureum ad Pyxidis instar elabora-
" tum apponit...Tum demum patenam,
" ne quid in ea ex micis illis remaneat,
" abstergit musa. Musa est tesserula ex
" spongia, sed ea densissima, & prælo
" compressa, ut obstruantur foramina fa-
" cta, cujus ex una parte brachiolum se-
" rico ligamine eminet, quo digitis de-
" prehenditur, & in eam operam usur-
" patur..... Apte obseratum Pyxome-
" lum, pannoque serico involutum, aut
" saculo inclusum, muro appendunt, &
" luminibus, iisque pro Ecclesiæ modulo
" subaccensis, non sine veneratione con-
" servatur....in Ecclesiis vero haud ita
" conspicuis, nec lumen, nec lampas
" ardet.

Tum describens quo ritu deferatur Eucharistia ad infirmum, subjicit. " De-
" mum cum opus fuerit, Sacerdos cum
" Diaconorum comitatu, & luminibus
" accensis, Psalmos, & alia pro re e-
" nuncians, involucrumque illud saccum
" deferens in ægroti, & jam moribundi
" ædes, pergit per viam omnibus etiam
" Turcis si obviam venerint, veneratione
" quadam obstupentibus... ubi ad ægro-
" tum ventum est, exemptam cum co-
" chleari e pyxomelo margaritam unam,
" vinoque ad hunc usum delato in ædem,
" cochleari perfusam, ut emollescat,
" post exactam peccatorum confessionem,
" & supplicationes, tum a Sacerdote,
" tum ab infirmo recitatas, ille infirmo
" porrigit: cui postea bona deprecatur,
" & cum eadem pompa, unde egressi
" sunt, convertuntur, & margaritas re-
" ponunt.

QUAR-

QUARTUM ARGUMENTUM.

Petitur ex Ecclesiæ attentione, ne aliquæ particulæ in terram prolabantur.

ILLUD summa reverentia afficiendum est quod Ecclesia vult, & consulit ab omni profanatione etiam involuntaria esse immune: Atqui talis est Ecclesiæ sollicitudo erga venerabile Eucharistiæ Sacramentum: Ergo &c. Probatur minor ex traditione.

Tertullianus agmen ducet: L. de Corona militis capite 3. ait: " Calicis, & " panis nostri aliquid decuti in terram " anxie patimur. "

Origenes Homilia 13. in Exodum similia dicit his verbis: " Nostis qui divinis " Mysteriis interesse consuevistis, quo- " modo cum suscipitis corpus Domini " cum omni cautela & veneratione ser- " vatis, & ne ex eo parum quid deci- " dat ne consecrati muneris aliquid dila- " batur. Reos enim vos esse creditis, " & recte creditis, si quid inde per ne- " gligentiam decidat. "

S. Cyrillus Jerosolymitanus Catech. 5. Myst. eamdem pro sacra Eucharistia religionem inspirat: " Cave autem, *inquit*, " ne quid inde tibi excidat: quod enim " amittas, hoc tamquam ex proprio mem- " bro amiseris. Nam si quis tibi ramen- " ta aurea daret, nonne magna cum dili- " gentia illa teneres, cavens ne quid ex " illis periret, damnumque sustineres? Et " non multo magis, & diligentius de his " quod auro, gemmisque pretiosius est, " ne mica aliqua ex illo cadat, provide- " bitis? " Ergo &c.

ULTIMUM ARGUMENTUM

Ex pœnis in prophanatores Eucharistiæ inflictis.

Ex punitione cognoscitur Majestas læsa, & quali reverentia, tum & animi obsequio prosequenda sit deprehenditur: Atqui magnis afficiuntur castigationibus sacræ Eucharistiæ prophanatores: Igitur magna reverentia sicut decet prosequenda est. Probatur minor multis momentis.

Primo, ex figuris veteris Testamenti.

FIGURÆ Eucharistiæ prophanatores, magnas luerunt pœnas pro hoc crimine: Igitur cum figura annuntiet veritatem, si illa veneranda sit, a fortiori & ista. Probatur antecedens: Arca veteris Testamenti erat figura Eucharistiæ: Sed Philisthini graviter puniti sunt propter irreverentiam erga illam, immo & Bethsamitæ propter leviorem. De prioribus legitur 1. Regum 5. *Philisthiim autem tulerunt arcam Dei, & asportaverunt eam a lapide adjutorii in Azotum. Tuleruntque Philisthiim arcam Dei, & intulerunt eam in Templum Dagon, & statuerunt eam juxta Dagon. Cumque surrexissent diluculo Azotii, altera die, ecce Dagon jacebat pronus in terra ante arcam Domini ... Aggravata est autem manus Domini super Azotios, & demolitus est eos ... Fiebat enim pavor mortis in singulis urbibus, & gravissima valde manus Dei.*

De posterioribus ibidem capite 6. legitur: *Percussit autem Dominus de viris Bethsamitibus, eo quod vidissent arcam Domini: & percussit de populo septuaginta viros, & quinquaginta millia plebis. Luxitque populus, eo quod Dominus percussisset plebem plaga magna. Et dixerunt viri Bethsamitæ: Quis poterit stare in conspectu Domini Dei sancti hujus?*

His accedunt pœnæ, quibus prophanatores templi puniti sunt. Exech. enim c. 8. recensitis abominationibus & immodestiis quæ in Templo Dei fiebant, Deum ita loquentem inducit Propheta. *Et dixit ad me: Certe vidisti fili hominis, numquid leve est hoc domui Juda ut facerent abominationes istas, quas fecerunt hic, quia replentes terram iniquitate, conversi sunt ad irritandum me? Et ecce applicant ramum ad nares suas. Ergo & ego faciam in furore, non parcet oculus meus, nec miserebor: Et cum clamaverint ad aures meas voce magna, non exaudiam eos.* Si Deus tanto furore insectatus est immodestias in Templo commissas, quod nonnisi Ecclesiæ figura erat, quantas luent pœnas, qui in Templis nostris coram tanto Eucharistiæ Sacramento nugari non dubitant? Sed si crimen, & pro crimine tanta pœna est, qualis honore qualique reverentia, præsentiam Christi in Eucharistia colere debemus.

S 2 *Secun-*

Secundo, ex novo Testamento.

VEL ipse Christus provocat homines ad debitam sibi reverentiam reddendam, quum ait Matth. 10. *Timete eum, qui potest & animam, & corpus perdere in gehennam.*

Rursus ibidem 21. hæc habentur: *Intravit Jesus in Templum Dei: & ejiciebat omnes vendentes, & ementes in Templo, & mensas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas evertit: & dicit eis: Scriptum est, domus mea, domus orationis vocabitur: vos autem fecistis illam, speluncam latronum.* Nec desunt alia argumenta novæ legis, cum vel ipsi Principes Christiani, ut Ludovicus XIV. omnem adhibuerint solicitudinem, ut in Ecclesia, ea coram sanctissimo Sacramento servaretur modestia & reverentia propter præsentiam Christi, ut in templo garrientes, voluerit criminis pœnas luere. Ecclesia in primis varia emisit decreta, quibus statuit nonnullas prophanationes Eucharistiæ, pœnis gravissimis vindicari.

Decreta & Canones pœnitentiales pro culpis contra reverentiam Eucharistiæ commissis.

Ex Decretis Pii Papæ I. apud Gratianum de Consecratione Dist. 2.

Pœnitentia ejus, cujus negligentia de sanguine Domini aliquid stillat.

" SI per negligentiam aliquid de sanguine Domini stillaverit in terram, „ lingua lambatur, tabula radatur. Si non „ fuerit tabula, ut non conculcetur, locus corrodatur, & igne consumatur, „ & cinis intra altare recondatur, & „ Sacerdos quadraginta diebus pœniteat. „ Si vero super altare stillaverit calix, „ sorbeat Minister stillam, & tribus diebus pœniteat. Si super linteum altaris, „ & ad aliud, stilla pervenerit, quatuor „ diebus pœniteat. Si usque ad tertium, „ novem diebus pœniteat. Si usque ad „ quartum, viginti diebus pœniteat, & „ linteamina quæ tetigerit stilla, tribus „ vicibus Minister abluat, calice supposito, & aqua ablutionis sumatur, „ & juxta altare recondatur. „

Ex Concilio Toletano XI. anno DCLXXV. celebrato cap. 2.

" QUICUMQUE fidelis inevitabili qualibet infirmitate coactus, Eucharistiam „ perceptam rejecerit, in nullo Ecclesiasticæ damnationi subjaceat. Similiter „ nec illos cujusquam punitionis censura „ redarguet, qui talia tempore infantiæ faciunt, aut in qualibet mentis alienatione positi, quid fecerint ignorare „ videntur. Jamvero quicumque aut de „ Fidelium, aut Infidelium numero corpus Domini absque inevitabili, ut dictum est, infirmitate projecerit; si fidelis est, perpetua Communione privetur; si Infidelis, & verberibus subdatur „ & perpetuo exilio relegetur. Quod si „ horum quilibet hujusmodi excessus, digna pœnitentiæ satisfactione defleverit, post quinquenium licitum erit, illum Communioni pristinæ reformari. „

Ex Concilio Bracarensi IV. anno DCLXXV. celebrato can. 3.

" OMNI cura, omnique studio providendum est, ne hi qui locum regiminis „ videntur obtinere, contumeliam videantur inferre cœlestibus Sacramentis. „ Etenim quod & auditui horribile, & „ visui execrabile judicatur, relatum „ est nobis quod quidam Sacerdotum sacrilega temeritate præcipites, vasa Domini in proprios usus assumant, epulasque sibi in eis comedendas apponunt. „ Quod malum & obstupentes deflemus, „ & deflentes obstupescimus; ut illic „ humana temeritas sibi epulum præparet, ubi sanctum Spiritum cognoscitur „ advocasse; & ibi eum carnium crapulatus assumat, ubi divina visus est celebrasse mysteria; in quibus tantæ rei „ Sacramentum pro expiatione delictorum „ percepit, in his expleat voluntatem ludibrii sui. Et ideo hujus de cetero præsumptionis persona, quæ sciendo, divina vasa vel ministeria, aut in usus suos „ transtulerit, aut comedere in his vel poculum suum sibi sumendum elegerit, „ gradus sui vel officii periculum sustinebit: Ita tamen ut, si de sæcularibus fuerit,

„ fuerit, perpetua excommunicatione „ damnetur; si vero Religiosus, ab officio deponatur. „

Ex Bobiensi pœnitentiali ante annos mille scripto, & in Musæi Italici tomo 1. edito.

XLIII. " Si quis sacrificium per negligentiam perdiderit, uno anno pœniteat.

XLIV. „ Et qui neglexerit sacrificium, „ ut a vermibus consumatur, dimidio „ anno pœniteat in pane & aqua. Et „ ipsum in igne comburatur, & abscondat cineres sub altare.

XLV. „ Qui autem miserit per neglectum in sacrificium, quadraginta diebus pœniteat.

XLVI. „ Sacerdos qui offert, & ceciderit de manibus ejus Eucharistia in „ terra, & non invenerit eam, scopa „ munda scopet, & comburat igne, & „ abscondat cineres ejus sub altare in terra, & dimidium annum pœniteat. „

Ex Gregorii Papæ III. judiciis cap. 8.

" QUICUMQUE taliter inebriatur, ut statum mentis mutet, & lingua balbutiet, & oculi turbentur, & ventris distensione dolor insequatur, & tunc evomuerit Eucharistiam, Episcopus nonaginta dies pœniteat, Presbyter septuaginta, Diaconus quadraginta, Subdiaconus viginti, Clerici, & Laici decem. Et si canes comedant talem vomitum, centum dies pœniteant, si non „ sciunt, quadraginta. „

Ex Libro 6. Pœnitentiali Halitgarii Episcopi Cameracensis.

Cap. 10. de defectibus circa Sacrificium.

„ SI quis non bene custodit sacrificium, & mus comederit, quadraginta „ diebus pœniteat. Qui autem crediderit suum chrysmal, aut solum sacrificium in regione qualibet, ut non inveniatur, tres quadragenas vel annum „ pœniteat. Perfundens aliquis calicem „ super altare quando auferuntur linteamina, septem diebus pœniteat. Si „ ceciderit sacrificium intra mensam, „ septem diebus pœniteat. Ut sumens „ gravatus saturitate ventris, viginti diebus pœniteat. „

Ex MS. codice insignis Ecclesiæ Suessionensis tempore Nivelonis Episcopi descripto.

" SI per negligentiam Sacerdotis evenerit, quod absit, ut Missam cantans, „ panem vel vinum oblitus fuerit; cum „ hoc cognoverit, si hostia defuerit, illam assumat, & mittat super corporale, & incipiat consecrationem ab, *Qui pridie quam pateretur*. Si autem vinum „ defuerit, quod consecrari debet cum „ hoc cognoverit, mittat illud in calicem, & incipiat consecrationem ab *Simili modo*. Si cum aqua solummodo cantare „ contigerit; cum hoc compertum fuerit, „ mittat vinum in calicem, & incipiat „ ab, *Qui pridie quam pateretur*. „

Ex Missali Lugdunensi Athanacensis Monasterii.

" SI ante consecrationem musca, vel „ aranea, aut aliud simile reperiatur in „ calice, totum in piscinam effundatur; „ calix abluatur, vinum aliud & aqua „ ponatur. Si vero post consecrationem „ reperiatur, captum animal abluatur, „ & comburatur, cinis, & ablutio in „ piscinam ponantur. Propter venenum „ aut aliud abominabile calix a nullo sumatur, sed in vase mundo aptoque cum „ reliquiis reservetur cum cedula quid „ sit, indicante. Et statim aqua & vinum in calice ponantur, & fiat consecratio a *Simili modo*, & sacrificium „ perficiatur.

„ Si Sacerdos post sumptionem Sacramenti species evomuerit, debet vomitus ille cremari, & cineres juxta altare recondi, nisi ibi appareret Sacramentum, quia tunc non esset comburendum sed conservandum, ut prius „ dictum est.

" Si de sanguine aliquid supra corporale, aut aliud ornamentum seu vestimentum ceciderit, parsilla abscindatur, „ & in loco reliquiarum servetur. Prius „ tamen quantum fieri poterit Sacramentum extrahatur, videlicet vestimentum „ abluatur, & ablutio a Sacerdote sumatur. Si vero super terram, lapidem, „ vel lignum de sanguine ceciderit, lingendus, extergendus, & radendus est

„ locus ille, & pulvis id sacro loco re-
„ ponendus.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Summa debetur Eucharistiæ reverentia.

PRIMO: Quia Christus ibi contentus, verus Deus est, quem nonnisi velata facie Isaiæ cap. 6. Seraphim adorant, & in cujus conspetu tremunt Potestates: hinc Apocalypseos 5. Seniores præ reverentia erga Agnum immolatum mittebant coronas suas ante Dominum, dicentes: *Dignus est Agnus qui occisus est, accipere virtutem, & divinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam.*

Secundo: Eam reverentiæ religionem inspirant vasa pretiosa in quibus reponitur sacra Eucharistia.

Tertio: Eamdem conclamant Patres & Concilia, injungendo Fidelibus sub interminatione pœnarum, ut caveant nec quid hostiæ in terram prolabatur.

SECTIO TERTIA.

De Festivitate Corporis Christi.

CONCLUSIO.

Jure merito instituta est Festivitas Corporis Christi.

TRIA complectitur ista festivitas, videlicet officium solemne, circumgestationem corporis Christi per vias & plateas; deinum ejusdem expositionem.

§. I.

De Festivitate.

PRIMO: Festivitates veteris Testamenti præluserunt, sicut figuræ præcedunt, & annuntiant veritatem, festa novi Testamenti: porro apud Judæos plures erant festivitates; festivitas scilicet Pentecosten in memoriam legis datæ Moysi, in Monte Sinai, ubi expletis quadraginta diebus, accepit a Domino in tabulis lapideis legem: tum festivitas Tabernaculorum ad recolendam memoriam beneficiorum, quæ quadraginta annorum spatio, in deserto habitantes in tentoriis Filii Israel acceperant. Tertio loco Scenopegia, seu dedicationis Templi festum quotannis recolendum: sed inter omnes festivitates, celeberrimum erat Pascha, seu Azymorum festum in memoriam duplicis potissimum beneficii accepti misericorditer a Deo, scilicet a captivitate Ægyptiaca liberationis, tum & ab Angelo exterminatore, qui primogenita nedum animalium, verum etiam hominum in una nocte occiderat, quod quidem festum ex præcepto Dei in perpetuum erat celebrandum, ut fuse describitur Exodi ca. 12. his verbis: *Habebitis autem hunc diem in monumentum: & celebrabitis eum solemnem Domino in generationibus vestris cultu sempiterno. Septem diebus azyma comedetis .... dies prima erit sancta atque solemnis, & dies septima eadem festivitate venerabilis*. Initio vero capitis injungitur esus Agni, sed figura debet adimpleri, nec ista in alio nisi in festo corporis Christi adimpleta videtur. Ergo &c.

Secundo: Ad Ecclesiam spectat, sancto gubernata Spiritu instituere festa ad recolenda Dei beneficia: Atqui festum corporis Christi eo instituit motivo. Et probatur: Anno 1264. instituta fuit hæc festivitas ab Urbano IV. & cœpit in Occidente celebrari. Decretum legitur editum die 8. Septembris anni præfati, simul & promulgatum est. Ista Bulla habetur L. 3. Clement. titul, 16. cap. unico, *De Reliquiis & veneratione Sanctorum*. Incrementum habuit post Concilium generale Viennense sub Clemente Papa V. anno 1311. in qua quidem Synodo Urbani constitutio promulgata est, & a Clemente in Juris Canonici corpore relata, cœpitque in toto Occidente festum celebrari, maxime tempore Martini V. & Eugenii IV. summorum Pontificum, qui eam confirmarunt festivitatem, & ejusdem auxerunt indulgentias, quas Urbanus Ecclesiasticis Officiis per hujus festi octavas interfuturis jamjam dederat.

Bellarminus Lib. 4. de Eucharistia cap. 30. pag. 702. subnotat Honorium III. ante ipsum Urbanum IV. jam præcepisse ut augustissimum Altaris Sacramentum adoraretur: & habetur cap. *Sane, de celebratione Missarum*.

Quia vero decursu temporis & Calvinistæ,

nistæ, & Lutherani insulsis dicteriis istam affecerunt festivitatem, Patres Concilii Tridentini Sess. 13. cap. 5. decreto suo prædictam roboravere festivitatem; sic enim eo loci loquuntur: " Declarat „ præterea sancta Synodus, pie & religiose admodum in Dei Ecclesiam inductum fuisse hunc morem, ut singulis „ annis peculiari quodam, & festo die „ præcelsum hoc, & venerabile Sacramentum, singulari veneratione, ac solemnitate celebraretur .... Æquissimum „ est enim, sacros aliquos statutos esse „ dies, cum Christiani omnes singulari ac „ rara quadam significatione gratos & memores testentur animos erga communem Dominum, & Redemptorem pro „ tam ineffabili, & plane divino beneficio, „ quo mortis ejus victoria, & triumphus „ repræsentatur. Atque sic quidem oportuit victricem veritatem de mendacio „ & hæresi triumphum agere; ut ejus „ adversarii in conspectu tanti splendoris, „ & in tanta universæ Ecclesiæ lætitia „ positi; vel debilitati, & fracti tabescant, vel pudore affecti, & confusi „ aliquando resipiscant. „

Tertio: Idem probatur rationibus Theologicis. Præter eam duplicem a Tridentino allatam, videlicet festum corporis Christi celebrandum esse, tum ad recolendam memoriam tanti beneficii, in quo quidem Christus factus cibus viatorum, divitias sui erga nos amoris velut effudit; tum ad celebrandum adversus hæreticam pravitatem ejus triumphum, ea adjungitur hujus festivitatis institutionis causa, nimirum ut populus Christianus circa mysteria instruatur, & ex fide viva tanta festivitate nutrita, habeat quo dæmonum, & Hæreticorum tela ignita propellat.

Motiva quibus Urbanus IV. Papa compulsus est ad instituendum Corporis Christi Festum.

PRIMUM fuit gratitudinis debitum, quo Fideles immensam Christi erga nos charitatem, & amorem celebrare tenentur; sic enim in Diplomate loquitur Urbanus: " In institutione hujus Sacramenti, dixit ipse Christus Apostolis, Hoc „ facite in meam commemorationem; ut „ præcipuum & insigne memoriale sui „ amoris eximii, quo nos dilexit, esset „ nobis hoc præcelsum, & venerabile „ Sacramentum, memoriale inquam mirabile ac stupendum, delectabile, suave, „ tutissimum, ac super omnia pretiosum, „ in quo innovata sunt signa, & mirabilia immutata .... Hujus memorialis „ debemus continuam celebrare memoriam, ut illius, cujus ipsum fore memoriale cognoscimus, semper memores existamus: quia cujus donum vel „ munus frequentius aspicitur, hujus memoria strictius retinetur. „

Alterum est, ut celebraretur memoria victoriæ supra Berengarium & alios sacramentarios ejus asseclas, qui præsentiam Christi in Eucharistia rentaverant: " Licet igitur, *ait idem Urbanus*, hoc memoriale Sacramentum in quotidianis „ Missarum solemniis frequentetur, conveniens tamen arbitramur & dignum, ut „ de ipso saltem semel in anno ad confundendam specialiter Hæreticorum perfidiam, & insaniam, memoria solemnior, & celebrior habeatur. „

Tertium, & quidem valde necessarium, ut, tum irreverentiis, tum sacrilegis Communionibus in sacram Eucharistiam irrogatum per annum dedecus, in annua celeberrima festivitate restauretur honor & gloria. Pergit idem Urbanus: " Si nihil „ obstantibus festis Sanctorum, quæ quot„ annis celebrantur in Ecclesia, instituta est peculiaris solemnitas, omnium „ Sanctorum meritis consecrata, ut quid „ quid aliis in festis peccatum esset, vel „ omissum, in illa relarciretur: Potissime „ igitur exequendum est erga hoc vivificum Sacramentum Corporis & Sanguinis Jesu Christi, qui est Sanctorum omnium gloria & corona, ut festivitate „ ac celebritate præfulgeat speciali, quatenus in eo quod in aliis Missarum officiis circa solemnitatem est forsitan „ prætermissum, devota diligentia suppleatur, & Fideles festivitate ipsa instante, intra se præterita memorantes, „ id quod in ipsis Missarum solemniis, „ sæcularibus forsitan agendis impliciti, „ aut alias ex negligentia, vel fragilitate „ humana minus plene gesserunt, tunc „ attente in humilitate spiritus & animi „ puritate restaurent. „

§. II.

De Circumgestatione Corporis Christi in processionibus.

AD promovendum de die in diem erga Eucharistiæ Sacramentum solemnitatem, æquum duxit Ecclesia circumgestare in processionibus veluti in triumpho sacram Eucharistiam : quæ quidem circumgestatio prælusa fuit in veteri lege , ab ipso Christo insinuata , tum a sanctis Patribus decursu temporum magis explicata, ac tandem a duobus circiter sæculis magnificentissime celebrata : Tandem a Concilio Tridentino decreta , & statuta adversus malignantes, quæ cuncta paucis explicanda sunt.

Primo quidem, non unam habemus in veteri lege tanti Sacramenti circumgestationis figuram. Prima legitur Josue 6.ubi Arcæ circumgestatio , Deo præcipiente , circa muros urbis Jerico , tantum operata est miraculum , ut ultro corruerent muri , & filii Israel absque prælio non sine veri Dei adversus Paganos triumpho , eam ceperint . Sic enim legitur : *Jericho autem clausa erat atque munita timore filiorum Israel , & nullus egredi audebat , aut ingredi. Dixitque Dominus ad Josue : Ecce dedi in manu tua . Jericho ... Circuite urbem cuncti bellatores semel per diem ... Vocavit ergo Josue filius Nun Sacerdotes , & dixit ad eos: tollite arcam fœderis: & septem alii Sacerdotes tollant septem jubilaorum buccinas , & incedant ante arcam Domini . Ad populum quoque ait , ite , & circuite civitatem , armati , pracedentes arcam Domini ... Circuivit ergo arca Domini civitatem semel per diem , & reversa in castra , mansit ibi ... Igitur omni populo vociferante , & clangentibus tubis, postquam in aures multitudinis vox sonitusque increpuit , muri illico corruerunt.*

Ejusdem Arcæ circumgestatio celeberrima facta est tempore piissimi Regis David, qui ipse in tympano, omnibus Levitis choros musicæ suaves ducentibus , eam ad arcem Sion transtulit, ut ista solemnitate ejus adversus Philisthæos, a quibus capta fuerat, ageret triumphum. De hac processione habetur 2. Reg. 6. *Nunciatum est Regi David quod benedixisset Dominus Obededom , & omnia ejus propter arcam Dei. Abiit ergo David , & adduxit arcam Dei de domo Obededom in civitatem David cum gaudio : Et erant cum David septem chori & victima vituli. Cumque transcendissent , qui portabant arcam Domini sex passus, immolabat bovem & arietem, & David saltabat totis viribus ante Dominum ; Porro David erat accinctus Ephod lineo . Et David & omnis domus Israel ducebant arcam Testamenti Domini in jubilo & in clangore buccinæ.*

Tum ædificato templo non minori cum solemnitate facta est Arcæ iterata processio; namque a Monte Sion comitante Salomone Rege & omni populo , Sacerdotes in omni buccinæ & Musicorum generis sonitu eam in sancta Sanctorum transtulerunt . Hæc cæremonia describitur L. 3. Regum cap. 8. his verbis : *Tunc congregati sunt omnes majores natu Israel cum Principibus Tribuum, & duces familiarum filiorum Israel ad Regem Salomonem in Jerusalem : ut deferrent arcam fœderis Domini , de civitate David, id est de Sion. Convenitque ad Regem Salomonem universus Israel in mense Ethanim, in solemni die, ipse est mensis septimus. Veneruntque cuncti senes de Israel, & tulerunt arcam Sacerdotes, & portaverunt arcam Domini, & tabernaculum fœderis, & omnia vasa Sanctuarii, quæ erant in Tabernaculo : & ferebant ea Sacerdotes, & Levitæ. Rex autem Salomon, & omnis multitudo Israel quæ convenerat ad eum, gradiebatur cum ille ante arcam, & immolabant oves, & boves absque æstimatione, & numero. Et intulerunt Sacerdotes arcam fœderis Domini in locum suum , in oraculum Templi, in sanctum Sanctorum subter alas Cherubim.*

Secundo: Nec obscure indicat tanti Sacramenti circumgestationem per plateas ingressus triumphalis Domini in sanctam civitatem , præeuntibus eum Discipulis cum ramis palmarum , populis , puerisque conclamantibus Matth. 21. *Hosanna filio David . Benedictus qui venit in nomine Domini* : Quandoquidem ipse Christus est in Sacramento conclusus , qui in choro & organo ducitur per vicos , & civitatum orbis Christiani plateas . Re vera quidem, si Romani Imperatores, devictis barbaris nationibus, solemni donabantur in urbe Roma triumpho, qualis debetur

usque

usque ad consummationem sæculi Christo, qui devicto, & mortis, & dæmonis aculeo ascendens in altum, captivam duxit captivitatem, & juxta Prophetæ eloquium, dedit dona hominibus. Sic enim habetur de illo Psal. 67. *Ascendisti in altum, cepisti captivitatem: accepisti dona in hominibus.*

Tertio: Tametsi Martinus V. & Eugenius IV. ille in Bulla quæ incipit *Ineffabile Sacramentum*, data 26. Maji anno 1429. Iste vero in sua constitutione *Excellentissimo*, data die 26. Maji anno 1433. istam solemnitatem probaverint; & suo calculo munitam, indulgentiis novis donaverint, majoris tamen antiquitatis vestigia ex tempore D. Gregorii Papæ primi videmus, cum absoluto sacrificio, tunc Eucharistia ad oratorium Episcopi, ad diem usque alium solemnem, quo iterum cum pompa transportaretur in Templum ferebatur. Sic de hoc momento Gregorius Turonensis L. 1. de gloria Martyrum c. 86. ubi ad hanc respiciens consuetudinem hæc ait: " Dies passionis erat Polycarpi „ Martyris Magni, & in Richomagensi „ vico civitatis Arverniæ ejus solemnia „ celebrabantur. Lecta igitur passione „ cum reliquis lectionibus, quas Canon „ sacerdotalis invenit, tempus ad sacri„ ficium offerendum advenit, acceptaque „ turre Diaconus, in qua mysterium Do„ minici corporis habebatur, ferre cœpit „ ad ostium, &c. „ Quibus verbis liquet jam positum fuisse in more apud Italos Eucharistiam solemniter circumgestare. Quidam autumant hanc consuetudinem incepisse in Galliis post Urbani IV. decretum, maxime tempore Martini V. & Eugenii IV.

Quarto: Usus ille cum maxima solemnitate ferendi Eucharistiam obtinuit in florenti Galliarum regno, post Lutheri, & Calvini hæreses. Nam Franciscus I. inter Reges Galliæ Christ. & erga sacram Eucharistiam devotissimus, certior factus quod invalesceret hæresis Calviniana, vel in ipsa urbe Parisiensi, voluit ad reparandas injurias ab istis Hæreticis tanto Sacramento iterum atque iterum factas, processionem Eucharistiæ a Palatio suo usque ad Ecclesiam Cathedralem fieri, cum intorticiis & lampadibus, omnibus Aulæ proceribus, & Principibus ipsum concomitantibus, & præ manibus cereas candelas tenentibus. Sic referunt Scriptores Gallicani, ut Mimburgius &c.

Quinto: Concilia quosdam edidere Canones de ista admirabili circumgestatione; in primis Braccharense anno 654. habitum canone 5. hæc habet de reliquiis Eucharistiæ asservatis: " Hac in parte „ solemnisque consuetudo servabitur, ut „ in festis quibuscumque diebus arcam „ Domini cum Reliquiis, non Episcopi, „ sed Levitæ in humeris gestent, quibus „ in veteri lege onus idem impositum, „ novimus esse præceptum. „ Ex his liquet sermonem hic haberi non de Reliquiis Sanctorum, sed de Eucharistiæ, cum ibi commemoret arcam fœderis quæ erat Eucharistiæ figura.

Expressius Tridentinum loquitur Sess. 13. c. 5. his verbis: " Declarat præterea sancta Synodus rite, & religiose admo„ dum in Dei Ecclesiam inductum hunc „ morem, ut singulis annis peculiari quo„ dam & festo die, præcelsum hoc & „ venerabile Sacramentum singulari vene„ ratione, ac solemnitate celebraretur, „ atque in processionibus reverenter, „ & honorifice illud per vias & loca „ publica circumferretur. „ Tum canone 6. ait: *Si quis dixerit, in sancto Eucharistiæ Sacramento Christum Unigenitum Dei Filium non esse cultu latriæ, etiam externo, adorandum, neque ideo nec festiva peculiari celebritate venerandum, neque in Processionibus, secundum laudabilem, & universalem Ecclesiæ sanctæ ritum & consuetudinem, solemniter circumgestandum, vel non publice, ut adoretur, populo proponendum, & ejus adoratores esse idololatras; anathema sit.*

Ne miremini, si in Ecclesia Orientali, vix sit de hujusmodi processionibus mentio: Namque prioribus Ecclesiæ sæculis, sævientibus in Ecclesiam tyrannis Imperatoribus ad Constantinum usque, non poterat fieri hujusmodi solemnitas: ab isto tamen ævo usque ad nonum sæculum quamdam processionis speciem animadvertimus; hæc enim habentur in Liturgia S. Chrysostomi: " Et benedicti, fumo „ incensi diffusso super sancta munera „ proficiscitur ad sanctam mensam Diaco„ nus cum Sacerdote, & tribus vicibus „ simul inclinans &c. „ Ex quibus liquet Orientales, recitatis pluribus super

oblata

oblata precibus, ea cum magno apparatu e parvulo altari ad maximum solemniter deferre.

Reponunt Heterodoxi: 1. Reg. 4. filios Israel pio quidem motivo arcam Dei in castra adduxisse, ut ipsius circumgestatione victoriam adversus Philisthinos reportarent: Sed contrarium prorsus contigit, inquiunt, nam & populus gravi plaga cæsus est, & ibi periere Ophini & Phinees Levitæ. Et ipsa Arca capta a Barbaris ita illusa est, ut coram Dagon veluti quid contemptibile apposita sit.

Respondeo distinguendo minorem: Contrarium evenit propter peccata Hebræorum, concedo: præcise propter Arcam quæ jamjam multa patrarat miracula, nego. Impietas Ophini & Phinees, & Israelitarum crimina malorum omnium causæ fuerunt; sic respondet ad istud argumentum Bellarminus L. 4. de Sacr. Euch. cap. 30. sub finem, pag. 704. " Causa, *inquit*, tot malorum non fuit arcæ „ adductio ad castra, sed peccata præterita Israelitarum, & præcipue Sacerdotum Ophni & Phinees filiorum Heli, „ ut Deus ipse testatur, 1. Reg. 2. & 3. „ Nam testamenti arca erat in castris, „ quando Joab superavit filios Ammon, „ 2. Reg. 11. Et cum Israelitæ n. 14. ab „ Amalecitis victi sunt, Scriptura monendum putavit, non fuisse tunc arcam „ Dei cum illis, qui præliabantur. „

§. III.

De publica Corporis Christi Expositione.

NON modicum ad festum corporis Christi, & solemnitatem conducit expositio publica venerabilis Sacramenti; hujus autem usus obtinere cœpit a processionibus ejusdem Sacramenti, sed maxime cum primum adhibita sunt tabernacula portatilia, quæ vulgo ostensoria dicuntur, & juxta Synodum Coloniensem anno 1452. Moustrantiæ. De hac expositione mentionem facit Synodus Mechliniensis sub sancto Pio V. anno 1570. celebrata, quæ cap. 7. ita loquitur: " Sacro-sancta Eucharistia pie & utiliter ad populi devotionem interdum in publicis supplicationibus defertur, potissimum vero in festo sacro Christi corporis proprie consecrato, eiusque octava, sed ne nimia frequentia minuat reverentiam, rarius „ extra prædicta tempora id fiat, & non- „ nisi in arduis causis pacis, aut publicæ necessitatis. „

In Isto Decreto habetur I. expositionem, & circumgestationem pro eodem haberi; si enim in processione oculis Fidelium exponitur Eucharistia, eadem a fortiori potest cum licentia Episcopi, vel summi Pontificis, quæ ad hoc requiritur, in Ecclesiis, reverentiæ & devotioni Fidelium exponi. II. Hujusmodi expositio non sine justa de causa, ab Ordinario discussa, facienda est, ut habetur in Comitiis generalibus Cleri Gallicani an. 1625. 1635. & 1665.

Synopsis eorum quæ in hac sectione continentur.

PRIMOQUIDEM: Festum corporis Christi juxta de causa institutum est, cum prælusum sit festivitate Paschæ Judæorum, & plurimum conducat ad tanti Sacramenti venerationem, quod adoratione perpetua ad consummationem usque sæculorum colendum est: ita Chrisostomus Homilia 28. & alibi, & post ipsum Tridentinum Sess. 13. c. 5.

Secundo: eadem Synodus in eodem capite decernit, piam admodum esse & justam, ad Christi triumphum, Eucharistiæ circumgestationem per vicos & plateas, & canone 6. anathemate percellit Protestantes, adversus istam religionem mussitantes.

Tertio: Laudabilis est quoque usus expositionis sacræ Eucharistiæ, quæ colligitur ex Decretis Urbani IV. Martini V. Eugenii IV. & Concilii Tridentini, de solemnitate corporis Christi; quotidiana enim comprobat experientia, peccatores fundentes reverenter preces coram sanctissimo Sacramento, ad meliorem frugem redire, afflictos & mœstos interiori affici consolatione: Justos omnes non sine magno animi jubilo cor suum in conspectu Domini effundere.

SE-

SECTIO QUARTA.

Num summa devotione colenda sit Sacra Eucharistia, & quomodo?

DEVOTIO juxta S. Thomam est prompta voluntas faciendi ea quæ sunt circa cultum divinum; est juxta Theologos mysticos rerum divinarum contemplatio, quam sanctus Bonaventura vocat cognitionem sapidam rerum divinarum, qua quidem teste D. Bernardo anima veluti deificatur. Devotionem sic delineatam, nedum probavit, sed & exaltavit vel ipse Christus in Maria Magdalena, quæ ad ejus prostrata pedes, ipsum unice tota mentis attentione, & affectu, rerum omnium oblita, contemplabatur, summam possidere felicitatem rata, si tota incumberet in sponsi divini castis amplexibus. Per hanc devotionem totam suam in Deo reponit fiduciam anima, certior facta, se in Deo cuncta tum ad animi solatium, tum ad propellendos rugientis inimici impetus, tum ad cuncta adimplenda desideria justa, habere; hinc ait Propheta Regius Psal. 54. *Jacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet: Non dabit in æternum fluctuationem justo.* Rursus Psal. 83. *Cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum*: Et iterum Psal. 41. *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te Deus.*

Devotio his depicta coloribus, istisque characteribus expressa, convenit animæ, quæ sacram Eucharistiam sicut oportet, colere satagit. Ad hoc igitur tria potissimum requiruntur: Primo quidem, ut sacra Eucharistia servetur. II. Ut ubique ad eam fiat oratio; demum ut ubique adsit, ut modo debito tum a sanis, tum ab infirmis, tum a peregrinantibus colatur.

§. I.

PRIMA PROPOSITIO.

Adversus Lutheranos dicimus, Peracto sacrificio, justa de causa sacram conservari Eucharistiam.

Probatur multis momentis.

PRIMO QUIDEM hoc ipsum sequitur ad ea quæ supra dicta sunt de permanentia hujus Sacramenti; sic enim loquitur Concilium Tridentinum Sess. 13. cap. 3. " Reliqua Sacramenta tunc primum sanctificandi vim habent, cum quis illis utitur: at in Eucharistia ipse sanctitatis auctor, ante usus est; nondum enim Eucharistiam de manu Domini Apostoli susceperunt, cum vere tamen ipse affirmaret corpus suum esse quod præbebat. Et semper hæc fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem verum Domini nostri corpus, verumque ejus sanguinem, sub panis, & vini specie una cum ipsius anima & divinitate existere. " Si igitur Eucharistia est Sacramentum permanens, dubio procul asservari potest.

Secundo: Hoc utique patet ex his quæ diximus de variis modis, & vasis pretiosis conservandi Eucharistiam, & de locis, in quibus a multis retro sæculis asservatur. Sed & pro ista asservatione, tantopere invaluit usus tum in Oriente tum in Occidente, ut contradicentes velut Hæretici & temerarii habeantur. Et vero in Occidente sacra Eucharistia asservatur in Pastophoriis, & ibi quotidie adoratur: In Oriente similiter, ut liquet ex Missis Præsanctificatorum, quæ per totam Quadragesimam diebus Lunæ, Martis, Mercurii, Jovis & Veneris, celebrantur. Hanc autem Missam celebrari injungit Concilium Laodicenum canone 49. & post ipsum Trullanum canone 52. his verbis: " In omnibus sacræ Quadragesimæ diebus, præterquam Sabbato, & Dominica, & sancto Annuntiationis die, fiat sacrum Præsanctificatorum Ministerium. "

Tertio: Mos erat quondam Romæ ut summi Pontifices in signum pacis, Euchari-

charistiam ad Episcopos mitterent. Sic testatur Irenæus in sua ad Victorem I. Epistola, in qua adhortatur ut ab Asiaticis non abstineat juxta exemplum suorum prædecessorum; Aniceti scilicet, Pii, Hygini, Xysti, qui eo unionis motivo miserant Eucharistiam ad Asiaticos: " Prædecessores tui, *inquit*, Romani E„ piscopi, aliter quam nos Pascha ob„ servantes, nostratibus Episcopis, suo „ more atque secus quam vos, id obser„ vantibus, Eucharistiam tamen mise„ runt, ejusque illis ministerium, pacis „ & honoris erga Romam, præmise„ runt. „ Igitur si Eucharistia in pacis signum ad absentes mittebatur, argumentum est, eam ex more antiquo ad ciendos pietatis affectus asservatam fuisse.

Solvuntur objectiones Lutheranorum.

Opponunt: Locutiones trium Evangelistarum, quæ Eucharistiæ institutionem spectant, eam in usu pertransire subindigitant. Igitur asservari nequit. Probatur antecedens. Matt. 26. habetur: *Accepit Jesus panem, & benedixit, ac fregit: deditque Discipulis, & ait, accipite & comedite, Hoc est corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis dicens, bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus.* Certe ex ista loquendi formula nihil de pane & vino consecratis remansit. Ergo &c.

Respondeo primo, Christum calicem pro omnibus Discipulis consecrasse, & postea successive & alternatim singulis distribuisse: Igitur Communio seu usus supponebat consecrationem, quod ipsa particula causalis (*enim*) apposita in forma calicis apud Matthæum, annuntiat. Cur enim Apostoli invitentur ad sumendum calicem, est quia pretiosum continebat liquorem; sic enim habetur: *Et accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis dicens, bibite ex hoc omnes, Hic est enim sanguis meus.* Et licet absoluta Discipulorum Communione, nihil residui de pane & vino consecratis permanserit; non inde sequitur Eucharistiam servari non posse. Si enim sanguis in calice perseveravit toto tempore quo singuli alternatim sumpserunt, pari & consimili ratione, longiori tempore absque negotio istud Sacramentum conservari poterat. Nullum igitur facessit negotium, quod Evangelistæ inverso quodammodo ordine historiam institutionis Eucharistiæ texuerint: Ad rem non ad verba præcise attendendum est; maxime cum testibus Tridentinis Patribus supra laudatis, Eucharistia foret consecrata, antequam Apostoli eam sumpserint.

Respondeo secundo, retorquendo adversus Lutheranos argumentum. Ipsi permanentiam admittunt, saltem a consecratione usque ad Sacerdotis & populi communionem: Igitur & reservationem admittere tenentur, quod ultro fatetur Melancton & Theologi Vvittembergenses; hinc ut ab hac difficultate se expediant, dicunt præsentiam corporis & sanguinis Christi solum adesse in usu. Sed incassum hæc reponunt, cum non legatur Christum toties consecrasse Calicem, quoties potandum porrigebat singulis, quod non simul, sed successione temporis factum est: In hac autem tota duratione perseverabat sanguis Christi sub speciebus vini. Sicque causa cadunt Lutherani, & contradictoria loquuntur, cum asserunt Eucharistiam nec esse Sacramentum permanens, nec asservari posse.

Instant: Multi Canones prohibent sacram Eucharistiam asservari. Ergo &c. Probatur Antecedens: S. Clemens Epist. 1. ait: " Tanta in altari Holocausta of„ ferantur, quanta in populo sufficere „ debent, quod si remanserint, in crasti„ num ne reserventur, sed cum timore, „ & tremore Clericorum diligentia con„ sumantur. „ Concilium Matisconense similia dicit can. 6. " Quæcumque, *ait*, „ Sacrificiorum reliquiæ post peractam „ Missam in Sacrario superfuerint, quar„ ta vel sexta feria innocentes pueri „ ab illo, cujus interest, ad Ecclesiam „ adducantur, & indicto eis jejunio, eas„ dem reliquias conspersas vino perci„ piant. „ Sic usus obtinuit etiam in Ecclesia Orientali, ut scribit Nicephorus L. 17. Hist. Eccl. cap. 25. & Hesych. L. 2. cap. 8. in Levit.

Respondeo I. Opponendo ea omnia quæ diximus de reservatione Eucharistiæ in Occidente. Arcudius L. 3. de Sacram. Euch. cap. 17. describit modum quo, ad hæc usque tempora Græci divinam

domi

domi asservant Eucharistiam, de quo etiam meminit Renaudotius supra laudatus Tom. 3. part. Perpet. Fid.

Respondeo II. Auctoritates procedere de primis sæculis; ne enim ludibrio a Tyrannis afficeretur Sacramentum, brevissimo tempore servabatur, vel etiam ad rescindendum perversum morem eorum qui cœmeteria adeuntes, Eucharistiam in ore mortuorum reponere non dubitabant, sed reddita Ecclesiæ pace, sacra servabatur Eucharistia, ut deferretur tum ad infirmos, tum ad peregrinantes, qui illam ut firmam contra pericula custodiam habebant. Hujus reservationis in Hierosolyma civitate testis est Hesychius, qui loco mox citato ait, " Est „ solum sanctum altare, ibi enim Sanctus „ Sanctorum requiescit. „

Respondeo III. Auctoritates contra sacræ Eucharistiæ reservationem allatas, intelligendas esse de panis consecrati superabundantibus reliquiis a pueris consummandis: Quod enim absolute Patres & Concilia non prohibuerint sacræ Eucharistiæ reservationem, liquet ex eo quod licentiam facerent per totam hebdomadam eam asservari; sic enim loquitur Ivo Carnotensis Decret. part. 2. cap. 59. ubi hæc verba Concilii quarti Aurelianensis refert. " Illud etiam annotandum vide- „ tur, ut oblata, quæ in altari offe- „ runtur, de sabbato in sabbatum sem- „ per innoventur, quia panes propositio- „ nis, qui super mensam Domini pone- „ bantur, a sabbato in sabbatum muta- „ bantur, ne diu servati mucidi fiant, „ & ut quidam sentiunt, igni concre- „ mentur. „

Respondeo IV. Auctoritates utique procedere de Hostiis injuriæ impiorum expositis; ubi enim adest hujusmodi periculum, protinus aut manducatione, aut igne consumendæ sunt, ut ait Algerus L. 2. de Sacramento corporis & sanguinis Domini.

§. II.

SECUNDA PROPOSITIO.

Recte defertur Eucharistia ad Absentes maxime ad Infirmos.

Primo, ad Absentes.

COMMUNIO Sacra in privatis ædibus non semel, prioribus Ecclesiæ temporibus nedum infirmis, verum etiam & sanis sæpius concedebatur: cum enim una tantummodo Missa in die celebraretur; propter negotia, & vitæ humanæ perpetuam, necessariamque solicitudinem, adesse non poterant. Ratio altera ea est, quod propter Tyrannorum metum, non esset facilis ad cryptas aditus, & in unum locum ad Mysteria celebranda Congregatio. Ecclesia igitur ut piis & devotis Fidelium votis faceret satis, Eucharistiam quandoque per Acolythos, & Subdiaconos, frequentius per Diaconos ab absentes mittebat. Quomodo vero id fieret, & quibus personis istud concederetur beneficium, explicant, comprobantque Traditionis monumenta.

Exempla devotionis erga Eucharistiam antiquitus exhibita.

I. *S. Justinus* Apologia 2. ad Antoninum pium, verbis expressis ait Eucharistiam per Acolythos & Diaconos ad absentes pro more solito mitti.

II. *Tertullianus* L. 2. ad uxorem c. 5. de muliere quæ viro gentili nupserat sermonem instituens, ait, " Non sciet ma- „ ritus, quid secreto ante omnem cibum „ gustes, & si sciverit, panem non illum „ esse credit qui dicitur. „

III. *S. Cyprianus* eamdem commemorat praxim L. de lapsis. Ibi enim sic loquitur de quadam muliere quæ fuit rea irreverentiæ erga Eucharistiam, & inde habemus reverentiæ tanto Sacramento debitæ validum argumentum: " Cum quædam, „ *ait*, arcam suam, in qua Domini san- „ ctum fuit, manibus indignis tentasset „ aperire, igne inde surgente deterrita „ est, ne auderet attingere. „

IV. *Clemens Alexandrinus* non silet istam devo-

devotionem : sic enim loquitur L. 1. Strom. " Etiam Eucharistiam, cum qui„ dam, ut mos est, diviserint, permit„ tunt unicuique ex populo partem ejus „ sumere. „

V. *Celeberrimum* est illud quod legitur in actis sancti Luciani Presbyteri Antiocheni, & Martyris, apud Bollandum 7. Januarii c. 4. Habetur enim Sacrificium super proprium pectus, in carcere conclusum, obtulisse. " Cum sacro ritu om„ nia peregisset proposita, & ipse suit „ Sacramentorum particeps, & transmi„ sit ad eos qui aberant. „ Similia commemorat Usuardus in Martyrologio 18. Calendas Septembris de Tarcisio Acolytho. " Qui cum quodam die deferret Chri„ sti corporis Sacramenta, nec vellet dis„ cutientibus prodire Paganis, tamdiu „ est fustibus, ac lapidibus maceratus ab „ eis, quousque exhalaret spiritum. „

VI. *Hæc* pia consuetudo ad absentes mittendi Eucharistiam, vel ipsis sedatis persecutionibus, perseveravit, maxime apud Monachos, qui cælestis contemplationis studio addicti, aut in abditissimos solitudinis recessus se receperant, aut perpetuis se reclusionibus devoverant: quinimmo etiam viguit & apud Laicos. Audiendus est de hoc momento sanctus Basilius, qui Epist. 289. ad Cæsariam Patritiam sic loquitur: " Omnes enim qui in Ere„ mis solitariam vitam agunt, ubi Sacer„ dos nullus est, communionem domi „ servantes per seipsos participant, in „ Alexandria vero, & Ægypto, unus„ quisque etiam ex laicis, ut plurimum „ habet domibus suis communionem, & „ quando vult, per seipsum communicat. „

VII. *Palladius* in Lausiaca cap. 52. de discipulis sancti Apollinis Abbatis, ait; " Quod alimentum prius non accipiebant, „ quam Eucharistiæ Christi communicas„ sent. „ Idem cap. 19. scribit de Nitrensibus Monachis sub sancto Abbate, ad tria millia Deo servientibus; tum in vita S. Chrysostomi, repræsentat Theophilum episcopum Alexandrinum, Monachorum quorumdam cellulas incendentem, combustis una libris veteris ac novi Testamenti, aliisque optimis codicibus, & puero uno, & sacra Eucharistia.

Martenus L. 1. de Antiquis ritibus c. 5. articulo 1. pag. 642. mentionem facit de actis sancti Levæ Junioris, quæ extant Tom. 2. Auctuarii Bibliothecæ Patrum, a Combefisio relatis, & apud Bollandum 7. Februarii editis, tum sic concludit. " Ex quibus patet sæculo adhuc 10. quo „ florebat Lucas Junior communi usu a„ pud Monachos in Ecclesia Orientali „ perseverasse consuetudinem Euchari„ stiam in cellas suas deferendi, & ibi„ dem propria manu semetipsos commu„ nicandi. Immo multo etiam postea, ut „ discimus ex præscriptis Patriarchæ CP. „ ad Paulum Hypopsephium Callypolita„ num Missis, apud Allatium de Missa „ præsanctificatorum cap. 4. ubi hæc le„ go. „ *Tunc autem divinus panis tingitur cum ex Anachoretis aliquis in monte se abdit propter nimium erga virtutem studium, avetque sæpius sacrorum particeps fieri, ob eam quæ inde corporis, & animæ consequitur sanctitatem: Panis divinus in pyxide munda huic delatus divino sanguine intinctus est.* Quin etiam nunc si credimus Arcudio L. 3. de concordia utriusque Ecclesiæ cap. 59. Monachi Græcorum peregre proficiscentes, Eucharistiam sumunt secum comedendam, & manu propria pro opportunitate quotiescumque visum fuerit. Nec recedere videtur Janus Nicius Erithræus L. 7. Epist. 24. scribens, *Eremitis quoque, olim & etiam nunc nonnullis, solitum fuisse consecratum panem tradere, ut secum in eremum deferrent, ut cum esset liberum sumerent.*

Quidam autumant hanc consuetudinem communicandi in ædibus privatis rescissam fuisse in Occidente a primo Concilio Toletano canone 14. tum & a Cæsar-Augustano canone 3. Non desunt qui adducant Conciliis Rothomagensis circa medium sæculi 4. celebrati auctoritatem, prohibentis ne Laicis Eucharistia detur in manibus, adeoque deportetur ad ædes, ut quisque se ipsum communicaret. Subdit ibidem Martenus. " Quamvis consuetudo communicandi pri„ vatim in Ecclesia Latina, saltem quo„ ad Virgines Deo sacras, perseveraverit „ ad usque sæculum 12. & ultra: quibus „ ipso consecrationis suæ die integra im„ pertiebatur Hostia, de qua per octo „ dies sequentes semetipsas communica„ bant, ut dicturi sumus cum de Virgi„ num consecratione tractabimus.

Secun-

Secundo, ad Infirmos Eucharistia defertur.

De Eucharistia delata ad infirmos perpetuus fuit usus: Quinimmo non solum per Presbyteros, Diaconos, ceterosque Clericos, verum etiam per Laicos antiquitus mittebatur. Ita colligitur ex Dionysio Alexandrino, qui Epist. ad Fabium Antiochenum Episcopum apud Eusebium L. 6. Hist. Eccles. c. 44. dicit Serapionem senem animam agentem a puero nepote suo accersitam Eucharistiam accepisse. Qui quidem ritus subsequentibus sæculis adeo prævaluit, ut non sine difficultate illum abrogare potuerint Concilia. Hoc ipsum claret ex decreto Concilii Rhemensis apud Reginonem L. 1. de Ecclesiasticis disciplinis c. 120. " Pervenit ad „ notitiam nostram, *inquit*, quod qui- „ dam Presbyteri in tantum parvi pen- „ dant divina Mysteria, ut Laico, aut „ feminæ sacrum corpus Domini tradant, „ ad deferendum infirmis; & quibus pro- „ hibetur ne sacrarium ingrediantur, nec „ ad altare appropinquent, illis Sancta „ Sanctorum committuntur, quod quam „ sit horribile, quam detestabile, omnium „ Religiosorum animadvertit prudentia. „ Igitur interdicit per omnia Synodus, „ ne talis temeraria præsumptio ulterius „ fiat, sed omnimodo Presbyter per se- „ metipsum infirmum communicet, quod „ si aliter fecerit, gradus sui periculo „ subjacebit. „ Sæculo tamen adhuc X. non erat absolute rescissus mos ille; quod quidem colligi potest ex Ratherio Veronensi Episcopo, qui Epist. Synodica, ad Presbyteros Tom. 2. Spicilegii, statuit ut, " Nullus præsumat tradere commu- „ nionem Laico, aut feminæ ad defe- „ rendum infirmo. „

Synodus Nemausensis an. 1284. idem prohibet his verbis: " Ne aliquis, qui non „ sit in Presbyterum ordinatus, Eucha- „ ristiam communicantibus præbeat. „ Sed subjicit: " Diaconus tamen hoc fa- „ cere potest de licentia Sacerdotis, ubi „ idem Sacerdos hoc per se non potest „ facere, vel quia absens est Presbyter, „ & necessitatis articulus noscitur immi- „ nere. Et in hoc ultimo casu non est „ necessaria licentia sacerdotis. „ Eadem leguntur in MSS. statutis Synodalibus Eliæ Euticensis Episcopi, in duobus MS. codicibus Monasterii Casalis-Benedicti, quorum unus ab annis 600. circiter scriptus est, alter ab annis 300. in quibus describitur ordo ad visitandum infirmum. Subdiaconus ad infirmum Eucharistiam deferre legitur, sed eam ministrare Sacerdos jubetur: qui nunc solus & defert, & præbet.

Omnia Ritualia Domini Launoji referunt ritum & praxim sacram deferendi ad infirmos Eucharistiam.

§. III.

TERTIA PROPOSITIO.

Sacra Eucharistia peregrinantibus exigentibus non semel concessa est.

Magnum devotionis erga Eucharistiam argumentum, sunt vota peregrinantium, qui ut firmamentum inconcussum adversus pericula imminentia eam secum asportare volebant, quod quidem variis comprobatur exemplis. Inter cetera celeberrimum est illud quod S. Ambrosius de Satyro fratre suo in oratione ejus funebri enarrat his verbis: " Quid ejus obser- „ vantiam erga Dei cultum prædicem... „ Ne vacuus mysterii e vita exiret ab „ initiatis divinum illud Fidelium propo- „ suit Sacramentum, nec ut curiosos ocu- „ los arcanis inferreret, sed ut fidei suæ „ consequeretur auxilium. Etenim ligari „ facit in orario, & orarium involvit in „ collo, atque ita dejecit in mare, non „ requirens de navi compage resolutam „ tabulam, cui supernatans tueretur, quia „ fidei solius arma quæsierat, quibus se „ tectum munitumque satis credens, alia „ non fefellit opinio. Primus servatur „ ex undis .... Dei requisivit Ecclesiam, „ ut ageret gratias liberatus, & mysteria „ externa cognosceret. „

Huic testimonio accedit aliud sancti Gregorii Papæ, qui L. 3. Dialog. c. 36. ut legitur in vetustissimo codice Monasterii Vvingartensis, sancti Papæ expositionem in Ezechielem continente, initio sit ait: " Oportet Monacho ubicumque „ exierit Eucharistiam secum semper ve- „ hat. „ Plura alia ubi de permanentia.

Sacra-

Sacramenti Eucharistiæ commemoravimus; sed non abs re erit impræsentiarum referre, quod in historia discidii Pauli V. summi Pontificis cum Republica Veneta contigisse legitur; scilicet Patres Societatis Jesu, qui ab Urbe exire coacti erant, singulos singulas hostias collo alligatas, gestantes, profectos esse. Non absimilia apud Maronitas leguntur, ut liquet ex Epist. Gabrielis Sionitæ ad Bartoldum Niusium inter Allatii opera; eo enim loci habetur: " Ad bellum perre„ cturis, & longum vel periculosum iter „ ingressuris sacrum pignus sub unica „ specie panis secum asportandum con„ cessum, ut illud, imminente vitæ dis„ crimine, sumant. „

§. IV.

De variis aliis Sacræ Eucharistiæ usibus.

Primo in pacis signum non semel missa fuit Eucharistia.

PRÆTER Irenæi testimonium jam laudatum, hunc morem nedum inter Episcopos, verum etiam apud Monachos floruisse probat miraculum a Joanne Mosco in Prato spirituali cap. 29. relatum: Sed maxime decreta Melchiadis, & Syricii de mittendo fermento ad titulos urbis, quod de Eucharistia interpretantur viri eruditi: Sed id fieri in festo Paschæ interdixit Concilium Laodicenum canone 14. prohibens: " Ne *San„ cta* instar benedictionum in festo Pa„ schæ in illas Parochias transmittan„ tur. „

Secundo, usus Eucharistiæ ad solemniorem Hæreticorum condemnationem?

DE proscriptione Pyrrhi Monothelitæ, hæc scribit Paulus Diaconus Aquilejensis in Historia L. 18. " Pyrrhus cum Ro„ ma discessisset, & Ravennam pervenis„ set, ut canis ad vomitum suum rever„ sus est, quo Papa Theodorus comper„ to, plenitudine convocata Ecclesiæ, „ ad sepulchrum verticis Apostolorum „ accessit, & divino calice expostulato, „ ex vivifico sanguine in atramentum „ stillavit, & ita propria manu deposi„ tionem Pyrrhi excommunicati fecit. „ Idem de Photio Nicetas in vita sancti Ignatii Patriarchæ CP. refert: " Photius „ maturo cum judicio, canonicaque seu „ Synodica fuerat depositione damnatus. „ Subscripsere depositioni calamis non „ modo atramento, sed in quo, penitus „ contremiscas, ut eos qui rem norant „ asseverantes audivi, ipso Salvatoris San„ guine tinctis. „

Tertio: Eucharistia nonnumquam incorruptionis corporum causa fuit.

SIC legitur de sancto Claudio Vesuntionum Episcopo, & sancto Carolo Mediolanensium Præsule, aliisque permultis, sed & curationis plagarum magnificum fuit remedium. Instar omnium exemplorum sit illud a sancto Augustino Lib. 3. Oper. imperf. contra Julianum cap. 162. commemoratum: " Erat apud nos, *in„ quit*, Acacius quidam honesto apud nos „ ortus loco. Clausis oculis natum se es„ se dicebat, sed quia intus sani palpebris „ cohærentibus non patebant, medicum „ eos ferro aperire voluisse, neque hoc „ permisisse religiosam matrem suam, sed „ id effecisse imposito ex Eucharistia ca„ taplasmate. „ Hoc ipsum non improbavit sanctus Doctor.

Quarto, Eucharistia data est vel ipsis Mortuis ut futuræ gloriæ pignus.

TANTAM in Eucharistia pro vita æterna assequenda spem reponebant primi Christiani, ut eam velut gloriæ donandæ arrham in ore eorum, qui ultimum vitæ diem pie clauserant, reponere non dubitarent. Factum sancti Basilii apud Amphilochium, cujus fragmentum refert Æneas Parisiensis Episcopus in libro adversus Græcos, Spicilegii Tom. 7. pag. 81. id confirmat; dicta quippe Missa, sacrum panem in tres divisit partes, quarum una se communicavit, alteram imponens columbæ aureæ, pependit super altare, *alteram conservavit consepeliri sibi*. S. Benedictus, ut scribit sanctus Gregorius Dial. L. 2. cap. 24. voluit pariter adolescentem Monachum, posito cum reverentia super ejus pectus, corpore Christi, sepeliri. Hanc tamen

tamen consuetudinem non sine fundamento rescidit Concilium III. Carth. can. 6. tum & Sextum can. 83.

Eucharistia in Altaris lapide quondam ad sanctificandum locum conclusa fuit.

DEMUM cum Eucharistia sit totius cultus divini consummatio, & præsentia corporis Christi dæmones fugat, vel ipsa sanctificet loca, Ecclesia quondam in dedicatione Ecclesiæ tres portiones ex Dominico corpore detractas, altari cum calce & maltha includi sinebat. Hoc ipsum in Majoris Monasterii Basilicæ dedicatione præstitisse Urbanum Papam II. scribit Anonymus in libro de gestis Abbatum Majoris-Monasterii.

Synopsis contentorum in ista Sectione.

Sacra Eucharistia summa devotione recolenda est.

PRIMO: Quia eo servatur scopo cum magnificentia, ut nostram foveat fidem, & Christus sit nobiscum in tribulatione, ut inde nos eripiat: ista enim tanti Sacramenti asservatione adimpletur quotidie illud Christi propheticum effatum Matth. 28. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.*

Secundo: Absentes & convalescentes illam habere præsentem satagunt; illi ad consolationem & adversus tum passionum, tum dæmonum ejus auxilio frangendos impetus: isti ut futuræ gloriæ pignus habeant.

Tertio: Antiquitus Fideles eam secum asportabant in peregrinationibus, ut custodia & firmamentum contra imminentia pericula; nec semel Christus præsens annuit piis Justorum votis, ut S. Ambrosius enarrat de fratre suo Satyro in oratione ejus funebri, qui tanto fretus auxilio, absque tabula e naufragio ereptus, abiit salvus & incolumis ad Ecclesiam, gratiarum actionem pro celebri isto auxilio acturus.

SYNOPSIS OBJECTIONUM ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Incassum Lutherani contra asservationem Eucharistiæ opponunt Evangelistas, qui ante consecrationem panis & vini referunt distributionem corporis Christi, immo & esum; si quid enim ex inverso isto ordine probarent, ne quidem per consecrationem corpus Christi sub specie panis, & sanguis sub specie vini ibi adessent, cum Apostoli panem & vinum vel ante ipsam consecrationem sumpsissent, quod non admittunt: Igitur panem consecratum acceperunt manducandum, & vinum consecratum bibendum, quod ista particula, *enim*, causalis importat, Matth. 26. *Bibite ex hoc omnes: Hic est enim sanguis meus.*

Secundo: Tametsi multi canones prohibeant Eucharistiam asservari, hoc intelligitur longo tempore, ne species corrumpantur.

Tertio: Neque vero negamus quandoque tempore persecutionum eam vix fuisse reservatam, ne periculo prophanationis exponeretur: Sed tamen ad tempus pro consolatione Fidelium servatam fuisse colligimus ex Justino, qui Apol. 2. scribit, & post ipsum S. Cyprianus Serm. de lapsis, missam fuisse per Acolythos & Diaconos ad Confessores, ne inermes contra Paganos idololatras descenderent in prælium.

ARTICULUS SEPTIMUS.

De mirabilibus Eucharistiæ effectibus.

ILLUD ineffabile Sacramentum hoc habet cum ceteris sacramentis, quod producat gratiam, seu potius gratiæ augmentum, cum sit vivorum Sacramentum; non enim datur nisi Justis & Fidelibus, & iis qui sunt a peccati sordibus immunes, juxta illud Apostoli 1. Cor. 11. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat*: Sed dico Eucharistiam producere gratiam specialem, abundantem, & ad omnia se extendentem, juxta illud ipsius Christi effatum Joan. 10.

Veni ut vitam habeant, & abundantius habeant.

Primarius Sacræ Eucharistiæ effectus est gratia abundans, immo & omnium abundantissima.

Probatur multis momentis.

PRIMO: Sic habetur Joan. 10. *Veni ut vitam habeant, & abundantius habeant.* Quia est ipsa vita, & in isto augustissimo Sacramento, nedum gratiam, sed & gratiæ auctorem habemus, juxta illud Concilii Tridentini Sess. 13. cap. 2. " In „ quo, divitias divini sui erga homines „ amoris velut effudit. „ Hinc Deus cum sit potentissimus plus dare non potuit; cum sit ditissimus plus dare non habuit; cum sit sapientissimus plus dare nescivit. S. Thomas hic q. 79. art. 1. hunc mirabilem effectum commemorat, & auctoritate tum Scripturæ, tum SS. Patrum probat & adornat: " Dicendum, „ *ait*, quod effectus hujus Sacramenti de- „ bet considerari, primo quidem, & prin- „ cipaliter ex eo, quod in hoc Sacra- „ mento continetur, quod est Christus, „ qui sicut in mundum visibiliter veniens, „ contulit mundo vitam gratiæ, secun- „ dum illud Joannis 1. *Gratia & veritas* „ *per Jesum Christum facta est*; ita in ho- „ minem sacramentaliter veniens, vitam „ gratiæ operatur, secundum illud Joan. „ 6. *Qui manducat me, vivet propter me.* „ Unde & Cyrillus dicit, Vivificativum „ Dei Verbum, uniens seipsum propriæ „ carni fecit ipsam vivificativam. Dece- „ bat ergo eum nostris quodammodo uni- „ ri corporibus per sacram ejus carnem, „ & pretiosum sanguinem, quæ accipi- „ mus in benedictionem vivificativam in „ pane & vino. „

Secundo: Gratia omnis a passione Christi profluit; hinc ejus abundantiam ab ea ut primigenio fonte repetit Propheta, dicens Ps. 129. *Et copiosa apud eum redemptio*: Sed Eucharistia est passionis memoriale perenne: Igitur eamdem confert gratiam ac ipsa passio, cum ibi adsit & idem vulneratum corpus, & idem sanguis fusus. Hanc rationem explanat S. Thomas, & sic pergit: " Secundo, conside- „ ratur ex eo, quod per hoc Sacramen- „ tum repræsentatur, quod est passio „ Christi, sicut supra dictum est. Et ideo „ effectum quem passio Christi fecit in „ mundo, hoc Sacramentum facit in „ homine; unde super illud Joan. 19. „ *Continuo exivit sanguis & aqua*: dicit „ Chrysostomus, Quia hinc suscipiunt „ principium sacra Mysteria, cum acces- „ seris ad tremendum calicem, ut ab „ ipsa bibiturus Christi costa, ita acce- „ das. Unde & ipse Dominus Matth. „ 26. *Hic est sanguis meus, qui pro vobis* „ *effundetur in remissionem peccatorum.*

Tertio: Cibus & potus vitam fovent, immo & augent, eo quod perpetuo in nostram convertantur substantiam: Sed in hoc Sacramento gratia nobis datur per modum nutritionis & alimenti, ut in ipsum Christum mystice convertamur, juxta illud Augustini, Christum animam alloquentem inducentis L. 1. Confess. cap. 10. " Non tu me mutabis in te, sicut „ cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in „ me. „ Quod quidem summam arguit gratiam. Ergo &c.

De hac gratia loquitur Concilium Florentinum in Decreto instruct. Armen. " Nutrimur, *inquit*, divinæ Eucharistiæ „ alimonia. „ De hac Tridentinum Sess. 13. cap. 2. " Sumi autem voluit, *Salva-* „ *tor*, Sacramentum hoc, tamquam spi- „ ritualem animarum cibum, quo alan- „ tur & confortentur, viventes vita il- „ lius qui dixit, Qui manducat me, & „ ipse vivet propter me. „ De hac Chrysostomus Homilia 60. Unicuique Fidelium Christus semetipsum per Mysteria commiscet, & quos genuit, per semetipsum nutrit. De hac Doctor Angelicus ibidem: " Tertio consideratur effectus hu- „ jus Sacramenti ex modo, quo traditur „ hoc Sacramentum, quod traditur per „ modum cibi & potus, & ideo omnem „ effectum quem cibus & potus materia- „ lis facit quantum ad vitam corporalem, „ quod scilicet sustentat, auget, reparat, „ & delectat; hoc totum facit hoc Sa- „ cramentum, quantum ad vitam spiri- „ tualem. Unde Ambr. dicit in Lib. de „ Sacram. Iste panis est vitæ æternæ, qui „ animæ nostræ substantiam fulcit. Et „ Chrysost. dicit super Joannem: Præstat „ nobis desiderantibus, & palpare, & co- „ medere, & amplecti. Unde & ipse Do-

„ minus dicit Joan. 6. Caro mea vere est „ cibus, & sanguis meus vere est po„ tus. „

De Hoc Catechismus Romanus part. 2. n. 47. " Commode etiam fieri vide„ bitur, si panis, & vini natura, quæ „ hujus Sacramenti symbola sunt, per„ pendantur. Nam, quos usus corpori „ panis, & vinum affert, eos omnes ani„ mæ saluti, & jucunditati, ac meliori „ quidem, ac perfectiori ratione, Eucha„ ristiæ sacramentum præbet. Neque e„ nim hoc Sacramentum in substantiam „ nostram, ut panis & vinum mutatur: „ sed quodam modo in ejus naturam con„ vertimur: ut recte illud divi Augustini „ ad hunc locum transferri possit: Cibus „ sum grandium: cresce, & manducabis „ me: nec tu me mutabis in te, sicut „ cibum carnis tuæ; sed tu mutaberis „ in me. „

Quarto: Ibi est gratia abundans, ubi in ipso fonte gustatur per intimam cum Christo unionem: Atqui talis est hujus Sacramenti gratia: Et probatur ex Catechismo Romano, qui ibidem duo potissimum subnotat. Primo, istud Sacramentum esse ceterorum fontem, & gratiam ibi in ipso fonte delibari. Secundo, Christum ibi præsentem esse ut gratiam in animam influat, eo prope modo quo caput perenni vitæ fluxu membra vivificat. De priori momento n. 46. habetur: " Hoc vero aliqua ex parte ita assequen„ tur, si omnium Sacramentorum vi at„ que natura patefacta, Eucharistiam fon„ ti, cetera rivulis comparaverint. Ve„ re enim, ac necessario fons omnium „ gratiarum dicenda est, cum fontem ip„ sum cælestium charismatum, & dono„ rum, omniumque Sacramentorum au„ ctorem Christum Dominum admirabi„ li modo in se contineat: a quo tam„ quam a fonte ad alia Sacramenta, quid„ quid boni, & perfectionis habent, de„ rivatur. Ex hoc igitur divinæ gratiæ „ fonte amplissima munera, quæ nobis „ hoc Sacramento impertiuntur, facile „ colligi poterunt.

De altero momento n. 48. ait: " Quod „ si gratia, & veritas per Jesum Chri„ stum facta est: in animam quoque in„ fluat est necesse, cum eum pure, & „ sancte accipias, qui de se ipso dixit: „ *Qui manducat meam carnem, & bibit* „ *meum sanguinem, in me manet, & ego* „ *in illo*. Nam, qui pietatis, & religio„ nis studio affecti hoc Sacramentum su„ munt, nemini dubium esse debet, quin „ ita Filium Dei in se admittant, ut ejus „ corpori tamquam viva membra inseran„ tur; siquidem scriptum est: *Qui man*„ *ducat me, & ipse vivet propter me*. I„ tem: *Panis, quem ego dabo, caro mea* „ *est pro mundi vita*. Quem locum Cyril„ lus dum interpretatur, inquit: Dei „ verbum uniens se ipsum propriæ car„ ni, fecit ipsam vivificativam. Eum „ ergo decebat miro quodam modo uni„ ri corporibus per sacram ejus carnem, „ & pretiosum sanguinem, quæ accipi„ mus in benedictione vivificativa in pa„ ne, & vino. „

Has omnes unionis rationes explanat etiam D. Thomas ibidem q. 79. art. 1. " Quarto, *inquit*, consideratur effectus „ hujus Sacramenti ex speciebus, in qui„ bus traditur hoc Sacramentum. Un„ de Augustinus ibidem dicit, Dominus „ noster, corpus & sanguinem suum in „ eis rebus commendavit, quæ ad unum „ aliquid rediguntur ex multis; namque „ aliud, scilicet panis ex multis granis „ in unum constat; aliud scilicet vinum, „ in unum ex multis acinis confluit. Et „ ideo ipse alibi dicit super Joan. O Sa„ cramentum pietatis! O signum unita„ tis! O vinculum Charitatis! Et quia „ Christus, & ejus passio est causa gratiæ, „ & spiritualis refectio, & charitas sine „ gratia esse non potest: ex omnibus præ„ missis manifestum est, quod hoc Sa„ cramentum gratiam confert. „

Ante ipsum Chrysostomus de hac unione Homil. 61. ait: " Semetipsum nobis „ immiscuit, & corpus suum in nos con„ temperavit, ut unum quid simus tam„ quam corpus capiti coaptatum: arden„ ter enim hoc amantium est. „

Alter sacræ Eucharistiæ effectus est gratia quædam actualis, quæ charitatem stimulat, & spirituali dulcedine & gaudio mentem replet.

DICEBAT quondam Propheta Regius Ps. 83. *Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum*: Verum si divina

T 2 con

contemplans hæc locutus est, quanto magis fidelem Christianum, qui dulcedinem in ipso fonte degustat, ea oportet dicere. Sanctus doctor hunc effectum in quæstione laudata art. 1. ad 2. mirum in modum explicat his verbis.

" *Dicendum*, quod hoc Sacramentum „ confert gratiam spiritualiter, cum vir„ tute charitatis. Unde Damasc. compa„ rat hoc Sacramentum carboni, quem „ Isaias vidit: Carbo enim lignum sim„ plex non est, sed unitum igni: ita & „ panis communionis non simplex panis „ est, sed unitus divinitati. Sicut Gre„ gorius dicit in homilia Pentec. Amor „ Dei non est otiosus: magna enim ope„ ratur, si est. Et ideo per hoc Sacra„ mentum quantum est ex sui virtute, „ non solum habitus gratiæ, & virtutis „ confertur, sed etiam excitatur in actum, „ secundum illud Secundæ Corinth. 5. „ Charitas Christi urget nos. Et inde est, „ quod ex virtute hujus Sacramenti ani„ ma spiritualiter reficitur per hoc, quod „ anima spiritualiter delectatur, & quod„ ammodo inebriatur dulcedine bonita„ tis divinæ, secundum illud Cant. 5. „ Comedite amici, & bibite, & inebria„ mini charissimi. „

Mira de hoc effectu proferunt Patres; alii quippe dicunt Eucharistiam omne delectamentum in se habere, alii ad explicandam ejus suavitatem modo melli, modo lacti illam comparant.

Gratia dulcedinis.

CLEMENS V. Papa asserit sacram Eucharistiam omnem habere saporem, quia est gratia cibi & potus, quibus competit dulcedo. Sic legitur, *Clementina unica de Reliquiis & veneratione Sanctorum*, ubi appellatur: " Panis habens omne delecta„ mentum, & omnis saporis suavitatem; „ & impinguans non corpus, sed cor, „ non carnem, sed animam; non ven„ trem, sed mentem. „

Concinit S. Cyprianus Serm. de cœna Domini. " Panis iste Angelorum, *inquit*, „ omne delectamentum habens, virtute „ mirifica, omnibus qui digne & devote „ sumunt, secundum desiderium suum „ sapit, & amplius quam manna illud „ eremi, implet & satiat edentium ap„ petitus, & omnium Carnalium saporum „ irritamenta, & omnia exuperat dulce„ dinum voluptates. „

S. Ambrosius, similia loquitur L. 5. in Lucam, ubi sic habet. " Qui domicilio „ Christum recipit interno, maximis de„ lectationibus exuberantium pascitur vo„ luptatum. „

De gratia Mellis hæc habet.

Primo Magnus Gregorius L. 15. Moral. cap. 9. " Mel quippe, *ait*, ex aere, bu„ tyrum vero, ex carne est: Summi au„ tem Patris, cum sit Deus super omnia, „ homo factus est inter omnia, qui cum „ nos dulcedine divinitatis suæ, & My„ sterio Incarnationis suæ replevit *in Eu„ charistia*, melle nos pariter, & butyro „ satiavit. „

Non prætereundus S. Laurentius Justinianus, qui L. de casto connubio Verbi, & animæ cap. 24. ita Eucharistiam appellat, " Poculum suave, refectionem ju„ cundam, mellifluum manna. „

S. Thomas in officio sanctissimi Sacramenti quod ipse composuit, ait de illa: " O quam suavis est Domine spiritus „ tuus, qui ut dulcedinem tuam in filios „ demonstrares, pane suavissimo de cœ„ lo præstito, esurientes reples bonis, „ fastidiosos divites dimittens inanes. „ Rursus 58. " Dulcedo in proprio fonte „ gustatur. „

Gratia Lactis.

S. Chrysostomus erga Eucharistiam devotissimus, passim mirabiles ejus extollit effectus. Homilia 60. hujus tanti Sacramenti gratiam Lacti assimilat. " Nonne „ videtis, *inquit*, quanta promptitudine „ parvuli papillas capiunt, & quanto „ impetu labia uberibus infigunt. Acce„ damus cum tanta nos quoque alacrita„ te ad hanc mensam, & ad ubera po„ culi spiritalis: Quinimmo cum longe „ majori trahamus, tamquam infantes la„ ctentes, Spiritus gratiam, & unus sit „ nobis dolor hac esca privari. „

Suffragatur Sanctus Augustinus Enarrat. 1. in Psal. 33. " In principio erat „ verbum, & verbum erat apud Deum, „ & Deus erat verbum, & verbum erat

„ apud

„ apud Deum, & Deus erat verbum. „ Ecce cibus sempiternus: sed manducant Angeli, manducant superoræ virtutes, manducant cœlestes Spiritus, & manducantes saginantur .... Quis autem homo posset ad illum cibum? Unde cor tam idoneum illi cibo? Oportebat ergo, ut mensa illa lactesceret, & ad parvulos perveniret. „

Similia habet Hugo a S. Victore L. 1. Miscell. titulo 25. " Sapientia, *inquit*, „ sursum panis erat, & versa est deorsum in lac; in divinitate panis, in humanitate lac; & nutritus est parvulus lacte humanitatis, ut crescens, & convalescens capere possit cibum Divinitatis. „

Totam hanc suavitatis œconomiam, juvat concludere verbis S. Thomæ Opusc. 58. cap. 22. pag. 55. Qui ad consolationem animarum spiritualium, quæ graves nonnumquam tum in oratione, tum in ipsa Communione ariditates patiuntur, ait dulcedinem spiritalem ex gratia tanti Sacramenti profluentem, in suavitate & affectione semper sensibili non esse reponendam, sed in pio intellectu, seu mentis illuminatione, quæ suo modo lætificat animam ...... " Sicut inquit Medicus peritus quandoque quibusdam dat medicinam dulcem palato corporis, & quandoque non sic, sed dulcem palato mentis, quæ quamvis non gutturi, tamen bene sapit rationi, pro eo quod sanam mentem delectat. Sic Dominus dat suis fidelibus dulce semper corpus: Sed dulcedinem suam alio modo istis, alio istis, prout cuilibet expedire novit. Hinc est, quod quidam dulcedinem istam sapiunt per affectum, & ardentiori delectantur devotione, & alii eamdem dulcedinem sapiunt per pium intellectum, & sufficienti reficiuntur utilitate in eo quod credunt, & intelligunt per hunc cibum sanctum veram vitam obtinere .... De primo Isa. 55. Audite audientes me, & comedite bonum. .. De secundo est illud, Fructus ejus dulcis gutturi meo, id est, pie, & fideli menti quæ credit, intelligitur hunc cibum sanctum sibi esse utilissimum. „

Tertius Eucharistiæ effectus, peccata venialia remittit.

CONCILIUM Tridentinum Sess. 13. cap. 2. meminit hujusce effectus, dum ceteros commemorat; sic enim loquitur de motivis propter quæ Christus suum Sacramentum instituere dignatus est: „ Sumi autem voluit *Dominus Jesus* Sacramentum hoc, tamquam spiritualem animarum cibum, quo alantur, & confortentur viventes vita illius qui dixit; Qui manducat me, & ipse vivet propter me: & tamquam antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis, & a peccatis mortalibus præservemur. Pignus præterea id esse voluit futuræ nostræ gloriæ, & perpetuæ felicitatis; adeoque Symbolum unius illius corporis, cujus ipse caput existit, cuique nos, tamquam membra arctissima fidei, spei, & charitatis connexione astrictos esse voluit; ut idipsum omnes diceremus, ne essent in nobis schismata. „

Similia loquitur Catechismus Rom. par. 2. n. 51. " Remitti verò Eucharistia, & condonari leviora peccata, quæ venialia dici solent, non est quod dubitari debeat. Quidquid enim cupiditatis ardore anima amisit, dum levi aliqua in re parum offendit, totum Eucharistia, eas ipsas minores culpas abstergens, restituit. Quemadmodum etiam (neque enim a proposita similitudine discendendum videtur) quod innati caloris vi quotidie detrahitur, ac deperit, paulatim addi, & refici naturali alimento sentimus. Quare merito a Divo Ambrosio de hoc cælesti Sacramento dictum est: Iste panis quotidianus sumitur in remedium quotidianæ infirmitatis. „

S. Thomas hic art. 4. duplici ratione probat Eucharistiam remittere peccata venialia. Primo, quia est Sacramentum per modum cibi; proprium autem est alimenti reparare vires deperditas, & consequenter alimento spirituali restituere vires animæ, peccatis venialibus quotidianis aut fractas, aut magna ex parte deperditas. Secundo, quia peccatum veniale est charitatis refrigerium, illa vero excitat & promovet plurimum divinæ Eucharistiæ sum-

sumptio. " Dicendum , *inquit* , quod in „ hoc Sacramento duo possunt considera- „ ri... Scilicet ipsum Sacramentum , & „ res Sacramenti . Et ex utroque appa- „ ret, quod hoc Sacramentum habet vir- „ tutem ad remissionem venialium pec „ catorum . Nam hoc Sacramentum su- „ mitur sub specie cibi nutrientis: Nutri- „ mentum autem cibi est necessarium cor- „ pori ad restaurandum id , quod quoti- „ die deperditur per actionem caloris „ naturalis... Spiritualiter autem quoti- „ die aliquid in nobis deperditur ex calo- „ re concupiscentiæ per peccata venialia, „ quæ diminuunt fervorem charitatis, ut „ in secunda parte habitum est. Et ideo „ competit huic Sacramento, ut remittat „ peccata venialia . Unde & Ambrosius „ dicit in libro de Sacramentis, quod iste „ panis quotidianus sumitur in remedium „ quotidianæ infirmitatis . Res autem „ hujus Sacramenti , est charitas , non „ solum quantum ad habitum, sed et- „ iam quantum ad actum , qui excita- „ tur in hoc Sacramento: per quod pec- „ cata venialia solvuntur . Unde mani- „ festum est , quod virtute hujus Sa- „ cramenti remittuntur peccata venia- „ lia. „

Quartus Eucharistiæ effectus.

Præservat a peccatis mortalibus , & datur tum ad domandas passiones , tum ad Tyrannos , dæmonesque propellendos.

Concilium Tridentinum in loco supra laudato enumerat istos effectus : refert & Innocentius III. L. de Sacr. alt. c. 44. ante medium his verbis apud D. Thomam hic art. 4." Hoc Sacramentum „ venialia delet , & cavet mortalia . „ Catechismus Romanus p. 2. n. 52. & 53. dicit Eucharistiam robur addere animæ, & libidinum ardores extinguere . Quod auxilium plurimum inservit ad præcavenda peccata : " Illa præterea , *inquit*, „ in sacris Mysteriis vis est, ut nos a „ criminibus puros , & integros , atque „ a tentationum impetu incolumes ser- „ vet , ac tamquam cœlesti medicamen- „ to animam præparet ne alicujus mor- „ tiferæ perturbationis veneno fecile in- „ fici, ac corrumpi queat. Atque ob eam „ etiam caussam, ut testatur D. Cypria- „ nus, cum olim a tyrannis fideles ad tor- „ menta , & cædem propter Christiani „ nominis confessionem vulgo raperentur, „ ne illi forte dolorum acerbitate victi, „ in salutari certamine deficerent, vetus „ in Ecclesia Catholica mos fuit, ut eis „ ab Episcopis Dominici corporis, & san- „ guinis Sacramenta præberentur ; Sed car- „ nis etiam libidinem cohibet , ac repri- „ mit; dum enim charitatis igne animos „ magis incendit, concupiscentiæ ardorem „ restinguat, necesse est. „

De isto effectu loquitur Propheta Regius Psal. 22. in prænotione enim Spiritus de Eucharistia, sic loquitur, *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos qui tribulant me.*

Audiendi sunt de eodem momento SS. Patres, tum & S. Thomas.

S. Ignatius Martyr Epist. ad Ephes. post medium , ait : " Studete frequenter ac- „ cedere ad Eucharistiam Dei , & glo- „ riam: quando enim hoc ipsum assidue „ agitur, expelluntur Satanæ potestates, „ qui suos actus convertit in sagittas igni- „ tas ad peccatum. „

Sanctus Cyprianus Epist. 54. Eucharistiam , ut scutum inexpugnabile contra Tyrannos & persecutores habet, atque: " Non esse idoneum ad Martyrium, qui „ ab Ecclesia non armatur ad prælium : „ Quia mens deficit, quam recepta Eu- „ charistia non erigit & accendit. „

S. Ambrosius egregiam instituit comparationem inter sanguinem Agni , quo Israelitæ liberati sunt ab Angelo exterminatore , & corpus Christi in Eucharistia conclusum , quo ignita inimici tela quisque propellere potest . Sic loquitur Serm. 8. in Psal. 118. " Moyses A- „ gnum immolavit , ut manducantes e- „ um , non occuparentur exterminato- „ ris insidiis , ne inermes & vacuos spi- „ ritualis alimenti , nocturna spicula te- „ nebrosi hostis opprimerent . Præve- „ ni , & in insidias tentatoris , insau- „ ra prius cœleste convivium . . . Cum „ hospitium tuum adversarius viderit oc- „ cupatum cælestis fulgore præsentiæ , „ &c. „

Preclara de isto capite dicit Chrysostomus Hom. 45. " Hic mysticus sanguis , „ *ait*, dæmones procul pellit; cum enim Domi-

„ Dominicum sanguinem in nobis vi- „ dent, in fugam vertuntur. „ Quid plura adjiciam? Cibus ille Angelicus juxta Patrum sententias cor facit contritum & humiliatum, concupiscentiæ pabula dispergit, libidinum ardores extinguit, & charitatis lumen accendit.

S. Thomas hic art. 6. triplici ratione probat hominem fidelem per Eucharistiam ad præcavenda peccata muniri. Primo, quia Joan. 6. habetur: *Hic est panis de cælo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur*: " Quod quidem, *ait* „ *S. Doctor in argumento, Sed contra*, ma- „ nifestum est, non intelligi de morte „ corporali. Ergo intelligitur, quod hoc „ Sacramentum præservet a morte spi- „ rituali, quæ est peccatum. „ Secundo, quia sicut corpus præservatur a morte, & per cibum quo vires deperditas restaurat, & per arma quibus insidiantes vitæ propellit, sic Eucharistiæ cibo animam reficiente, vires novas acquirit homo, & ab eadem, ut est Passionis Christi memoriale perenne, ab hostibus defenditur.

Sic loquitur in corpore articuli: " Di- „ cendum, quod peccatum est quædam „ spiritualis mors animæ. Unde hoc mo- „ do præservatur aliquis a peccato futu- „ ro, quo præservatur corpus a morte „ futura. Quod quidem fit dupliciter, „ uno modo in quantum natura hominis „ interius roboratur contra interiora cor- „ ruptiva: & sic preservatur a morte „ per cibum & medicinam. Alio modo „ per hoc, quod munitur contra exterio- „ res impugnationes: & sic præservatur „ per arma, quibus munitur corpus. U- „ troque autem modo hoc Sacramentum „ præservat a peccato. Nam primo qui- „ dem, per hoc quod Christo conjungit „ per gratiam, roborat spiritualem vitam „ hominis, tamquam spiritualis cibus, „ & spiritualis medicina: Secundum il- „ lud Ps. 103. Panis cor hominis confir- „ mat: Et August. dicit super Joan. Se- „ curus accede, panis est, non venenum. „ Alio modo in quantum est quoddam „ signum Passionis Christi, per quam vi- „ cti sunt dæmones, repellit omnem dæ- „ monum impugnationem; unde Chry- „ sost. dicit super Joan. Ut leones flam- „ mam spirantes, sic ab illa mensa dis- „ cedimus, terribiles effecti diabolo. „

Quintus Eucharistiæ effectus: sternit viam ad Beatitudinem, hinc Viaticum vocatur.

Probatur argumentis Theologicis.

PRIMO ex figuris Scripturæ sacræ, 3. Regum 19. legitur de Elia, *Comedit, & bibit, & ambulabit in fortitudine cibi illius, quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, usque ad montem Dei Oreb.* Ibi agitur de subcineritio pane, quem Angelus Eliæ fugienti persecutionem Jezabel porrexit, quo confortatus ambulavit usque ad montem Dei. Quæ quidem verba explanans sanctus Hieronymus in caput 15. Matthæi ait: " Non vult Jesus dimittere jejunos „ ne deficiant in via: periclitatur ergo „ qui sine cælesti pane ad optatam man- „ sionem pervenire festinat. Unde Ange- „ lus ad Eliam: Surge & manduca, quia „ grandem viam ambulaturus es. „

Secundo, ex sanctis Patribus. Istam Viatici dotem non silent sancti Doctores: S. Gaudentius Tractatu 2. in Exodum sub finem ait: " Hoc est viaticum itine- „ ris nostri, quo in hac vita modo ali- „ mur, & nutrimur, donec ad ipsum „ perveniamus, de hoc sæculo receden- „ tes: unde dicebat idem Dominus; Nisi „ manducaveritis carnem meam, & bi- „ beritis meum sanguinem, non habebi- „ tis vitam in vobis. „

Chrysostomus Lib. 6. de Sacerdotio explicans illa orationis Dominicæ verba: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, ait: " Animas eorum qui hoc Sacramen- „ tum in fine vitæ suscipiunt, ab Ange- „ lis, propter assumptum illud Sacramen- „ tum, recta ad cælum via deduci: eo- „ rum vero corpora satellitum more sti- „ pantibus Angelis, in vitam æternam „ custodiri. „

Similia profert Paschasius Lib. de corpore & Sanguine Domini cap. 19. " Hoc „ mysterium, *ait*, nonnumquam Viati- „ cum appellatur, quia si quis illo frui- „ tur in via, pervenit ad vitam quam „ ipse habet. „

Sanctus Chrysostomus Sermone 8. in eamdem collimat sententiam; explicans enim illa Orationis Dominicæ verba, *Panem no-*

nostrum quotidianum da nobis hodie, subjungit: " Vult nos in Sacramento sui „ corporis panem viaticum postulare; ut „ per hoc ad perpetuum diem, & ipsam „ Christi perveniamus ad mensam; ut „ unde hic gustum sumpsimus, inde ibi „ plenitudinem, totasque satietates capiamus. „

Venerabilis Beda in testimonium ejusdem veritatis in L. 4. Eccles. Hist. c. 14. scribit Angelos quidam puero ægrotanti dixisse: " Nos te hodierna die ad cælestia regna sumus perducturi: Sed expectare primum habes, donec Missa celebretur, ac viatico Dominici corporis, & sanguinis accepto, æterna in „ cælis gaudia subleveris. „

Tertio, ratione: Viaticum est pecunia qua peregrinator cuncta necessaria emit ad viam perficiendam donec accedat ad terminum: vel etiam quædam ciborum, & vini asportatio, ne quis deficiat in via, ut viribus reintegratis, prout exigit necessitas, tantum roboris habeat, quantum necessarium est, vel ad propellendos insidiantes, vel ad superandas frigoris, & æstus asperitates, ac demum ad sustinendos viæ labores. Sed hæc omnia præstat Eucharistia: Igitur est verum & optimum ad vitam æternam viaticum. Minor patet ex dictis, cum teste Chrysostomo terribiles nos efficiat ipsis dæmonibus, cum sit cibus grandium, & vinum lætificans cor hominis, immo & panis quotidianus a Christo misericorditer elargitus: Sed hanc viatici rationem potissimum sibi vindicat Eucharistiæ Sacramentum ex eo quod perseverantiam finalem, quæ non cadit sub meritum, eatenus nobis det, quatenus præsentia Christi frangit dæmonum impetus, qui animam exagitare satagunt, figit nos in bono per unionem cum Christo omnium maximam, & ita nostrum erga Jesum amorem stimulat, ut charitatem cum morte conjungat, in quo quidem, ut ait S. Aug L. de dono perseverantiæ cap. 1. sita est perseverantia finalis. Et vero si ex eodem sancto Doctore prædestinatio Sanctorum includit, & importat media quibus certissime liberantur quicumque liberantur, quod medium fortius, quod abundantius simul & suavis Eucharistia, dicente Propheta Psalm. 67. *Et Domini, Domini exitus mortis*; quasi diceret, perseverantiam finalem esse Eucharistiæ specialem effectum, quod innuitur istius vocis, *Et Domini*, *Domini*, duplicatione?

Sextus Eucharistiæ effectus est adeptio gloriæ.

Probatur rationibus Theologicis.

PRIMA est, quia annexam habet vitæ æternæ promissionem, juxta illud Christi Joan. 6. *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*.

Secunda: Pignus datum pro alicujus boni retributione est apud Deum quid ratum & infallibile, si non ponatur obex: Sed sacra Eucharistia est futuræ gloriæ pignus a Christo datum: Igitur ejus effectus est adeptio gloriæ. Hoc ipsum dicit Concilium Tridentinum Sess. 13. cap. 2. Tum Ecclesia quæ canit: O sacrum convivium in quo Christus sumitur: recolitur memoria passionis ejus.... Futuræ gloriæ nobis pignus datur.

Tertia: Christus in Eucharistia realiter continetur, cum ejus Passionis repræsentatione; ibi quoque per species panis qui ex multis granis, vini vero quod ex variis uvis confluit, denotatur unio fidelium cum Christo: Ipse autem nobis per passionem suam aperuit cælos, & membrorum cum capite unio non nisi in cælo completur. Igitur Eucharistiæ effectus est adeptio gloriæ, cum ibi adsit Christus, ut reseratum devicta morte, cælum aperiat, & unum simus in æternum cum illo. Ista ratio ex multis aliis coalescens est D. Thomæ hic art. 2. his verbis: " In hoc Sacramento potest considerari, & id ex quo habet effectum, „ scilicet ipse Christus contentus, & „ passio ejus repræsentata, & id per quod „ habet effectum, scilicet usus Sacramenti, & species ejus; & quantum ad „ utrumque, competit huic Sacramento, „ quod causat adeptionem vitæ æternæ. „ Nam ipse Christus per suam passionem „ aperuit nobis aditum vitæ æternæ: Secundum illud Hæbr. 9. novi Testamenti mediator est, ut morte intercedente, qui vocati sunt, accipiant repromissionem æternæ hæreditatis. Unde

& in

„ & in forma hujus Sacramenti dicitur: „ Hic est calix sanguinis mei novi, & „ æterni Testamenti. Similiter etiam refectio cibi spiritualis, & unitas significata per species panis, & vini, habentur quidem in præsenti, sed imperfecte: „ perfecte autem in statu gloriæ. Unde „ Augustin. dicit super illud Joan. 6. Caro mea vere est cibus: Cum cibo & „ potu id appetant homines, ut non „ esuriant, neque sitiant; hoc veraciter „ non præstat, nisi iste cibus & potus, „ qui eos a quibus sumitur, immortales „ & incorruptibiles facit in societate „ Sanctorum, ubi pax erit, & unitas „ plena, atque perfecta. „

Septimus Eucharistiæ effectus.

Remittit ex parte pœnam temporalem.

PROBATUR ex S. Thoma, qui hic q. q. 79. art. 5. distinguit Eucharistiam ut Sacramentum & ut Sacrificium. Priori modo spectata operatur juxta suscipientis devotionem; hinc de pœna temporali remittit plus aut minus secundum quod charitas magis vel minus exardescit. Posteriori modo considerata ex se, & quasi primario aliquam pœnam temporalem remittit, quia est satisfactiva. Sic loquitur sanctus Doctor: " In quantum vero est „ sacrificium, *ait*, habet vim satisfactivam, sed in satisfactione magis attenditur affectus offerentis, quam quantitas oblationis. Unde & Dominus dicit „ Lucæ 21. de vidua quæ obtulit duo „ æra, quod plus omnibus misit; quamvis ergo hæc oblatio ex sui quantitate „ sufficiat ad satisfaciendum pro omni „ pœna: tamen fit satisfactoria illis, „ pro quibus offertur vel etiam offerentibus secundum quantitatem suæ devotionis, & non pro tota pœna. „ Hoc est, Eucharistia ut sacrificium ex opere operato remittit aliquem pœnæ temporalis gradum: ex opere vero etiam operantis ulteriorem gradum, juxta quantitatem affectus offerentis.

Ex his sequitur Eucharistiam etiam prodesse aliis quam sumentibus; indirecte quidem ut Sacramentum, quatenus aliquis potest sacram sumere Synaxim, vel pro refrigerio defunctorum, vel pro sanitate amici obtinenda: Ut sacrificium vero directe, quia sub hoc respectu est victima, quæ recte pro aliis offerri potest, quod non fit præcise ut Sacramentum; sub ista quippe ratione est cibus, adeoque per se primo institutus ad alendum suscipientem, & illum specialiter cum Christo conjungendum. Sic docet S. Thomas hic art. 7. primo quidem in argumento, *Sed contra*: " In celebratione hujus Sacramenti, *inquit*, fit pro multis „ aliis deprecatio: Quod frustra fieret nisi „ hoc Sacramentum aliis prodesset. „ Deinde vero in corpore articuli sic ratiocinatur: " Hoc Sacramentum non solum est „ Sacramentum, sed etiam est sacrificium: In quantum enim in hoc Sacramento repræsentatur Passio Christi, „ qua Christus obtulit se hostiam Deo, „ ut dicitur Ephesiorum 5. habet rationem sacrificii; in quantum vero in hoc „ Sacramento traditur invisibilis gratia „ sub visibili specie habet rationem Sacramenti. Sic ergo hoc Sacramentum „ quidem prodest, & per modum Sacramenti, & per modum Sacrificii: Quia „ pro omnibus sumentibus offertur: Dicitur enim in canone Missæ, Quotquot „ ex altaris participatione sacrosanctum „ Filii tui corpus, & sanguinem sumpserimus, omni benedictione cælesti, „ & gratia repleamur; sed aliis, qui non „ sumunt, prodest per modum sacrificii, „ in quantum pro salute eorum offertur: „ Unde, & in canone Missæ dicitur, „ Memento Domine famulorum famularumque tuarum pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis, pro se, suisque omnibus, „ pro redemptione animarum suarum, „ pro spe salutis, & incolumitatis suæ: „ Et utrumque modum proficiendi Dominus expressit, dicens Matth. 26. „ & Lucæ 25. *Qui pro vobis*, scilicet „ sumentibus, *& pro multis*, scilicet „ aliis *effundetur in remissionem peccatorum*. „

Octavus Eucharistiæ effectus, mitigat appetitus sensitivi fomitem.

Probatur multis momentis.

PRIMO ex Prophetis: Zachariæ c. 9. habe-

habetur: *Quid est bonum ejus, & quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines*. Ad ista verba attendens Paschasius Lib. de corpore & sanguine Domini, c. 21. ait: " Felix „ fructus ubertatis, ex quo virginitas „ germinatur: Nam hoc nostri generis „ vino castitas corrumpitur, ab isto ve- „ ro virgines procreantur. „

Alter Scripturæ locus pro eadem astruenda veritate ex Ps. 67. excerpitur: *in Selmon*, ait Propheta, *mons Dei*, *mons pinguis*; quæ quidem verba sic explicat Glossa: " De corpore Christi manat „ umbra gratiæ, quæ nobis defensacu- „ lum est contra incentiva vitiorum car- „ nis concupiscentiæ.

Tertius locus eamdem confirmans veritatem habetur Osee 14. his verbis: *Ero quasi ros, & Israel germinabit quasi lilium*: Quem locum sanctus Thomas Opusc. 58. cap. 21. sic interpretatur. " Dum ergo „ fidelis corpus Christi sumit, spirituale „ refrigerium percipit, quasi de umbra „ gratiæ, quæ de ipso fluit: Osee 14. „ *Ego quasi ros, & Israel germinabit quasi* „ *lilium*. „

Secundo, ex sanctis Patribus. Cyrillus Alexandrinus L. 4. in Joannem egregie sic loquitur: " Sedat, cum in nobis „ manet Christus, sævientem membro- „ rum nostrorum legem, pietatem cor- „ roborat, & perturbationem animi ex- „ tinguit. „

Atque vero Cyrillus Hierosolymitanus Cathec. mystag. qui de Eucharistia loquens, ait: " Animam, & corpus sancti- „ ficat. „

Expressius loquitur Chrysologus Sermone 34. & mirabundus exclamat: " O quam „ docuit mulier, quantum sit corpus „ Christi, quæ in fimbria tantum esse „ monstravit! Audiant Christiani qui quo- „ tidie corpus Christi attingunt, quantam „ de ipso corpore sumere possunt medi- „ cinam, quando mulier totam rapuit „ de sola Christi fimbria sanitatem. „

Bernardus de Baptismo, & Sacramento Altaris circa medium ex professo istum mirabilem proponit effectum his verbis: " Duo, Sacramentum hoc ope- „ ratur in nobis, ut videlicet, & sen- „ sum minuat in minimis, & in graviori- „ bus peccatis, tollat omnino consensum. „ Si quis vestrum non tam sæpe modo, „ nec tam acerbos sentit iracundiæ mo- „ tus, invidiæ, luxuriæ, aut ceterorum „ hujusmodi, gratias agat corpori & san- „ ni Domini, quoniam virtus Sacramen- „ ti operatur in eo. „

Tertio, ratione: Tria sensum afficiunt plurimum, scilicet I. Apprehensio boni sensibilis. II. Ejus præsentia & fruitio. III. Unio ultima & effrænata cum creatura, ad quam cor sese convertit, & ex his tribus exardescunt passiones sensibiles, & amor in creaturam: Sed tria opposita Sacramentum Eucharistiæ præstat: Igitur minuit fomitem appetitus sensitivi. I. Quidem in hoc Sacramento omne bonum & quidem verum, nobis per fidem ostenditur, juxta illud Exodi 30. *Ostendam omne bonum tibi*. Cum autem in Eucharistia Christus verus Deus præsens sit sub speciebus, omne bonum in Eucharistia apprehendimus. II. Bonum illud in ipso fonte gustatur, ut ex Patribus liquet. Demum tanta sit unio inter Christum & fidelem, ut teste Cyrillo, vel ipse Christus sese commisceat nobiscum, eo proportionali modo quo duæ ceræ liquefactæ commiscentur. Hinc ait Paschasius: *O Deus substantia mea*! Sanctus Thomas Opusc. 58. docet Christum in Eucharistia omnimoda unione nobis conjungi, & ad nos accedere. Hic art. 6. ad 3. explicat modum quo Eucharistia minuit peccati fomitem. " Licet hoc Sacramen- „ tum non directe ordinetur ad diminu- „ tionem fomitis, diminuit tamen fomi- „ tem ex quadam consequentia, in quan- „ tum auget charitatem, quia sicut Au- „ gustinus dicit Lib. 83. quæst. Augmen- „ tum charitatis, est diminutio cupidi- „ tatis. „ Igitur Eucharistia minuit fomitem peccati cum Christus veluti sensibilis in hoc augustissimo Sacramento sese nobis præbeat, juxta illud Chrysostomi Homil. 60. " Eum vides, ipsum tangis, „ ipsum manducas. „ Concinit Catechismus Romanus, qui de Eucharistia n. 55. sic scribit: " Dum enim charitatis igne „ animos magis incendit, concupiscentiæ „ ardorem restinguat necesse est. „

No-

Nonus Eucharistiæ effectus.

Corpus quandoque incorruptibile reddit, ac demum ejus resurrectionis est causa.

PRIMUM patet ex supra dictis, & ex incorruptibilitate corporum multorum qui sanctitate floruerunt, quique hoc sagi-nati cibo, etiam in corpore incorruptibiles permansere.

Altera pars a Patribus passim docetur. Irenæus Lib. 4. c. 34. contra Valentinianos, qui resurrectionem corporum negabant, ait: " Quomodo autem rursus dicunt carnem in corruptionem devenire, & non percipere vitam, quæ a corpore, & sanguine Domini alitur? "

Hoc ipsum prædicat Cyrillus explicans illa Christi verba, Joan. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam: & ego resuscitabo eum in novissimo die*, his verbis: " Non poterat aliter corruptibilis hæc natura corporis, ad incorruptibilitatem & vitam traduci, nisi naturalis vitæ corpus ei conjungeretur. Non credis mihi hæc dicenti? Christo te obsecro, fidem præbe: Amen, amen, inquit, dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis sanguinem ejus, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, &c. "

Eodem modo interpretatur verba Joannis 6. sanctus Thomas lectione septima. Suffragatur Ignatius Epist. ad Ephesios cum vocat Eucharistiam: " Pharmacum immortalitatis, & præservativum contra mortem. "

De dispositionibus ad istos mirabiles effectus suscipiendos dicemus infra 4. p. tractatus. Adam solum ad hoc requiri realem susceptionem Eucharistiæ, cum dicat Christus Joan. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.*

Synopsis Contentorum in Articulo.

PRIMUS Eucharistiæ effectus, est gratia abundans, juxta illud Christi Joan. 10. *Veni ut vitam habeant & abundantius habeant*. Cui concinunt hæc alia Joan. 6. Christi verba. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam*. Hinc Synodus Tridentina Sess. 13. cap. 2. loquens de tanto Sacramento ait: " In quo divitias divini sui erga homines amoris velut effudit. " *Christus:*

Secundus: Est gratia quædam actualis specialis stimulans charitatem, quæ mentem suavitate spirituali replet. Sic propugnat S. Thomas hic q. 79. art. 1. ad 2. Idem probatur ex *Clementina unica de Reliquiis & veneratione Sanctorum* his verbis: " Panis habens omne delectamentum, & omnis saporis suavitatem. " Idem profert S. Cyprianus Serm. de cœn. Dom. Ratio est, quia supremum bonum in ipso fonte degustatur.

Tertius: Eucharistiæ Sacramentum remittit peccata venialia: Sic docet Concilium Tridentinum Sess. 13. cap. 2. Ratio D. Thomæ hic art. 4. est, quod sit gratia per modum cibi, cujus proprium est reparare vires: Igitur cibus Eucharisticus restituit vires, peccatis venialibus imminutas.

Quartus: Præservat a peccatis mortalibus. Sic definivit Concilium Tridentinum Sess. 13. c. 2. Sic docet S. Ignatius Martyr Epist. ad Ephes. Sic Ambrosius Sermon. 8. in Psal. 118. Ratio D. Thomæ non una est. I. Est cibus, cujus proprium est roborare hominem ne deficiat in via. II. Est memoriale passionis, quæ, devicta morte, propellit inimici rugientis tela.

Quintus: Sternit viam ad gloriam, juxta illud 3. Reg. 3. de pane Eliæ, qui fuit Eucharistiæ figura præclara: *Et ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus & quadraginta noctibus usque ad montem Dei Oreb.* S. Hieronymus in cap. 15. Matth. illa verba de efficacia Eucharistiæ interpretatur. Nec mirum, vel ipsum Regem gloriæ continet; ibi enim Christus nedum cibus est, quo restaurantur vires labore itineris deperditæ, sed simul & pretium, quo necessaria ad viam perficiendam emuntur; quod innuit Apostolus dicens 1. Cor. 6. *Empti enim estis pretio magno, glorificate & portate Deum in corpore vestro.*

Sextus: Ademptio gloriæ: Nam dicitur Joannis 6. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*: Et vero Christus ibi est

est realiter præsens qui est via, veritas & vita: Eucharistia est etiam memoriale passionis, quæ aditum cœli nobis aperuit; hinc, *Et futuræ gloriæ nobis pignus datur*, canit Ecclesia.

Septimus: Remissio peccatorum venialium. Sic docet Concilium Tridentinum Sess. 13. cap. 2. Ratio D. Thomæ duplex est. Prima, Eucharistia est cibus, cujus proprium est vires reficere: Altera, est charitatis sacramentum; cum autem peccatum veniale sit charitatis refrigerium, citra dubium est per charitatem extingui, adeoque per Eucharistiam.

Octavus: Imminuit fomitem peccati, juxta illud Zachariæ 9. de Eucharistia, *Frumentum electorum, vinum germinans virgines*.. Hunc textum Paschasius Lib. de corp. & sang. Dom. cap. 21. de Sacramento altaris explanat. Expresse docet D. Bernardus Lib. de Bapt. & Sacr. altaris Eucharistiam mitigare acerbos invidiæ, luxuriæ & iracundiæ motus. Nec mirum, Eucharistia est panis Angelicus omne delectamentum in se continens.

Nonus: Est resurrectionis corporum & incorruptionis causa; resurrectionis quidem, ipso Christo teste, Joan. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in novissimo die*: Incorruptionis vero; multa quippe Sanctorum corpora incorrupta manent, qui effectus juxta Theologos sacræ Eucharistiæ tribuitur. Quod non levius indigitat Apost. Philip. 3. his verbis. *Expectamus Dominum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ*.

ARTICULUS OCTAVUS.

De usu sacræ Eucharistiæ.

QUATUOR habemus circa istud caput discutienda. Primum quidem de usu secundum se spectato, alterum de usu sub una specie: Tertium de usu sub utraque specie: Quartum denique de usu frequentiori.

SECTIO PRIMA.

Utrum omnes, ne uno quidem excepto, teneantur recipere sacram Eucharistiam?

SUPPONO Eucharistiam non esse necessariam necessitate medii, ut dictum est de Sacramentis in genere, cum constet ex usu Ecclesiæ pueros baptizatos, & postea morientes, adultos vero vere contritos & a peccatis per absolutionem Sacramentalem absolutos, ut justos, & amicos Dei haberi. De pueris definivit Concilium Tridentinum sessione 21. c. 4. his verbis: " Eadem sancta Synodus docet parvulos usu rationis carentes, nulla obligari necessitate ad sacramentalem Eucharistiæ communionem, siquidem per Baptismi lavacrum regenerati & Christo incorporati, adeptam jam Filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non possunt. " Tota igitur controversia est num aliquo præcepto omnes homines sacram Eucharistiam aliquando sumere teneantur? Unde sit

CONCLUSIO PRIMA.

Parvuli non tenentur Eucharistiam accipere.

Probatur ratione multiplici.

PRIMA: Nullum extat de hoc præceptum: Igitur parvuli non tenentur accipere Eucharistiam. Ita Tridentinum mox laudatum.

Altera: Qui accedit ad Eucharistiam debet discernere corpus Domini, teste Apostolo 1. Cor. 11. sed pueri utpote ratione carentes, corpus Domini discernere non valent. Ergo &c.

Tertia: Qui accedit ad Eucharistiam, debet accedere per conversionem charitatis & amoris erga Christum, vel etiam peccata venialia detestari, ut abstergantur: Sed pueri & infantes utriusque sunt incapaces: Primo quidem conversionis per amorem: qualis fuit, teste Augustino, in Angelis bonis, ut primum creati sunt, quandoquidem non habent usum liberi arbitrii; neque etiam ea indigent ad abstergenda venialia, cum nullum com-

commiserint, & innocentiam baptismalem adhuc retineant: Ergo, &c.

CONCLUSIO SECUNDA.

Adulti tenentur accedere ad sacram Mensam.

Probatur Theologicis rationibus.

PRIMA, sic exponitur: Omnes tenentur sub pœna peccati, & interminatione mortis, obedire Deo aliquid præcipienti: Sed Christus præcipit ut omnes adulti accedant ad sacram Eucharistiam. Ergo &c. Probatur minor: Christus Matthæi 26. instituta Eucharistia Apostolis dixit, *Hoc facite in meam commemorationem*: Quæ verba intelligenda sunt de communione, ut interpretatur D. Thomas hic art. 11. his verbis: " Manifestum est „ quod homo tenetur hoc Sacramentum „ sumere, non solum, ex statuto Ecclesiæ, sed ex mandato Domini, dicentis „ Lucæ 22. Hoc facite in meam commemorationem. „

Secunda hæc est: Ad id tenetur homo, sine quo æterna non assequetur vitam: Atqui seclussa Eucharistia vel in voto, vel in re suscepta, adultus vitam æternam non possidebit; & probatur, ex illa Christi sententia Joan. 6. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Ergo &c.

Tertia: Qui tenetur votum aliquod emittere, cum tempus aderit, debet illud adimplere: Atqui omnes adulti, ne uno quidem excepto, debent habere votum Eucharistiæ; Christus enim absolute Joannis 6. dicit: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Sicut Lucæ 13. ait: *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis*: Ergo &c. Ista ratio est D. Thomæ hic 3. p. q. 8. art. 11. ubi sic habet: " Duplex est modus percipiendi „ hoc sacramentum *Eucharistiæ*, scilicet „ spiritualis, & sacramentalis: manifestum est autem quod omnes tenentur, „ saltem spiritualiter manducare, quia „ hoc est Christo incorporari, ut supra „ dictum est: Spiritualis autem manducatio includit votum, seu desiderium „ percipiendi hoc Sacramentum, ut supra „ dictum est, & ideo sine voto percipien„ di hoc Sacramentum, non potest homi„ ni esse salus; frustra autem esset votum „ nisi impleretur votum, quando oppor„ tunitas adesset; & ideo manifestum est „ quod homo tenetur hoc Sacramentum „ sumere. „

Quarta: Tenetur quisque præcavere peccata; & vires quotidianis defectibus fractas restaurare, ita ut si ex negligentia remedii prolabatur, reus evadat: Sed ex dictis liquet inter effectus Eucharistiæ illos esse, quod compescat Dæmonum impetus, fomitem peccati minuat, peccata venialia abstergat: Igitur eo ipso quo adultus peccata mortalia præcavere debet, ad Eucharistiam accedere tenetur, ne illa prætermissa, in peccatum prolabatur, eo quod oblitus sit comedere panem suum quotidianum.

Quæres: Quandonam adultus ad sacram Mensam, quoties, & ubi accedere debeat?

Respondeo primo, Quondam fuisse præceptum Ecclesiæ ter in anno sacram Eucharistiam sumere; in die scilicet Paschæ, Pentecostes, & Christi Nativitatis. Sic habetur in Decretali S. Fabiano Papæ adscripta, quam Gratianus in corpore juris refert, ut habetur de Consecratione distinct. 1. Prioribus quidem sæculis nullum erat ad hoc præfixum tempus, namque Lex non est pro justo imposita; fervor fidei, simul & charitatis atque erga Christum amoris impellebat fideles frequentius ad sacram Mensam accedere; frigescente vero postea charitate, hanc tulit legem sanctus Fabianus his verbis: " Si non frequentius, saltem in annoter „ Laici homines communicent, nisi forte quis majoribus quibuslibet crimini„ bus impediatur, in Pascha videlicet, „ & Pentecoste, & Natali Domini. „

Concilium Lateranense 4. sub Innocentio III. canone *omnis utriusque sexus, de pœnitentiis & remissionibus* hoc restrinxit ad unam vicem in anno, idque Paschæ tempore. Hoc est a Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis inclusive, ut declaravit Eugenius IV. in bulla, quæ incipit *fide digna*. Hanc Concilii Lateranensis emissam legem, suo munivit calculo Tridentinum Sess. 13. Can. 9. his verbis.

verbis. *Si quis negaverit omnes, & singulos Christi fideles utriusque sexus cum ad annos discretionis pervenerint teneri singulis annis saltem in Paschate ad communicandum, juxta praeceptum sanctae matris Ecclesiae; Anathema sit.*

Respondeo I. aegrotos animam agentes teneri sacram suscipere Eucharistiam: Ita habetur Can. 13. Conc. Nicaeni juxta interpretationem Dionysii Exigui: " De „ his qui ad exitum veniunt, etiam nunc „ lex antiqua regularisque servabitur ita, „ ut si quis egreditur e corpore, ultimo & necessario viatico minime privetur. „

Ratio est, quia praeceptum fidei, spei, & charitatis, tunc obligant; cum enim anima in brevi sistenda sit ante Christi tribunal, suam probare religionem virtutum actibus debet; & Eucharistiae sumptione suum in Christi amorem ostendere. Tum quia tunc urgent tentationes, & ex morbi labore vires deficiunt, quae quidem ad vitam aeternam impedimenta, nusquam propelluntur efficacius, quam praesentia Christi adstantis in Sacramento Eucharistiae: Igitur in illa praecipue hora sumendum est corpus Domini.

Respondeo III. Communionem Paschalem faciendam esse in propria Parochia. Sic statuit Concilium Burdigalense anno 1584. titulo *de Eucharistia*: " Statuimus, *ait*, „ ut praedicto tempore Paschae, nemo „ extra suam parochiam absque rectoris „ sui facultate, alio se conferat, hoc Sacramentum percepturus, sed & quibus „ dabitur ea facultas, Parochum certiorem faciant, quo loco sacram Eucharistiam sumpserint. „ Ratio est quia Leo Papa X. qui privilegiatis facultatem facit Eucharistiam quovis anni die fideli populo distribuendi, diem Resurrectionis Domini excepit.

Quares II. Utrum is, qui praevidet se propter legitimum impedimentum non communicaturum Paschali tempore, ipsum antevertere teneatur? Num vero qui facit ex proposito communionem sacrilegam satisfaciat praecepto?

Respondeo I. ad primum casum, eum qui legitime impedimentum praevidet, posse antevertere, cum in hoc Legi in substantia obediat; praeceptum enim Paschalis communionis ad id maxime terminatur, ut semel saltem in anno quisque ad sacram Mensam accedat, nec ibi aut fraus, aut contemptus praecepti adest; si vero non antevertit, & tempore Paschali multis irretitus impedimentis non possit communicare, non ideo a lege solvitur, sed data prima occasione, debet sua confiteri peccata, & sic probatus sumere Eucharistiam.

Respondeo II. alterum praecepto non facere satis; quandoquidem intentioni Ecclesiae illudit; quae quidem responsio fundatur in Canone *omnis utriusque sexus fidelis*. Ubi haec habentur: *suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiae Sacramentum*, &c. Si reverenter: Igitur non impie. Sicut enim qui venenatum cibum sumit praecepto naturali sese nutriendi non obedit, sic & a simili qui indigne sacram Synaxim percipit. Quippe qui, teste Apostolo 1. Corinth. 11. judicium sibi manducat *non dijudicans corpus Domini*. Hinc merito Innocentius XI. Papa hanc proscripsit quorumdam Theologorum recentiorum propositionem, *Praecepto communionis annua satisfit per sacrilegam Domini manducationem*. Et vero tametsi Ecclesia non judicet de internis, hoc est neminem in foro contentioso damnet, nisi ejus crimina tabulis & testibus probentur, peccat tamen mortaliter, nec satisfacit legi juxta Ecclesiae intentionem, qui voluntarie, ut illudat Ecclesiae facit communionem sacrilegam. Sic propugnat Gonetus hic disputatione 9. art. 1. p. 294. quod probat ulteriori ista ratione: " Eadem, *inquit*, videtur ratio „ de praecepto communionis, ac de praecepto confessionis: Sed qui facit confessionem sacrilegam, & voluntarie nullam non satisfacit praecepto annuae „ confessionis, ut declaravit Alexand. VII. „ in congregatione generali Inquisitionis „ habita die 24. Septembris anni 1665. & „ oppositam sententiam quam aliqui recentiores Casuistae docent, ut temerariam „ & scandalosam damnavit. „ Ergo, &c.

FIT SATIS OBJECTIONIBUS

Contra primam Conclusionem.

OBJICIES: Illud Christi Joannis 6. *Nisi*

Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis: Sed hæc verba nulla exceptione facta, includunt communionis præceptum, quod omnes & singulos homines fideles ad communionem obligant: Igitur sicut adultis, sic & pueris necessaria est communio.

Respondeo distinguendo: Et hæc verba intelliguntur, vel de Eucharistiæ voto, vel de reali ejus susceptione secundum distributionem accommodam, concedo. De reali corporis Christi manducatione, subdistinguo: Si fieri reverenter possit, & suscipiens sit capax discernere corpus Domini, concedo: sin minus, nego. Solutio est D. Thomæ hic qu. 73. art. 3. Ubi ex professo quærit num Eucharistia sit omnibus absolute necessaria, necessitate medii ad salutem? Multa eo loci distinguit, videlicet usum spiritualem, qui fit voto; spiritualem simul, & realem qui manducatione reali completur: Ipsum Sacramentum, quod utique realiter, vel spiritualiter sumi potest. Denique rem Sacramenti, scilicet unitatem membrorum Ecclesiæ cum Christo, quæ pane & vino significantur. Tum concludit usum quoad unitatem habendam sufficienter fieri per votum, ex quo infert parvulos sumere Eucharistiam spiritualiter, quatenus voce patrinorum fidem Christi profitentur, sicque per Baptismum corpori Christi conjunguntur, quod probat primum auctoritate Augustini, deinde ratione.

In argumento *Sed contra*, ita loquitur: " Augustinus scribit Bonifacio contra Pelagianos. Nec illud, cogitetis, parvulos vitam habere non posse, qui sunt expertes corporis & sanguinis Christi. " Tum in corpore articuli: " Dicendum quod in hoc Sacramento duo est considerare, scilicet ipsum Sacramentum, & rem Sacramenti: Dictum est autem, quod res hujus Sacramenti est unitas corporis mystici, sine qua non non potest esse salus: Nulli enim patet aditus salutis extra Ecclesiam, sicut nec in diluvio absque arca Noe quæ significat Ecclesiam, ut habetur 1. Petri 3. Dictum est autem supra quod res alicujus Sacramenti haberi potest ante perceptionem Sacramenti ex ipso voto Sacramenti percipiendi: Unde ante perceptionem hujus Sacramenti, potest homo habere salutem ex voto percipiendi hoc Sacramentum: Sicut & ante Baptismum ex voto Baptismi. "

Instabis: Atqui requiritur realis susceptio Eucharistiæ, ut parvulus salvetur. Ergo &c. Probatur subsumptum. Sine reali susceptione Baptismi non salvatur infans: Igitur nec sine reali susceptione Eucharistiæ: Sicut enim Joannis 3. legitur pro Baptismo: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest intrare in regnum cœlorum*: Sic & cum eadem particula exclusiva *nisi*, pro omnibus & singulis hominibus indiscriminatim dicitur Joannis 6. *Nisi manducaveritis, &c.*

Respondeo negando subsumptum. Ad probationem nego utique paritatem propter duo: Primo quidem Baptismus est principium spiritualis vitæ, Eucharistia vero consummatio, & perfectio: Hinc Baptismus est absolute necessarius, ea necessitate qua nemo nisi in Ecclesia incorporatus salvari possit, quæ vero ad majorem solum perfectionem utilia, & necessaria sunt, eorum sufficit votum ad salutem. Secundo, ante Baptismum puer nec per se, nec per alios votum habet Baptismi. At vero eatenus votum Eucharistiæ includitur in Baptismo, quatenus per istud Sacramentum & Ecclesiæ fidem, ordinatur ad Eucharistiam, quippe qui jam Ecclesiæ in Christo unitus, tendat ad perfectissimam unitatem, seu unionem, quæ per Eucharistiam habetur. Ita D. Thomas ibidem ubi sic pergit: " Est tamen differentia quantum ad duo. Primo quidem quia Baptismus est principium spiritualis vitæ, & janua Sacramentorum: Eucharistia vero est quasi consummatio spiritualis vitæ, & omnium Sacramentorum finis, ut supra dictum est. Per sanctificationes enim omnium Sacramentorum fit præparatio ad suscipiendam vel consecrandam Eucharistiam. Et ideo perceptio Baptismi est necessaria ad inchoandam spiritualem vitam, perceptio autem Eucharistiæ est necessaria ad consummandam ipsam: non ad hoc quod simpliciter habeatur, sed sufficit eam habere in voto, sicut & finis habetur in desiderio,

„ rio, & intentione. Alia differentia est, „ quia per Baptismum ordinatur homo ad „ Eucharistiam, & ideo ex hoc ipso quod „ pueri baptizantur, ordinantur per Ecclesiam ad Eucharistiam; & sic, sicut „ ex fide Ecclesiæ credunt, sic ex intentione Ecclesiæ desiderant Eucharistiam, „ & per consequens recipiunt rem ipsius: „ sed ad Baptismum non ordinantur per „ aliud præcedens Sacramentum, & ideo „ ante susceptionem Baptismi, non habent „ pueri aliquo modo Baptismum in voto, „ sed soli adulti, unde rem Sacramenti „ non possunt percipere sine perceptione „ Sacramenti: Et ideo hoc Sacramentum „ non hoc modo est de necessitate salu„ tis, sicut Baptismus.

Insistes: Atqui Eucharistia eodem modo est de necessitate salutis sicut Baptismus: Ergo &c. Probatur subsumptum. Ideo Baptismus realiter susceptus, est absolute ad salutem necessarius infantibus, quia repræsentat passionem Christi, cui consepulti per Baptismum ipsi configurantur: Atqui similiter Eucharistia Christi passionem repræsentat, juxta illud 1. Corinth. 11. *Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat*. Hinc & per Eucharistiam non solum infans Christo configuratur, sed & cum ipso incorporatur. Igitur par est utrobique ratio.

Respondeo negando subsumptum. Ad probationem distinguo: Et per Baptismum infans initiative & prima vice Christo & passioni ejus configuratur, concedo: consummative, nego. Et sic distincta minore, nego consequentiam, & paritatem. Ratio discriminis inter utrumque Sacramentum ea est, quod initiative homo per Baptismum consepultus cum Christo, ipsi configuretur, unde realis susceptio requiritur, cum infans Baptismatis voti incapax sit: At vero per Eucharistiam, nonnisi completive, & ad perfectam unionem homo fidelis Christo configuratur; quod autem est tantum ad perfectionem maiorem, potest omitti absque salutis dispendio. Solutio est D. Thomæ, qui ibidem ad 3. his verbis solvit difficultatem: " Dicendum „ quod Baptismus est sacramentum mor„ tis, & passionis Christi, prout homo „ regeneratur in Christo virtute passionis „ ejus: Sed Eucharistia est sacramentum „ passionis Christi, prout homo perfi„ citur in unione ad Christum passum: „ Unde sicut Baptismus dicitur sacra„ mentum fidei, quæ est fundamentum „ spiritualis vitæ, ita Eucharistia dici„ tur sacramentum charitatis, quæ est „ vinculum perfectionis, ut dicitur Col„ los. 3. „

Persistes: Sacra Scriptura juxta sensum summorum Pontificum intelligenda est: Atqui istud Christi præceptum, *Nisi manducaveritis &c.* Ex SS. Pontificibus intelligenda est de manducatione reali etiam pro parvulis: Ergo &c.

Probatur antecedens: Innocentius I. Epist. 93. ad Patres Concilii Milevitani directa respondet contra perfidiam Pelagianam, pueros secluso Baptismo non posse vitam æternam possidere, ut effutiebant illi Hæretici: Ecce verba: "Quod „ eos vestra fraternitas asserit prædicare „ parvulos æternæ vitæ præmiis, etiam „ sine Baptismatis gratia posse donare, „ persatuum est; nisi enim manducave„ rint, & biberint sanguinem ejus, non „ habebunt vitam in semetipsis: qui au„ tem hanc eis sine regeneratione defen„ dunt, videntur mihi Baptismum etiam „ ipsum cassare velle, cum prædicant „ hos habere quod in eos creditur non „ nisi Baptismate conferendum. „ Confirmatur. Summus Pontifex eo loci perstringit Pelagianos, qui negabant Baptismi necessitatem, quam quidem illis probat a simili necessitate susceptionis Eucharistiæ; hinc nihil urgeret, si Eucharistia non esset absolute ad salutem necessaria pro parvulis.

Respondeo negando minorem. Ad probationem distinguo: Et Innocentius loquitur retorquendo argumentum adversus Pelagianos, concedo: & vult sicut Baptismum, sic & Eucharistiam esse quid necessarium necessitate medii, subdistinguo: quoad unitatem, & cum Christo incorporationem, concedo: quoad realitatem, nego. Pelagiani negabant peccatum originale, ex quo concludebant Baptismum non esse parvulis absolute necessarium ad vitam æternam possidendam, tametsi foret ad introitum in regnum cœlorum propter istud Christi oraculum Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex*

aqua

aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Concedebant autem Eucharistiam vel voto, vel re susceptam esse medium ad salutem simpliciter necessarium; quocirca Innocentius abstrahendo a susceptione Eucharistiæ, vel voto, vel realitate, a simili concludit Baptismum re susceptum, esse ad salutem pro parvulis simpliciter necessarium, quippe qui voti incapaces, aliter non possint habere Baptismum nisi in realitate: quia vero votum Eucharistiæ includitur in Baptismo, & per fidem Ecclesiæ infantes credunt in Christum, ipsique incorporantur, jure merito ex voto Eucharistiæ infert necessitatem suscipiendi realiter Baptismum.

Replicabis: Atqui Innocentius loquitur de susceptione reali Eucharistiæ pro parvulis: Ergo &c. Probatur subsumptum. Gelasius sic mentem sui prædecessoris explanat & intelligit in Epistola quam ad Episcopos per Picænum direxit: " Ipse „ *inquit*, Dominus Jesus Christus cœlesti „ voce pronuntiat, Qui non manducaverit carnem; ubi utique neminem vi„ demus exceptum; nec opus est aliquem „ dicere parvulum sine hoc sacramento „ salutari, ad æternam vitam posse pro„ duci; sine autem illa vita, in perpetua „ futurum morte non dubium est. „ Audis Gelasium solummodo loqui de Eucharistia; & tamen contendere sine ea ne quidem, parvulis exceptis, ullum hominem salvari.

Respondeo ut supra. Hinc sic distinguo minorem: Gelasius non excipit parvulos a susceptione Eucharistiæ quantum ad fidem, & unitatem cum Christo per eam significatam, concedo: Quantum ad realem susceptionem, nego. Non secus eo loci ac Innocentius suo perstringit stylo censorio Pelagianos, quos propriis confodit telis; cum enim ad vitam æternam possidendam exigerent pro adultis Eucharistiæ, vel in voto, vel in realitate susceptionem, inde concludit adversus Heterodoxos non solum in regnum cœlorum non posse intrare parvulos sine Baptismo, sed ne quidem æternam possidere vitam, ut propugnabant; ejus autem sic procedit argumentatio: Adulti ex vobis vitam æternam, seclusa Eucharistia, vel in voto, vel in re suscepta non possunt habere: Igitur nec parvuli sine Baptismo realiter suscepto salvar queunt.

Repones: S. Augustinus Lib. 1. de peccatorum meritis cap. 20. debellat Pelagianos, qui distinguebant inter introitum in regnum cœlorum, & vitam æternam possidendam, quod introitus, secluso Baptismo non haberetur; secus vero vita æterna: eis autem probat ne quidem vitam æternam, secluso Baptismo haberi posse, cum sine Eucharistia, vel ipsis fatentibus, non haberetur: quem errorem confutat ostendendo Baptismum esse æqualis saltem necessitatis ac Eucharistiam, & tamen sine ista ne quidem parvulos posse salvari: Igitur a fortiori, nec omisso Baptismo, vitam æternam eos posse habere. Sic loquitur loco citato: " Nova „ quadam, & mirabili præsumptione „ quasi salus, & æterna vita possit esse „ præter Christi hæreditatem, præter „ Regnum cœlorum... Dominum audia„ mus, non quidem hoc de Sacramen„ to sancti Lavacri dicentem, sed de „ Sacramento sacræ mensæ suæ, quo „ nemo rite, nisi Baptizatus accedit: „ Nisi manducaveritis &c. An vero quis„ quam etiam hoc dicere audebit, quod ad „ parvulos hæc sententia non pertineat, „ possintque sine participatione corporis „ hujus, & sanguinis in se hebere vitam, „ quia non ait: Qui non manducaverit, „ sicut de Baptismo; Qui non renatus „ fuerit, sed, ait, Si non manducaveritis, „ velut eos alloquens, qui audire, & in„ telligere poterant, quod utique non „ valent parvuli? Sed qui hoc dicit non „ attendit, quia nisi omnes sententia ista „ teneat, ut sine corpore, & sanguine „ filii hominis, vitam habere non possint; „ frustra etiam ætas major id curat: „ potest enim si non voluntatem, sed „ verba loquentis attendas, eis solis tunc „ videri dictum, quibus tunc Dominus „ loquebatur, quia non ait, Qui non „ manducaverit, sed, Si non manduca„ veritis...... Quis autem ambigat sæ„ culi nomine homines significatos esse „ qui nascendo in hoc sæculum veniunt. „ At etiam pro parvulorum vita caro „ data est, quæ data est pro sæculi vita, „ & si non manducaverit carnem filii „ hominis, nec ipsi habebunt vitam. „ Audis

Audis Augustinum præoccupare responsionem eorum qui dicunt illa verba, *Nisi manducaveritis* &c. intelligi solum pro adultis, quippe qui contendat, & reponat etiam pro parvulis intelligenda esse: Igitur realis susceptio Eucharistiæ est ad salutem parvulorum absolute necessaria.

Respondeo, S. Augustium in eodem prorsus sensu intelligendum esse ac summos Pontifices laudatos: Quocirca non absimili modo ejus distinguimus auctoritatem: Non solum adultis, verum etiam & parvulis manducatio Eucharistiæ ad salutem prærequiritur, quantum ad votum, quod implicite includitur in Baptismo realiter suscepto, & cum Christo unitatem ac incorporationem, quæ primario fit per Baptismum, concedo. Quantum ad realem Eucharistiæ susceptionem, nego. Augustinus est sui ipsius interpres Lib. 3. de peccatorum meritis cap. 4. pag. 305. his verbis: " Quid autem apertius tot „ tantisque testimoniis divinorum eloquiorum, quibus dilucidissime apparet, nec „ præter Christi societatem ad vitam „ salutemque æternam posse quemquam „ hominum pervenire. Nec... injuste „ damnari; hoc est, ab illa vita separari? „ Unde fit consequens, ut quoniam nihil „ tale igitur aliud, cum parvuli baptizantur, nisi ut incorporentur Ecclesiæ, „ id est Christi corpori, membrisque sociëntur; manifestum fit eos ad damnationem, nisi hoc eis collatum fuerit „ pertinere... Numquid etiam illud, quia „ nisi manducaverint homines carnem ejus, „ hoc est participes facti fuerint corporis ejus, non habebunt vitam? Non ne „ veritas sine ulla ambiguitate proclamat, „ non solum in regnum Dei non baptizatos parvulos intrare non posse, sed „ nec vitam æternam posse habere, „ præter Christi corpus, cui ut incorporentur, Sacramento Baptismatis imbuuntur. „

Quod autem parvuli Christo incorporentur, non præcise ratione realis sumptionis Eucharistiæ, sed ratione virtutis ab illo corpore promanantis, & distincte, ipse dicit Tractatu 26. in Joannem, ubi explicans illa verba, *Qui manducat meam carnem &c.* sic loquitur: " Qui hanc sumit, habet vitam, & hanc utique æternam. Hunc itaque cibum, & potum societatem vult intelligi corporis, „ & membrorum suorum sicut rei Sacramentum, id est virtutem corporis, „ & sanguinis Christi. „

Sanctus Fulgentius Augustini Discipulus Epistola ad Ferrandum de Baptismo Æthiopis c. 11. sic Magistrum interpretatur: " Corpus ergo Christi, si vis intelligere, „ Apostolum dicentem audi, dicentem „ inquam fidelibus, Vos estis corpus „ Christi, & membra.... Quare ergo in „ pane nihil hic de nostro afferamus; „ ipsum Apostolum item audiamus; cum „ ergo de isto Sacramento loqueretur, „ ait, Unus panis, unum corpus multi „ sumus. „ Tum subjungit: " Disputationem nostram præclari Doctoris Augustini firmatam, nec cuiquam esse aliquatenus ambigendum, tunc unumquemque fidelium corporis sanguinisque „ Domini participem fieri quando in Baptismate membrum Christi efficitur. „

Repones: Tametsi quandoque verba Joannis, *Nisi manducaveritis &c.* Patres mystice explicent, nec desinit inter eos qui in sensu mere spirituali totum caput 6. Joannis sumant, ut ipse Augustinus; alibi tamen, ubi movetur ex professo de reali præsentia Christi in Eucharistia quæstio, docent realiter esse manducandum, ut isti obediamus Christi præcepto, *Nisi manducaveritis &c.* Quod ita omnes obligat, ut Ecclesia duodecim primis sæculis Eucharistiam, vel ipsis parvulis administraverit, quod ad hunc usque diem in Ecclesia Orientali observatur; sicut ego ipse didici ab Archiepiscopo Seleuciæ Parisiis octo circiter ad hinc annis. Ergo &c.

Respondeo distinguendo: Et Ecclesia hanc immutavit disciplinam ea potissimum ratione, quod realis sumptio non sit absolute necessaria, concedo: & non immutavit, nego. Et vero, ubi non erat copia aut Presbyteri, aut Diaconi, Eucharistia, urgente periculo parvulis non conferebatur, neque etiam nunc in hoc casu ab Orientalibus datur. Hinc Concilium Tridentinum laudatum de hoc momento ait: " Ut enim sanctissimi illi Patres sui facti „ probabilem causam pro illius temporis „ ratione habuerunt, ita certe eos nulla „ salutis necessitate id fecisse sine con„ troversia credendum est. „

Di-

Dices: Hoc Sacramentum est quoddam spirituale alimentum: Sed alimentum non prodest nisi realiter suscipiatur: Ergo &c.

Respondet D. Thomas hic art.3. ad hanc difficultatem his verbis: " Ad secundum, " dicendum, quod hæc est differentia inter alimentum corporale, & spirituale, quod alimentum corporale convertitur in substantiam ejus qui nutritur, & ideo non potest homini valere ad vitæ conservationem alimentum corporale, nisi realiter sumatur: sed alimentum spirituale convertit hominem in se ipsum, secundum illud quod Augustinus dicit in libro Confessionum, quod quasi audivit vocem Christi dicentis sibi, Nec tu mutabis in te sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me: potest autem aliquis in Christum mutari, & ei incorporari voto mentis, etiam sine hujus Sacramenti perceptione, & ideo non est simile. "

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Infantes non tenentur realiter sacram Eucharistiam accipere; Secus vero adulti.

PRIMUM patet ex praxi Ecclesiæ. Nec mirum: Pueri non sunt capaces discernendi corpus Domini; cum enim istud Sacramentum sit Sacramentum vivorum, quasdam exigit dispositiones actuales, conversio scilicet amoris per fidem directa ad Christum, infantes autem nondum habent usum liberi arbitrii, quocirca hujusmodi dispositiones in eis deficiunt. "

Secundum utique affulget: Primo quidem ex illo Christi præcepto Joannis 6. *Nisi manducaveritis* &c. Secundo, unusquisque tenetur Ecclesiæ obedire: Sed Ecclesia in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. cap. utriusque sexus injungit omnibus adultis, ut saltem semel in anno Paschatis tempore sacram Eucharistiam sumant: Ergo &c. Tertio, fideles debent præcavere peccata mortalia, & venialium culpam abstergere: Atqui Eucharistia delet venialia, & ejus virtute præcaventur mortalia: Ergo &c.

SYNOPSIS OBJECTIONUM.

Contra primam Conclusionem.

Primo: Tametsi hæc lex, *Nisi manducaveritis*, &c. ad omnes sese extendat; ita tamen intelligenda est, ut infantes illi subjiciantur quantum ad votum, & per fidem Ecclesiæ, eo enim ipso quo baptizantur, Christo incorporantur, sicque per Baptismum quamdam habent ad Eucharistiam relationem.

Secundo: Verum quidem est Innocentium, Gelasium, & Augustinum ex necessitate Eucharistiæ sumendæ, inferre contra Pelagiano, Baptismi necessitatem ad vitam æternam consequendam: Sed in eo sensu intelligendi sunt, quod sicut Eucharistia saltem in voto obligat pueros, sic & realis Baptismi susceptio; cum enim Baptismus sit Sacramentorum Janua, & totius salutis humanæ fons, & origo, parvuli, utpote voti expliciti Baptismi incapaces, tenentur realiter suscipere Baptismum.

Tertio: Alimenti quidem susceptio necessaria est ad vitam fovendam, sed sufficit ad vitam spiritualem quod alimentum spiritualiter sumatur, cum per hujusmodi sumptionem anima Christo, a quo omnis vita, conjungatur.

SECTIO SECUNDA.

De Communione sub una specie.

DUO ad istam quæstionem eliquandam concurrunt, scilicet ut determinetur, num unius tantummodo speciei sumptio sufficiat ad salutem? Deinde vero num sub una solum specie communicantes aliquo defraudentur bono? Unde sit

PUNCTUM PRIMUM.

Num Communio fieri possit sub unica Specie?

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

Probatur Rationibus Theologicis.

PRIMA sic procedit. Quod licitum facit

vel ipsa sacra Scriptura, utique fieri posse legitime credendum est: Atqui communionem sub unica specie licitam facit divina Scriptura: & probatur. Primo quidem Actuum 2. legitur de fidelibus: *Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, & communione fractionis panis, & orationibus*: Quem textum sancti Patres intelligunt de Eucharistia, quod vel ipsi Protestantes, sic intelligendum esse non diffitentur. Rursus 1. Corinth. 11. expressius una species conclamatur his verbis: *Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis, & sanguinis Domini*: quæ particula disjunctiva, *vel*, subnotat tunc pro more positum fuisse communicare, modo sub utraque specie, quando scilicet sacrificium celebrabatur, modo etiam sub unica panis specie, qualis erat communio laica. Ergo &c.

Altera, hæc est: Quotiescumque aliqua emergit controversia de uno capite, definitio Ecclesiæ juxta scopum difficultatis solvendæ intelligenda est: Atqui Heterodoxis communionem sub utraque specie ad salutem necessariam esse propugnantibus, scilicet Ussitis, Taboritis, Calixtinis, & post ipsos Luthero & Calvino, ipsa contrarium in multiplici Concilio definivit; quod argumentum est irrefragabile Ecclesiam admittere unicam speciem esse licitam, & ad salutem consequendam absolute sufficientem. Ergo &c.

Concilium Constantiense adversus Joannem Hus, ejusque asseclas Sess. 13. de communione sub unica specie definit: " Ad evitandum aliqua pericula, & scan„ dala esse rationabiliter introductam *con„ suetudinem sub sola panis specie communi„ care*. Cum hujusmodi consuetudo ab „ Ecclesia, & sanctis Patribus rationabi„ liter introducta, & diutissime obser„ vata sit, habenda est pro lege, quam „ non licet reprobare, aut sine Ecclesiæ „ auctoritate pro libito mutare. Qua„ propter dicere quod hanc consuetudi„ nem, aut legem observare, sit sacrile„ gium aut illicitum, censeri debet erro„ neum. „ Tum ad hæreticos, Patres suum convertunt sermonem his verbis: " Pertinaciter asserentes oppositum præ„ missorum, tamquam Hæretici arcendi „ sunt, & graviter puniendi per Diœce„ sanos locorum. „ Demum injungit Synodus Episcopis, ut curent ne laicis, aut Clericis nondum sacrificantibus Eucharistia sub utraque specie concedatur: " Ef„ fectualiter, *inquit*, puniant eos contra „ hoc decretum excedentes, qui commu„ nicando populum sub utraque specie pa„ nis, & vini exhortati fuerint, & sic „ faciendum esse docuerint. „

Basileense hæc decerint contra Taboritas, Calixtinos, & fratres Boemos, Sess. 30. I. " Quod fideles Laici sive Clerici „ communicantes, & non conficientes, „ non astringuntur ex præcepto Domini „ ad suscipiendum sub utraque specie, „ panis scilicet, & vini, sacrum Eucha„ ristiæ sacramentum. „ Secundo, " Quod Ecclesia quæ regitur Spiritu ve„ ritatis secum manente in æternum, „ & cum qua Christus manet usque ad „ consummationem sæculi, sicut ait divi„ na Scriptura, ordinare habet quomodo „ ipsis non conficientibus ministretur, pro „ ut pro reverentiæ ipsius Sacramenti, „ & saluti fidelium viderit expedire. „ Tertio, " Quod Eucharistia, sive quis „ sub una specie, sive sub duplici com„ municet, proficit digne communican„ tibus ad salutem. „ Quarto definit " sub qualibet specie Christum integre „ contineri. „

Tridentinum, idem adversus Lutheranos, & Calvinistas variis Canonibus definit. Sess. 21. Can. 1, sic habet: *Si quis dixeris ex Dei præcepto, vel necessitate salutis, omnes & singulos Christi fideles utramque speciem sanctissimi Eucharistiæ sacramenti sumere debere; Anathema sit*.

Tum canone 2. *Si quis dixerit, sanctam Ecclesiam Catholicam, non justis causis, & rationibus adductam fuisse, ut Laicos, atque etiam Clericos non conficientes sub panis tantummodo specie communicaret, aut in eo errasse; anathema sit*.

Demum, canone 3. suam de hoc momento absolvit definitionem dicendo: *Si qui negaverit totum & integrum Christum, omnium gratiarum fontem, & auctorem, sub una panis specie sumi, quia ut quidam falso asserunt, non secundum ipsius Christi constitutionem sub utraque specie sumatur; anathema sit*.

Tertia: Quod fundatur in praxi, & Ec-

Ecclesiæ possessione absque mentis anxietate executioni mandari debet : Atqui Communio sub una tantummodo specie ex tali usu, & data est, & ita nunc observatur; data quidem prioribus sæculis, cum Fideles perseverarent in fractione panis ; Eucharistiam in itinere deferrent, ad ægrotos ipsa mitteretur, qui quidem usus, ut ex supradictis liquet, in una tantum panis specie observabatur, quandoquidem Eucharistiam in domibus servabant, ut sæviente persecutione, seipsos isto fortium pane præpararent ad prælium ; quod in vino non est intelligendum, quippe quod absque corruptione longo tempore servari non possit in parva quantitate, quale est vinum consecratum: quæ consuetudo etiam num viget : rescisso enim decimo quarto sæculo de Communione sub utraque specie usu, nemo aut sanctorum Doctorum, aut Episcoporum adversus istam disciplinam reclamavit : Ergo &c.

Ista ratio colligitur ex Concilio Basileensi, quod loco mox citato Sess. 30. ait: " Laudabilis quoque consuetudo communi-„ nicandi laicum populum sub una spe-„ cie . . . . jam a longo tempore com-„ mendata , pro lege habenda est, nec „ alicui licitum est eam reprobare , aut „ sine auctoritate Ecclesiæ ipsam immu-„ tare. „

Quarta : Ideo Christus sacram instituit Eucharistiam, ut omnibus ineffabili amore semetipsum daret : Atqui in una specie hoc adimpletur , cum quælibet species totum contineat Christum. Ergo &c. Minor patet ex Concilio Tridentino canone 3. Sess. 21. quam quidem doctrinam jamjam sessione 13. cap. 1. 2. sed maxime 3. docuerat . Adstipulatur Constantiense loco citato his verbis : " Cum fir-„ missime credendum sit , & nullatenus „ dubitandum, integrum Christi corpus, „ & sanguinem tam sub specie panis , „ quam sub specie vini veraciter conti-„ neri . „

Quinta : Si utraque species foret absolute necessaria , maxime ad fidem istius Sacramenti explanandam , & significandam : Atqui ad hoc una sufficit species, & probatur ex Tridentino Sess. 21. c. 1. his verbis : " Qui dixit , Nisi manduca-„ veritis carnem filii hominis, & biberi-„ tis ejus sanguinem , non habebitis vi-„ tam in vobis ; dixit quoque , Si quis „ manducaverit ex hoc pane , vivet in „ æternum. Et qui dixit , Qui mandu-„ cat meam carnem , & bibit meum san-„ guinem , habet vitam æternam ; dixit „ etiam , Panis quem ego dabo, caro mea est „ pro mundi vita . Et denique qui dixit, „ Qui manducat meam carnem , & bibit „ meum sanguinem , in me manet , & ego „ in illo : dixit nihilominus , Qui man-„ ducat hunc panem , vivet in æter-„ num . „

Sexta : Consulendum est reverentiæ tanti Sacramenti : sed non satis provideretur, si Laici tenerentur sub utraque specie communicare : Tum quia ab abhorrentes a vino, nauseæ, quæ ad vomitum provocaret, non nihil haberent; tum quia etiam aliqua sanguinis gutta in terram prolabi absque negotio posset : Ergo &c. Ista ratio est sancti Thomæ, qui hic q. 80. art. 12. ex professo docet conclusionem ; eo autem loci distinguit duo , scilicet ipsum Sacramentum , & ejus usum. Ad perfectionem quidem Sacramenti , & sacrificii requiritur utraque species , ad usum vero qui mediat inter Sacramentum & sacrificium sufficit una species. Eo loci sic loquitur : " Ex parte quidem ipsius „ sacramenti, convenit , quod utrumque „ sumatur , scilicet & corpus, & sanguis, „ quia in utroque consistit perfectio sa-„ cramenti : Et ideo quia ad Sacerdotem „ pertinet hoc Sacramentum consecrare, „ & perficere, nullo modo debet corpus „ Christi sumere sine sanguine : Ex parte „ autem sumentium requiritur summa re-„ verentia , & cautela , ne aliquid acci-„ dat, quod vergat ad injuriam tanti My-„ sterii ; quod præcipue posset accidere in „ sanguinis sumptione : qui quidem si in-„ caute sumeretur, de facili posset effun-„ di : & quia crevit multitudo populi „ Christiani , in qua continentur senes, „ & juvenes , & parvuli , quorum qui-„ dam non sunt tantæ discretionis , ut „ cautelam debitam circa usum hujus „ Sacramenti adhibeant , ideo provide in „ quibusdam Ecclesiis observatur, ut po-„ pulo sanguis sumendus non detur , sed „ solum a Sacerdote sumatur. „

Septima : Testimonium ab inimicis habemus , namque Calvinistæ in sua disciplina per

permittunt iis qui vinum abhorrent, ut cœnam solummodo in pane accipiant: Igitur absque fundamento contra Communionem sub una tantum specie obstrepunt, cum ex ipsis constet Communionem sub utraque specie ad salutem non esse absolute necessariam. Demum nullum extat præceptum divinum de Communione sub utraque specio: Igitur juxta Ecclesiæ dispositionem potest admitti, vel rescindi.

SIT SATIS OBJECTIONIBUS

Hæreticorum.

OBJICIUNT ista Christi verba Joan. 6. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis:* Igitur non separanda est in Communione una species ab altera.

Respondeo primo, incassum Protestantes hunc locum objicere, cum ipsi cap. 6. Joan. nonnisi de manducatione spirituali intelligant.

Respondeo secundo, sic distinguendo: Et verba Christi intelligenda sunt secundum distributionem accommodam ab Ecclesia determinatam, concedo: secus, nego. Cum igitur æquum duxerit prioribus temporibus Ecclesia Eucharistiam sub sola panis specie esse sumendam; nunc quoque eodem innixa motivo potest hoc præfigere, maxime cum eumdem effectum una sicut utraque species operetur, juxta illud Tridentini laudati: " Qui „ dixit, Qui manducat meam carnem, „ & bibit meum sanguinem, habet vi„ tam æternam, dixit etiam, Panis „ quem ego dabo, caro mea est pro „ mundi vita. „

Instant: Christus Matthæi 26. præcipit ut omnes sumant sanguinem; sic enim habetur: *Bibite ex hoc omnes.* Igitur Communio sub utraque specie est de præcepto.

Respondeo distinguendo consequens: Communio sub utraque specie necessaria est Sacerdotibus, eo quod conficiant Sacramentum simul & sacrificium, concedo: Laicis, & aliis, nego. Certum est Christum eo loci ad solos Apostolos, quos Sacerdotes instituebat, suum dirigere sermonem; hinc Marci 14. legitur: *Gratias agens, dedit eis, & biberunt ex illo omnes.*

Reponunt: Lucæ 22. Christus clare explicat præceptum de utraque specie sumenda his verbis: *Gratias egit, & fregit, & dedit eis, dicens, Hoc est corpus meum quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem.* Confirmatur: Passio solum in sanguine separatim consecrato & sumpto est passionis memoriale, & non præcise panis: Igitur præceptum utramque speciem importat, cum species sanguinis nusquam sine specie panis conficiatur.

Respondeo eamdem esse solutionem ac ad præcedens argumentum: Ad confirmationem dico, per speciem panis sufficienter pro usu explicari passionis fidem; quandoquidem sumens scit se sumere corpus crucifixum, & Sacerdos sanguinem ut effusum pro omnibus in altari offert. Solutio est divi Thomæ ibidem art. 12. ad 3. " Dicendum, quod repræsentatio „ Dominicæ Passionis agitur in ipsa con„ secratione hujus Sacramenti: in qua „ non debet corpus sine sanguine conse„ crari. Potest autem a populo corpus „ sine sanguine sumi. Nec exinde sequi„ tur aliquod detrimentum: quia Sa„ cerdos in persona omnium sanguinem „ offert, & sumit, & sub utraque spe„ cie totus Christus continetur. „

Replicant: Gelasius Papa de consecratione dist. 2. c. *Comperimus*, ait: " Com„ perimus, quod quidam sumpta tan„ tummodo corporis sacri portione a ca„ lice sacrati cruoris abstinent, qui pro„ cul dubio, quoniam nescio qua super„ stitione docentur astringi, aut inte„ gra Sacramenta percipiant, aut ab in„ tegris arceantur. „ Igitur non licitum est corpus sine sanguine sumere: Confirmatur: ibidem Gelasius subdit: " Quia divisio unius ejusdemque Myste„ rii sine gravi sacrilegio non potest pro„ venire. „

Respondeo distinguendo: Et in utroque loco loquitur Gelasius de Sacerdotibus, qui non sine ausu temerario in unica specie consecrare audebant, concedo: de Laicis sumentibus corpus Christi, nego. Actio Sacerdotis conficit Sacramentum, usus vero supponit factum; hinc sacrilegium est pro Sacerdote unicam sumere spe-

speciem, secus vero pro laico. Sic solvit difficultatem S. Thomas ibidem ad primum his verbis: " Dicendum quod ,, Gelasius loquitur quantum ad Sacerdo- ,, tes: qui sicut totum consecrant Sacra- ,, mentum, ita etiam toti communicare ,, debent; ut enim legitur in Concilio ,, Toletano, quale erit sacrificium, cui ,, nec ipse sacrificans particeps esse di- ,, gnoscitur. ,,

Rursus ad secundum sic pergit: " Di- ,, cendum quod perfectio hujus Sacramen- ,, ti non est in usu Fidelium, sed in con- ,, secratione materiæ. Et ideo nihil de- ,, rogat perfectioni hujus Sacramenti: si ,, populus sumat corpus sine sanguine, ,, dummodo Sacerdos consecrans sumat ,, utrumque. ,,

Reponunt; Perfectius est sumere utramque speciem, quam unam tantummodo: Igitur utraque species semper sumenda est.

Respondeo, argumentum nihil probare, cum casus non exponatur de eo quod perfectius est, sed quod necessarium.

Respondeo secundo distinguendo: Perfectius est utramque sumere speciem ex parte Sacramenti, concedo: ex parte sumentium, nego. Si attendatur ad rationem sacramenti, & sacrificii, citra dubium est nedum utilius, sed & necessarium esse utramque sumi speciem; hinc statuit Ecclesia, ut si Sacerdos immediate ante Communionem morte præoccupetur, alter etiam non jejunus utramque speciem sumendo perficiat Sacramentum. Sed ex parte sumentium, non semel contingunt profanationis pericula, hinc Communio sub una specie sufficit pro Laicis.

Replicant: Christus exemplum dedit ut omnes etiam non consecrantes utramque speciem sumerent: sic omnes Discipulos communicavit, tametsi solus consecrasset: Igitur etiam ex parte sumentium convenit utramque speciem sumi. Confirmatur ulteriori exemplo, scilicet primitivæ Ecclesiæ. Tunc enim populus communicabat sub utraque specie, ut habetur 1. Cor. 11. *Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & sanguinis Domini*. Immo hæc consuetudo perseveravit non solum tempore Martyrum, quos Cyprianus Dominico poculo præconfortandos censuit, sed etiam tempore pacis Ecclesiæ, cum legamus factas non solum patenas, sed etiam calices ministeriales; quare enim ministeriales dicti sunt, nisi quia non ad offerendum, sed ad ministrandum populo, Christi sanguinem deserviebant? Rursus: quod congruit ex his quæ sunt per se, est magis expediens eo quod congruit ex his quæ sunt per accidens: Sed Communio quæ est sub utraque specie congruit ex vi Sacramenti; quæ vero sub una tantummodo fit, oritur solum ex incapacitate quorumdam communicantium. Ergo &c.

Respondeo ut supra, distinguendo: Et tunc Christus instituebat Discipulos suos Sacerdotes, concedo: secus, nego. Addo Christum modo perfectissimo voluisse Communionem fieri, & consequenter sub utraque specie, ut nihil perfectionis deficeret pro ædificatione Ecclesiæ tam ex parte Sacramenti, quam ex parte sumentium, ut Apostoli in omnibus præberent exemplum.

Ad confirmationem similiter distinguo: In primitiva Ecclesia Communio sub utraque specie facta est aliquando, concedo: semper, nego: ostensum est enim quod Fideles in unum adunati perseverarent in fractione panis; justa tamen de causa & nonnullis rationibus innixa Ecclesia permisit Communionem sub utraque specie, cum commode fieri poterat: tum vero subsequentibus sæculis eamdem rescidit: Sed observes velim vel ipso tempore quo Ecclesia de Communione sub utraque specie licentiam faciebat, permisisse tamen etiam sub unica specie communicari, maxime pro peregrinatoribus, ut legitur de S. Satyro, & de Christianis secundi, & tertii sæculi, qui, sæviente mundo, non facile in unum conveniebant, ut sacrificio adstantes, Eucharistiam sub utraque specie acciperent, sed cogebantur eam sub specie panis domi conservare, ut seipsos, quando urgebat necessitas, communicarent.

Ad tertiam instantiam, distinguo: Communio sub utraque specie est de his quæ per se exiguntur, quando agitur de conficiendo Sacramento, concedo: de sumendo solum, nego. Usus enim mensurandus & regulandus est penes effectum, cum autem Communio sub una specie, ut ex professo infra dicetur, eumdem prorsus

sus operetur effectum, ac Communio sub utraque specie, manifestum est Communionem sub una specie respective ad usum non esse de his quæ sunt per accidens.

Ex his solvuntur alia argumenta, quibus variis auctoritatibus probatur Communionem sub utraque specie fuisse in usu tum apud Monachos, tum apud Laicos & sæculares.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Communio sub una tantum panis specie optima est, & legitima.

PRIMO QUIDEM hoc habetur in Scriptura; legitur enim in Actibus quod Fideles perseverarent in fractione panis, & ex 1. Cor. 11. sufficit sacram Synaxim sub una aut altera specie accipere.

Secundo: Hoc expresse definiunt Concilia, videlicet Constantiense, Basileense, & Tridentinum Sess. 21. contra Protestantes.

Tertio: Non una est pro isto capite ratio; namque & totus Christus, & totus effectus sub una specie accipitur.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET EXPLICATIONUM.

PRIMO: Tametsi quoddam præceptum in sacra Scriptura legatur pro Communione sub utraque specie, hoc non intelligitur nisi de Sacerdotibus Eucharistiam conficientibus, nec aliis vitio sacrilegii vertitur, sub una tantum specie sacram assumere Eucharistiam: & sic intelligendus est Gelasius Papa.

Secundo: Usus Ecclesiæ Primitivæ pro utraque specie sumenda unum tantummodo probat, videlicet Ecclesiam de hac Communione licentiam fecisse, quam & limitare illis ipsis temporibus, & postea totaliter rescindere potuit.

Tertio: Aliud est aliquid esse perfectius, aliud absolute necessarium: ultro fatemur perfectius esse Eucharistiam sub utraque specie accipere, sed non est simpliciter necessarium propter inconvenientia.

PUNCTUM SECUNDUM.

Num sub una specie communicans, tantum recipiat gratiæ, quantum si sub utraque specie eam sumeret?

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

Probatur rationibus Theologicis.

PRIMO QUIDEM omnibus, quibus probatum est modo, Communionem sub unica specie sufficere, quod dubio procul Ecclesia nunquam aut dixisset, aut etiam permisisset, si Fideles aliquo defraudarentur bono sub unica tantum specie communicando.

Secundo: Quod Synodus Tridentina expresse definivit, non aliter sustineri potest: Sed illa Synodus sic definivit Sess. 21. cap. 3. ubi ait: "Fatendum esse etiam sub „ altera tantum specie totum atque in„ tegrum Christum verumque Sacramen„ tum sumi, ac propterea, quod ad fru„ ctum attinet, nulla gratia necessaria „ ad salutem eos defraudari, qui unam „ speciem solam accipiunt. „ Ratio igitur Concilii ea est, quod totus Christus in una tantummodo specie sumatur, ut fuse docet Sess. 13. cap. 2. & 3.

Tertio: Inter effectus Eucharistiæ palmaris est vita æterna: Atqui vita æterna sicut communicantibus sub utraque specie, sic & iis qui unam solummodo accipiunt, promittitur & datur. Ergo &c. Ista ratio egregia est utique Concilii Tridentini Sess. 21. cap. 1. ubi præoccupans objectionem sic loquitur: "Qui dixit, „ Nisi manducaveritis carnem filii homi„ nis, & biberitis ejus sanguinem, non „ habebitis vitam in vobis: Dixit quo„ que, Si quis manducaverit ex hoc pa„ ne, vivet in æternum &c.

Quarto: Eodem modo ratiocinandum est de Eucharistia, ac de manna quæ erat figura panis transubstantiati in corpus Christi, sicut sanguis victimarum respersus præludebat sanguinem Christi pro mundi salute effundendum: Atqui omne delectamentum in se habebat manna, & hoc ipsum de Eucharistia Ecclesia cantat tum in expositione, tum in processio-

ne

ſe corporis Christi quæ fit ſub una panis ſpecie. Ergo &c.

Ista ratio colligitur ex ipſa Scriptura; nam Exodi 56. de manna habetur: *Non amplius habuit qui plus collegerat, nec qui minus paraverat, reperit minus*. Eſt utique Hilarii Papæ, qui in ſuis decretis quæ habentur 3. p. Conciliorum ſic loquitur: " Ubi pars eſt corporis, ibi eſt totum. Eadem ratio eſt in corpore Domini, quæ in manna, quod ut ejus figura præceſſit, de quo dicitur, Qui plus collegerat non habuit amplius, neque qui minus paraverat, habuit minus." Suffragatur Guitmundus L. de veritate Eucharistiæ his verbis: " Poſſumus dicere tantumdem eſſe in una portiuncula, quantum erat in hoſtia tota: ſicut de manna legitur, Qui plus collegerat non amplius, nec qui minus collegerat habuit minus." Re-vera quidem ſinguli accipiunt Chriſtum Dominum, & in ſingulis portionibus totus eſt, nec per ſingulos minuitur, ſed integrum ſe præbet in ſingulis.

Non prætereundus S. Thomas, qui eamdem præbet rationem hic q. 80. art. 12. ad ſecundum ſed maxime opuſculo 58. cap. 29. his verbis: " Hæc quatuor, corpus, ſanguis, anima, & deitas, jam ultra non poſſunt ſeparari: unde ſicut ſumit Sacerdos ſanguinem Chriſti ſacramentaliter de calice, ſic populus ſumit eum intellectualiter ſub ſpecie panis de ipſo corpore Chriſti; & eſt eis tam utilis, & tam dulcis, ut Sacerdotibus qui ſumunt eum ſub ſpecie vini de calice: Canticorum 1. Botrus Cypri dilectus meus mihi. Duo ſumo in Botro, uvam ſcilicet corpus Domini in cibum, & ex uva ſugo dulcem ſanguinem in potum."

Proponuntur & ſolvuntur objecta.

Objicies: Clemens VI. in Bulla ad Regem Galliæ eo illi indulſit motivo Communionem ſub utraque ſpecie, videlicet *ad majus gratiæ augmentum*: Igitur ille ſummus Pontifex exiſtimavit plus gratiæ tribui per duplicem ſpeciem, quam per unam.

Respondeo diſtinguendo: Indulſit ad majus gratiæ augmentum, ex opere operantis, concedo: ex opere operato, nego. Duplici modo, ut communiter docent Theologi, Sacramentum gratiam, ſeu gratiæ augmentum producit, videlicet ex opere operato, & vi propria; deinde vero ex opere operantis, hoc eſt juxta ſumentis diſpoſitionem, quæ poteſt eſſe modo major, modo etiam minor: Clemens vult quidem Euchariſtiam ſub duplici ſpecie ſumptam, majorem gratiam operari, quam ſub una ex opere operantis, ſed non ex opere operato.

Instabis: Atqui etiam ex opere operato major producitur gratia ſub duplici ſpecie quam ſub una. Ergo &c. Probatur ſubſumptum. Qui communicat quotidie majorem ex opere operato ſuſcipit gratiam, quam qui ſolum ſemel in menſe, & hoc propter frequentiorem Communionem, & iteratam ſæpius unius ſpeciei ſumptionem: Sed in Communione ſub utraque ſpecie eſt Communio reiterata & repetita Sacramenti ſumptio. Ergo &c.

Respondeo negando ſubſumptum: Ad probationem diſtinguo minorem: Qui Communionem ſub utraque ſpecie recipit, iterata vice recipit Sacramentum inadæquate, concedo: adæquate, nego. In menſa quandoque cœna ſub cibo duplici, quandoque etiam ſub uno cum potu commixto, datur: Sed obſervandum eſt, & nuſquam omittendum, quod ſemper fit una refectio. Igitur qui utramque ſpeciem ſimul ſumit, hoc ſe habet per modum unius cœnæ; hinc & eſt una refectio: quando vero cœna fit cum uno cibo aliquid potus commixtum habens, eſt una etiam refectio; hinc par eſt utrobique ratio. Ex quo ſequitur cum qui ſub utraque ſpecie communicat, unam & eamdem gratiam accipere, cum eo qui unicam tantum ſpeciem ſumit, quia utroque modo eſt unica refectio juxta principia poſita, quandoquidem qui accipit Euchariſtiam tantum ſub ſpecie panis, utique per concomitantiam, ait Concilium Tridentinum Seſſ. 13. cap. 2. accipit ſanguinem. Sed eſt diſpar ratio in eo qui frequentius communicat, quippe qui quotidie unam accipiat refectionem, & quidem numero diverſam ſacramentaliter ab ea quam nudius-tertius acceperat. Nec mirum: contra quotidianas infirmitates quotidiana utique indigemus refectione:

Sed

Sed qui cœnat sumendo alternatim cibum, deinde potum, unicam sumit cœnam, adeoque non majorem refectionem eo qui cœnat spiritualiter sub una panis specie.

Replicabis: Atqui duplex refectio sub duplici specie habetur: Ergo &c. Probatur subsumptum: Sub unica habetur, & quidem totaliter, quatenus & corpus & sanguis sub unica specie continetur. Igitur sub duplici specie duplex utique cœna reperitur.

Respondeo negando subsumptum. Ad probationem, nego paritatem: Qui enim unicam tantum speciem sumit, recipit totam Eucharistiam, totalitate nedum Sacramenti, sed & usus, cum Communio laica unicam tantum speciem importet: Altera vero sub utraque specie, est primario pro Sacerdotibus conficientibus Eucharistiam, ut Sacramentum & sacrificium est; hinc ut Communio Sacerdotis sit completa, debet fieri utraque specie, maxime quia id muneris competit conficienti Sacramentum, exprimere passionem per effusionem Christi sanguinis, quem offert in altari in remissionem omnium peccatorum.

Repones: Sacramentum facit quod significat: Sed duæ species plus significant quam una: Igitur & ex opere operato majorem conferunt gratiam.

Respondeo distinguendo minorem: Duæ species plura significant materialiter quam una, concedo: formaliter, nego: ex parte enim sumentium unam solum important refectionem: Igitur utraque Communio, & sub duplici, & sub una tantum specie eamdem ex se producunt gratiam.

Insistes: Si sacra Eucharistia in triduo mortis Christi data fuisset sub una specie, dubio-procul non fuisset tantæ efficaciæ, quam si dispensata sub utraque specie: Ergo a simili etiam nunc cum datur sub unica specie, est minoris efficaciæ.

Respondeo negando antecedens; cum enim gratia quæ datur sub duplici specie, eadem si entitative cum ea quæ datur sub unica, tantum gratiæ recepissent qui in triduo mortis Christi sub una specie, non secus ac illi qui sub duplici specie recepissent.

Respondet Gonetus hic disputatione 8. art. 4. §. 2. pag. 305. negando paritatem, quia, inquit, in triduo sanguis non fuisset concomitanter cum specie panis consecrati, sic ut nunc est, sed adhærendum est primæ solutioni; cum enim verbum fuit unitum hypostatice in triduo mortis corpori, non obstante separatione corporis & sanguinis ab anima, eadem gratia per unicam speciem, ac per duplicem producta fuisset.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Qui communicant sub unica tantum specie nullo defraudantur bono.

Primo: Sic definivit Concilium Tridentinum Sess. 21. c. 3.

Secundo: Quia, inquiunt Patres, totus, & integer Christus sicut sub duplici specie, ita & sub una solum continetur.

Tertio: Est unica refectio etiam sub duplici specie sumpta Eucharistia, adeoque non major gratia datur in duplici specie quam in una.

SYNOPSIS OBJECTIONUM ET RESPONSIONUM.

Primo: Cum Clemens VI. scribit Regi Galliarum, se illi lubenti animo concedere Communionem sub duplici specie ad gratiæ augmentum, intelligit illud augmentum promanandum esse a majori devotione, quæ est opus operantis.

Secundo: Qui communicat sæpius, majorem recipit gratiam, quia plures refectiones sumit: Sed qui simul & eodem tempore Eucharistiam sub utraque specie accipit, nonnisi unica donatur, quippequi unicam cœnam celebret.

Tertio: Esto quod in triduo mortis Christi sanguis separatus fuisset ab anima, una tamen species consecrata, eamdem tam produxisset gratiam propter unionem Verbi hypostaticam cum corpore, quam si communicasset sub duplici specie.

SEC-

SECTIO TERTIA.

Utrum Communio sub duplici specie fuerit in usu pro Laicis?

CONCLUSIO PRIMA.

Communio sub utraque specie prioribus sæculis fuit Laicis rite concessa.

Probatur multis momentis.

PRIMA ratio hæc est. Quod traditione firmatur, legitime fuit concessum: Atqui ex traditione liquet ab ipso Christo ad duodecimum usque sæculum Communionem Laicis sub utraque specie fuisse concessam: Ergo &c.

Ex primo Sæculo habemus ipsum Christum, qui Matthæi 26. instituendo Eucharistiam sub specie panis & vini, utique & in utraque specie sumi commendavit tum exemplo, quippe qui Discipulis & cibum, & potum sacrum dederit: deinde etiam quasi virtuali præcepto, quando dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*. Jam vero quod ista Communio etiam Laicis concessa sit, Apostolus 1. Cor. 11. expresse dicit; omnes enim indiscriminatim Fideles alloquitur: *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat*.

Ex secundo Sæculo, Justinus Apologia 2. venit in testimonium, dicens: " Qui „ apud nos vocantur Diaconi, atque „ Ministri distribuunt unicuique præsentium, ut participet eum in quo gratiæ „ actæ sunt, panem, vinum & aquam. „

Ex tertio Sæculo, Cyprianus L. de lapsis dicit speciem panis consecrati mulieri nequam incaute datam, postea in cinerem abiisse in peccatorum vindictam: Non silet etiam calicem: " Ubi vero, „ *inquit, de puella loquens quam nutrix, inscijs parentibus ad idolorum sacrificia detulerat*, solennibus adimpletis calicem „ Diaconus offerre præsentibus cœpit, „ & accipientibus ceteris, locus ejus advenit &c. „

Ex quarto Sæculo, Ambrosius, ut habetur L. 9. Hist. tripartitæ cap. 30. Theodosium Imperatorem, post cædem Thessalonicensium sic allocutus est: " Quomodo hujusmodi manibus recipies sanctum Domini corpus, qua temeritate „ sacrati sanguinis poculum ore tuo suscipies. „ Eidem suffragatur veritati Cyrillus Jerosolymitanus catechesi 5. Mystagog. Chrysost. Homil. 83. in Matth. & alii.

Ex quinto Sæculo, se produnt S. Leo I. & Gelasius I. ille sermone 4. in quadragesima, ait: " Cumque ad tegendum „ infidelitatem suam, nostris audeant interesse Mysteriis, ita in sacramentorum Communione se temperant, ut interdum tutius lateant; ore indigno „ Christi corpus accipiunt, sanguinem autem redemptionis nostræ haurire omnino declinant. „ Tum præcipit Communionem sub utraque specie sumi, ut Manichæi abhorrentes vinum & detegerentur, & a sacra mensa propellerentur. Iste vero & habetur de Consecratione distinct. 2. capite *comperimus*: " Comperimus, *inquit*, quod quidam, sumpta „ tantummodo corporis sacri portione, „ a calice cruoris abstineant. „

Ordo Romanus 7. 8. 9. 10. sæculo in toto fere Occidente pro regula disciplinæ circa Eucharistiam habitus, commemorat Communionem sub duplici specie intra Missarum solemnia; sic enim habetur titulo *qualiter celebrandum sit officium Missæ*: " Recepto calice Archidiaconus confirmat omnes sanguine Dominico, quos „ communicaverit Pontifex corpore Dominico. „

Altera ratio sic proponitur: Ecclesia habet potestatem dispensandi in Communione sub utraque specie: Igitur eum eam concedit, uti legitima censetur. Antecedens liquet ex Concilio Tridentino Sess. 21. canone 4. tum Sess. 22. in decreto finali relinquit prudentiæ summi Pontificis permittere Communionem sub utraque specie. Idem dicit Concilium Basileense ad petitionem Legatorum Bohemiæ, & Moraviæ, qui Communionem sub utraque specie expostulabant. De Ista potestate sic loquuntur Patres Basileenses Sess. 30. " Ecclesia quæ regitur spiritu veritatis secum manente in æternum .... ordinare habet quomodo ipsis „ non conficientibus ministretur Eucharistia, prout pro reverentia ipsius Sacra-

„ cramenti, & salute Fidelium viderit „ expedire. „

Tertia: Non semel Ecclesia usum calicis permisit Laicis: Ergo &c. Probatur antecedens. Primo quidem S. Leo, ut dictum est, & cum ipso Gelasius injunxerunt cunctis Fidelibus sumere vel ipsum calicem in sacra mensa, ut ab ea propellerentur Manichæi. Secundo, Sugerius Abbas San-Dionysii apud Gallias meminit privilegii in vita Ludovici VI. vulgo Crassi Francorum Regis ipsi concessi, quo Communionem sub utraque specie sumeret. Loquens enim de die ultimo quem clausit anno 1136. ait: " Quærit coram, devotissime confiteri, „ & securissimo Dominici corporis & „ sanguinis viatico exitum suum muniri. „ Quod quidem privilegium his etiam temporibus nostris Regibus conceditur, ut ipsa suæ unctionis die sacram Communionem sub utraque specie accipiant.

Quarta: Quod perfectissimum est, secluso periculo sic & facere juvat: Sed suscipere sacram Eucharistiam sub utraque specie est perfectissimum, cum melius exprimatur passio Christi qua redempti sumus, quam unica panis specie. Ergo &c.

CONCLUSIO SECUNDA.

Justis rationibus Ecclesia rescidit pro Laicis usus calicis.

PROBATUR breviter multiplici ratione. Primo quidem periculum foret, ne aliqua sanguinis gutta in terram prolaberetur. Secundo, non desunt qui a vino abhorreant; hinc esset utique vomitus occasio, sicque non satis consuleretur reverentiæ tanto debitæ Sacramento. Tertio, quandoque etiam contigit ut impii pretiosum subsannaverint sanguinem, de quo conqueritur S. Chrysostomus Epist. ad Innocentium I. ubi scribit: " Locum „ in quo sancta servabantur, ingressi sunt „ milites, quorum aliquos scimus, nul- „ los initiatos Mysteriis, & viderunt „ omnia quæ intus erant, quin & san- „ ctissimus Christi sanguis, sicut in tu- „ multu contingit, in prædictorum mili- „ tum vestes effusus est. „ Demum dictum est communicantes sub una panis specie nullo defraudari bono: Ergo &c.

FIT SATIS OBJECTIONIBUS

Contra secundam Conclusionem.

OBJICIES: Non potest citra peccatum calix denegari Laicis: Ergo &c. Probatur antecedens: Gelasius Papa jam laudatus cap. *Comperimus*, hanc affert rationem, cur calix non possit Laicis rescindi: " Quia, *inquit*, divisio unius ejusdem „ Mysterii sine grandi sacrilegio, non „ potest provenire. „ Ergo &c.

Respondeo negando antecedens. Ad probationem distinguo: Non potest calix, secluso sacrilegio ex parte Manichæorum Laicis denegari, concedo: ex parte sumentis, nego. Nisi tunc temporis calix ab omnibus Fidelibus indiscriminatim susceptus fuisset, vix potuissent Manichæi detegi, qui non sine sacrilegio, inscii Catholicis, ad sacram mensam audebant accedere ut Eucharistiam sub specie panis sumerent: & in hoc sensu loquitur Gelasius; unde Baronius subnotat Gelasium non dixisse, non potest perfici, non potest sumi, *sed* non potest provenire sine grandi sacrilegio.

Instabis: Atqui etiam ex parte sumentis sine peccato non denegatur Laicis Eucharistiæ calix: Ergo &c. Probatur subsumptum: Justinus Apologia 2. ait: " Apostoli in Evangeliis ita sibi Christum „ præcepisse tradiderunt, „ Scilicet sumere sanguinem. Similia loquitur Cyprianus Lib. 2. Epist. 3. " Quidam, *ait*, „ vel ignoranter, vel simpliciter in calice „ Domini sanctificando, & plebi mini- „ strando, non hoc faciunt quod Christus „ fecit, & docuit. „ Eo loci, ut patet, non solum de Sacerdotibus, sed & de Laicis loquitur. Succinit Augustinus L. quæstionum in Leviticum q. 57. his verbis: " Ad bibendum sanguinem omnes „ exhortantur qui volunt habere vitam. „ Sed omnes etiam Laici adhortantur, ut vitam habeant: Igitur auctoritates intelligendæ sunt de Communione sub utraque specie etiam pro Laicis.

Respondeo negando subsumptum. Ad reliquas probationes distinguo: Et Patres loquuntur de disciplina quæ suo ævo flore-

florebat, ut etiam Laicis concederetur Communio sub utraque specie, concedo: Sicut enim non desunt rationes pro unica specie sumenda, ita nec pro duplici: & calix absolute juxta Patrum placita concedendus est Laicis, nego. Concilium enim tum Constantiense, tum Basileense, tum etiam Tridentinum, statuerunt ut Communio sub utraque specie juxta determinationem Ecclesiæ fieret, vel non fieret; cum autem æquum duxerit calicem a Communione laica rescindere, citra peccatum, omisso calice, sub una tantum panis specie potest communicare Laicus.

Urgebis: Hæreditas sine injuria non potest denegari filio: Sed corporis & sanguinis Cristi sumptio est hæreditas omnibus indiscriminatim Fidelibus debita. Ergo &c.

Respondeo distinguendo minorem: Et Laicus fidelis sub specie panis communicando, sanguinem utique per concomitantiam accipit, concedo: sicque bono hæreditario non defraudatur: & nullo modo accipit, nego.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Communio sub utraque specie non semel Laicis concessa est, postea tamen rescissa fuit.

PRIMUM patet ex Apostolo, qui 1. Corinth. 11. ait: *Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & sanguinis Domini*. Idem petet ex Justino, Cypriano, & disciplina Ecclesiæ tempore Manichæorum, immo & tempore D. Thomæ adhuc vigebat in quibusdam Ecclesiis Occidentalibus, hoc est sæculo 13. ut legere est 3. p. q. 80. art. 12. in argumento *Sed contra*.

Quod autem rescissa fuerit, habemus ex Conciliis mox laudatis, & disciplina præsenti: immo nec sine privilegio quisquam communionem sub utraque specie potest accipere: ratio cur Ecclesia hanc resciderit communionem, est ut tanti Sacramenti reverentiæ consulatur, cum vix citra profanationem omnibus distribueretur Laicis.

SYNOPSIS OBJECTIONUM ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Non mirum si Gelasius dicat sine sacrilegio neminem abstinere posse a calice, quippe qui loquatur de Manichæis qui per istam communionem propellebantur a sacra mensa, quia a vino abhorrebant.

Secundo: Nec difficultatem auget loquutio Patrum calicem commemorantium, quandoquidem juxta disciplinam tunc temporis usitatam, de communione sub utraque specie loquebantur. Cum autem Ecclesia aliter fieri judicaverit pro subsequentibus sæculis, standum est communioni sub una panis specie.

Tertio: Ne dicas propter hoc fidelem sua defraudari hæreditate, cum sanguinem simul cum corpore recipiat, quia juxta Concilium Tridentinum Sess. 13. cap. 2. totus Christus sub utraque specie realiter præsens est.

SECTIO QUARTA.

De frequenti Communione.

MULTA in hac quæstione eliquanda sunt; unum scilicet de communione frequentiori secundum se sumpta, alterum de dispositionibus prærequisitis ad communionem digne suscipiendam. Tertium num indiscriminatim peccatores, ab usu frequenti communionis arcendi sint. Demum quænam sint regulæ pro consulenda, vel prohibenda frequentiori communione.

PUNCTUM PRIMUM.

Num frequenter communicandum sit?

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

PROBATUR ista Conclusio septem potissimum argumentis, scilicet ex Scriptura utriusque Testamenti, ex traditione Patrum, ex praxi Ecclesiæ, ex sententiis Conciliorum, ex dictis Theologorum, ex placitis Mysticorum Doctorum, denique rationibus Theologicis.

PRI-

PRIMUM ARGUMENTUM

Ex Scriptura sacra depromitur.

Figura veteris Testamenti.

DICTUM est supra multas veteris Testamenti figuras sacram prælusisse Eucharistiam: Sed omnes ferme aut saltem celebriores, frequentem communionem subindigitant. Ergo &c. Probatur minor: inter omnes, magnifica est figura panis Angelorum manibus præparatus, scilicet Manna, quo Deus Populum suum in deserto pavit: sed Manna erat quotidie colligenda, & sumenda; sic enim habetur cap. 16. Exodi: *Factum est ergo vespere, & ascendens coturnix, cooperuit castra: mane quoque res jacuit per circuitum castrorum. Cumque operuisset superficiem terræ, apparuit in solitudine minutum, & quasi pilo tusum in similitudinem pruinæ super terram. Quod cum vidissent filii Israel, dixerunt ad invicem: Manhu? Quod significat: Quid est hoc? Ignorabant enim quid esset. Quibus ait Moyses: iste est panis, quem Dominus dedit vobis ad vescendum. Hic est sermo quem præcepit Dominus, colligat unusquisque ex eo quantum sufficit ad vescendum .... Colligebant autem mane singuli, quantum sufficere poterat, ad vescendum.* Igitur sicut Manna ad vitam fovendam quotidie erat colligenda, sic & ad vitam animæ restaurandam sæpius pane Eucharistiæ utendum.

Alteram Eucharistiæ figuram habemus in panibus propositionis, qui perpetuo in conspectu Domini super mensam de ligno Setim auro puro obtectam, apponendi erant; sic enim habetur, Exodi 25. *Pones super mensam panes propositionis*, ait Dominus Moysi, *in conspectu meo semper*.

Rursus, 1. Regum 21. Abimelech dedit David panem hujusmodi sanctificatum ad vescendum. *Dedit ergo ei Sacerdos sanctificatum panem*, inquit Scriptura: *Neque enim erat ibi panis, nisi tantum panes propositionis, qui sublati fuerant a facie Domini, ut ponerentur panes calidi*. In illis sententiis duo observanda sunt; Primo quidem quod panes in conspectu Domini perpetuo adessent: Secundo quod essent calidi, ut vapor panis fumigantis in odorem suavitatis ascenderet in conspectu Domini: si igitur frequentius panes apponebantur, sic utique frequentius fideles, ad sacram mensam debent accedere, ut Christo circumdati, anima, mente & spiritu in odorem suavitatis ascendant ad Deum; scriptum est enim ab Apostolo 2. Cor. 2. *Christi bonus odor sumus*.

Oracula novi Testamenti.

CHRISTUS ipse Joan. 6. omnes fideles sic alloquitur: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis:* Adeo bonus, providus, & misericors, ut sub interminatione mortis, nos ad suam quotidie invitat mensam: dico quotidie, quandoquidem panis est cibus usualis, & ad vitam tum reparandam, tum conservandam, tum etiam augendam quotidie necessarius: De isto usu frequentiori verba laudata intelligenda esse ipse Dominus ait in oratione Dominica, ubi quid sit petendum, nos edocet dicens: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*. Ergo &c.

Rursus, Joan. 6. iterum atque iterum nos ad frequentiorem communionem stimulat. Sic enim ait: *Dixit ergo eis Jesus: Amen, amen dico vobis: Non Moyses dedit vobis panem de cœlo, sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum .... dixerunt ergo ad eum: Domine semper da nobis panem hunc .... qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam ... sicut misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem: & qui manducat me, & ipse vivet propter me*. Audis populum a Christo expostulare, ut panem suum semper dignetur illi dispensare: Igitur & semper, hoc est frequentius panem Eucharisticum sumere debemus: Vides Christum dicentem eum jam vitam habere, qui de suo manducat pane: Igitur ut vitam perpetuo habeamus spiritualem, necessarium est frequentius tam vivifico pane nutriri. Audis quod sicut Christus vivit propter patrem, sic & fidelis qui manducat Eucharistiam tenetur propter Christum vivere; cum autem vita

vita in perpetua unione cum principio vitæ sita sit (definitur enim a sancto Thoma origo viventis a vivente principio conjuncto) & nulla major sit unio inter nos & Christum, qui est via, veritas, & vita, quam per Eucharistiam, sæpius, & sine intermissione, nobis, si quid amoris habemus, incumbit sumere.

SECUNDUM ARGUMENTUM

Traditione innixum est.

SENSUM Scripturæ sacræ ex sanctis Patribus habemus, quippe qui inspirati a Deo loquuti sunt, & unanimis eorum de aliquo dogmate consensus, est inconcussa fidei regula. Sed Patres priorum, & subsequentium sæculorum, fideles ad frequentiorem communionem provocant, innixi maxime laudatis modo Scripturæ sacræ sententiis. Ergo &c.

Ex secundo Sæculo se prodit Justinus, qui Apologia secunda, ait: " Precibus „ peractis, panis offertur, & vinum & „ aqua .... Et distributio communicatio„ que fit eorum in quibus gratiæ sunt „ actæ cuique presenti, absentibus autem „ per Diaconos mittitur. „ Erat igitur tunc pro more positum sæpius celebrare sacra Mysteria, & nedum præsentibus, sed & absentibus Eucharistiam dispensare: immo & illam, ut dictum est, domi asservare, ut frequentius, & prout erat devotionis impetus illam sumerent.

Ex tertio Sæculo, testem habemus sanctum Cyprianum, qui clavum Ecclesiæ Carthaginensis tenebat anno 250. Hic autem in expositione orationis Dominicæ omnem tollit de frequentiori communione ambiguitatem, his verbis: " Hunc „ panem dari nobis quotidie postulamus, „ ut qui in Christo sumus, & Euchari„ stiam quotidie ad cibum salutis accipi„ mus, intercedente aliquo graviore de„ licto, dum abstenti, & non communi„ cantes a cœlesti pane prohibemur, a „ Christi corpore separemur. „ Hanc ille Pater de frequenti Communione reddit rationem, eo quod nisi adsit frequentior usus, erit periculum a Christo separari: hinc alibi vult Eucharistiam sæpius ad confessores deferri, ne inermes, inquit, adversus perfidiam Paganam descendant in prælium.

Ex quarto Sæculo, ejusdem veritatis defensor est Hieronimus, qui Epist. 50. ait: " Scio Romæ hanc esse consuetudi„ nem, ut fideles semper Christi corpus „ accipiant. „ Ambrosius ejusdem ævi Pater L. 5. de Sacramentis c. 4. expressius loquitur: " Si quotidianus est panis, „ *inquit*, cur post annum illum sumis ... „ Accipe quotidie, quod quotidie tibi „ prosit: sic vive, ut quotidie merearis „ accipere: Qui non meretur quotidie „ accipere, non meretur post annum ac„ cipere. „

Eidem veritati patrocinatur Basilius Epist. ad Cæsariam Patriciam his verbis: " Communicare singulis diebus, & sanc„ ctum Christi corpus percipere præcla„ rum est, & utile, cum ipse dicat; „ Qui manducat meam carnem, & bibit „ meum sanguinem, habet vitam æter„ nam. Quis igitur ambigat vitam assidue „ participare, nihil aliud esse quam mul„ tifarie vivere. Nos autem quater in „ singulas hebdomadas divinis Sacramen„ tis participamus. „

Ex quinto Sæculo, obviam venit Chrysostomus, qui Homilia 61. ad populum Antiochenum sic loquitur: " O consue„ tudinem! O præsumptionem! Sacrifi„ cium frustra quotidianum? Incassum as„ sistimus altari, nullus qui communice„ tur. „ Audis sanctum Doctorem conqueri, quod fideles frequentius ad sacram mensam non accederent. Rursus Homilia 17. in Epistolam ad Hæbreos: " Quid „ vero, *ait*, quinam erunt nobis magis „ accepti, an qui semel, an qui sæpe, „ an qui raro? Nec hi, nec illi, sed ii „ qui cum munda conscientia, qui cum „ mundo corde, qui cum vita irrepre„ hensibili; qui sunt hujusmodi, semper „ accedant.

Non omittendus sanctus Augustinus. Quippe qui Epist. 118. ad Januarium cap. 3. p. 212. totum negotium de frequenti vel rara communione dirimat: Ibi refert duplicis personæ placita, unius Eucharistiam quotidie frequentare volentis; alterius ab eadem præ reverentia & humilitate nonnumquam secedere cupientis: " Dixerit aliquis, *ait*, non quotidie ac„ cipiendam Eucharistiam. Quæsieris quare?

„ re? Quoniam, inquit, eligendi sunt „ dies quibus purius homo continentius- „ que vivat, quo ad tantum Sacramentum „ dignius accedat. Qui enim manduca- „ verit indigne, judicium sibi manducat, „ & bibit. Aliuscontra: Immo, inquit, „ si tanta est plaga peccati, atque impe- „ tus morbi, ut medicamenta talia dif- „ ferenda sint, auctoritate Antistitis de- „ bet quisque ab altario removeri, ad „ agendam pœnitentiam, & eadem au- „ ctoritate reconciliari. Hoc est enim in- „ digne accipere, si eo tempore acci- „ piat, quo debet agere pœnitentiam; „ non ut arbitrio suo cum libet, vel au- „ ferat se communioni, vel reddat. Ce- „ terum si peccata tanta non sunt, ut „ excommunicandus quisquam homo ju- „ dicetur, non se debet a quotidiana „ medicina Dominici corporis separare. „ Audis S. Doctorem, I. Frequentem communionem approbare. II. Id unum velle, eum qui vel inhæret peccato lætali, vel pœnitentiam publicam agit, ab illa removendum esse. III. *Si peccata tanta non sunt, ut excommunicandus quisquam judicetur*, Eucharistiam frequentius posse sumere. Tum litigantium componit litem his verbis: " Rectius inter eos fortasse „ quisquam dirimit litem, qui monet, „ ut præcipue in Christi pace permane- „ ant: Faciat autem unusquisque quod „ secundum fidem suam pie credit esse „ faciendum. Neuter enim eorum exho- „ norat corpus, & sanguinem Domini, „ si saluberrimum Sacramentum certatim „ honorare contendunt. Neque enim li- „ tigaverunt inter se, aut quisquam eo- „ rum alteri se præposuit, Zachæus, & „ ille Centurio, cum alter eorum gau- „ dens in domum suam susceperit Domi- „ num; Alter dixerit: Non sum dignus, „ ut intres sub tectum meum: Ambo Sal- „ vatorem honorificantes diverso, & „ quasi contrario modo: ambo peccatis „ miseri, ambo misericordiam conse- „ cuti .... Nam & ille honorando, non „ audet quotidie sumere, & ille hono- „ rando non audet ullo die prætermit- „ tere. Contemptum solum non vult „ cibus iste, sicut nec manna fasti- „ dium. „

Petrus Blesensis Sermone 16. ait in prima Ecclesia, " Quotquot intererant „ consecrationi Eucharistiæ, communica- „ bant eidem. „

TERTIUM ARGUMENTUM

Ex Praxi Ecclesiæ sit.

In moralibus praxis Ecclesiæ plurimum pro aliqua disciplina valet, & usus inter omnia spectandus est: atqui nedum ex sententiis Patrum; sed & ex ipsa Ecclesiæ praxi frequentioris communionis usus firmatur. Ergo &c. Probatur minor variis momentis.

Primo quidem: Tempore Apostolorum fideles quotidie ad vesperam, Christi insistentes vestigiis, communicabant, ut liquet ex Apostolo, qui 1. Cor. 11. quosdam increpat, quod non satis devote ad sacram accederent mensam. Hoc ipsum expressius habetur Actuum. 2. ubi de iisdem fidelibus hæc leguntur: *Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus.* Secundo Communio frequens erat Carthagine, tempore sancti Cypriani, Romæ, vivente sancto Hieronymo: Mediolani Divi Ambrosii Ævo, ut ex auctoritatibus laudatis luce meridiana clarius apparet.

Disciplina 9. Saculi pro frequenti Communione.

Non injucundum erit eo loci texere, qualis fuit Ecclesiæ disciplina pro Communione sæpius tum a peccatoribus, tum a justis frequentanda.

Primo: Tempore Caroli Magni anno circiter 813. mos perdurabat, ad sacram Synaxim ter saltem in anno accedendi. Præceptum de hoc momento restauratum est in Concilio tertio Turonensi canone 50. & habetur L. 2. Capitulariorum cap. 45. his verbis: " Ut si non frequentius, „ vel ter laici homines in anno commu- „ nicent, nisi forte quis majoribus qui- „ buslibet criminibus impediatur. „ Ea tamen cum exceptione, ut isti in cœna Domini ad Sacram mensam reciperentur: Sic statuit Concilium 2. Cabilonense Canone 47. " In cœna Domini a quibus- „ dam perceptio Eucharistiæ negligitur, „ quæ quoniam in eadem die ab omni- „ bus fidelibus, exceptis his, quibus

pto

„ pro gravibus criminibus inhibitum est, „ percipienda sit, Ecclesiasticus usus de- „ monstrat; cum etiam pœnitentes ea- „ dem die, ad percipienda corporis, & „ sanguinis Domini Sacramenta recon- „ ciliat. „

Secundo: Theodulphus Aurelianensis præcipit, ut cuncti fideles singulis Quadragesimæ Dominicis, insuper & diebus Jovis, Veneris, & Sabbathi Hebdomadæ sanctæ, maxime vero die Dominica Resurrectionis communicent. Ita Capitulare Theod. cap. 41. " Singulis diebus Do- „ minicis in Quadragesima, præter hos „ qui excommunicati sunt, Sacramenta „ corporis, & sanguinis Christi sumenda „ sunt, & in cœna Domini, & in Pa- „ rasceve, & in vigilia Paschæ, & in „ die Resurrectionis Domini penitus ab „ omnibus communicandum, & ipsi dies „ Paschalis Hebdomadæ omnes æquali „ Religione colendi sunt. „ Capite vero 44. subdit Religiosos, & Monachos singulis ferme diebus sacram Synaxim sumere. " Salva ratione eorum, qui ex- „ communicati, non quando eis libet, „ sed certis temporibus communicant, „ & Religiosis quibuscumque sancte vi- „ ventibus, qui pene omni die id faciunt. „

Tertio: Carolus Magnus omnes invitabat fideles, ut singulis diebus Dominicis, & aliis solemnibus festis sacram Eucharistiam sumerent; sic habetur L. 5. Capitulariorum c. 182. & L. 6. cap. 157. " Ut omnes, *ait*, per dies Dominicos, „ & festivitates præclaras, sacra Eucha- „ ristia communicent, nisi quibus absti- „ nere præceptum est. „ Tum posteriori loco ait: " Placuit ut fideles, &c. si „ fieri potest, omni Dominica die com- „ municent, nisi criminali peccato, & „ manifesto impediantur, quia aliter sal- „ vi esse non possunt, quoniam Dominus „ dixit, Qui manducat meam carnem „ &c. „

Quarto: Tempore Ludovici Mansueti Caroli Magni filii, ad hanc devotionem adhortati sunt Patres Concilii sexti Parisiensis an. 829. can. 20. " De perceptio- „ ne vero sacri corporis, & sanguinis „ Domini nostri Jesu Christi, *inquiunt*, „ nihilominus monemus, ut quod Chri- „ stianæ religioni expedit, & sicut vobis „ a Patribus nostris admonitum est in „ aliis Conventibus, quando possibile fue- „ rit, faciatis, & vestro exemplo, vo- „ bis famulantes, ut hoc faciant, in- „ struatis. „

Quinto: Herardus Archiepiscopus Turonensis an. 858. capitulari 53. dubio-procul exigit, ut ex tribus Dominicis in una fiat Communio, hoc est, ut semel in mense quisque communicet: " Ut, „ *inquit*, populis prædicetur, ut oblatio- „ nes Deo offerant, & ut tertia domi- „ nica, vel quarta communicent, absti- „ nentes se a Luxuria, propriisque uxo- „ ribus, & reliquis illicitis, nisi forte „ criminalibus culpis sint impliciti. „

Demum, Amalarius in una e suis epistolis testatur antiquos Canones obligasse fideles singulis diebus communicare, & rationem reddere, si ab hac devotione, justa de causa impedirentur. Item Gennadius consuluit, ut fideles singulis diebus Dominicis de pane sancto participarent, aitque, bonum esse Augustini Consilio adhærere, qui Communionem quotidianam prædicabat; sic legitur de Amalario Tom. 7. Spicilegii pag. 172. " Præcipitur in ca- „ nonibus, ut omnes ingredientes Eccle- „ siam, communicent: quod si non com- „ municaverint, dicant causam quare non „ communicent &c. „ Hæc igitur fuit omni sæculi pia consuetudo, ut frequentius ad sacram mensam accederent cuncti fideles; si excommunicatos, Pœnitentes publicos, & alios qui gravioribus peccatis scandalosis detinebantur, excipiamus; ita tamen quod semel in anno, modo vere pœnitentes existerent, sacram Synaxim possent sumere: Igitur non sine ausu temerario, & zelo non secundum scientiam abrepti, nonnulli novatores Pharisaico pulvere conspersi, outu proprio, & juxta phantasiam, contra præceptum Ecclesiæ, & ipsam traditionem laicos a sacra mensa præpediunt, immo & communionem eis, ad plures usque annos procrastinant. Incassum enim replicarent frequentiorem Communionem, non nisi prioribus Ecclesiæ sæculis fuisse usitatam, cum omni sæculo mirum in modum fervesceret hæc devotio, ita ut sacra Hostia tunc temporis in manu fidelium reponeretur, ut ipsi se communicarent. Refrigescente vero charitate, & Communione frequentiori, abstinuit Ecclesia cor-

corpus Domini in manu porrigere, sed solis committere Sacerdotibus, ut populum communicarent, ut habetur in quodam canone veteris Concilii a Reginone laudato L. 1. cap. 199. his verbis: " Nulli Laico, aut feminæ Eucharistiam in manibus ponat, sed tantum in ore, cum his verbis, Corpus, & sanguis Domini prosit tibi ad remissionem peccatorum, & ad vitam æternam. "

Quid plura adjiciam? Ea erat erga sacram Eucharistiam fidelium nono sæculo devotio, ut vel ipsis infantibus baptizatis concederetur Eucharistia; sic habetur L. 1. Capitulorum Caroli Magni cap. 161. ubi hæc leguntur: " Ut Presbyter semper Eucharistiam habeat paratam, ut quando quis infirmaverit, aut parvulus infirmus fuerit, statim eum communicet, ne sine communione moriatur. " Quæ quidem consuetudo cessavit in Occidente, sub finem undecimi sæculi sub Paschali Papa II. sed ad hunc usque diem perseverat in Oriente.

Usum frequentioris Communionis subsequentibus sæculis restituit S. Thomas Doctor Angelicus, omnes in Officio ea intentione composito ad hanc devotionem invitans; restituit sacra Synodus Tridentina, ad hoc adhortans utriusque sexus personas: restituit in primis suo ævo S. Franciscus Salesius.

Tertium Argumentum fit ex Conciliis.

DISCIPLINA Ecclesiæ juxta Conciliorum placita regulatur: Atqui Concilia ad frequentem Communionem adhortantur fideles: Ergo &c. Probatur minor. Concilium Rhemense anno 1583. titul. de Eucharistia. Hæc dicit: " Cum nihil habeat Christiana religio Sacramento Eucharistiæ præstantius, & augustius, nihilque ad sancte, & inculpate vivendum efficacius ejusdem frequentissima participatione ..... fideles omnes hortamur, & per viscera misericordiæ Dei nostri obsecramus, ut quam sæpissime, saltem vero diebus solennibus communicent, & quotiescumque postulaverit ingruens aliqua necessitas, quæ vitam humanam in discrimen, & periculum adducat. "

Tum Burdigalense anno 1624. celebrato titul. de Sacramentis c. 3. ait: " Sæpissime fideles ad sacratissimæ Eucharistiæ sumptionem cum omni devotione, & compunctis cordibus accedere peroptamus. "

Basileense hanc eamdem commendat disciplinam anno 1437. his verbis: " Quod autem sæpe accedere ad Eucharistiam percipiendam digne, & devote, & cum discussione debita, sit utile & valde proficuum, immo summe necessarium, cupienti, & desideranti in via Domini non regredi, sed progredi, omnes Doctores Catholici laudant, hortantur: " incessanter fidelem populum admonent, & obsecrant.

Tridentinum similia loquitur Sess. 22. c. 6. " Optaret quidem, *ait*, sacro-sancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes, non solum spirituali affectu, sed Sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi hujus sacrificii fructus uberior perveniret. " Idem jam dederat Concilium Sess. 13. cap. 8.

QUARTUM ARGUMENTUM

Ex Theologis eruitur.

INTER Loca Theologica quibus veritates fidei, & disciplinæ Ecclesiæ capita propugnantur, auctoritas Theologorum annumeranda est. Atqui Theologi omni exceptione majores docent frequentiorem Communionem, nedum ad perfectionem, sed & ad salutem utilissimam esse: Ergo &c.

Primo quidem ex Concilio Basileensi mox laudato dicente omnes Doctores, ut sanctum Bernardum, Divum Bonaventuram, & alios permultos, tum vetustiores, tum recentiores docere, & propugnare frequentiorem Eucharistiæ usum: sed instar omnium sit sanctus Thomas Doctor ille Angelicus; hic q. 80. art. 10. ex professo hanc movet quæstionem, *utrum liceat quotidie Sacramentum suscipere*? Tum propositis in contrarium argumentis, ea sic debellat: " Sed contra est, *inquit*, quod Augustinus dicit in libro de verbis Domini sermone 28. Iste panis quotidianus est, accipe quotidie,

„ die, ut quotidie tibi prosit. „ Deinde vero in corpore articuli ita prosequitur. " Dicendum, quod circa usum „ hujus Sacramenti duo possunt considerari. Unum quidem ex parte ipsius „ Sacramenti, cujus virtus est hominibus „ salutaris, & ideo utile est quotidie ipsum sumere, ut homo quotidie ejus „ fructum percipiat, unde Ambrosius dicit in libro 4. de Sacramentis c. 6. Si „ quotiescumque effunditur sanguis Christi, in remissionem peccatorum effunditur, debeo semper accipere: qui semper pecco, debeo semper habere medicinam. Alio modo potest considerari ex „ parte sumentis, in quo requiritur, ut „ cum magna devotione, & reverentia ad „ hoc Sacramentum accedat: & ideo si „ aliquis se quotidie ad hoc paratum inveniat, laudabile est, quod quotidie „ sumat; unde Augustinus cum dixisset, „ Accipe quod quotidie tibi prosit, subjungit: Sic vive, ut quotidie merearis „ accipere. Ergo &c.

QUINTUM ARGUMENTUM

Ex sanctis Doctoribus Mysticis procedit.

In his quæ pertinent ad perfectionem animarum, vel augendam, vel saltem conservandam, inter omnes audiendi sunt Doctores Mystici, qui rerum spiritualium usum proprio comprobant experimento: Atqui ex Doctoribus Mysticis frequenter communicandum est, cum nullum sit medium efficacius sanctissima Communione ad ciendos pietatis affectus. Ergo &c. Probatur minor.

Sanctus Carolus de hoc venit in testimonium maximum, quippe qui scientia Sanctorum donatus sit, & Tridentino adfuerit Concilio, cujus mentem inter omnes attigit. Porro magnus ille Præsul hoc pastoribus suæ Diœceseos documentum præbet, ut populum ad frequentiorem Communionem provocent, ei ad hoc tum regulas purissimæ moralis, tum nascentis Ecclesiæ exempla, tum etiam doctrinam communi Patrum suffragio celebratam proponendo, quatenus tantis impulsus motivis, sacram mensam frequentare satagat, quæ quidem verba quasi de verbo ad verbum ipsius sancti Episcopi voces referunt.

Alter utique celeberrimus testis est S. Franciscus Salesius, vitæ spiritualis indagandæ doctissimus Magister. Hic autem 2. p. introductionis, ad vitam devotam, ex Gallico idiomate Latine sic redditur, & ait de Communione sermonem instituens. " Si mundani quærant a vobis „ cur sæpius communicatis, illis dicite: „ Duplicis generis personas frequenter „ communicare debere; perfectas quidem, cum enim sint optime dispositæ, „ non sine irrogata sibi ipsis injuria, ad „ principium, & perfectionis fontem non „ accederent: imperfectas vero, ut justa „ de causa ad ipsam aspirarent perfectionem; fortes, ne debiles evadant, tum „ fragiles, ut fortes fiant; ægras ut sanentur, sanas etiam ne prolabantur in „ morbum: vos vero, ut imperfecti, debiles, & ægroti, indigetis sæpius communicare.... respondete illis, eos qui „ multis mundanis non implicantur negotiis, teneri sæpius communionem sumere, eo quod per tempus liceat; ceteros vero qui e contra multis vacant, „ utique ad communionem accedere, quia „ auxilio egent. „

Tum in Philothea 1. p. cap. 20. "Quotidie Eucharistiæ communionem percipere nec laudo, nec reprehendo. Omnibus tamen Dominicis diebus communicandum suadeo, & hortor, si tamen mens sine affectu peccandi sit. „

Gersonius L. de præp. Missæ consid. 21. similia docet: concinit Taulerus apud Ludovicum Blesensem L. de Sacramentis c. 16. §. 5. in Conc. an. fid. c. 6. §. 1. scribit S. Gertrudem orantem pro unica sui Monasterii religiosa, quæ ceteras a Communione deterrebat, a Christo interius illi loquente hæc audivisse: " Cum „ deliciæ meæ sint esse cum filiis hominum, & propter meum erga illos amorem istud instituerim Sacramentum, „ ut fideles illud ipsum in meam commemorationem reciperent; meumque „ totum desiderium esse cum eis usque „ ad consummationem sæculi permanere: quicumque eas a peccato mortali „ immunes, verbis vel aliter avertunt, „ ne pretiosum istud amoris mei pignus „ suscipiant, utique quodam modo præ-

pedium

„ pediunt delicias quas cum eis habuis„ sem. „ Ergo &c.

SEXTUM ARGUMENTUM

Ex rationibus Theologicis coalescit.

Prima, Jam delibata est supra: Eucharistia datur per modum cibi: sed cibus quotidie sumendus est, ne deficiant vires in via peregrinationis nostræ: Ergo &c.

Secunda: Effectus Eucharistiæ est præcavere peccata, ut ex Concilio Tridentino diximus: atqui quotidie imminent peccandi pericula, juxta illud beati Pauli 2. Cor. 5. *Foris pugnæ, intus timores*: Igitur ad auxilium quotidie recurrendum est, nec excusaretur a peccato qui ex supina negligentia auxilium contra irruentes salutis hostes non advocaret.

Tertia: Ubi sunt infirmitates quotidianæ, ibi quotidiana remedia adhibenda sunt: Atqui quotidianæ sunt infirmitates, nam ut ait Sanctus Jacobus, cap. 1. *Unusquisque vero tentatur a concupiscentia sua abstractus & illectus. Deinde concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum: peccatum vero cum consummatum fuerit, generat mortem.* E ibidem cap. 3. *In multis enim offendimus omnes.* Sed Eucharistia, ut ait Catechismus Romanus p. 2. num. 53. Leviora peccata delet. Num. 54. contra adversa roborat animam. N. 55. comprimit, & extinguit concupiscentiæ ardores: Quid plura adjiciam? Quotidiano comprobatur experimento peccatores, ad Deum conversos frequentiori communione a mala peccandi consuetudine præservari: Nec ad vomitum redeunt nisi neglecto prius remedio.

SOLVUNTUR OBJECTIONES

Novatorum.

OBJICIUNT: Qui non sunt digni accedere ad Eucharistiam, non nisi propter Christi præceptum, & raro illam debent frequentare: Atqui homo utpote peccator tanto honore non est dignus. Ergo &c.

Respondeo I. Retorquendo argumentum: Igitur ne semel quidem ullus debet communicare, cum omnes creaturæ, teste Propheta, tamquam nihilum sint ante Deum: & tamen Novatores Pharisæorum fuligine conspersi Missam, ut vivant, sæpius celebrare non dubitant, cum nihilominus major sanctimonia in Ministro conficiente simul, & utente Sacramento requiratur, quam in alio.

Respondeo II. Distinguendo: Nemo dignus est arithmetice loquendo ad sacram Eucharistiam accedere, concedo. In isto quippe sensu, vel ipsi Angeli digni non forent, cum sit inter Deum & creaturam infinita distantia. Non est dignus geometrice, subdistinguo: si sit in peccato mortali, concedo; si ab eo aut purgatus, aut immunis sit, nego. Proportio duplex distinguitur: Una Arithmetica, Geometrica altera. Prior attenditur penes naturam & perfectiones, & nusquam reperitur inter Creatorem, & creaturam: Posterior penes justitiam quæ est in gratia, & in virtutibus fundatur, maxime vero charitate, qua homo amicus Dei evadit: Ista reperitur in justo, sufficitque ad participationem Eucharistiæ. Solutio est D. Thomæ, qui hic q. 80. art. 10. dicit necesse esse peccatorem sæpius ad Christum medicum accedere, ut sanetur: " Debeo, *inquit*, semper accipe„ re, qui semper pecco: debeo semper „ habere medicinam.

Cassianus, collatione 23. c. 21. pag. 796. eamdem sibi proponit difficultatem, & sic respondet: " Nec tamen ex eo de„ bemus a Dominica communione sus„ pendere, quia nos agnoscimus peccato„ res; sed ad eam magis, ac magis, & „ propter animæ medicinam, & purifi„ cationem Spiritus avide festinandum: „ verumtamen ea humilitate mentis ac „ fide, ut indignos nos perceptione tan„ tæ gratiæ judicantes, remedia potius „ nostris vulneribus expectamus. Alioquin „ nec anniversaria quidem digne est præ„ sumenda Communio, ut quidam fa„ ciunt .... Qui profecto majorem arro„ gantiæ præsumptionem, quam declina„ re sibi videntur, incurrunt; quia vel „ tunc cum ea percipiunt, dignos se ejus „ perceptione dijudicant. Multo enim ju„ stius est, ut cum hac cordis humilitate „ qua credimus, & fatemur illa sacro„ sancta Mysteria numquam pro merito „ nos posse contingere, singulis ea Domini-

cis

„ cis diebus ob remedium nostrarum ægri-„ tudinum præsumamus, quam ut vana „ persuasione cordis elati, vel post annum „ dignos eorum participes nos esse creda-„ mus. „ Audis Cassianum proprio telo confodere novatores, qui fucato reverentiæ prætextu animas uno, aut duobus annis, a Communione avertere non dubitant.

Instant: Qui infirmitatibus circumdatus est, timendum illi est si frequentius accedat, ne judicium sibi manducet. Igitur raro quisque debet accedere ad sacram mensam.

Respondeo I. Sacerdotem qui raro celebrat, teste D. Bonaventura, Deum gloria privare, cœlum gaudio, Ecclesiam patientem, refrigerio; militantem vero auxilio, semetipsum tandem alimento, quo deficiente protinus languescit, & in deterius abit.

Respondeo II. Distinguendo: Et sæpius communicandum est, ne judicium quisque sibi manducet, concedo: Qui enim rem unam semel tantum in anno efficit, non tam perfecte operatur quam qui sæpius: & abstinendum est sæpissime a Communione, nego. Solutio est Divi Cyrilli Alexandrini, qui L. 4. in Joannem cap. 17. duo mirabundus de sacra Eucharistia explanat, alterum de unione mirabili quam mediante Eucharistia cum Christo contrahimus: alterum de ineffabili effectu Eucharistiæ, quo franguntur passionum insurgentium impetus; sicque ipse nos sua susceptione redit dignos.

De priori momento sic loquitur; explicans enim illa Christi verba, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem in me manet, & ego in illo*: subdit: " Sicuti enim si quis liquefactæ „ ceræ aliam ceram infuderit, alteram „ cum altera per totum commisceat ne-„ cesse est; sic qui carnem, & sangui-„ nem Domini recipit, cum ipso ita „ conjungitur, ut Christus in ipso, & „ ipse in Christo inveniatur. „ Ex quo patet unam Communionem nos altera dignos reddere, & quo frequentius communicamus, eo digniores communicandi evadimus, quatenus per frequentiorem Communionem magis, ac magis Christo unimur, & incorporamur,

De posteriori ibidem proponit sibi difficultatem his verbis pag. 203. & 204. " Ego igitur probo me ipsum, & indi-„ gnum invenio. „ Tum propositam solvit, & sic pergit. " Quando igitur, qui-„ cumque tu es qui ista dicis, dignus „ eris? Quando Christo te ipsum offeres? „ Nam si peccando indignus es, & pec-„ care non desinis, Quis enim delicta in-„ telligit, secundum Psalmistam, expers „ omnino eris vivificæ hujus sanctifica-„ tionis. Quare, pias quæso cogitationes „ suscipias, studiose, sancteque vivas, & „ benedictionem participes, quæ mihi „ crede, non mortem solum, verum et-„ iam morbos omnes depellit. Sedat „ enim, cum in nobis maneat Christus, „ sævientem membrorum nostrorum le-„ gem, pietatem corroborat, perturba-„ tiones animi extinguit: nec in quibus „ sumus peccatis considerat, sed ægrotos „ curat, collisos redintegrat, & sicut pa-„ stor bonus, qui animam suam pro ovi-„ bus posuit, ab omni nos erigit casu.„

Persistunt: Ea qua par est reverentia tractandum est Eucharistiæ Sacramentum: Sed reverentia exigit, ut raro ad sacram mensam accedamus, & probatur. I. Exemplo Centurionis, qui dixit Matthæi 8. *Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum*, tum & S. Petri; qui Lucæ 5. ait Christo, *Exi a me Domine; quia homo peccator ego sum*. Ergo &c.

Respondeo, negando minorem. Ad probationem distinguo: Et timor reverentialis conjunctum habet amorem, quo fit ut sæpius accedat anima ad sponsum, concedo; secus, nego. Responsio colligitur ex divo Thoma hic q. 80. art. 10. ad 3. his verbis: " Dicendum quod reverentia hu-„ jus Sacramenti habet timorem amori „ conjunctum, unde timor reverentiæ ad „ Deum, dicitur timor filialis: ut in se-„ cunda parte dictum est; ex amore „ enim provocatur desiderium sumendi, „ ex timore autem consurgit humilitas „ reverendi: Et ideo utrumque pertinet „ ad reverentiam hujus Sacramenti, & „ quod quotidie sumatur, & quod ali-„ quando abstineatur .... Quamvis non „ uno modo: amor tamen & spes, ad „ quæ semper Scriptura nos provocat, „ præferuntur timori. Unde, & cum Pe-„ trus dixisset, Exi a me Domine, quia

„ homo peccator sum, respondit Jesus, „ Noli timere. „ Observes velim sanctum Thomam concludere potius esse frequenter quam raro communicandum, & plus dandum esse amori, quam timori.

Dices: Ecclesia præcipit semel tantum in anno communicare, scilicet Paschatis tempore: Igitur a regulis Ecclesiæ non secedit qui raro commuoicat.

Respondeo distinguendo antecedens: Et Ecclesia ad duritiam cordis illud statuit, concedo: Et per hoc frequentiorem communionem rejicit, nego. Perfectius est frequentius quam raro ad sacram mensam accedere. Consilium quidem de perfectiori dat Ecclesia, præceptum vero de eo quod absolute necessarium est.

D. Thomas ibidem ad 5. huic difficultati facit satis. " Dicendum, *inquit*, „ quod secundum diversum statum Ecclesiæ, diversa circa hoc statuta emanaverunt. Nam in primitiva Ecclesia, „ quando magna vigebat devotio fidei „ Christianæ, statutum fuit, ut quotidie „ fideles communicarent. Unde Anacletus Papa dicit, peracta consecratione, „ omnes communicent, qui noluerint Ecclesiasticis carere liminibus: sic enim & „ Apostoli statuerunt, & sancta Romana tenet Ecclesia: postmodum vero „ diminuto fidei fervore, Fabianus Papa „ indulsit, ut si non frequentius, saltem „ ter in anno, omnes communicent, scilicet in Pascha, Pentecoste, & Natali „ Domini. Soter etiam Papa in cœna „ Domini dicit esse communicandum, „ ut habetur in decretali de consecratione dist. 2. Postmodum propter iniquitatum abundantiam, refrigescente Charitate multorum, statuit Innocentius „ III. ut saltem semel in anno, scilicet „ in Pascha, fideles communicent. Consulitur tamen in libro de Ecclesiasticis „ dogmatibus, omnibus diebus Dominicis esse communicandum. „

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Frequentius ad sacram mensam debemus accedere.

PRIMO hoc ipsum Scriptura dicit Joannis 6. *Nisi manducaveritis &c.* & Actuum 2. habetur de primis Christianis, quod perseverarent in fractione panis.

Secundo: Concilia ad hoc adhortantur fideles, maxime Tridentinum Sess. 13. c. 6. idem suadent SS. Patres, ut Ambrosius L. 4. de Sacramentis c. 3. Chrysostomus & alii.

Tertio: Non una est pro hac devotione ratio. I. quia Christus ait delicias suas esse cum Filiis hominum, & desiderio se desiderare manducare Pascha nobiscum, hoc est frequentius. II. Eucharistia est cibus quo anima nostra alitur. Qui autem prætermittit cibum, languescit. III. Passiones mitigat, & teste S. Chrysostomo, terribiles nos efficit dæmonibus. Ergo &c.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Non diffitemur nos esse Communione indignos physice propter infinitam distantiam quæ intercedit inter nos, & Deum: immo & sæpius moraliter propter peccata quotidiana, & imperfectiones; sed gratia justificante, & charitate flagrante, digni evadere possumus.

Secundo: In multis offendimus omnes, sed non ideo a sacra discedendum est mensa, sed potius ne prolabamur in peccatum lethale, frequentius accedendum, ut a quotidianis defectibus in quantum fieri potest, abstineamus.

Tertio: Timor reverentialis a sacra mensa non elongat, cum habeat admixtum amorem, quando quis sæpius vult accedere. Hinc si Ecclesia præcipiat unam tantum in anno Communionem, consilio provocat ad frequentiorem.

PUNCTUM SECUNDUM.

De conditionibus prærequisitis ad frequentiorem Communionem.

DE dispositionibus tum corporis, tum animæ ad sacrificium Eucharistiæ celebrandum juxta sanctorum Patrum placita, & Rubricas, juxta Ritualia, seu etiam Missalia, dicemus ex professo quarta parte: Nunc operæ pretium est, eas recensere quæ Laicam spectant communionem quantum ad animam.

Hu-

Hujusmodi tum corporis, tum animæ munditiam, ab omni peccato mortali, & etiam veniali inveterato habitu immunitatem, gratiam sanctificantem, justitiam & virtutum omnium præclaram supellectilem ad maiorem convenientiam exigunt sancti Doctores, Apostolo 1. Corinth. 11. dicente: *Probet autem seipsum homo: & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Quicumque enim manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & sanguinis Domini.*

De hoc momento mira profert Concilium Tridentinum Sess. 13. cap. 7. infra citandum; quidam in excessum prorsus abiere. Seculo quippe immediate elapso emersit opinio Jansenii Iprensis asseclarum, qui specie reformationis, & summæ erga Eucharistiam reverentiæ raro ad modum communicandum esse propugnarunt; sed hæc sententia dubio-procul exitiosa est. Ad duo potissimum capita reducitur: primum quidem, volunt ut qui in aliquod peccatum mortale tametsi non habitualiter prolapsi sunt, ab eo non absolvantur nisi post exantlatos rigorosæ pœnitentiæ labores: alterum vero quod ad sacram non accedant mensam nisi completa per unum saltem annum probatione; hinc experimento non semel, sed sæpius probatum est, eos nedum unius anni spatio, sed & plurimorum annorum a sacra mensa elongare pœnitentes, non dicam propter in aliquod peccatum mortale lapsum, verum etiam, quod stupendum est, propter venialia frequentius commissa, a quibus certe per usum sanctissimæ Communionis, si non a toto, saltem a tanto abstinuissent.

Hanc pessimam doctrinam hauserunt ex libro, qui titulo pietatis inscribitur, De frequenti Communione, cum tamen contrarium prorsus spiret; quandoquidem Scriptor & rigorosam nimis pœnitentiam exigat, & a sacra mensa totis viribus pœnitentes vere conversos eliminet. Hoc opus creditur Abbatis Sancirani, seu Joannis Vergerii fœtus, ut suspicatur illustrissimus Dominus Abrahan De Raconis Episcopus Vorensis gallice *Lavaur*; alii & verisimilius illud Arnaldo Doctori Sorbonico tribuunt: quod quidem non levius indigitant Epistolæ multorum Præsulum ad Urbanum VIII. & Innocentium X. summos Pontifices proapprobation istius libri, directæ.

Scopus auctoris est librum viri cujusdam devotissimi de frequenti sacræ Eucharistiæ usu, ad piam domicellam directum, debellare. Ibi enim Arnaldus nedum frequentioris Communionis probationes in illo contentas per omnia videtur tentare, verum etiam ipsum auctorem insulsis lacescit dicteriis.

Ad perfectam hujusce controversiæ eliquationem, duo sunt discutienda: Primum quidem de Communionis recte faciendæ conditione, deinde vero agendum de iis quæ sunt absolute necessaria tum ad Communionem secundum se sumptam, tum ad Communionem frequentissimam. Quia vero multi recentiores non sine ausu temerario vel ipsam Communionem paschalem absque sufficienti fundamento prætermitti doceant, ponderandum & discutiendum est, num hoc citra peccatum & salutis, tum animæ pœnitentis, tum Confessoris periculum fieri possit. Unde sit

CAPUT PRIMUM.

Utrum piæ dispositiones ad Communionem prærequirantur?

CONCLUSIO PRIMA.

Ad Communionem necessario requiritur Gratia sanctificans, & justificans.

Probatur multis momentis.

PRIMO QUIDEM ex Scriptura sacra. Psal. 15. habetur: *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*; quem locum multi Patres intelligunt de eo qui ad sacram mensam accedit. Præterea ipse Christus ait Joan. 6. *Qui manducat me, & ipse vivet propter me*: Quibus verbis sanctitatem a commensali suo exigit Dominus. Hoc ipsum declarat Apostolus 1. Cor. 11. *Probet autem seipsum homo*, at, *& sic de pane illo edat*: Hinc Concilium Tridentinum præcipit ut nullus Sacerdos quantumvis se putet de peccato mortali contritus, non nisi tamen, facta confessione, accepta absolutione celebret,

ne in periculum veniat sanctitas requisita ad Sacramenti susceptionem, cum nullus possit esse satis de contritione perfecta extra Sacramentum certus.

Secundo, ex SS. Patribus. Ambrosius L. 6. in Lucam ait: " Nemo accipit cibum „ Christi, nisi qui fuerit antea sanatus. „ Patrocinatur Augustinus Tractatu 28. in Joannem; ubi exigit animæ munditiam ad sacram mensam. Sic docent communiter omnes, ne uno quidem excepto, Patres.

Tertio, ratione, & quidem multiplici: I. Dicebat quondam Salomon, non homini sed Deo præparatur habitaculum: Hinc, inquiunt Patres, nemo Judas, & proditor Christum in Eucharistia debet suscipere. II. Accedens ad convivium sine veste nuptiali, ut interpretantur sancti Doctores, sine gratia, ad nuptias Agni seu Eucharistiam, imperante Domino Matth. 22. ejicietur foras, & tortoribus dabitur excruciandus. 3o. Absolute requiritur ab omni peccato mortali immunitas, adeoque sanctitas; sin minus, teste Apostolo, 1. Cor. 11. *Judicium sibi manducat, non dijudicans corpus Domini*.

Sanctus Thomas hic q. 80. art. 4. hanc explanat rationem his verbis. " Dicendum quod in hoc Sacramento sicut in „ aliis, id quod est Sacramentum, est „ signum ejus, quod est res Sacramenti. „ Duplex autem est res hujus Sacramenti, „ sicut supra dictum est. Una quidem, „ quæ est significata & contenta, scilicet „ ipse Christus: alia autem est significata, & non contenta, scilicet corpus „ Christi misticum, quod est societas Sanctorum. Quicumque ergo hoc Sacramentum sumit, ex hoc ipso significat „ se esse Christo unitum, & membris „ ejus incorporatum. Quod quidem fit per „ fidem formatam, quam nullus habet „ cum peccato mortali. Et ideo manifestum est, quod quicumque cum peccato „ mortali hoc Sacramentum sumit, falsitatem in hoc Sacramento committit: & „ ideo incurrit sacrilegium, tamquam „ Sacramenti violator. „

Non omittendum quod Ecclesia juxta pristinam disciplinam volebat, ut Diaconus ante communionem Laicam istud conclamaret oraculum: *Sancta Sanctis*, hoc est nemo nisi mundus ad sacram mensam accedat.

Hanc doctrinam suo munit calculo Catechismus Romanus. p. 2. nu. 55. " Ac „ primum quidem, *ait*, ut pateat, eam „ præparationem maxime necessariam esse, Salvatoris nostri exemplum proponendum est. Nam antequam Apostolis pretiosi corporis, & sanguinis sui „ Sacramenta daret, quamvis jam mundi „ essent, pedes eorum lavit, ut declararet omnem diligentiam adhibendam „ esse, ne quid nobis ad summam animi integritatem, & innocentiam desit, „ cum sacra mysteria percepturi sumus. „ Deinde vero fideles intelligant, quemadmodum, si optime affecto, & præparato animo Eucharistiam aliquis sumat, amplissimis cœlestis gratiæ muneribus ornatur: Ita contra, si imparatus accipiat, non solum nihil commodi, sed maxima etiam incommoda, „ & detrimenda eum accipere .... Id vero arcæ Domini exemplo comprobatur. „ Arca enim fœderis, qua nihil præstantius Israeliticus populus habuit, cui „ etiam per illa maxima, & innumerabilia beneficia Dominus tribuerat, a „ Philisthæis ablata summam illis pestem „ & calamitatem cum æterno dedecore „ conjunctam importavit. „

Tum n. 56. subjungit: „ Deinde conscientiam nostram scrutari diligenter „ debemus, ne forte exitiali aliquo peccato contaminati simus, cujus pœnitere necesse sit: ut prius contritionis, „ & confessionis medicamento illud eluatur. Definitum est enim a sancta Tridentina Synodo, nemini licere, quem „ mortali peccati conscientia stimulet, „ si Sacerdotis facultas data sit, antequam se Sacramentali confessione purgarit, quantumvis sibi contritus esse videatur, sacram Eucharistiam accipere. „

CONCLUSIO SECUNDA.

Præter Gratiam sanctificantem requiritur virtutum exercitium, maxime Fidei, Spei, & Charitatis.

Probatur multis rationibus.

PRIMA: Debet esse relatio inter sponsum

sum & sponsam, dum misticum celebratur matrimonium: Sed in Communione celeberrimum contrahitur inter animam, & Christum suum sponsum, cum non detur in hac vita major cum Christo unio ea quæ fit per Eucharistiam: Christus autem dicitur *Dominus virtutum*, Psal. 23. Igitur anima tunc temporis virtutes omnes, saltem palmares exercere debet. Hoc ipsum sequitur ad exemplum Christi mox laudati, qui voluit tum humilitatis, tum charitatis exempla præbere Discipulis, eorum lavando pedes, ut intelligerent dispositiones ad Eucharistiam eas esse, quæ munditiam, humilitatem, & charitatem complectuntur, & omnem ornatum interiorem, qui quidem præfiguratur apparatu celebri quo pueri Hebræorum Christum civitatem sanctam ingredientem, suscepere.

Altera: Forma introducenda dispositiones omni exceptione majores requirit, ait D. Thomas, ita ut juxta majorem vel minorem gradum radicetur in subjecto. Igitur cum Christus per Eucharistiam veniat ad hominem, ut illi intime conjungatur, suisque ejus animam decoret muneribus, unio juxta dispositiones fit: Igitur & ut perfecta sit, virtutum omnium exercitia debent accedere.

Tertia: Præceptum fidei, spei, & charitatis tunc obligant, cum isto præsertim tempore fidem suam probare in Deum ut totius justitiæ fontem, per spem tendere, tum vero suum erga Christum amorem ostendere tenetur; scriptum est enim 1. Cor. 3. *Omnia vestra sunt, vos autem Christi*. Igitur sicut totus Christus pro nobis est in Eucharistia, sic & vicissim debemus Christo totaliter mancipatos esse.

Catechismus Romanus ibidem n. 56. istas explanat dispositiones, & sic loquitur: " Primam itaque illam præparationem „ Fideles adhibeant, ut discernant mensam a mensa, hanc sacram ab aliis profanis, cœlestem hunc panem, a com„ muni: Atque hoc fit, cum certo credimus præsens esse verum corpus, & „ sanguinem Domini, quem in cœlo „ Angeli adorant, ad cujus nutum co„ lummæ cœli contremiscunt, & pavent, „ cujus gloria plenum est cœlum & terra. „ Audis fidem esse absolute necessariam ad communionem digne faciendam. Pergit: " Altera vero illa præparatio maxi„ me necessaria est, ut unusquisque a „ seipso quærat, num pacem cum aliis „ habeat, num proximos vere atque ex „ animo diligat: *Si ergo offers munus tuum „ ad altare, & ibi recordatus fueris quia „ frater tuus habet aliquid adversum te, „ relinque ibi munus tuum ad altare, & „ vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc „ veniens offeres munus tuum.* „

Hanc dispositionem inter omnes, animarum rectores commendare debent, cum non semel contingat multos, qui etiam se justos esse autumant, cum corde non nihil erga proximum ulcerato, tametsi dicant ne minimum quidem malum illi aut velle, aut peroptare, ad sacram mensam accedere non dubitent.

Neque vero alias ex parte animæ ceterarum virtutum legitimas dispositiones prætermittit Catechismus; sic enim ibidem prosequitur: " Præterea taciti cum „ animis nostris cogitemus, quam indigni „ simus, quibus divinum hoc beneficium „ a Domino tribuatur: quare illud Cen„ turionis, de quo idem ipse Salvator te„ status est, se non invenisse tantam fi„ dem in Israel, ex animo dicendum est: „ *Domine non sum dignus, ut intres sub te„ ctum meum*; exquiramus etiam a no„ bis ipsis, an illud Petri usurpare no„ bis liceat: *Domine, tu scis, quia amo „ te*. Meminisse enim oportet, eum „ qui sine veste nuptiali in Domini con„ vivio accubuerat, in tenebrosum car„ cerem conjectum, sempiternis pœnis „ addictum fuisse. „

Quarta: Inter animæ dispositiones, amor ardens ad Eucharistiam fructuose suscipiendam requiritur: namque magnum est Christi erga nos argumentum, juxta illud Concilii Tridentini Sess. 13. cap. 2. " Salvator noster discessurus ex hoc mun„ do ad Patrem, Sacramentum hoc in„ stituit, in quo divitias divini sui erga „ homines amoris velut effudit. „ Igitur concludamus cum S. Bernardo: " Si pi„ gebat amare Deum, redamare non pi„ geat. „

CONCLUSIO TERTIA.

Convenit multopere, I. ut accedens actuali ferveat devotione, quantum fieri potest. II. Ut abstineat a frequentioribus peccatis venialibus. III. Ut corpus habeat mundum.

Probatur prima pars ex Augustino, qui de Christo nos diligente ait, Si amari, delectat, redamare non pigeat. Cum enim ibi, ut dictum est, agatur de matrimonio spirituali, consensus autem actualis amore formatus ad hoc exigatur, maxime cum sumptio Euchatistiæ sit ipsum amoris Christi erga nos exercitium, adeoque & in recipiente sic debet esse, juxta illud Philosophiæ adagium, relativa sunt simul natura, & cognitione. Ad hanc dispositionem attendit Apostolus, quum quosdam increpat fideles, quod inter eos multi dormirent, & nonnulli etiam forent ebrii, hoc est ad sacram mensam non ea qua par erat reverentia accederent. Sic loquitur 1. Cor. 11. *Unusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum. Et alius quidem esurit: alius autem ebrius est. Numquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum? Aut Ecclesiam Dei contemnitis, & confunditis eos qui non habent? Quid dicam vobis? Laudo vos? in hoc non laudo...... Ideo inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi*. Laudat Apostolus fideles eo quod communicent, sed eosdem increpat quod quidam sine devotioone communicarent.

Probatur altera pars, scilicet, abstinendum esse ab habitu peccatorum venialium. Sic prædicant passim sancti Patres, multas quidem ob rationes. Primo quidem quia hoc ipsum exigit Christus Joann. 6. ubi ait: *Qui manducat me, & ipse vivet propter me*. Secundo, Sacramentum ardeotissimæ charitatis exigit summum erga Christi amorem, a quo quidem declinant, qui absque delectu in peccata venialia ruunt. Tertio, peccata venialia sæpius commissa ad peccatum lethale conducunt, juxta illud adagium, *qui spernit modica, paulatim decidet*. Quarto, concinit Augustinus, qui ait, repetitas, aut sordes, aut scissuras in veste, tametsi Leviores, tandem aliquando vel ipsum indumentum in frusta scindere. Gennadius, Lib. de Dogmatibus Ecclesiasticis c. 23. de hoc momento sic loquitur: " Quotidie Eucharistiæ Cummunionem percipere nec laudo, nec vitupero, omnibus tamen mens sine affectu peccandi sit. " Porro qui tenetur habitu quorumdam venialium, ad peccatum affectum habet. Demum attendendum est maxime ad istam ab ipso Deo prolatam senteotiam, Apc. 3. *Quia tepidus es .... incipiam te evomere ex ore meo*: Quis autem negaverit hominem maximo peccatorum venialium habitu ligatum, esse tepidum, cum isti defectus non nisi ex summa negligentia, & quasi erga Deum contemptum promanent.

Probatur denique tertia pars, videlicet, quod vel ipsa corporis munditia præ-requiratur. Hoc ipsum patet. I. Ex veteri Testamento, in quo quidem non nisi purgatis & absterfis corporis sordibus erat licitum, aut de Sacrificiis participare, aut vasa sacra tangere. II. Ex praxi Ecclesiæ, & quæ tum in templis, tum in vasis sacris, tum in Sacerdotum vestimentis exquisitam consulit munditiam; a fortiori & in corpore ad Eucharistiam accedentium; hinc quotidie in Completorio enixe Deum deprecatur, ut ab omni nocturno phantasmate, ne polluantur corpora, nos liberet. Si quid igitur aut negligentiæ, aut occasionis datæ, aut etiam in his quædam adhæsio contingeret, confessione de his sese purgare ante Eucharistiæ sumptionem convenit. Sic colligitur ex Divo Thoma hic. q. 80. art. 7.

De uxoratis, multus est sermo apud Concilia, & Patres. Consilium dat Apostolus, ut aliquibus diebus ante Communionem a consortio conjugali abstineant, idem exigit Concilium Aurelianense; tametsi enim quædam homini liceant, sed non semper expediunt præ nimio ad res terrenas affectu: hinc Intra sapientiæ, & sobrietatis limites, ut plurimum non sistit appetitus, quod tamen exigit Apostolus 1. Cor. 7. dicens, *Qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur*.

Catechismus Romanus p. 2. de Eucharistia. N. LXI. de hoc momento sic discurrit: " Postulat etiam tanti Sacramenti dignitas, ut qui matrimonio junctis

„ juncti sunt, aliquot dies a concubitu „ uxorum abstineant, Davidis exemplo „ admoniti, qui cum panes propositionis „ a Sacerdote accepturus esset, purum „ se, & pueros suos ab uxorum consue- „ tudine tres ipsos dies professus est. „

SOLVUNTUR OBJECTIONES

Contra primam Conclusionem.

Objicies: Quum totius vitæ spiritualis fons, & origo suscipitur, non opus est, ut vita præcedat in subjecto: Sed Christus qui est ipsa via, veritas, & vita in Eucharistia venit ad animam: Igitur ad hoc Sacramentum suscipiendum non prærequiritur gratia sanctificans.

Respondeo distinguendo minorem: Et Christus venit ad animam in Eucharistia ut sponsus, in thalamo quiescendus, ut Rex in throno sedendus, & ut Deus omnibus modis colendus, quæ quidem dotes magnam exigunt in anima, & puritatem, & sanctitatem, concedo: Solum ut medicus infirmos consortaturus, subdistinguo: secundario, concedo: primario, nego. Eucharistia est Sacramentum vivorum propter rationes modo allatas; hinc ipse Christus, ait Joan. 10. *Veni ut vitam habeant, & abundantius habeant*: Si igitur ut abundantius anima vitam habeat, jam prærequiritur, ut sit fide, & amore saltem incohato flagrans.

Instabis: Atqui primario Christus venit in Eucharistia, ut medicus: Ergo &c. Probatur subsumptum. Sacerdos petit I. Ut per receptionem corporis, & sanguinis Domini liberetur ab omnibus iniquitatibus suis. II. Hæc de sacro altaris sacramento Ecclesia dicit, *Sit ablutio scelerum, sit fortitudo fragilium, sit contra omnia mundi pericula firmamentum &c.* Sed Sacerdos isto modo alloquitur Christum ut medicum. Ergo &c.

Respondeo, negando subsumptum. Ad probationem distinguo: Sacerdos petit liberari a peccatis venialibus, concedo: A mortalibus subdistinguo; per modum solutionis pretii, seu etiam absterfionis, quando per accidens aliqua peccata exitialia præ memoriæ labilitate non fuerunt in confessione detecta, concedo: secus, nego. Et sic patet solutio ad secundam probationem.

Replicabis: Sanctus Ignatius Epist. 14. ad Ephesios sic loquitur de Eucharistia: " Frangimus panem qui est germen im- „ mortalitatis, antidotum mortis, re- „ staurator vitæ in Deum per Christum, „ medicina expultri vitiorum. „ Tum sanctus Chrysostomus Homil. 4. in Matthæum: " Hic panis est medi- „ camentum ad sanandas infirmitates, „ purgandas iniquitates. „ Tum etiam August. Sermone 28. de verbis Domini: " Qui vulnus habet, *inquit*, medi- „ cinam requirit. Vulnus est, quia sub „ peccato sumus, medicina, est cœleste „ & venerabile Sacramentum. „ Denique Tridentinum Sess. 13. can. 5. sic definit: *Si quis dixerit, vel præcipuum fructum SS. Eucharistiæ non esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire*; *Anathema sit*. Sed voces istæ *antidotum mortis*, *medicina expultrix vitiorum*, *remissio peccatorum*, & similes denotant Christum venire in Eucharistia primario, ut medicum. Ergo &c.

Respondeo distinguendo minorem: Eucharistia ut sacrificium, est primario ad remissionem peccatorum, concedo. Quia sub hoc respectu est passionis Christi memoriale, & effusi sanguinis pro peccatorum redemptione applicatio: ut Sacramentum, subdistinguo: est ad remissionem peccatorum venialium, & per accidens etiam mortalium, seu secundario, concedo: primario, nego. Sub isto quippe respectu est cibus, cujus proprium est vitam jam acceptam fovere, & augere. Igitur Christus in Eucharistia non venit ad nos primario, ut medicus, sed ut sponsus, ut pater & Dominus qui omnes ad suam invitat cœnam.

Instabis: Peccatores ad Christum in terra degentem libere accedebant, ut legitur de Maria peccatrice, sed pœnitente, & sic de aliis: Igitur non est inconveniens, ad Christum in Eucharistia, peccato mortali detentos accedere, maxime si eo accedant fine, ut vitam habeant.

Respondeo negando paritatem: Christus enim quamdiu fuit in vita superstes, medici personam gerebat, hinc erat facilis ad medicum aditus; sed in Eucharistia venit,

venit, ut sponsus nobiscum uniendus, ad quam unionem, summa animæ pulchritudo prærequiritur.

Insistes: Eucharistia datur, ut medicina infirmis, ad salutem restaurandam, secundum illud Matthæi 9. *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus.* Sed peccata mortalia sunt gravissimæ infirmitates: Igitur licitum est peccatoribus, ad Eucharistiam accedere ut sanentur.

Respondeo distinguendo majorem: Eucharistia est medicina restaurativa, & confortativa, concedo. Medicina purgativa gravium peccatorum, subdistinguo: per accidens, concedo: per se, nego. Solutio est Divi Thomæ hic q. 80. art. 4. ad 2. his verbis. " Dicendum quod „ non quælibet medicina competit secun„ dum quemlibet statum infirmitatis. „ Nam medicina, quæ datur jam libera„ tis a febre, ad confortationem, noce„ ret, si daretur adhuc febricitantibus. „ Ita etiam Baptismus, & Pœnitentia „ sunt quasi medicinæ purgativæ, quæ „ dantur ad tollendam febrem peccati. „ Hoc autem Sacramentum est medici„ na confortativa, quæ non debet dari, „ nisi liberatis a peccato. „ Rursus ibidem ad 5. solvit difficultatem pro iis qui accedunt cum peccato mortali ad Eucharistiam, de quo non habent contritionem.

Juvat textum hic afferre: " Dicen„ dum, quod hoc, quod non habet ali„ quis conscientiam sui peccati, potest „ contingere dupliciter. Uno modo per „ culpam suam, vel quia per ignorantiam „ juris, quæ non excusat, reputat non „ esse peccatum quod est peccatum, pu„ ta si aliquis fornicator reputaret sim„ plicem fornicationem non esse pec„ catum mortale, vel quia negligens „ est in examinatione sui ipsius: con„ tra id qnod Apostolus dicit 1. Cor. „ 11. Probet autem seipsum homo, & „ sic de pane illo edat, & de calice bi„ bat: & sic nihilominus peccat pecca„ tor sumens corpus Christi, licet non „ habeat conscientiam peccati, quia „ ipsa ignorantia est ei peccatum: alio „ modo potest contingere sine culpa ipsius: „ puta cum doluit de peccato, sed non „ est sufficienter contritus: & in tali „ casu non peccat sumendo corpus Chri„ sti: quia homo per certitudinem scire „ non potest, utrum sit vere contritus: „ Sufficit enim, si in se signa contritio„ nis inveniat, puta si doleat de præte„ ritis, & proponat cavere de futuris. „ Si vero ignorat hoc quod fecit, esse „ actum peccati, propter ignorantiam „ facti, quæ excusat, puta si accessit ad „ non suam, quam credebat esse suam, „ non est ex hoc dicendus peccator: Si„ militer etiam si totaliter est peccatum „ oblitus, sufficit ad ejus deletionem ge„ neralis contritio, ut infra dicetur. „ Unde jam non est dicendus peccator. „

SYNOPSIS OBJECTIONUM.

Ad suscipiendam Eucharistiam requiritur: I. Gratia sanctificans: II. virtutum supellectilis: III. devotio actualis: IV. abstinentia ab habitu peccati venialis: V. vel ipsa corporis munditia.

PRIMUM patet juxta illud Sapientiæ: *Non in malevolam animam intrabit Sapientia*; & istud 1. Corinth. 11. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat.* Concinit Ambrosius L. 6. in Lucam, & alii Patres.

Secundum utique claret: & hoc probat exemplum Christi, qui ante Communionem prostratus ad pedes Discipulorum, lavit eorum pedes, ut intelligerent præparationem ad Eucharistiam in humilitate, simul & charitate potissimum consistere, quod quidem explicat Catechismus Romanus hic n. 19.

De tertio multum instituunt sermonem Doctores Mystici, ubi de devotione actuali prærequisita ad sacram mensam. Cum enim Eucharistia sit erga nos Christi amoris magnum argumentum, ipsum ardentissima charitate redamare debemus.

Nemo cordatus dixerit abstinentiam a frequentioribus peccatis venialibus non requiri, cum habitus summum arguat torporem, & erga sponsum levissimum amorem.

Quod etiam munditia corporis ex decentia sit necessaria, asserit Catechismus Romanus hic n. 61.

SYN-

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO : Verum quidem est Christum esse vitæ auctorem, sed cum Eucharistia sit cibus, dubio-procul nihil prodesset, si cor, quod est veluti stomachus spiritualis, pestifera peccatorum mortalium lue implicaretur.

Secundo : Nec refert quod Patres passim antidotum mortis Eucharistiam appellent : cum ea ipsa ut sacrificium est, offeratur pro redemptione peccatorum, ut Sacramentum vero, multum prosit ad præcavenda peccata.

Tertio : Eucharistia est utique medicina, sed pro peccatis venialibus, & ad vires debilitatas restaurandas, sed non præcise ad vitam peccato mortali deperditam, restituendam.

CAPUT SECUNDUM.

De conditionibus prærequisitis in peccatoribus, ad hoc ut licite possint accedere ad sacram Communionem.

LOQUIMUR de his qui in peccato mortali prolabuntur, qui quidem sunt in triplici differentia: Nonnulli pessimis peccati mortalis habitibus ligantur, nec ab his recedendi habent animum. Alii e contra pœnitentia flectuntur, nec nisi dolentes, pondere vitiorum oppressi ruunt in peccata : Tertii generis hi sunt qui raro admodum in peccatum mortale incidunt, & hoc ex fragilitate; ita ut vix commissum sit, quod illud se patrasse doleant.

Certum est prioris generis peccatores, qui a peccato recedere nolunt, a sacra mensa arcendos esse donec resipiscant. Tota igitur controversia est de secundis, & tertiis: & quæritur, num propellendi sint a sacra mensa, & quænam in eis prærequirantur dispositiones ut eis sacra concedatur communio? Unde sit

CONCLUSIO PRIMA.

Peccatores qui laborant gravi peccatorum habitu, sed cupiunt a vitiis quibus ligantur solvi, prius pœnitentia laboriosa probandi sunt, ad tempus moderatum, & non ad annum, & quod pejus seu infelicius est, ad annos multos.

PLURES sunt in hac conclusione partes. Prima quidem quod hujusmodi delinquentes priusquam absolvantur, probandi sint. II. Quod ad tempus juxta judicium viri prudentis hoc fiat, & non sit longior absolutionis procrastinatio. Demum quod, absoluta prudenti probatione, concedatur eis absolutio, & deinde sacra Communio.

Probatur prima pars, scilicet quod probandi sint ii qui gravioribus peccati habitibus tenentur. Primo quidem sic habetur 1. Cor. 11. *Probet autem seipsum homo*, ait Apostolus, *& sic de pane ille edat*. II. Hoc ipsum facto probat ipse Apostolus qui Corinthium incestuosum magna pœnitentia, possessione scilicet dæmonis, qui illum per aliquot menses torqueret, probavit, tum postea pœnitentem lubentius absolvit, & ad sacra Mysteria recipiendo suscepit. III. Ex praxi Ecclesiæ; idem enim annuntiant Canones, qui licet quantum ad pœnitentiæ laboriosæ stationes ex indulgentia Ecclesiæ nunc non obligent, secus tamen in foro interno quantum ad quasdam pœnalitates, quæ juxta statum, & vires pœnitentis infligendæ sunt; sed ad eam solum mensuram, ut satisfaciat Deo, & a peccato recedat, nusquam vero ut in desperationem nimio pondere opprimatur. Si tamen peccata sint publica, & scandalosa, antequam absolvatur, debet satisfactionem publicam juxta judicium Episcopi dare, ut habetur in Conciliis Burdigalensi, Rotomagensi, Bituricensi, &c.

Observandum tamen est quod sicut per unicum actum heroicum comparatur juxta S. Thomam virtutum habitus; sic & nonnumquam per unum peccatum horribile & ex mera pravitate, ac malitia commissum, acquiritur quoque habitus malus; puta, si quis ex certa malitia sacram communionem, peccatis mortalibus grava-

gravatus, accipiat, una quippe mala Communio perdidit Judam: Si filius tametsi occulte, patrem, aut matrem occideret, vel mutilaret, ad pœnitentiam laboriosam tenetur. Hoc ipsum non levius annuntiat disciplina vetus, quæ pœnitentia publica mulctabat idololatriam, homicidium, adulterium, & gravissima in parentes commissa scelera.

Probatur altera pars, videlicet quod ad tempus moderatum probandi sint hujusmodi peccatores, & hoc veteris, & novi Testamenti auctoritate: Veteris quidem; legitur enim Lib. 2. Regum, ubi tractatur de Davide peccatore absoluto, statim atque Propheta intellexit eum pœnitentem: *Peccavi Domino*, ait Rex: *Dixitque Nathan ad David*, *Dominus quoque transtulit peccatum tuum*. Ex novo vero Matth. 11. Christus ait: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos*. Eo loci omnes indiscriminatim peccatores ad se vocat Dominus. S. Thomas Comm. in cap. 11. S. Matth. ista verba: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos*. Patrum oraculis sic interpretatur: " Chrysost. „ Non autem dicit, Venite ille & ille, „ sed omnes qui in solicitudinibus, qui „ in peccatis estis: Non ut expetam noxas, sed ut solvam peccata. Venite, „ non quoniam indigeo vestra gloria, „ sed quia volo vestram salutem: Unde „ dicit, Et ego reficiam vos: non dixit salvabo solum, sed quod multo „ amplius erat, reficiam vos, id est, „ in omni quiete constituam. Raban. „ Non solum exonerabo, sed interna refectione saturabo.

Rursus Lucæ 14. legitur quemdam virum potentem vocasse ad cœnam amicos, sed isti cœperunt se excusare. *Tunc iratus paterfamilias*, ait Scriptura, *dixit servo suo exi cito in plateas, & vicos civitatis, & pauperes ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc*. S. Thomas Comm. in cap. 14. S. Lucæ juxta mentem Patrum explanat cæcos & claudos qui compelluntur ad cœnam Domini accedere, eos esse peccatores qui ad cor redeunt: " Ambrosius: Invitat autem pauperes, debiles, & cæcos, ut ostendatur quod „ nullum debilitas corporis excludit a „ regno, rariusque delinquat, cui desit „ illecebra peccandi: vel quod infirmitas peccatorum, & per misericordiam „ Domini remittatur.

Celeberrimum est exemplum filii prodigi, ut narratur ibidem c. Luc. 15. Tametsi enim substantiam paternam cum meretricibus dissipasset, quia tamen pœnitens ad patrem accessit, vix aliqua interpolata mora, a patre benigne susceptus est. Sic enim scriptum est: *Pater, peccavi in cœlum, & coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus. Dixit autem pater ad servos suos: Cito proferte stolam primam, & induite illum, & date annulum in manum ejus, & calceamenta in pedes ejus, & adducite vitulum saginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur, quia hic filius meus mortuus erat, & revixit, perierat, & inventus est*.

S. Thomas in cap. 15. Luc. parabolam filii prodigi ad patrem revertentis interpretans, ait, cœnam in lætitiæ pignus datam Eucharistiam esse, quæ peccatori pœnitenti, tanto cum gaudio conceditur, ut Christus Pater occurrat ut illum deosculetur: " August. de quæst. Evang. Vel „ occurrens cecidit super collum ejus ... „ Cadere super collum ejus, est humiliari in amplexum ejus brachium suum: „ quod est Dominus Jesus Christus, consolari autem verbo gratiæ Dei ad spem „ indulgentiæ peccatorum, hoc est, post „ longa itinera remeantem mereri a patre osculum charitatis .... Theoph. Quilibet autem revocatus & mundatus a „ crimine saginati vituli particeps causa „ lætitiæ fit patri, & famulis ejus, id „ est, Angelis & Sacerdotibus, unde sequitur, Et cœperunt omnes epulari. „ August. Istæ epulæ atque festivitates, „ nunc celebrantur per orbem terrarum „ Ecclesia dilata atque diffusa: Vitulus „ enim ille in corpore & sanguine Domini, & offertur patri, & pascit „ totam domum. „

Demum idem Angelicus Doctor Comm. in cap. 15. Luc. explicans ista Evangelii verba, *Gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente*, ait: " Gregorius in hom. Plus autem de conversis „ peccatoribus, quam de stantibus justis „ in cœlo gaudium esse fatetur: quia „ plerumque hi, qui nullis se oppressos „ peccatorum molibus sciunt, stant

qui-

„ quidem in via justitiæ, sed tamen ad „ cœlestem patriam anxie non anhelant, „ & plerumque pigri remanent ad exer„ cenda bona præcipua: quia securi sibi „ sunt quod nulla commiserint mala gra„ viora. At contra nonnumquam hi qui „ se aliqua illicita egisse meminerunt, „ ex ipso suo dolore compuncti ad amo„ rem Dei inardescunt.... Majus ergo „ gaudium fit in cœlo, quia & dux in „ prælio plus eum militem diligit, qui „ post fugam reversus hostem fortiter „ premit, quam eum, qui numquam ter„ ga præbuit, & numquam aliquid for„ titer fecit. „

Ex his parabolis sequitur peccatorem I. vere pœnitentem absolvendum esse. II. Non diutius procrastinandam esse absolutionem, sed ut primum absoluta probatione per quindecim, aut triginta dies facta, apparet sincere contritus, beneficio absolutionis donandus est, ne nimia dilatione, aut tepescat devotio, aut in desperationem agatur pœnitens, ut non semel contingit ex duritia pharisaica Confessorum, qui non sapiunt ad sobrietatem, immemores quod Sapientia cuncta disponat fortiter simul, & suaviter. Hinc legimus S. Franciscum Salesium suæ charitatis dulcedine innumeros etiam Hæreticos ad fidem, impios vero ad meliorem frugem traduxisse. Vel ipse Christus Matthæi 11. non solum provocat peccatores ut ad ipsum accedant, sed eos ad hoc compellit motivo benignitatis suæ: *Tollite*, inquit, *jugum meum super vos, & discite a me, quia mitis sum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris.*

Probatur demum tertia pars, videlicet quod peccatores etiam ex habitu non sint a sacra mensa propellendi, si de peccatis doleant. Quisque Confessor debet Christi vestigiis insistere: Sed Christus peccatores, habitu vitiorum detentos a se non repulit. Et probatur: Mulierem quæ erat in civitate peccatrix absolvit, ut primum ad pedes ejus prostrata petiit veniam cum lacrymis; dixit enim ei Luc. 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*: Igitur ut primum peccator est per aliquod tempus juxta viri prudentis judicium, probatus, absolvendus est pœnitens, & ad sacram mensam recipiendus. Non absimilis indulgentiæ habebemus argumentum in muliere Samaritana supra modum impura. Tum in altera deprehensa in adulterio, quibus illico veniam concessit Christus: Sic & ad Zachæum Publicanum venit, quippe qui magno impulsus amore eum videre jamjam cupierat: Sic enim habetur Luc. 19. *Zachae festinans descende: quia hodie in domo tua oportet me manere. Et festinans descendit, & excepit illum gaudens ... Hodie salus domui huic facta est*. Rursus ait Matth. 9. *Non enim veni vocare justos, sed peccatores.*

S. *Thomas* hic q. 80. art. 6. hanc ex professo movet quæstionem, & quærit, *utrum Sacerdos debeat denegare corpus Christi peccatori petenti*, & respondet negative; allatis enim in contrarium rationibus subdit: " Sed contra est, quod super „ illud Psalmi 21. Manducaverunt, & „ adoraverunt omnes pingues terræ, di„ cit Augustinus, Non prohibeat dispen„ sator pingues terræ, id est, peccato„ res, mensam Domini manducare. „

Tum distinguit peccatores publicos ab occultis; illis propugnat Eucharistiam esse denegandam donec a scandalo & cessent, & resipiscant; istis vero, si sint pœnitentes, concedendam esse Eucharistiam autumat. Sic loquitur in corpore articuli: " Dicendum, quod circa peccatores di„ stinguendum est; quidam enim sunt „ occulti, quidam vero manifesti, scili„ cet per evidentiam facti, sicut publici „ usurarii, aut publici raptores, vel et„ iam per aliquod judicium Ecclesiasti„ cum, vel sæculare. Manifestis ergo „ peccatoribus non debet etiam petenti„ bus sacra Communio dari: unde Cy„ prianus scribit ad quemdam: Pro di„ lectione tua consulendum me existima„ sti, quid mihi videatur de histrionibus, „ & Mago illo, qui apud vos constitutus „ adhuc in artis suæ dedecore perseve„ rat, an talibus sacra Communio cum „ ceteris Christianis debeat dari: Puto „ nec Majestati divinæ, nec Evangelicæ „ disciplinæ congruere, ut pudor & ho„ nor Ecclesiæ tam turpi, & infami „ contagione fœdetur. Si vero non sunt „ manifesti peccatores, sed occulti; non „ potest eis petentibus sacra Communio „ denegari: cum enim quilibet Christia„ nus ex hoc ipso, quod est baptizatus,

„ sit

„ sit admissus ad Dominicam mensam, „ non potest ei jus suum tolli, nisi pro „ aliqua causa manifesta : Unde super „ illud 1. Corinth. 5. Si is qui frater nominatur inter nos, &c. dicit Glossa „ August. nos a communione quemquam „ prohibere non possumus, nisi aut sponte confessum, aut in aliquo judicio „ Ecclesiastico, vel sæculari nominatum, „ atque convictum : Potest tamen Sacerdos, qui est conscius criminis, occulte „ monere peccatorem occultum, vel etiam in publico generaliter omnes, ne „ ad mensam Domini accedant, antequam de peccatis pœniteant, & Ecclesiæ reconcilientur. Nam post pœnitentiam, & reconciliationem etiam publicis peccatoribus non est communio „ deneganda, præcipue in articulo mortis : Unde in Concilio Carthaginensi „ legitur, Scenicis atque histrionibus, „ ceterisque hujusmodi personis, vel Apostatis conversis ad Deum, reconciliatio non negetur. „

CONCLUSIO SECUNDA.

Qui raro in peccatum mortale prolabuntur, modo sint pœnitentes, possunt absolvi imposita prius satisfactione post absolutionem adimplenda, tum ad sacram Mensam suscipi, & quidem frequentius quam modo nominati peccatores.

EXCIPIMUS ab hac conclusione eos qui enorme aliquod peccatum committunt ex determinata malitia, vel etiam cum scandalo : isti enim ut supra dictum est, non nisi absoluta sufficienti probatione absolvendi sunt propter rationes jamjam laudatas.

Probatur conclusio rationibus Theologicis.

PRIMA sic proponitur: Christus absque mora absolvit vere pœnitentes, tametsi diuturniori tempore detinerentur vitiorum habitibus : Igitur saltem qui ex fragilitate in aliquod exitiale peccatum prolabuntur, modo sint pœnitentes, absolvendi sunt, imposita satisfactione post absolutionem adimplenda.

Altera : Incassum Novatores laudant canones antiquos pœnitentiales, ut imponant onera gravia, quæ ne quidem digito ipsi movere satagunt, cum laboriosa ista pœnitentia nonnisi pro peccatis enormibus, & publicis imponeretur, quam etiam Ecclesia justo judicio rescindere æquum duxit, ne pœnitentes in desperationem agerentur : Ibi autem quæstio movetur solum de his qui in aliquod peccatum mortale citra scandalum ex fragilitate coincidunt : Ergo &c.

Tertia : Nihil aliud requiritur ad absolutionem quam verus de peccatis dolor : Atqui supponimus hujusmodi peccatores habere contritionem sinceram, amore saltem inchoato, quo diligitur Deus ut totius justitiæ fons, formatam. Ergo &c.

Quarta : Ex S. Thoma mox laudato absolutio, & communio concedi debent peccatori petenti, quia per Baptismum jus habet ad alia Sacramenta, nec citra injuriam potest hujusmodi bonis privari, nisi sit scandalosus; nam ibi ait D. Thomas explicans ista Apostoli verba 1. Cor. 5. *Si is qui frater nominatur, inter vos, &c.* " Dicit Glossa August. nos a communione quemquam prohibere non possumus, „ nisi aut sponte confessum, aut in aliquo judicio Ecclesiastico, vel sæculari „ nominatum, atque convictum. Ergo „ &c. „

Dixi hujusmodi peccatores fragiles frequentius quam alios in præcedenti conclusione appellatos ad sacram mensam esse recipiendos, tum quia habitudine peccati mortalis non tenentur, tum quia jus habent ut baptizati ad Eucharistiam, quæ peccatori eam petenti, & de criminibus dolenti non negatur, tum quia ex Concilio Tridentino opus habet ille fragilis peccator Eucharistia, ut mortalia peccata in futurum præcaveat ; hunc quippe effectum mirabilem producit cibus ille Angelicus. Ergo &c.

Fit satis objectionibus Arnaldi

Contra secundam conclusionem militantibus.

OBJICIT : Antiqui canones pro peccatis mortalibus pœnitentiam laboriosam & absolutioni, & Communioni præmittendam esse statuunt. Igitur & æquali laboris pondere nunc expianda sunt. Tum hoc ipsum ex Concilio Trident. probare putat,

putat, dicendo I. Sacram Synodum in votis habere ut omnes Traditiones Apostolicæ ferventur: II. Vel ipsos canones pœnitentiales pro reformatione morum renovasse. III. Proscripsisse Lutherum eo quod penitentiam in sola vitæ mutatione sitam esse propugnaret. IV. Statuisse satisfactiones canonicas juxta peccatorum gravitatem imponendas: quandoquidem peccata quæ nunc committuntur, sunt ut plurimum ejusdem ponderis, & gravitatis cum iis quibus quondam Fideles obnoxii erant. Igitur quodlibet peccatum mortale penitentia laboriosa prævie expiandum est, antequam concedatur absolutionis beneficium.

Respondeo primo, opponendo Arnaldo Ecclesiam, quæ penitentiam laboriosam multis annis sustinendam abrogavit: Tum & ipsam Synodum Tridentinam, quæ satisfactionem publicam, non nisi pro peccatis scandalosis, & manifestis pro aliquo tempore exigit, donec scilicet fiat satis & partibus offensis, & honori Dei. Neque vero omittendum est famosam, seu laboriosam penitentiam nonnisi pro peccatis supra modum enormibus fuisse impositam.

Respondeo secundo, distinguendo: Canones statuunt penitentiam luctuosam pro peccatis mortalibus publicis & gravioribus, concedo: pro occultis nec ita gravibus, sed ex fragilitate commissis, nego antecedens & consequentiam; usus enim Ecclesiæ obtinuit, ut pro hujusmodi peccatis, imposita juxta viri prudentis judicium penitentia post absolutionem adimplenda, solvatur penitens, & ad sacram mensam suscipiatur.

Ad primam probationem similiter distinguo: Synodus Trident. vul: Traditiones Apostolicas servari juxta Ecclesiæ determinationem, concedo: per extensum & secundum recentiorum placita, nego: jugum enim Domini suave est, & durum nimis appareret, si pro uno peccato magnæ, & supra modum laboriosæ probationes ante absolutionem prærequirerentur. Non quod, fateor, satisfactio quantum vis laboriosa possit superare unius tantum peccati mortalis gravitatem, cum istud inducat reatum penæ æternæ, sed quia tantus labor humanas excedit vires, & per quædam bona opera satisfactionem Christi applicativa expiari queat.

Ad secundam, non absimili modo distinguo: Sacra Synodus Tridentina pro morum reformatione antiquos canones restituit quantum ad aliquid, scilicet ut restituatur ablatum, ut peccatum publicum satisfactione quadam publica expiatur, & peccator Ecclesiæ reconcilietur, concedo: quantum ad omnia, ita ut uno aut altero anno, vel multo pluribus penitentiam luctuosam agat, nego, propter rationes iterum atque iterum laudatas.

Ad tertiam etiam distintione utimur: Synodus Tridentina proscripsit Lutherum ea præcise ratione, quod pœnitentiam publicam, & multis annis laboriose adimplendam pro uno tantum peccato mortali propelleret, nego: Eo quod præcise totam pœnitentiam in simplici morum reformatione, seu mutatione reponeret, subdistinguo: seclusa contritione, & pœnitentia satisfactoria juxta judicium viri prudentis imponenda, concedo: secus, nego. Reformatio morum inani fidei actu non fit; hinc merito propulsus est Lutherus qui bona opera satisfactoria abnuebat, quandoquidem fides sine operibus mortua est, nec est sine eis vera mutatio seu conversio.

Ad quartam, Arnaldus aut defloravit, aut interpolavit testimonium Concilii Tridentini, nam Sessione 14. c. 8. Patres quidem injungunt Sacerdotibus ut imponant satisfactiones peccato proportionatas, sed non citat illa verba consequentia: *Quantum spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum & pœnitentium facultate*. Ad alia patet solutio ex dictis.

Instabis: Quod universalis traditio docet, illud est admittendum: Atqui tota traditio stat pro pœnitentia rigorosa Eucharistiæ sumptioni præmittenda, quando aliquis graviori aliquo peccato detinetur: Ergo &c. Probatur minor. Patres duplicis tantum generis indigitant peccata, alia scilicet quæ vocant magna eaque capitalia; alia vero quæ appellant levia & quotidiana: Sed capitalia inter quæ quodlibet mortale annumeratur, luctuosa pœnitentia expiari necesse est: Ergo &c. Probatur minor. Juxta Patrum principium,

cipium, omnia peccata mortalia sunt æqualia, cum non distinguant inter peccatum mortale & mortale, sed solum inter peccatum mortale & veniale, quod quidem levius & quotidianum nuncupant. Ergo &c.

Respondeo negando minorem primi & secundi argumenti. Ad ulteriorem probationem distinguo: omnia peccata mortalia sunt æqualia objective, in quantum singula creaturam a Deo avertunt, & reatum pœnæ æternæ inducunt, concedo: intensive, & in ratione malitiæ, nego. Quis enim dicet peccatum Judæ proditoris cetera omnia peccata in gravitate non superasse; cum vel ipse Christus ponderans tantam malitiam dixerit Marci 14. *Bonum erat si non esset natus homo ille*. Idem Dominus distinctionem peccatorum mortalium inter se probat, ubi loquens de peccato Pilati, qui illum ut reum judicabat, & de peccato alterius a quo traditus fuerat, ait Joan. 19. *Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet*. Hæc solutio colligitur etiam ex S. Paciano Barcinonensi Episcopo, qui L. 3. Bibliothecæ Patrum columna 7. vocat idololatriam, homicidium, & fornicationem peccata mortalia. Ergo-ne nulla alia dantur? Minime; sic enim prosequitur: *Ista sunt capitalia*, fratres, *ista mortalia*. Eo loci sumit peccatum mortale pro magno crimine, sed non excludendo alia peccata mortalia quæ non sunt istius speciei, licet tamen sint vere mortalia.

Instat: Tertullianus L. de Pœnit. cap. 10. Pag. 147. insurgit contra eos qui tametsi in Deum peccaverint, nolunt tamen publice pœnitere; eos enim irridens, ait: " Grande plane emolumentum verecundiæ, occultatio delicti pollicetur. Videlicet, si quid humanæ notitiæ subduxerimus, proinde & Deum celabimus? Adeo-ne existimatio hominum, & Dei conscientia comparantur? An melius est damnarum latere, quam palam absolvi? " Ergo &c.

Respondeo distinguendo: Et Tertullianus eo loci non loquitur de pœnitentia laboriosa & satisfactoria; sed de confessione secreta, concedo: Et loquitur præcise de hac satisfactione, nego. Primo cap. 9. explanat pœnitentiam laboriosam, ad quam adhortatur peccatores spe veniæ, & honoris: " Cum igitur provolvit hominem, magis relevat, *inquit*, cum squalidum facit, magis mundatum reddit. " Tum convertit sermonem indiscriminatim ad omnes illos peccatores qui sua peccata aperire Confessario erubescunt, & de hac pœnitentia ait: " Cum accusat, excusat: cum condemnat, absolvit, In quantum non peperceris tibi, in tantum tibi Deus, crede, parcet. Plerosque tamen hoc opus ut publicationem sui aut suffugere, aut de die in diem differre præsumo, pudoris magis memores quam salutis . . . Grande plane emolumentum &c. "

Insistit: Atqui omnia peccata mortalia erant per pœnitentiam luctuosam juxta veterem disciplinam expianda: Ergo &c. Probatur subsumptum. Origenes Homil. 15. in Levit. duo solum verbis expressis & claris agnoscit peccata, mortale unum, veniale alterum: Illud pœnitentia laboriosa luendum, istud vero facilius remittendum. Eo loci sic loquitur: " Istas ergo domos, si forte alicui lapsus acciderit, semper est recuperandi facultas: ut v. g. dicamus, si nos aliqua culpa moralis invenerit, quæ non in crimine mortali, non in blasphemia fidei, quæ muro Ecclesiastici & Apostolici dogmatis cincta est; sed vel in sermonibus, vel in morum vitio consistat, hoc est vendidisse domum, quæ in agro est, vel in via cui murus non est. Hæc ergo venditio, & hujusmodi culpa semper reparari potest, nec aliquando tibi interdicitur de commissis hujusmodi plenitudinem gerere. In gravioribus enim criminibus semel tantum, vel raro pœnitentiæ conceditur locus. Illa vero communia, quæ frequenter incurrimus, semper pœnitentiam recipiunt, & sine intermissione redimuntur. " Nomine peccatorum frequentiorum venialia, nomine vero graviorum mortalia Origenem intelligere nemo non videt. Ergo &c.

Respondeo negando subsumptum. Ad probationem, nego Origenem duo solum agnoscere peccata, veniale scilicet, & mortale, sed potius triplicis generis loco citato enarrat. Veniale nimirum, mortale commune, & enorme qualis est hæresis & blasphemia. Verius dicam eo loci non de veniali, sed de mortali diversi gene-

generis agit; hinc cum ait: *Si nos aliqua culpa moralis invenerit, quæ non in crimine mortali consistat*; non excludit per ista verba, *quæ non in crimine mortali*, &c. peccatum mortale, adeoque non intelligit veniale, sed mortale commune, quod respective ad blasphemiam non vocat mortale, id est tam grave. Quod enim sic intelligat in illo textu, peccatum mortale, liquet ex pluribus. I. explicans quid sit illud mortale, ait quod non in crimine mortali, non in blasphemia fidei situm sit. II. Suam quoque aperit mentem de peccato mortali communi; subdit enim: *Sed vel in sermonibus, vel in morum vitio consistat*. III. Primum raro & quandoque semel in vita remitti dicit: *Semel tantum, vel raro pœnitentiæ conceditur locus*. Audis Origenem loqui de pœnitentia publica pro peccatis gravioribus, semel, ut plurimum concessa. IV. Alterum peccatum dicit commune & sæpissime remitti: *Ista vero communia, quæ frequenter incurrimus, semper pœnitentiam accipiunt*: Et pro exemplo affert peccatum David, certe mortale, & tamen absque mora remissum, Ibidem subdit: " Huic itaque „ perfectæ menti si acciderit aliquando „ domum, quam habet non manufactam „ æternam in cœlis vendere, & in ma- „ nu alterius dare: sicut contigit aliquan- „ do magno Patriarchæ David, cum de „ tecto suo Uriæ Hethei alpexit uxorem, „ statim eam redimit & reparat. „ Ex his patet priorum sæculorum Doctores pœnitentiam laboriosam, quæ præcederet absolutionem sacramentalem indiscriminatim pro quolibet peccato mortali non exegisse.

Reponit: Atqui Patres in ea fuerunt sententia, quod crediderint peccata adæquate dividi in mortalia & venialia: Ergo &c. Probatur subsumptum: Non distinguunt unum peccatum mortale ab alio, saltem in reatu culpæ & pœnæ, sed universim dicunt peccata mortalia esse capitalia, ista vero pœnitentia laboriosa esse plectenda autumant. Ergo &c. Sic propugnant S. Eligius Hom. 6. t. 2. Bibl. PP. " Capitalia crimina non admittere; „ minuta peccata sine quibus esse non „ possumus, per indulgentiam inimicorum „ & eleemosynam pauperum indesinenter „ redimere &c. „ Sic Fulbertus Carnotensis Serm. 2. ad populum: Cecidimus „ enim, *inquit*, non solum in peccata, „ sed etiam in crimina, propter quæ pec- „ catores ab Ecclesia separantur, qualia „ sunt homicidia, adulteria, fornicatio- „ nes, sacrilegia, rapinæ, furta, falsa te- „ stimonia, superbia, invidia, avaritia, „ diutina iracundia, ebrietas assidua. „ Cæsarius Arelatensis Archiepiscopus Hom. 8. eadem nominat & numerat peccata, tum subdit: " Pro capitalibus vero „ criminibus non hoc solum sufficit, sed „ addendæ sunt lacrymæ, & rugitus, & „ gemitus, continuata, & longe protra- „ cta jejunia ... Ultro nos ipsos a com- „ munione Ecclesiæ removentes, in luctu „ & tristitia multo tempore permanen- „ tes, & pœnitentiam etiam publice a- „ gentes. „ Sic Ivo Carn. Epist. 230. loquens de peccatis mortalibus, ait: " Quę „ crimina sua confitentes aliquandiu a „ corporis & sanguinis Christi communio- „ ne suspendit. „ Sic Augustinus L. de fide & operibus cap. 26. " Nisi essent quę- „ dam gravia peccata, ut etiam excom- „ municatione plectenda sint. „ Rursus Hom. 50. affirmat peccatum originale remitti quidem per Baptismum, inter actualia vero quædam remitti per Orationem Dominicam, quædam alia per pœnitentiam publicam.

Respondeo una falce nos posse metere istam farraginem argumentorum, quæ Arnaldus Lib. de freq. Comm. part. 2. cap. 5. ut fucum faciat, aggerit; cum sit error Joviniani omnia peccata ut æqualia habere; quam sententiam & S. Hieronymus, & Concilium Mediolanense uti fidei adversam perstrinxerunt. Hoc ipsum patet ex auctoritate Christi contra peccatum Judæ vehementissime insurgentis, ut supra dictum est. Nec levius subindigitat Propheta Regius in peccata mortalia quædam esse ceteris graviora, maxime quando ex determinata malitia patrantur, & ingratitudinem annexam habent. Psal. 54. ait: *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique ... Tu vero homo unanimis, dux meus, & notus meus: qui simul mecum dulces capiebas cibos*. Quis autem sanæ mentis dixerit SS. Patres erronea indiscriminatim fuisse locutos.

Respondeo II. nomine criminum capitalium Patres quandoque intelligere peccata

gravissima quæ scandalum pariunt; quandoque enormia occulta, quæ pœnitentia luctuosa expiari consulunt : quandoque etiam quodlibet mortale, quod comparative ad veniale dicitur capitale, hoc est gravius, quodque ut plurimum est radix multorum subsequentium peccatorum.

Respondeo III. SS. Patres prædicatorum munus nonnumquam obire; hinc exaltant vocem suam adversus peccatores, quos ut ad severiorem pœnitentiam inducant, veluti exaggerando criminum gravitatem, ea vocant magna, eorum salutis negotio succurrere rati, si pro delictis, quæ reatum pœnæ æternæ inducunt, omnibus satisfaciant modis: Hinc gemitus, & lacrymas, hinc eam humilitatem ut ad tempus præ reverentia a sacra mensa recedant, exigunt a pœnitentibus ad salutis securitatem, cum nemo sciat an amore vel odio dignus sit. Sed non ideo labores supremos pœnitentiæ absolutioni & communioni indiscriminatim præmitti volunt; nisi peccata sint gravissima, nisi habitualia & scandalosa. His præmissis facile conciliantur Patrum placita.

Jam ad argumentum redit oratio. Et respondeo negando subsumptum. Ad probationem, nego utique Patres non distinguere peccata mortalia ad invicem, cum peccatum lapsus carnis specie distinguatur a peccatis blasphemiæ, hæresis, & desperationis, quæ dubio-procul inter omnia sunt gravissima. Ad id vero quod dicitur peccata mortalia non distingui in reatu culpæ & pœnæ, distinguo : objective, concedo : formaliter & intensive, seu etiam extensive, nego. Cuncta quidem conveniunt in eo quod avertant a Deo, quod pœnam æternam inducant ; quia vero gravitas peccatorum & ex modo tendendi in creaturam in contemptum Dei, & ex circumstantiis exurgit, utique inde diversitas peccatorum, immo vel pro ipsis pœna æterna infligenda, quæ est modo intensior, modo etiam extensior in quibusdam reprobis & damnatis. Non mirum igitur si Patres pro quibusdam peccatis mortalibus graviores pœnas temporales exigant, ne radix peccati serpat in pejus.

Ad primam auctoritatem respondetur, S. Eligium unum dumtaxat propugnare, videlicet peccata mortalia severiori pœnitentia quam venialia esse plectenda, quod ultro fatemur.

Non absimilis est responsio ad Fulbertum; quod enim non intelligat quæcumque peccata mortalia eodem modo esse expianda, claret; certum enim est furta, rapinas, iracundiam, & alia hujusmodi peccata quæ recenset, non subjici pœnitentiæ publicæ, nisi adsit grave scandalum: Si tamen adsit peccati mortalis habitus ; peccata ad tempus laboriosa satisfactione, sed occulta prius castiganda sunt, quam absolutionis beneficium concedatur. De istis solum loquitur Fulbertus, videlicet & de peccatis sæpius iteratis, quæ sunt aliorum multorum causæ, & de publicis. Priora sic exprimit : *Ceciderunt non solum in peccata, sed etiam in crimina ... qualia sunt avaritia, diutina iracundia, ebrietas assidua*. Posteriora vero cum subdit: *Propter quæ peccatores ab Ecclesia separantur, qualia sunt homicidia, adulteria*. Pœnitentia quippe publica injungebatur pro homicidio & adulterio.

Dices : Ibidem habetur : *fornicationes, sacrilegia, rapina, furta*: Igitur ex Fulberto omnia peccata separant ab Ecclesia, eo ipso quo sunt mortalia.

Respondeo consequentiam Arnaldi exuberare, cum juxta bullam Martini V. *ad vitanda scandala* in Concilio Constantiensi, tum & in Basileensi laudata, nonnisi excommunicati notorii & denunciati, ab Ecclesia separantur. Igitur Fulbertus loquitur de furti peccato quod non remittitur nisi restituatur ablatum, si fieri potest, & de aliis quæ scandalum annexum habent; tametsi enim per ebrietatem, & quædam alia peccata homo non incurrat excommunicationem, vult tamen Ecclesia absolutionem ad tempus differri ad emendationem, quod vocatur lato modo separatio, quatenus scilicet peccatores ad participationem Mysteriorum, donec probati sint, non admittuntur. Unde sic distinguo : peccata mortalia separant ab Ecclesia secundum quid, hoc est privant hominem vita perfecta, qua vivit in Ecclesia per charitatem, concedo; simpliciter & absolute, subdistinguo : si annexam habeant excommunicationem latam, eamque majorem, concedo : sin minus, nego. Erroneum est enim dicere peccatores, seclusis excommunicatione, schi-

schismate, hæresi, & a fide Apostasia esse ab Ecclesia rescissos. Ceterum Fulbertus loquitur de scandalo dato. Sic enim ibidem loquitur: " Justum est, ut qui cum „ destructione se perdidit, cum multo„ rum ædificatione se reddimat. „ Loquitur de peccatis habitualibus, quæ iis vocibus *diutina iracundia, ebrietas assidua*, notantur: dictum est autem peccatorem ex habitu prius probandum esse, antequam accedat ad sacram mensam.

Eadem est responsio ad Cæsarium Arelatensem; si quis vero contendat cum loqui de Pœnitentia publica, concedat utique eo loci sermonem instituere, non de quocumque peccato mortali, sed de gravioribus scandalum inducentibus, pro quibus solis pœnitentia laboriosa quondam imponebatur, vel etiam de gravissimis occultis quæ majoris satisfactionis motivo, pœnitentes proprio motu volebant in conventu Ecclesiæ aperire, & pro eis expiandis pœnitentiam publicam agere, ut non obscure ejus indicant verba: " Ultro nos ipsos a communione Ecclesiæ „ moventes, in luctu & tristitia multo „ tempore permanentes, & pœnitentiam „ etiam publice agentes.

Objectio petita ex auctoritate Ivonis non urget, quippe qui non dicat peccata mortalia semper suspendere Communionem, sed solum aliquando, cum scilicet vel scandalum per ea venit, vel peccator sicut humilitatis, sic & reverentiæ motivo ad tempus a sacra mensa recedit: " Quæ „ crimina sua confitentes, aliquandiu a „ corporis & sanguinis Christi communione suspeodit. „

Sic demum explicatur Augustinus, qui Lib. de fide & operibus cap. 26. omnia peccata mortalia subjici pœnitentiæ luctuosæ, ut falso contendit Arnaldus, non dicit, sed ea solum quæ vel ipsa excommunicatione punienda sunt: " Nisi es„ sent, *ait*, ita gravia, ut etiam excom„ municatione plectenda sint.... nisi es„ sent quædam non ea humilitate peni„ tentiæ sananda, qualis in Ecclesia da„ tur eis qui proprie pœnitentes vocan„ tur. „ Ibidem cap. 19. receuset ea quæ pœnitentiæ publicæ & excommunicationi subjiciebantur, idololatriam scilicet, adulterium & homicidium, quæ vulgo in canonibus pœoitentialibus concluduntur; " Qui opinantur & cetera eleemosynis „ facile compensari; tria tamen mortifera „ esse non dubitant excommunicatione „ punienda, donec pœnitentia humiliore „ sanentur; impudicitiam, idololatriam, „ homicidium. „ Audis non omnia peccata mortalia indiscriminatim, sed tria solum pœnitentia publica esse punienda juxta sancti Augustini sententiam.

Sanctus Augustinus est sui ipsius interpres Serm. 16. de verbis Domini cap. 8. pag. 30. ubi sic loquitur: " Sunt homines „ adulteri in domibus suis, in secreto „ peccant, aliquando nobis produntur ab „ uxoribus suis plerumque zelantibus, ali„ quando maritorum salutem quærenti„ bus. Nos non prodimus in palam, „ sed in secreto arguimus. Ubi contigit „ malum, ibi moriatur malum. „

Contra: Sex prioribus sæculis peccata etiam occulta Patres pœnitentia publica mulctabant. Ergo &c. Probatur antecedens. Hoc ipsum colligitur. I. Ex S. Basilio Epist. canonica ad Amphilochium. II. Ex Innocentio I. Epist. 2. ad Victricium Rothomagensem. III. Ex Innocentio III. Epist. 1. ubi dicit peccatorem non esse absolvendum nisi prius satisfecerit. IV. Demum ex Theodoreto, qui L. Fab. Hær. perstringit Audianos, eo quod, nulla interposita mora, beneficium absolutionis peccatoribus concederent. Ergo &c.

Respondeo, ut supra distinguendo: Et Patres loquuntur de pœnitentibus, qui vel peccatorum scandali erant rei, vel de gravioribus occultis quæ ultro majoris pœnitentiæ intuitu volebant publice expiare; vel etiam de furti culpa, quæ non remittitur nisi prius restituatur ablatum, concedo: secus, nego. Ad probationem primam, secundam & tertiam patet solutio. Quod spectat ad Theodoreti auctoritatem, dico illum jure merito Audianos suo stylo censorio perstringere, quippe qui per fas & nefas & indiscriminatim absque prævia pœnitentia legitima, vel ipsos peccatores scandalosos absolverent.

Objectio ex canonibus Concilii Illiberitani deprompta.

Opponit: Coocilium Illiberitanum omnia peccata mortalia universim pœnitentia pu-

publica castigari, nec communionem, immo nec reconciliationem concedendam esse, donec rei pœnitentiam adimpleverint, statuit. Ergo &c. Probatur antecedens multis momentis.

I. *Canone* 69. habetur: "Si quis forte, „ habens uxorem, semel fuerit lapsus, „ placuit, eum quinquennio agere debe- „ re pœnitentiam, & sic reconciliari. „

II. *Canone* 71. "Stupratoribus puero- „ rum, nec in fine dandam esse Com- „ munionem. „

III. *Canone* 73. "Delator, si quis ex- „ titerit fidelis, & per delationem ejus „ aliquis fuerit proscriptus, vel interfe- „ ctus, placuit, eum nec in fine accipe- „ re communionem. Si levior causa „ fuerit, intra quinquennium accipere „ poterit Communionem. „

IV. *Canone* 74. "Falsus testis, pro ut „ crimen est, abstinebit. Si tamen non „ fuerit mortis, quod objecit. Et si pro- „ baverit quod diu tacuerit, biennii tem- „ pore abstinebit. Si autem non proba- „ verit in conventu Clericorum, placuit „ per quinquennium abstinere. „ In iis & similibus canonibus cuncta peccata mortalia etiam occulta, pœnitentia publica puniuntur. Ergo &c.

Respondeo I. Illud Concilium esse Provinciale, adeoque ejus canones nec universam obligare Ecclesiam, nec ejus prævalere praxi, quæ vult pœnitentes aliquo peccato mortali ex fragilitate commisso detentos, imposita & assignata satisfactione, absque mora absolvendos esse.

Respondeo II. Illam Synodum apud Bellarminum L. 2. de imag. cap. 9. ut suspectæ fidei haberi, eo quod denegando etiam sub finem vitæ communionem, sive Eucharistiæ, sive etiam Ecclesiæ, in errorem Novatianorum collimare videatur: Nec plurimum dissentit Binius, qui Tomo 1. Conc. pag. 245. hæc scribit. "De „ ejus auctoritate Scriptores mirifice va- „ riant: Quod 1. 2. 6. 8. 12. 17. 18. &c. „ Canones lapsis Communionem in fine „ vitæ adimentes, Novatiano: quodque „ 34. Canon Vigilantio: 36. Iconomachis „ favere viderentur; nonnulli etiam viri „ doctissimi hanc Synodum, vel reproba- „ tam, vel erroneam esse senserunt: „ Melchior Canus Lib. 5. de locis cap. 4. „ scribit canon 36. hujus Concili erro- „ neum esse. Reverendiss. Card. Bellarm. „ Lib. 2. de imag. c. 9. ait hoc Conci- „ lium Provinciale fuisse, & minime „ confirmatum, frequenter errasse; ideo „ quod lapsos, aliosque peccatores gra- „ ves, licet pœniteant, ne quidem in „ mortis articulo absolvi concedat: pu- „ tat enim vir solidissime doctus per de- „ negatam communionem, non Eucha- „ ristiam, sed Sacramentalem reconci- „ liationem & absolutionem intelligi de- „ bere: propterea quod canon. 69. re- „ conciliatio, & communio significatu „ eodem accipiantur. „

Potest tamen excusari & explicari illud Concilium, dicendo in canonibus objectis loqui de adulterio, & enormibus peccatis: & quandoque etiam de homicidio, vel peccatis ad illud crimen conducentibus, qualia sunt falsa testimonia. Dictum est autem peccata gravia publica, pœnitentia utique publica esse plectenda; enormia vero tametsi secreta subjici etiam pœnitentiæ laboriosæ in secreto: Quia probandi sunt magni peccatores, antequam ad sacram mensam admittantur.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Pœnitentes peccatorum gravium habitu detenti ante beneficium absolutionis, & communionis, ad tempus pœnitentia laboriosa probandi sunt, secluso vero malo habitu absolvendi, & ad sacram mensam recipiendi, præscripta tamen prius salutari satisfactione tempore subsequenti adimplenda.

Prima Pars patet ex antiqua disciplina, & Canonibus pœnitentialibus.

Secunda vero etiam admittenda est, scilicet quod ad tempus juxta leges charitatis, simul & prudentiæ peccatores gravissimo criminum pondere oppressi probandi sint. Probat misericordia Christi erga Magdalenam peccatricem, misericordia Patris erga filium prodigum pœnitentem, indulgentia S. Pauli erga Corinthium incestuosum. Sic docet S. Thomas hic q. 80. art. 6. sin minus procrastinatio longior veniæ foret multis desperationis causa, & petra offensionis.

Tertia denique in eo posita est, quod vere

vere pœnitentes de aliquo peccato mortali cuius rei sunt, abſque mora abſolvendi ſint. Non enim aliud exigit Eccleſia. Ratio D. Thomæ loco mox laudato ea eſt, quod nullus debeat privari bono ad quod jus habet: Neque vero adeſt impedimentum, cum de peccato commiſſo ſincere, ut ſupponimus, doleant. Tum quia dilatio & abſolutionis, & communionis, eſt ſolum pro iis qui vel peccatorum habitu, vel etiam peccato ſcandalum magnum annexum habente, detinentur.

SYNOPSIS OBJECTIONUM ET SOLUTIONUM.

Multa objicit adverſus ſecundam concluſionem Arnaldus Pattum auctoritate ſuffultus, ex quibus unicum coaleſcit argumentum: peccatores ſcilicet a ſacra menſa propellendos eſſe, donec ſatisfactionibus laborioſis ſua expiaverint crimina. Sed eos de perſonis quæ vel peccatorum graviorum habitudine detinentur, vel ſcelus aliquod in tota vicinia diffamatum, vel furtum quod non remittitur niſi reſtituatur ablatum, perpetrarunt, loqui, luce meridiana clarius apparet. Certum eſt enim, I. Pœnitentiam publicam a Nectario Patriarcha C. P. fuiſſe abrogatam. II. Peccata mortalia non eſſe æqualia. III. Uſum obtinuiſſe in Eccleſia non procraſtinare abſolutionem, pro uno peccato mortali ſecreto, de quo vere, & ſincere dolet pœnitens: ſicque fuit ſiſtema Arnaldi de pœnitentia luctuoſa, & laborioſa pro uno ſolum exitiali peccato indiſcriminatim ante beneficium abſolutionis, & communionis adimplenda.

Nec magis urgent Concilii Illiberitani canones, cum eos ſolum reſpiciant, qui vel adulterium, vel homicidium, vel etiam furtum, quod non remittitur niſi reſtituatur ablatum, commiſerunt. Ceterum iſta Synodus teſtibus Binio, Bellarmino, & Melchiore Cano eſt dubiæ fidei.

CAPUT TERTIUM.

Num peccent graviter qui, peccatores tametſi pœnitentes, a ſacra Menſa pro uno aut altero anno, motivo laborioſæ pœnitentiæ antiquæ reſtituendæ, propellunt.

Ne quidam ſeveritatis zelo exacerbati imaginentur, indulgentes ſecundum ſcientiam, & prudentiam Sanctorum peccatoribus, antiquos canones peſſundare, quæſtio propoſita prius explananda, & proponenda eſt.

Supponendum eſt quæſtionem præſentem non moveri de peccatoribus. I. Excommunicatis, & denuntiatis; dictum eſt enim non niſi, annuente Epiſcopo, vel ejus vices gerente, eos ad ſacra Myſteria ſuſcipiendos eſſe. II. Idem dicimus de impiis qui ex determinata malitia vitiorum pondere oppreſſi, volunt in peccatis perſeverare. III. Concedimus etiam pœnitentes aliquo gravioris peccati habitu detentos, prius ad tempus eſſe probandos.

Quæſtio igitur eſt, num peccatores habitu quidem peccati irretiti, ſed vere pœnitentes, debeant privari uno aut altero, vel etiam pluribus annis Communione, quamvis multa dederint veræ pœnitentiæ, tum jejuniis, tum eleemoſynis, tum etiam congruis juxta ſuum ſtatum, & præſentes vires macerationibus veri doloris argumenta? Num etiam idem poſſit fieri erga eos qui vix aliquo peccato mortali tenentur, immo & circa quoſdam qui nonniſi peccatis venialibus ex habitu ligantur?

CONCLUSIO PRIMA.

Laborioſa pœnitentia juxta priſtinam Eccleſiæ diſciplinam peccatoribus nominatis non eſt imponenda.

Hoc patet ex ſupradictis: Nihilominus iterum probatur.

Primo: Ipſe Chriſtus increpavit Phariſæos qui imponebant onera gravia, quæ ipſi ne digito quidem movere volebant: Sed tale eſt pœnitentiæ laborioſæ a quibuſdam Novatoribus impoſitum jugum: Et probatur. Pœnitentia luctuoſa juxta

antiquam disciplinam erat quædam excommunicatio, cum pœnitentes publice ab Ecclesia ejicerentur, & diuturnis in cilicio, & cinere, laboribus incumberent: Sed Ecclesia Christi, cujus jugum suave est, insistens ejus vestigiis, ut fragilitati humanæ consuleret, hanc abrogavit pœnitentiam: Ergo &c. Ultro tamen fatemur optimis innixi rationibus, maxime propter frequentiores ad idololatriam, & alia nefanda crimina lapsus, sanctos Patres pœnitentiam canonicam reis noxiis imposuisse: Neque vero, ut infra dicetur, prorsus eliminanda, ubi adest scandalum.

Secundo: Quod non est de præcepto, non debet imponi pœnitentibus, ne stupendis laboribus fracti, rumpant jugum, dicentes, non serviemus: Igitur pœnitentia hujusmodi moderanda est, nec ad multos annos procrastinanda.

Tertio: Eucharistia est cibus fortium; hinc Cyprianus nolebat differri Confessoribus, ne inermes adversus fidei inimicos in prælium descenderent: Sed teste Apostolo, peccatores non adversus mundum hunc solum, & adversus aereas potestates, verum etiam adversus carnem, & sanguinem certamen forte habent sustinendum: Igitur absolutio non est remittenda ad multos annos, ne tentationibus tandem victi, cedant passioni.

CONCLUSIO SECUNDA.

Qui uno aut altero anno peccatores vere pœnitentes, absolutione & sacra Communione privant, juxta probabiliorem opinionem, peccant graviter.

Probatur rationibus Theologicis.

PRIMA sic exponitur. Ille peccat graviter, qui jugum Domini alias suavissimum, reddit intollerabile: Atqui sic se gerit Confessor, & absolutionem, & Eucharistiam peccatoribus vere pœnitentibus ad annos procrastinans: Ergo &c.

Altera: Impediens peccatores cito-citius ad Christum accedere, dubio-procul peccat graviter: Sed qui sic procrastinat & absolutionem, & communionem prævedit ne peccatores alias pœnitentes, cito-citius ad Christum accedant, & hoc contra vel ipsa Christi voluntatem, qui ait Matth. 11. *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos*; qui absque mora & Magdalenam pœnitentem, & Latronem de peccatis dolentem, & mulierem in adulterio deprehensam, & ipsum Prodigum ad meliorem frugem redeuntem, benigne absque mora suscepit. Ergo peccat graviter ille Sacerdos, cum Christi voluntatem in hoc non adimpleat.

Tertia: Confessor Patrum leges observare debet: Sed Patres hanc indulgentiam pro peccatoribus semper habuere: Et probatur. Instar omnium sit Dionysius, qui increpavit Confessorem quod presbiterum de peccatis dolentem propulerit. Sic sanctus Cornelius Papa Episcopum schismaticum ad Ecclesiam tactum dolore intrinsecus, redeuntem, pœnitentia publica omissa, absolvit, & recepit. Sic sanctus Franciscus Salesius Charitatis suæ dulcedine, ait Ecclesia, multos convertit peccatores, & frequenti Sacramentorum usu devotionem fide viva, & charitate erga Christum ardenti suffulta invexit in mundum. Iis mediis duodecim hæreticorum millia Ecclesiæ gremio adunavit, peccatores ad meliorem frugem revocavit, ac tandem fidem mellifluis suis prædicationibus mirifice propagavit, propagatam devotione aluit, & roboravit; roboratam vero frequentiori absolutionis, & Eucharistiæ usu multos ad æternam perduxit vitam.

Quarta: Qui subvertit Ecclesiæ vota, & ea reddit inania, certe valde culpandus est: Sed Confessor severioris disciplinæ zelator talis est: & probatur. Primo quidem sacra Synodus Tridentina in votis habet, ut fideles frequentius ad sacram mensam accedant; vultque ut sua vota quam primum compleantur. Secundo, ad hoc adhortantur Patres supra laudati, nec aliam prærequirunt ad Eucharistiam dispositionem, quam peccati fugam, & ejusdem verum dolorem; tum ut ab eo absolvantur pœnitentes, tum ut cito-citius sacra Communione donentur; quas quidem dispositiones habent, ut supponimus, pœnitentes laudati: Sed vacua evadunt ista desideria per longam absolutionis, & communionis procrastinationem:

Pec-

Peccat igitur qui in excessum abiens, sic procrastinat Sacramenta : Ad quid enim vota Ecclesiæ pro frequenti communione, nisi ut executioni cito-citius mandentur : quod tamen non curant Doctores recentiores, pace eorum dicam, hoc Pharisaico pulvere non nihil conspersi.

Quinta: Potestas Ecclesiæ non est in destructionem, sed in ædificationem, hinc qui ea abutuntur, reatum & culpæ, & penæ incurrunt; Sed peccatores penitentes, & absolutione, & communione diutius privare, est Ecclesiæ potestate in destructionem uti, cum quotidia no probetur experimento peccatores tantis deterritos laboribus suæ saluti abrenuntiare, & in desperationem actos promiscue sibi indulgere. Ergo &c.

Sexta: Nemini licitum est dispensare de præceptis Ecclesię eorum impediendo adimpletionem : Sed est præceptum expressum sicut annuæ confessionis, sic & annuæ communionis, nedum ad justos, sed & ad peccatores se extendens; qua igitur auctoritate dispensant de hujusmodi præceptis rigidiores Confessores, absolutionem, & communionem ad multos annos remittendo, cum nihil aliud ad pręceptum adimplendum prærequiratur, quam verus dolor de peccatis, quem supponimus in peccatoribus pęnitentibus, qui non semel hujusce pœnitentiæ argumenta dederunt. Qua mente igitur quæso, & quo consilio exigunt pœnitentiam multorum annorum, pro uno peccato mortali, & quandoque etiam pro solis ad veniale affectibus, ut non semel contingit, & contigit, quod multi cordati, justi ac doctissimi Confessores, dolentes audierunt : cum Concilium Lateranense absque limite omnes fideles velit sæpius ad Sacramenta laudata accedere, aut saltem, ad duritiam cordis, semel in anno : quis enim sanæ mentis dixerit inter Christianos ista lege ligatos, non esse inter eos qui nedum uno peccato mortali, sed pluribus irretiti sunt, & tamen Ecclesia sicut illos, sic & istos vult per legem latam; & ad pęnitentiam, & ad Eucharistiam saltem semel in anno sub interminatione excommunicationis accedere, & consequenter sine dilatione absolvi, ut divinæ Eucharistiæ alimonia nutriantur, modo sint pęnitentes, & ipsi testantur tum verbo, tum corde, tum etiam operibus se tales esse & existere : Ergo &c.

Septima demum sic procedit, retorquendo argumentum. Severiores Confessores laudati celebrant quotidie sacra Mysteria, sæpius, ut pie creditur ad sacramentum confessionis accedunt & supra modum dolerent, si eis abnegaretur absolutio, tametsi in multa etiam gravia ex fragilitate humana prolabantur peccata; quia vero credunt, & dicunt se esse pęnitentes, volunt absque mora absolvi, ut officio fungantur, si sint Parochiarum rectores, vel etiam pro vita sustentanda, ut habeant Missæ stipendium : Igitur cum in eadem causa sint, non debent aliis peccatoribus alias pœnitentibus, & absolutionem, & communionem ad unum, aut etiam ad alterum annum procrastinare. Hinc illis jure merito possumus dicere verba Christi ad severiores Pharisæos, qui volebant mulierem in adulterio deprehensam lapidare Joan. 8. *Qui sine peccatum est vestrum, primus in illam mittat lapidem*. Incassum reponerent se ex officio teneri ad Missam celebrandam, cum sancti Patres, & ipsum Concilium Tridentinum, easdem, immo & majores, quam in ceteris peccatoribus, exigat in Sacerdotibus dispositiones: quia inquit D. Thomas, major devotio, majorque sanctitas requiritur in conficiente Eucharistiam, quam in sumente: Sacerdos autem non solum sub utraque specie communicat, verum etiam conficit & Sacramentum, & sacrificium : Hinc ad illum potissime spectant illa Apostoli verba 1. Cor. 11. *Probet autem se ipsum homo* : *& sic de pane illo edat*, *& de calice bibat* : Et rursus cap. 4. de Sacerdotibus, *Sic nos existimet homo, ut Ministros Christi*, *& dispensatores Mysteriorum Dei* : *hic . . . jam quæritur, ut fidelis quis inveniatur*.

Solvuntur objectiones Arnaldi contra primam Conclusionem.

OBJICIT I. Apostoli, qui expectabant Spiritus sancti descensum, per 40. dies abstinuerunt a communione; Scriptura enim Actor. 1. dicit tantum eos in ora-

oratione perseverantes mansisse; silet vero communionem: Igitur Confessores citra peccatum illam etiam justis, & peccatoribus ad libitum procrastinare possunt.

Respondeo argumentum illud esse negativum, adeoque nihil probare; nam inde sequeretur, cum Petrus in carcerem fuit conjectus, quod ei contigit Paschæ tempore, Pascha non celebrasse; habetur enim Act. 12. orationem factam fuisse sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo: nec tamen loquitur Scriptura de celebratione Paschatis.

Insurgit: Quod in primitiva Ecclesia fuit observatum, illud tenendum est: Atqui primis sæculis non statim post confessionem peccatorum concedebatur Eucharistiæ participatio, cum potius non nisi post longum tempus absolutio a peccatis lethalibus conferretur: Ergo &c.

Respondeo primo, distinguendo majorem: Quod primitiva Ecclesia docet quoad fidei dogmata, & probos mores instituendos, tenendum est, concedo: quoad leges quæ spectant disciplinam, subdistinguo: si tacito vel expresso consensu aliter non statuat, concedo: sin minus, nego. Immutabilis & irrefragabilis est in hæresibus debellandis & in vitiis perstringendis. Verum nonnullæ cæremoniæ, aliaque disciplinæ momenta mutationi subjacent, & de facto quandoque immutantur vel per legem perfectiorem, vel etiam per non usum, non reclamante Ecclesia, defecerunt. Illud constat ex variis canonibus; sic lex de abstinentia a sanguine & suffocato a multis sæculis cessavit: bigami quondam communione privati inter pœnitentes reponebantur, tametsi Ecclesia secundas nuptias non abjiceret, immo in Concilio Nicæno I. pro hæreticis habiti sunt Novatiani qui illas abnuebant. Sic pariter qui aliter quam immersione Baptisma accipiebant, erant irregulares: Demum ut alia multa omittam, olim in festo Paschæ dumtaxat & Pentecostes Baptismus solemniter ministrabatur, quod nunc non est amplius in usu.

Respondeo secundo, negando minorem, & probationem ejus; nam ordinarie loquendo, solum peccata idololatriæ, homicidii & adulterii subjiciebantur pœnitentiæ publicæ. Id colligitur ex Tertulliano, qui ex Catholico factus Montanista, L. de pudicitia cap. 5. exprobrat sancto Zephyrino quod a publica pœnitentia sustulisset adulterium: Primis temporibus disciplina Ecclesiastica severior erat, ne ex facilitate veniæ, & indulgentiæ ansam arriperent recens conversi Christum negandi: verum fide firmata, & per totum orbem propagata imminuit Ecclesia pœnitentiæ laboriosæ jugum durissimum. Ex iis & similibus factis sequitur inesse Ecclesiæ potestatem immutandi ea quæ pertinent ad disciplinam Ecclesiasticam: Abstulit igitur, æqua lance ponderatis, pœnitentiam publicam, quippe quæ nec divini, nec Apostolici juris esset, vultque pœnitentes, si scandalosos excipias, imposita salutari, pro delictis in confessione secreto declaratis, pœnitentia, modo veræ contritionis signa dederint, citra moram absolvi, juxta circumstantias supra allatas. Neque vero ista indulgentia tamquam vitium & abusus habenda est, cum Ecclesia disciplinæ leges possit immutare. Hoc docet S. Thomas 1. 2. 4. 97. art. 1. " Lex, *inquit*, recte mutari „ potest, propter mutationem conditio„ num hominum, quibus secundum di„ versas eorum conditiones diversa expe„ diunt. „

Instat: Ea pœnitentia debet imponi per quam Fideles magis excitantur ad dolendum, & ad vitæ emendationem: Atqui abstinentia a communione magis torquet quam eleemosyna; & inter damnatorum pœnas separatio a Deo maximum est supplicium. Ergo &c.

Respondeo distinguendo minorem: Communionis privatio pro animabus amore Dei flagrantibus, magis torquet quam alia pœna, transeat: pro ceteris hominibus in vita spirituali non ita edoctis & confirmatis, nego. Jamvero paucos invenies qui sentiant quantum sit malum, ad tempus sacra privari communione: Quid plura? Caro concupiscit adversus spiritum, & in multis offendimus omnes: Eucharistia vero, & pabula concupiscentiæ dispergit, & libidinum ardores extinguit; immo peccata leviora abstergit, graviora vero impedit: Igitur sæpius frequentanda est: Ad probationem nego paritatem; ideo enim dæmones ex privatione visionis Dei, plurimum cruciantur,

quia

quia sciunt quantum sit malum Deo non frui; pauci vero homines illud cognoscunt, sed frequentiori experimento sciunt quoniam suavis est Dominus.

Urget: Universalis est doctrina Patrum, omnia peccata mortalia inducere obligationem subeundi ad tempus pœnitentiam laboriosam & publicam: Atqui talis pœnitentia est privatio Eucharistiæ, vel ut ait Arnaldus p. 2. c. 4. & 6. omnia peccata mortalia ex Patribus cujusdam excommunicationis reatum infligunt. Ergo &c.

Respondeo primo, negando majorem; illud enim est contra Ecclesiæ primitivæ morem & consuetudinem. Tempore quidem D. Augustini vigebat pœnitentia publica; illa tamen non indiscriminatim pro quocumque peccato imponebatur. Contrarium colligitur ex ipso sancto Doctore, qui Sermone 16. de verbis Domini c. 8. sic habet: " Novit enim nescio quem homicidam Episcopus, & „ alius illum nemo novit, ego volo illum „ publice corripere, at tu quæris inscri- „ bere, prorsus nec prodeo, nec negligo: „ corripio in secreto: pono ante oculos „ Dei judicium: terreo cruentam con- „ scientiam: persuadeo pœnitentiam: hac „ charitate præditi esse debemus. „ Hæc solutio utique colligitur ex S. Eligio sermone 15. Tom. 2. Bibliothecæ Patrum. Demum ex Concilio Rhemensi anno 813. congregato. Adde quod Clerici non fuerint subjecti pœnitentiæ publicæ: at quis credat eos numquam peccasse lethaliter? quod si quidam Fideles pœnitentiam publicam pro quocumque peccato mortali egerint, id ultro ex devotione, non ex decreto Ecclesiæ fecisse constat.

Respondeo secundo, distinguendo: Omne peccatum mortale promeretur separationem a corpore Christi, id est, quicumque tale peccatum commisit, non debet accedere ad altaris Sacramentum, nisi prius confessione sacramentali a peccato se purgaverit, concedo: nisi, prius confessione peracta, ante absolutionem luctuosæ pœnitentiæ labores subierit, subdistinguo: Si, peccati scandalum annexum habentis, aut etiam graviorum peccatorum habitudinis reus sit, concedo: secus, nego. Ecclesia sancto Spiritu gubernata non ea semper utitur severitate: quod si quidam Patres affirment pœnitentes per longum tempus laboriosæ pœnitentiæ acerbitates sustinuisse, dubio-procul loquuntur de tempore absolutionem a peccatis subsequente. His solutionibus multa solvuntur deprompta ex Patribus, & canonibus Conciliorum Novatoris argumenta.

Replicat: S. Basilius in sua ad Amphilochium Epistola, dicit excludendum esse a sacra mensa quemcumque, nisi eam habeat charitatem, qua vivere debet Christo, qui pro nobis mortuus est. Ergo. &c.

Respondeo distinguendo: Nisi habeat charitatem in dispositione, concedo: in longa, eaque prævia actuali pœnitentiæ laboriosæ exercitatione, nego. Pro solutione aliorum auctoritatum sciendum I. Rigorosam illam disciplinam non esse amplius in usu. II. Dispositiones quas requirunt multi e sanctis Patribus esse convenientiæ, non vero necessitatis. III. Quod si diutius retardetur absolutio, peccatores vix absolutionis & communionis beneficio donandos esse. Quis etenim per sex menses valeat a peccatis abstinere. Prioribus solutionibus resolvitur id quod refert Arnaldus ex lib. 1. divi Ambrosii de Pœn. c. 16. ex sancto Augustino sermone 252. de tempore, ubi dicit, quod accedentem ad Eucharistiam, oportet ante omnia, tum precibus, tum jejuniis, & eleemosynis se purificare: Ex S. Chrysostomo Hom. 24. in 1. Corinth. accedendum esse ad hoc sacramentum eum fervore, & charitate ardenti. Demum ex S. Gregorio L. 2. in 1. Regum c. 1. affirmante peccata venialia impedire effectum istius sacramenti; sensus enim illorum omnium est, neminem cum peccato mortali sacram Eucharistiam fructuose posse accipere: eas afferendas esse dispositiones quæ omnem ad peccatum affectum excludant: nec cuiquam licitum esse ad cœnam Agni venire, nisi sit veste nuptiali indutus, hoc est gratia habituali & sanctificante ornatus. Sed ubi quæso in his locis pœnitentiæ, aut publicæ, aut longioris luctuosæ, mentio?

Instat; Sanctus Augustinus L. 14. de civitate Dei cap. ultimo asserit amorem sui elongare a susceptione sacramenti Eucha-

cha-

chariſtiæ. Ergo &c. Sic loquitur S. Doctor: " Fecerunt itaque civitates duas, „ amores duo, terrenam ſcilicet, amor „ ſui. „

Respondeo, Arnaldum præcipuam partem iſtius teſtimonii omittere; nam hæc habet Auguſtinus, *uſque ad contemptum Dei*. Certe nemo Catholicus dixerit illum, ad ſacram menſam admittendum eſſe, qui actu ſe amat uſque ad contemptum Dei: nos autem impræſentiarum loquimur de peccatoribus pœnitentibus, qui de delictis, ſicut oportet, dolent.

Reponit: S. Dionyſius L. de Eccl. Hier. cap. 3. hæc habet: " Sacro ambitu arcentur Catechumeni, & cum iis Energumeni ac Pœnitentes, illis qui divinorum aſpectu, & communione digni ſunt remanentibus. „

Respondeo I. Si illi ſoli, qui Deo perfectiſſime uniuntur, poſſent adeſſe ſacrificio Miſſæ, vix aliquis intereſſe poſſet, cum Scriptura doceat neminem eſſe qui non peccet: peccatum autem tametſi veniale, eſt a perfectione receſſus.

Respondeo II. Divum Dionyſium loqui de peccatoribus publicis; Arnaldus autem male interpretatur verbum græcum, *ἐνοειδεῖς*: quod non ſignificat eſſe unitum Deo, ſed eſſe uniformem cum Deo; ceterum peccatores publici, utpote Deo odioſi, Diacono clamante *Sancta Sanctis*, exibant ab Eccleſia; nuſquam vero hi omnes qui cum Deo non erant perfecte uniti.

Instat: Sanctus Juſtinus Apologia 2. in fine propellit ab Eccleſiæ communione eos omnes quorum vita ſeccedebat ab innocentia Baptiſmali, qui etſi ſe Chriſtianos profitentes, Chriſti tamen non ſequebantur veſtigia: item ſanctus Baſilius L. 7. de Baptiſmo ſic habet: " Quicumque accedit ad Sacramentum altaris „ debet exhibere ſe mortuum, vivere „ Deo, & Chriſto. „ Tum in regula morali affirmat accedentem ad Euchariſtiam, ab omni inquinamento carnis, & ſpiritus mundandum eſſe. III. Sanctus Auguſtinus Homil. 42. exigit a communicantibus, ut renuntient omnibus quæ poſſident. Ergo &c.

Respondeo triplici modo ad has auctoritates: I. Diſtinguendo: Et illæ diſpoſitiones ſunt, convenientiæ, & majoris utilitatis, concedo: abſolute neceſſariæ, nego. Rurſus & aliter diſtinguo: Rejiciuntur ab Eccleſiæ communione qui in habitualibus peccatis remanent, nec ullatenus vitæ emendationi ſtudent, concedo: Qui non ſunt perfecti perfectione evangelica, nego. III. Iterum atque iterum diſtinguo: Non debent accedere ad altare niſi præmiſſo Sacramento pœnitentiæ, concedo: Mors totalis ſibi & omnibus rebus requiritur, ſubdiſtinguo: ad melius, concedo: abſolute, nego.

Instat: Auctor libri de imitatione Chriſti ſic loquitur: " Si devotione careatis, „ & e contra eſſis aridi perſeverate in oratione, pulſate ad januam, plorate quouſque gratiam recipiatis. „ Ergo &c.

Respondeo I. diſtinguendo: Si careatis vera devotione, concedo: ſi ſolum ſenſibili, nego: Rurſus ſed aliter diſtinguo: Si eſtis aridi, probate vos, ad conſilium, concedo: ad præceptum, nego. Tertio ſic poteſt eadem propoſitio diſtingui; ſi eſſis peccato mortali detenti illud ante communionem deponendum eſt, concedo: aliud abſolute prærequiritur, nego. Quot ſancti fuerunt aridi, & devotione ſenſibili caruerunt, qui tamen frequenter accedebant ad Sacramentum Euchariſtiæ. Ratio hæc a Theologis myſticis affertur, quod perfectius ſit cum fide nuda ad Deum tendere, quam devotione ſenſibili, quandoquidem Apoſtolus Heb. 11. aſſerit veteris Teſtamenti Patres ſummum ſanctitatis gradum, fide attigiſſe. *Per fidem*, ait, *vicerunt regna, operati ſunt juſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones*.

Instat: Sanctus Bonaventura in Breviloquio pag. 619. ait: " Qui tepide, indevote, & inconſiderate accedit, judicium ſibi manducat, & bibit, quia „ tanto Sacramento contumeliam facit. „ Et in 4. Diſt. 12. p. 2. art. 1. q. 2. frequentem communionem ſuadeat ſolum iis qui ſunt in ſtatu perfecto Eccleſiæ primitivæ.

Respondeo, ad 1. divum Bonaventuram bene loqui, etenim qui facit Euchariſtiæ Sacramento contumeliam, admodum reus eſt, non præciſe quia tepidus, ſed quia voluntarie indevotus; magnum etenim eſt diſcrimen inter hominem non devotum, & indevotum eſſe. In-

devo-

devotus multa supponit, sed esse non devotum supponit tantum, saltem sæpius, devotionis sensibilis privationem.

Ad secundum dico, S. Bonaventuram loqui de frigiditate supina, non vero de ea quæ ex fragilitate humana promanat: si quis adeo esset tepidus, ut quidquid in se est non faceret, ut a sua tepiditate exurgeret, immo quasi gaudens in ea quiesceret, citra dubium a communione frequentiori abstinere deberet. Ceterum si quam devotionem majorem, ea quæ vulgo desideratur, exigat S. Bonaventura, eam dumtaxat requirit, ut fructus uberior ex Sacramento percipiatur.

Urget: Idem L. de præparatione ad Missam sic loquitur: " Cave ne nimis tepi„ dus, & inordinatus accedas, quia in„ digne facis, si non accedas reverenter, „ circonspecte, & considerate. „ Idem affirmat cap. 5. Præterea sanctus Franciscus Salesius L. 2. Epist. 3?. gratulatur Domicellæ, quæ suasu Confessoris a communione abstinuerat. Quid plura? multi sancti propter peccata venialia commissa a celebratione Missę abstinendum esse æquum duxerunt. Ergo &c.

Respondeo, ad 1. distinguendo: Indigne recipit, id est non cum debita devotione, quæ tanta desideraretur quanta fuit in Sanctis, concedo: id est peccat lethaliter, nego. Tepiditatem inveteratam damnat sanctus Bonaventura, & nos etjam cum illo: ad auctoritatem divi Francisci Salesii dico, nihil inde sequi contra conclusionem. Etenim piæ feminæ communioni deditæ, possunt ad tempus ab ea abstinere, ut ardentius postea ad Agni cœnam accedant.

Proponuntur & solvuntur difficultates, contra secundam Conclusionem irruentes.

Objicies: Consulere quod perfectius est, non debet peccatum reputari: Sed gravissimas pœnas, & satisfactiones imponere peccatoribus, est ad majorem perfectionem, & ad tutam salutis viam eos promovere. Ergo &c.

Respondeo distinguendo minorem: Gravissimas pœnas peccatoribus imponere, servatis servandis secundum judicium viri prudentis, non est peccatum, concedo: non servatis, nego minorem & consequentiam: ex divo Thoma virtus moralis in medio consistit, & præcavendum est ne in excessum, vel defectum agens prolabatur: Sin minus deficit virtus a ratione virtutis. Liberalitas v. g. secundum eumdem sanctum Doctorem intee virtutes morales locum tenet; sed si quis ad prodigalitatem usque sit beneficus, jam non est virtuosus. Pari, & consimili modo, castigare carnem, & in servitutem quibusdam macerationibus redigere, optimum est: verum per excessum ita castigare, ut deficiat animus, vel propter laborum diuturnitatem, vel etiam afflictionum pondus, non est virtus, cum hoc ut plurimum superet vires, nec sine miraculo tanta perpeti possibile sit: ex quo non semel contingit pœnitentem post quosdam justos exantlatos labores, tædio, & mœrore confectum, agi in desperationem, & salutis opus feliciter cœptum, prorsus derelinquere. Ergo &c.

Instabis: Satisfactiones ab ipsa Ecclesia determinatas pro penitentia imponere, non est per excessum boni ardui peccare: Atqui pęnitentia laboriosa per multos annos subeunda a canonibus præscribitur. Ergo &c.

Respondeo distinguendo minorem: Pęnitentia laboriosa præscribitur pro peccatis publicis, & sine fine reiteratis, concedo: pro peccatis occultis, subdistinguo; gravioribus, & ad aliquod tempus juxta judicium viri prudentis occulte adimplenda, concedo: per unum aut plures annos, nego. Ratio hujusce responsionis non una est: I. Ecclesia rescidit hujusmodi labores, nec citra inobedientiæ, & indiscretionis peccatum tantæ satisfactiones injunguntur. Sufficit quod pęnitens prudenter, & juxta vires probetur per aliquod tempus: hinc ut primum sufficientia dedit, & doloris, & conversionis argumenta, absolvi, & ad sacra Mysteria admitti debet. Nec mirum, Ecclesia quondam trina immersione baptizabat; nunc vero infusione utitur: plures Catechumenatus annos quandoque exigebat; e contra vero hodiernis diebus satis habet quod adultus uno, aut altero mense, omissis antiquis stationibus percurrendis, erudiatur: nec citra peccatum, adversus Ecclesiam propter disciplinam vete-

veterem mutatam aliquis recrudesceret : idem proportionaliter in præsenti casu dicendum.

Replicabis: Satisfactio quæcumque sit nc uni quidem peccato mortali correspondet, cum per istam culpam reatum pœnæ æternæ, & temporalis gravissimæ, incurrat: Igitur ex hac parte ne quidem possibilis est, in imponenda pro peccato pœnitentia, excessus.

Respondeo retorquendo Argumentum: Si res ita se habet; tantus Pœnitentiæ labor injungendus est pro uno peccato mortali, quantum subeunt animæ in purgatorio detentæ, cum peccatum lethale majorem adhuc prometeatur pœnam, scilicet æternam, juxta illud Rom. 6. *Stipendia enim peccati, mors*.

Respondeo II. Solutionem patere ex dictis, videlicet aliqua bona opera, quibus meritum passionis Christi applicatur, sufficere pro satisfactione: maxime cum tempus vitæ præsentis sit misericordiæ tempus.

Repones: Facilitas veniæ juxta sanctos Patres est peccati incentivum: Igitur severitas pœnitentiæ, in excessum nusquam evadit.

Respondeo distinguendo: Facilitas veniæ, omni prætermissa satisfactione, est incentivum peccati, concedo. Facilitas veniæ, innixa lacrymis, gemitibus, & operibus luctuosis ad mensuram præscriptis, nego. Diximus eos qui habitu peccati mortalis detinentur, ante absolutionem quibusdam laboribus aliquo tempore probandos esse, ceteros vero unius solum peccati mortalis occulti, & non ita gravis reos, posse absque mora, imposita justa satisfactione, absolvi, modo appareant vere pœnitentes.

Dices: Peccatores multa promittunt, sed ut plurimum non stant promissis, & Confessoribus illudunt: Igitur prius antequam beneficium absolutionis recipiant, probandi sunt.

Respondeo distinguendo: Et credendum est peccatori, ut servo fideli, pro prima, aut altera vice, si competentem habeat Sacerdos eum pro more pœnitentiam alias impositam adimplere, concedo: & non est illi credendum, subdistinguo si constet illum nec stare promissis, nec adimplere pœnalitates jam jam determinatas in prioribus Confessionibus, concedo: secus, nego. Sed quorsum hæc? Cum experientia comprobatur eum qui raro in peccatum mortale cadit, supra modum de lapsu suo dolere: Quidquid sit: hoc negotium penes prudentiam, charitatem, & misericordiam Confessoris peragendum est.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Peccatores non debent diutius a sacra mensa propelli, nec vulgo citra peccatum illud fieri potest.

PRIMO: Quia Christus vult ut cito-citius ad eum accedant, qui gravati sunt; ait enim Prov. 8. *Deliciæ meæ, esse cum filiis hominum*.

Secundo: Quia pœnitentia laboriosa, & & canonica pro peccatis occultis, & ordinariis, non est in usu, sed potius ab Ecclesia rescissa.

Tertio: Incassum quidam opponunt SS. Patres, qui adversus paccatores graviter insurgunt, & maximis pœnis volunt peccata abstergi; vel enim loquuntur de peccatis publicis pœnitentia canonica expiandis; vel etiam per antonomasiam dixere pœnas gravissimas promereri peccatores, ut eos a vitiis deterrerent.

Quarto: Cum virtus in medio consistat, non sine peccato severioris pœnitentiæ tenaces, ad annos possunt procrastinare absolutionis & Euchatistiæ Sacramenta, per hoc enim in periculum venit præceptum Ecclesiæ de pœnitentia & Communione annua.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Non negamus peccatores aliquo malo habitu detentos, prius probandos esse, sed ad mensuram.

Secundo: Perfectissimum quidem est pro peccatis Deo satisfacere, sed ut facilius peccator hoc faciat, debet adjuvari, tum absolutione, tum communione, ut pœnitentiam agat in cilicio & cinere, nedum quibusdam annis, sed toto vitæ curriculo.

Denique: Quod est in se bonum, non semel per excessum & per accidens malum evadit;

evadit; hinc a culpa non excusantur severioris pœnitentiæ præcones & tenaces Confessores.

SECTIO QUINTA.

Regula frequentioris Communionis tam pro justis, quam pro peccatoribus vere pœnitentibus.

PRIMA REGULA: Satius est sæpius quam raro ad sacram mensam accedere. Hoc patet ex omnibus quæ de frequenti Communione jamjam diximus, & est contra Juenium, qui L. de Sacramentis art. 1. §. 1. pag. 355. col. 1. edit. Lugdunensis 1696. sic loquitur: Conclusio: *Antiqui Patres passim, & ordinarie nemini lapso nisi pœnitentia laboribus perfuncto Eucharistiam concedebant*. Quæ propositio manifeste contraria est illi quam ibidem propugnat §. 2. pag. 357. & 358. cujus titulus est: *Utrum his etiam temporibus reus peccati mortalis, pœnitentia labores Eucharistiæ communioni præmittere debeat*. Et sic respondet: Conclusio prima: *Pœnitentia sumpta pro satisfactione sacramentali, non debet necessario sacra communioni ab iis præmitti qui lethalium peccatorum sibi conscii sunt*. Quod quidem optime probat I. " Ex eo quod nec divinum, nec Ecclesiasticum jus hoc sæculo præscribant, ut satisfactio sacramentalis Eucharisticæ communioni præmittatur. II. Antiquæ leges quæ vetabant ne quis a criminibus absolveretur quin ante satisfactionem per claves Ecclesiæ sibi impositam obiisset, quatuor abhinc sæculis abierunt in desuetudinem, nec aliæ sancitæ sunt, quibus omnes absolutione donati a sacris altaribus passim arcerentur. III. Alexander Papa VIII. die 7. Dec. an. 1690. hancce propositionem damnavit, qua continetur Petri Oxomensis error, de improbandis absolutione & communione, quas non anteverrat satisfactio sacramentalis: *Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad communionem prætendunt, antequam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint*.

Rursus sic pergit ibidem pag. 358. " Conclusio 2. Pœnitentia sumpta pro pietatis operibus, quibus demonstretur interna cordis conversio, his etiam temporibus, a nonnullis lapsis Eucharisticæ communioni præmitti debet. " Igitur ut auctor sibi cohæreat, non debuit ponere Patres, indiscriminatim pœnitentiam laboriosam imposuisse ei qui post Baptismum prolapsus est in aliquod peccatum mortale: Tametsi enim Tertullianus in istam sententiam nonnihil propendere videatur, suffragium Patrum in hoc illi deest, cum nonnisi hujusmodi pœnitentiam pro peccatis solum publicis, aut saltem occultis omni exceptione majoribus admiserint. Et ipse auctor §. 2. ultro fatetur conclusione 1. pœnitentiam illam nonnisi aliquibus peccatoribus infligendam esse; tum ibidem primo concludit satisfactionem sacramentalem omnium maximam, & plurimum necessariam vulgo non antecedere absolutionem & Communionem.

Jam ad divum Thomam confugiamus, qui in 4. Sententiarum distinct. 12. q. 3. art. 2. respondet usum alicujus boni multum prodesse si frequentius executioni mandetur, nec nisi per accidens, & defectu sufficientis præparationis nocere: Quinimmo propugnat melius esse ad sacram Eucharistiam frequentius, quam timore tametsi casto, ab ea recedere: " Si autem hæc duo, *inquit*, comparemus, adhuc invenitur prævalere sumptio Sacramenti, abstinentiæ a Sacramento; tum ratione præparationis quantacumque sit; tum etiam ratione virtutis elicientis actum; quia sumere, videtur esse charitatis, in qua radix meriti consistit; abstinere autem timoris, amor autem timori prævalet. " Audis sanctum Doctorem sufficienter docere, posse justum sæpius communicare, modo dignam habeat præparationem; & melius esse confidenter ad sacram mensam accedere, quam timore, & quadam reverentia a tanto abstinere Sacramento, ea ductus ratione, quod amor prævaleat timori: hinc 1. Joan. 4. habetur: *Perfecta charitas foras mittit timorem*.

Concinit Cyrillus Alexandrinus L. 3. in Joannem cap. 37. pag. 181. asserens eos qui raro ad sacram mensam accedunt, in periculum salutis venire: Subditque specie timoris, & reverentiæ, in laqueum diaboli tendere. Non injucundum erit

hic

hic verba ejus aurea texere: " Sciant „ baptizati homines, & divinæ gratiæ „ participes facti, si rarius in Ecclesiam „ proficiscantur, & longo temporum spa- „ tio propter simulatam religionem my- „ stice communicare Christo recusent, ab „ æterna se vita procul depellere: quip- „ pe recusatio hujusmodi, quamvis ex re- „ ligione proficisci videatur, & scanda- „ lum facit, & laqueos instruit: quare „ oportet omnibus viribus a peccato mun- „ dari, & recte vivendi jactis fundamen- „ tis, magna cum fiducia ad sumendam „ vitam concurrere. „

Quibus verbis sanctus Doctor subvertit fundamentum recentiorum Doctorum, qui specie tenus humilitatis & reverentiæ, Fideles a frequentiori Communione avertunt.

Altera regula: Non in temeritatem refundi debet sæpius sacram Eucharistiam frequentare, modo hoc non fiat indigne, & cum conscientia peccati mortalis, de quo nondum data est absolutio defectu confessionis & accusationis; sic docet S. Chrysostomus Homil. 5. in 1. ad Thimoth. " Non est audaciæ, sæpius accedere „ ad Dominicam mensam, sed indigne „ accedere. „ Hinc homil. 17. in Epistolam ad Hebræos ait, meritum non desumi ex frequenti, vel rara communione, sed ex munda conscientia cum qua Fidelis communicat: hinc causa eadunt Novatores dum totam ad Eucharistiam præparationem totumque meriti pondus in rara Communione reponunt: " Quid „ vero, *ait*, quinam erunt nobis magis „ accepti, an qui semel, an qui sæpe, „ aut qui raro? Nec hi, nec illi, sed „ ii qui cum munda conscientia, qui „ cum mundo corde, qui cum vita ir- „ reprehensibili; qui sunt hujusmodi sem- „ per accedant: qui non sunt hujusmo- „ di, nec semel quidem. „ Intelligit ergo sanctus Doctor eum, qui tametsi aliquo peccato mortali irretitus sit, posse frequentius Eucharistiam sumere; modo prius & doleat de peccato, & ab eodem absolvatur: Si enim solos perfectissimos intelligeret, eos scilicet qui conscientiam ita mundam habent, ut vix in peccata venialia prolabantur, omnes indiscriminatim propelleret, cum tamen unum ab omnibus solummodo exigat, nimirum ut quicumque sive raro, sive sæpius ad sacram mensam accedit, eum munda conscientia accedat. Porro qui peccato exitiali reus est, & illud cum vera contritione confessus, tum & absolutus est, cor mundum habet. Igitur si prioris vitæ adsit emendatio, nihil prohibet ut sæpius communicet.

Tertia: Rarior communio non est dispositio ad frequentandam Eucharistiam, sed potius iterata: ita ibidem S. Chrysostomus: " Hoc, *inquit*, nempe est, quod „ universa perturbat, quia non munditia „ animi, verum intervallo temporis lon- „ giore, constare meritum putas, sum- „ mamque arbitraris reverentiam, ac re- „ ligionem esse, si non sæpius cœlestem „ illam adeas mensam; ignoras quoniam „ indigne accedere, etiamsi semel tan- „ tum fiat, te supplicio tradit: digne ve- „ ro etiamsi sepe accedas, salutem inde „ consequeris. „

Quarta: Ut primum ex Communione aliquis perfectior evadit, & ad vitia castiganda atque a se abstinenda hoc prodest, sæpius sacram mensam frequentare debet: Sic colligitur ex divo Bonaventura in Sent. dist. 2. p. 2. art. 2. q. 2. his verbis: " Majorem efficaciam credo „ quod recipiat homo in una Missa, vel „ manducatione cum bona præparatione, „ quam in multis, si non se præparet „ diligenter. „ Si igitur se optime disponat, magnum inde fructum recipiet, cum ex principio Seraphici Doctoris frequens Communio, adhibitis bonis præparationibus, multum prosit.

Expressius S. Thomas in 4. Sent. dist. 12. q. 2. art. 1. quæst. 1. " Si aliquis expe- „ rimentaliter cognosceret ex quotidiana „ sumptione, fervorem amoris augeri, „ & reverentiam non minui; talis debe- „ ret quotidie communicare. Si autem „ sentiret per quotidianam frequentiam „ .... fervorem non multum augeri, ta- „ lis deberet interdum abstinere, ut cum „ majori reverentia & devotione post- „ modum acciperet. Unde quantum ad „ hoc unusquisque relinquendus est judi- „ cio suo. „ Porro quotidiana comprobat experientia, devotas virgines multum proficere Communione quotidiana, languescere vero, & tepescere dum ea privantur; hinc quandoque in peccata venialia

nialia plura ruunt, ut ipsæ testantur, eo quod oblitæ sint suum sacrum panem comedere; inauditum quippe est, accedentes frequentius ad sacram synaxim, non magis proficere, quam ceteri qui raro accedunt, cum ut jam iterum atque iterum dictum est, effectus Eucharistiæ sit peccata venialia delere, futura saltem ex parte impedire, & charitatem magis ac magis accendere.

Quinta: Suadenda est frequens Communio iis qui ad meliorem, ejus efficacia, redeunt frugem, & in virtute proficiunt. Hoc sequitur ex dictis modo: ita Joannes Avila 1. p. Epist. 65. ubi dicit: " Unicum probæ Communionis signum animæ profectum esse, atque ad " pietatis progressionem, quam si assequantur, recte ad Eucharistiam sæpius " recurrunt. " Igitur qui quandoque, sed raro in aliquod peccatum mortale prolabitur, potest ex licentia Confessoris prudentis frequentius communicare, maxime si animadvertat tantum roboris se in Communione accipere, quantum sufficit ut multo rarius cadat.

Quid his innixi regulis, ex Patribus depromptis dicendum de peccatoribus, qui in luto vitiorum multo tempore immersi, sed tandem pœnitentia legitima in cilicio, jejunio, cinere, & eleemosynis facta, ad Deum sincere convertuntur, & ex communione frequentiori præcavent peccata, atque in justitia perseverant, sin minus ab ea deficiunt? citra dubium respondendum est, Communionem frequentem eis esse perutilem; ita tamen, ut in vita purgativa per macerationes prudentes, in quantum status & vires permittunt, exerceantur, frequentiorem communionem, vel istis esse turrim ex qua mille contra dæmones & passiones compescendas clypei pendent non semel, sed iterum atque iterum comprobatum habent Theologi Mystici, & Confessores zelo secundum scientiam Dei, & vera charitate præditi. Maxime cum dæmon cuncta moveat, ut eos a Communione deterreat, prænoscens passiones se pro virili impugnaturos, quandiu Salvatorem habebunt ad auxilium; peccator quippe ut peccator, de se tendit ad frequentiorem Communionem relinquendam, ut liberrime indulgeat carni, & sanguini, sed centies dicimus cuncta juxta judicium viri prudentis esse ordinanda. Dico viri prudentis, absurdum est enim credere vitia inveterata, levioribus pœnitentiis, v. g. aliquarum precum recitatione, eradicari: Scriptum est enim Ps. 136. *Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea*. Et Ap. 1. Cor. 9. *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar*.

Sexta: Qui ardenti moventur desiderio circa Communionem, frequentius accedere debent, cum votum a Spiritu sancto promanatum, non debeat esse vacuum, sed potius executioni mandari; tum quia ex Communione desiderata & percipienda sæpius conscientiam a quotidianis defectibus tenetur fidelis se mundare, juxta illud Christi Joan. 6. *Qui manducat me, & ipse vivet propter me*. Rursus 1. Corinth. 11. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat*.

Jam audiendus est de hoc momento S. Gregorius L. 2. in Regum cap. 1.: ubi ait: " Non saturantur ergo nisi famelici qui " a vitiis perfecte jejunantes, divina Sacramenta percipiunt in plenitudine " virtutis, & quia sine peccato electi " viri esse non possunt, quid restat, nisi ut a peccatis, quibus eos humana " fragilitas maculare non desinit, evacuari quotidie conentur. "

Si quæras, num negotiis sæcularibus implicati, & uxorati debeant frequentius ad sacram synaxim accedere?

Respondetur I. Negotiatores, quorum cor est in divitiis, nonnisi præmissa & certa probatione, Eucharistiam debere sumere, secus vero si utantur hoc mundo tamquam non utantur, & fides ac devotio rebus humanis quibus agitantur, prædominentur.

Respondetur II. Uxoratos ex judicio viri prudentis, qui cuncta æqua lance ponderet, una aut altera vice in mense posse communicare, ea lege Apostoli, ut in carne viventes non secundum carnem & desideria passionum ambulent; unde vult aliquibus diebus eos vacare tum orationi, tum continentiæ, ut præparati ad sacram mensam digne accedant; sic enim loquitur 1. Cor. 7. *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi,,, Qui habent uxores,* tam-

tamquam non habentes sint ... Qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur.

Septima: De sufficienti ad frequentiorem communionem dispositione non judicandum est justa status perfectionem, sed vitæ innocentiam, cum multi tametsi in statu perfectionis per vota adstricti, quandoque immaculatam vitam non ducant; hinc istud Ecclesiæ oraculum præ oculis semper habendum est, *Sancta Sanctis*.

Octava: Frequentissima Communio exigit ut fideles ab affectu habituali ad peccata venialia temperent; aliud enim est in peccata venialia prolabi, aliud habere affectum permanentem & habitualem ad venialia. Prior defectus non est impedimentum ad frequentiorem communionem, secus vero posterior. Ita S. Franciscus Salesius in Philotea 2. p. c. 22. his verbis: " Longe differunt, *inquit*, „ peccatum veniale, & affectus peccati „ venialis; venialia enim, & levia pec„ cata omnino vitare numquam possumus, „ ab ipsorum vero affectu cavere omnino „ possumus. „ Hinc ibidem deterret a quotidiana communione eos quibus inest venialium affectus, his aliis verbis: " Quotidie Eucharistiæ communionem „ percipere, nec laudo, nec reprehendo, „ omnibus tamen Dominicis diebus com„ municandum suadeo, & hortor, si „ tamen mens sine affectu peccandi „ sit. „

Demum hanc perdifficilem materiam juvat concluere consilio & auctoritate Innocentii Papæ XI. qui die 12. Februarii an. 1679. hæc pro frequenti communione statuit. Non satis esse ad frequentem communionem statum gratiæ sanctificantis, sed præterea requiri: " I. Ut *Mi„ nistri Ecclesiæ*, ad conscientiæ purita„ tem, frequentiæ fructum, pietatis aug„ mentum attendant. II. Ut in conjuga„ tis hoc amplius animadvertant; cum „ beatus Apostolus nolit eos invicem frau„ dari, nisi forte ex consensu ad tempus, „ ut vacent orationi, eos serio admonen„ dos esse tanto magis ob debitam Eu„ charistiæ reverentiam, continentiæ va„ candum, puriorique mente ad cœlestium „ epularum communionem esse conve„ niendum. III. Ut ii qui se minus pa„ ratos senserint, abscedant a commu„ nione, quo per pietatis opera, ipsi „ deinceps se paratos magis exhibe„ ant. „

Ne quid intactum pro Eucharistia recte suscipienda relinqueret, hanc quorumdam molliorum Theologorum damnavit propositionem, *Frequens Confessio & Communio, etiam in iis qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis*.

Synopsis eorum quæ in hoc articulo continentur.

PRIMO: Satius est frequentius sacram Eucharistiam sumere, quam ab ea longius discedere, cum sit cibus quotidianus. Hoc ipsum suadet S. Thomas in 4. Sent. distinct. 12. q. 3. art. 2. ubi ait, quod amori timorem cedere convenientius sit.

Secundo: Ab affectu habituali ad peccatum veniale debet secedere, qui frequentius communicat, quandoquidem hujusmodi habitus magnum arguit in anima torporem ad res cœlestes possidendas.

Tertio: Nec peccatores a frequentiori Communione propellendi sunt, si sufficientibus adhibitis præparationibus, experientia probet Eucharistiæ efficacia a peccatis gravioribus perpetrandis immunes esse, immo & eadem eorum erga Christum axardescere amorem.

ARTICULUS NONUS.

De Ministro Eucharistiæ.

DUO incumbunt officia Eucharistiæ Ministro, videlicet consecrare Eucharistiam, deinde vero eamdem dispensare. Nunc quæritur quinam sit ille Minister, & dispensator? Pro quorum resolutione sit

CON·

CONCLUSIO PRIMA.

Solus Sacerdos est Minister confectivus Eucharistiæ.

Probatur auctoritate, & ratione.

Primo, ex Scriptura sacra.

CHRISTUS Luc. 22. instituens Eucharistiam, solis Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus illam consecrandi potestatem tribuit his verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*. Clemens Romanus L. 8. Constitutionum in isto prorsus sensu verba Christi interpretatur. Rursus ibidem L. 2. cap. 31. sic loquitur: " Quicumque Laicus sine Sacer„ dote aliquid operatur, inaniter opera„ tur. „

Eadem veritas celebratur ab Apostolo Heb. 5. his verbis: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron*: Jam dixerat 1. Cor. 4. *Sic nos existimet homo ut Ministros Christi, & Dispensatores Mysteriorum Dei*. Audis beatum Paulum nonnisi de Apostolis, & Christi Discipulis loqui, cum ibi agatur de confectione Sacramentorum, maxime Eucharistiæ, quæ est Mysteriorum omnium fons, & consummatio, quippe quæ sit Sacramentum simul & sacrificium.

Hoc ipsum non obscure eadem declarat Scriptura, 1. Reg. 13. Eo loci reprehenditur Saul a Samuele, quod stulte egisset offerendo sacrificium, tametsi in necessitatis casu; cum nulla lege dispensante, hoc solos spectaret Sacerdotes. Eamdem ob causam Ozias Rex, 2. Paralip. 16. lepra percutitur.

Secundo, ex Conciliis.

NICÆNUM 1. c. 14. dicit Diaconos non habere potestatem offerendi sacrificium Eucharistiæ, sed Presbyteros. Lateranense 4. capite *Firmiter*, de summa Trinitate, de Eucharistia loquendo: " „ Hoc Sacramentum, *inquit*, nemo pot„ est conficere, nisi solus Sacerdos, qui „ rite fuerit ordinatus. „

Patrocinatur Tridentinum Sess. 23. c. 3. his verbis: " Si quis omnes Christianos „ promiscue novi Testamenti Sacerdotes „ esse, aut omnes pari inter se potesta„ te spirituali præditos affirmet; nihil „ aliud facere videtur, quam Ecclesia„ sticam Hierarchiam, quæ est ut ca„ strorum acies ordinata confundere. „ Quibus verbis contundit Protestantium temeritatem, contrarium propugnantes. Eosdem can. 1. 2. 3. sed maximè 4. iterato fulmine percutit his verbis: *Si quis dixerit per sacram ordinationem non dari Spiritum sanctum; ac proinde frustra Episcopos dicere, Accipe Spiritum sanctum, aut per eam non imprimi characterem; vel eum qui Sacerdos semel fuit, Laicum rursus fieri posse; anathema sit.*

Tertio, ex sanctis Patribus.

DUCEM in hoc habemus S. Dionysium, qui L. de Eccl. Hierarch. c. 5. ait: " Nec ipse Sacerdos erit, nisi Pon„ tificalibus officiis ad hoc fuerit promo„ tus. „ Ex quibus verbis colligitur non omnes indiscriminatim, sed solum Sacerdotes consecrandi Eucharistiam habere potestatem.

S. Chrysostomus in libris de Sacerdotio passim hanc sacram tradit doctrinam, maxime L. 3. c. 4. & 5. Ambrosius L. 2. de Sacerdot. sic exaltat Sacerdotium: " Non „ homo, *ait*, non Angelus, non Archan„ gelus, non aliqua alia creatura, non vir„ tus, sed ipse Spiritus sanctus hoc mu„ nus instituit, atque adhuc manentes in „ carne, mysterio fungi præstitit Ange„ lorum. Quomodo ergo nobis isti non „ solum Reverendi magis quam Reges, „ aut Judices, sed etiam magis erunt ho„ norabiles quam parentes. „

Hieronymus eumdem habet sermonem Epist. ad Heliodorum, in qua Sacerdotes super ceteros Ministros eminere dicit, eo quod: " Corpus Christi sacro ore con„ ficiant. „

Suffragatur Augustinus L. 20. de Civ. Dei, cap. 10. Tum Basilius L. 2. de Baptismo cap. 8.

Gaudentius non est prætereundus: Tract. 2. ad Neophytos versus finem sic loquitur: " Discipulis Fidelibus mandat *Chri*„ *stus* quos primos Ecclesia constituit Sa„ cerdotes, ut indesinenter ista vitæ „ ætern-

„ æternæ mysteria exercerent, quæ necesse est a cunctis Sacerdotibus per singulas totius orbis Ecclesias celebrari, „ usquequo iterum Christus de cœlis adveniat. „

Quarto, rationibus Theologicis.

PRIMA sic proponitur: Requiritur specialis potestas characterem animæ impressa ad conficiendam Eucharistiam: Sed solus Sacerdos hanc habet: Ergo &c. S. Thomas probat minorem hic q. 82. art. 1. in argumento *Sed contra*, auctoritate Isidori his verbis: " Isidorus dicit in „ quadam Epistola, & habetur in decreto 25. ad Presbyterum pertinet Sacramentum corporis & sanguinis Domini „ in altare Dei conficere. „ Tum in corpore articuli vel ex ipsa forma consecrationis, eo quod Sacerdos agit in persona Christi, idem probat: " Dicendum, „ quod sicut supra dictum est, hoc Sacramentum est tantæ dignitatis quod „ non conficitur nisi in persona Christi: „ Quicumque autem aliquid agit in persona alterius, oportet hoc fieri per „ potestatem ab illo concessam: Sicut „ autem baptizato conceditur a Christo „ potestas sumendi hoc Sacramentum, „ ita Sacerdoti cum ordinatur, confertur potestas hoc Sacramentum consecrandi in persona Christi. Per hoc enim ponitur in gradu eorum, quibus „ dictum est a Domino, Hoc facite in „ meam commemorationem. Et ideo dicendum est, quod est proprium Sacerdotum conficere hoc Sacramentum. „

Altera, ista forma concluditur: Quod praxis & Ecclesiæ possessio annuntiat, in sensum adulterinum non transferendum est: Atqui ex praxi, & traditione perpetua soli Sacerdotes, ut ait S. Thomas in Prosa: *Sic sacrificium istud instituit, cujus officium committi voluit solis Presbyteris, quibus sic congruit, ut sumant, & dent ceteris*: Soli inquam Sacerdotes possunt conficere Eucharistiam. Ergo &c.

Tertia: Quotiescumque aliquis præter Sacerdotes munus consecrandi Eucharistiam, vel sibi temerarie assumpsit, aut ad alios id extendit, statim proscriptus est ab Ecclesia; quod argumentum irrefragabile est, neminem præter Sacerdotem posse sacram Eucharistiam conficere: Ergo &c. Probatur antecedens: Lutherus propter alios errores, maxime vero propter istum quo L. de captiv. Babylon. c. de Ordine contendit, etiam feminas baptizatas posse saltem in necessitate consecrare ratione characteris Baptismatis, damnatus est: Eamdem ob causam Collyridiani, Pepuziani, apud quos mulieres sacrificandi munus usurpabant, proscripti sunt, ut scribit Epiphanius hæresi 79. & post ipsum Augustinus L. de hæresibus, hæresi 27. Ergo &c.

S. Thomas hic art. 2. docet plures Sacerdotes dum consecrantur, concelebrare cum Episcopo quia agunt in persona Christi, & eorum intentio ad unam, & eamdem hostiam consecrandam terminatur; adeoque nonnisi unum sacrificium conficitur, itaut attendant nonnisi post Episcopum verba consecrationis proferre: " Sacerdos, *inquit*, cum ordinatur, „ constituitur in gradu eorum qui a Domino acceperunt potestatem consecrandi in Cœna, & ideo secundum consuetudinem quarumdam Ecclesiarum, „ sicut Apostoli Christo cœnanti concœnaverunt, ita novi ordinati, Episcopo ordinanti concelebrant. Nec propter hoc iteratur consecratio super eamdem hostiam, quia sicut Innocentius „ III. dicit, omnium intentio debet „ ferri ad idem instans consecrationis. „

CONCLUSIO SECUNDA,

I. Solus Sacerdos est dispensator ordinarius Eucharistiæ. II. Diaconus extraordinarius. III. Etiam ex indulgentia quandoque fuerunt Clerici, & Laici.

PROBATUR prima pars. Minister conficiens Eucharistiam solus agit in persona Christi, quippe qui solus habeat potestatem supra corpus Christi verum: Ergo &c. Ista ratio est divi Thomæ hic art. 3. his verbis: " Dicendum, quod ad „ Sacerdotem pertinet dispensatio corporis Christi propter tria. Primo quidem „ quia sicut dictum est, ipse consecrat „ in persona Christi. Ipse autem Christus „ sicut consecravit corpus suum in cœna, „ ita & aliis sumendum dedit, unde sic-

„ ut

„ ut ad Sacerdotem pertinet consecra-„ tio corporis Christi, ita ad eum per-„ tinet dispensatio. „

Altera ratio est: Sacerdos constituitur medius inter Deum, & populum, eique incumbit illum Deo reconciliare, adeoque, & divina dona ei distribuere. Sic loquitur ibidem D. Thomas, & pergit: " Sacerdos constituitur medius inter „ Deum & populum; unde sicut ad eum „ pertinet dona populi Deo offerre, ita „ ad eum pertinet dona sanctificata di-„ vinitus populo tradere. „

Tertia: Non licitum est propter reverentiam Laicis sacra vasa tangere. Igitur nec a fortiori ipsum corpus Christi tangere, ut illud populo dispensent. S. Thomas ibidem ita loquitur: " In reveren-„ tiam hujus Sacramenti, a nulla re con-„ tingitur nisi consecrata: unde & cor-„ porale, & calix consecrantur, & simi-„ liter manus Sacerdotis, ad tangendum „ hoc Sacramentum: unde nulli tangere „ licet, nisi in necessitate, puta si cade-„ ret in terram, vel in aliquo alio ne-„ cessitatis casu. „

Quod autem prohibeatur, ne quisquam præter Sacerdotes dispenset corpus Christi, habetur de consecratione distinct. 2. c. *Relatum* desumptum ex Concilio Toletano 15. canone 5. his verbis: " Perve-„ nit ad notitiam nostram, quod quidam „ Presbyteri, Laico aut feminæ corpus „ Domini tradunt ad deferendum infirmis „ &c. „ Quibus verbis ægre fert quod alii præter Sacerdotes, corpus Christi dispensent: Igitur solus Sacerdos est dispensator ordinarius Eucharistiæ.

Probatur altera pars, videlicet quod Diaconus extraordinarie corpus Christi Fidelibus administrare possit: I. Primi Diaconi quondam sacris mensis inserviebant, Eucharistiam scilicet inter cœnandum distribuendo, juxta illud Actuum 6. *Considerate ergo, fratres, viros ex vobis boni testimonii septem plenos Spiritu sancto quos constituamus super hoc opus &c.*

Secundo: Hoc ipsum exprese dicit Justinus Apolog. 2. " Distributio, *inquit*, „ communicatio que fit eorum, in qui-„ bus gratiæ sunt actæ, cuique præsen-„ ti, absentibus autem per Diaconos mit-„ titur. „ Idem dicit S. Clemens L. 8. Constitutionum cap. 28. his verbis: " O-„ blatione vero ab Episcopo aut Presby-„ tero facta, ipse Diaconus dat populo, „ non tamquam Sacerdos, sed tamquam „ qui ministrat Presbyteris. „ His accedit auctoritas Alcuini L. de divinis officiis in capite *Jejunii*, ubi hæc leguntur: " Si „ necessitas evenerit, & Presbyter non „ fuerit præsens, Diaconus suscipiat pœ-„ nitentem, ac det sanctam communio-„ nem. „

Tertio: Concilium Nicænum 1. canone 18. juxta versionem Dionisii Exigui agnoscit Diaconos isto munere quondam functos fuisse, sed in posterum, prohibet ne alii præter Sacerdotes hoc faciant: " Per-„ venit, *ajunt Patres Synodici*, ad sanctum, „ magnumque Concilium quod in qui-„ busdam locis, & civitatibus Presbyte-„ ris gratiam sacræ communionis Dia-„ coni porrigant, quod nec regula, nec „ consuetudo tradidit, ut ab iis qui po-„ testatem non habent offerendi, illi qui „ offerunt, Christi corpus accipiant. Nec „ non & illud innotuit quod quidam Dia-„ coni ante Episcopos, sacra oblata con-„ tingant. Hæc igitur omnia resecentur, „ & in sua Diaconi mensura perma-„ neant. „

Quarto: Diaconi propius accedunt ad ordinem Sacerdotalem: Igitur aliquid participare debent de ejus officio, ut scilicet dispensent sanguinem pretiosum, vel ut ex vi officii sui, quia non requiritur ad hoc, ut illum immediate tangant. Sic docet D. Thomas ibidem art. 3. ad 1. " Dicendum, *inquit*, quod Diaconus qua-„ si propinquus ordini Sacerdotali, ali-„ quid participat de ejus officio, ut sci-„ licet dispenset sanguinem, non autem „ corpus nisi in necessitate, jubente Epi-„ scopo, vel Presbytero. Primo quidem „ quia sanguis Christi continetur in va-„ se, unde non oportet quod tangatur „ a dispensante, sicut tangitur corpus „ Christi. II. Quia sanguis designat re-„ demptionem a Christo in populum de-„ rivatam: unde & sanguini admiscetur „ aqua, quæ significat populum. Et quia „ Diaconi sunt inter Sacerdotem, & „ populum, magis convenit Diaconibus „ dispensatio sanguinis, quam dispensatio „ corporis. „

Probatur tertia pars, nimirum Laicos in necessitate posse dispensare Eucharistiam

Hoc patet ex his quæ supra diximus de cultu, & devotione erga sacram Eucharistiam, cum & licitum foret, sæviente persecutione, domi eam asservare, & pro devotione eamdem sumere. Immo in peregrinatione eamdem deferre, ut legitur de Satyro sancti Ambrosii fratre. Sufficiat impræsentiarum auctoritatem sancti Basilii pro isto momento texere; Epist. ad Cæsariam Patritiam sic loquitur de Laicis, qui vel ipso persecutionis tempore se ipsos communicabant. " Necesse „ autem habere aliquem, si non adsit Sa- „ cerdos, communionem propria manu „ sumere, minime esse grave & super- „ vacaneum ostendere; propterea quod „ longa consuetudine etiam per res ipsas „ probetur. Omnes enim qui sunt in de- „ sertis monachi, ubi non est Sacerdos, „ illic habentes communionem ex se ipsis „ eam sumunt. Alexandriæ autem, & in „ Ægypto unusquisque ex Laicis, qui il- „ lic degunt, maxima ex parte habent „ communionem domi suæ. Nam cum „ Sacerdos semel confecerit Hostiam, & „ dederit, eam accipiens, & communi- „ cans; tamquam a Sacerdote sumptam „ participare se, debet credere: Etenim „ in Ecclesia Sacerdos tradit particulam, „ & cum omni potestate, ac libertate „ eam tenet qui accepit, & sic sua ma- „ nu ad os eam adducit. „

Fit satis Objectionibus contra primam Conclusionem:

OBJICIES: Vel ipsi Diaconi corpus Christi consecrare possunt: Igitur non soli Sacerdotes: Probatur Antecedens. Canone 15. Concilii Arelatensis habetur: " De Diaconibus quos cognovimus „ multis in locis offerre, placuit minime „ fieri debere. „ Item c. 2. Concilii Ancyrani, Diaconi qui immolaverant idolis, jubentur cessare ab omni sacro Ministerio, maxime vero a pane, sive a calice offerendo: sed offerre Sacrificium est conficere Eucharistiam: Ergo &c.

Respondeo negando antecedens. Ad primam probationem distinguo minorem: Offerre Sacrificium nondum consecratum, & pronuntiando ipsa consecrationis verba, est conficere Eucharistiam, concedo: Offerre solum per modum oblationis, & præparationis materiæ ad consecrationem, nego. Secundum ex officio cum Sacerdote facit Diaconus, nusquam vero primum: quia tamen offerre oblata consecranda summam arguit dignitatem, quandoque in vindictam peccatorum Concilia isto privarunt munere Diaconos peccatores, & est sensus utrisque Concilii laudati, maxime Ancyrani: Textus tamen Arelatensis intelligi potest de oblationibus fidelium a consecratione Eucharistiæ prorsus distinctis, quæ præsent: Sacerdote non poterant ab alio benedici, quod tamen quandoque facere audebant Diaconi, hinc ad reverentiam Presbyteratus Patres Arelatenses in posterum hæc fieri prohibent.

Replicat Lutherus: I. Petri II. habetur indiscriminatim de omnibus fidelibus, *vos autem genus electum, regale Sacerdotium*. Igitur vel ipsi Laici possunt sacrificium conficere.

Jam fecimus satis isti objectioni, ubi de essentia Ordinis egimus: hinc respondeo breviter sic distinguendo: Et verba sancti Petri intelliguntur in sensu morali, quatenus quilibet fidelis cor contritum, & humiliatum ad placandum Deum offert in sacrificium, concedo. Et intelliguntur in sensu obvio, & litterali, nego. Solutio est divi Thomæ in 4. Dist. 13. q. 1. art. 1. quæstiunc. 1. ad. 1. " Omnis bonus homo dicitur esse Sacer- „ dos mystice, quia scilicet Mysticum „ sacrificium Deo offert, se ipsum scilicet „ hostiam viventem Deo, ad Rom. 12. „ Succinit sanctus Chrysologus Serm. 108. ubi explicans illa Apostoli verba, *ut exhibeatis corpora vestra hostiam vivam*, ait: " Apostolus sic rogando omnes homines „ ad Sacerdotale fastigium provexit. O! „ inauditum Christiani Pontificatus offi- „ cium, quando homo sibi ipse est & „ Hostia, & Sacerdos, quando Hostia „ mactatur & vivit .... In odorem thy- „ miama semper orationis accende; ari- „ pe gladium Spiritus, altare certum „ pone; & sic corpus tuum admove Dei „ securus ad victimam. Deus fidem, „ non mortem quærit, votum, non san- „ guinem sitit; placatur voluntate, non „ nece. „

Opponet, contra secundam Conclusionem; Ad Diaconum spectat ex officio dispensare

ſare Chriſti ſanguinem juxta illud ſancti Laurentii ad Beatum Sixtum, *Experire utrum idoneum Miniſtrum elegeris, cui commiſiſti Dominici ſanguinis diſpenſationem.* Igitur & ad eumdem ex officio pertinet diſpeoſare panem conſecratum.

Reſpondeo negando paritatem: Ratio diſcrimiois eſt, quod ſanguis diſpenſetur in calice quem manu tenet Diacoous abſque eo quod immediate tangat ſanguinem; hinc & eadem ratione ciborium ſacras continens Hoſtias e tabernaculo extractum ipſe porrigit Sacerdoti, ut iſte fideles ad ſacram menſam adſtantes communicet: at vero corpus Chriſti immediate tangi a Diacono neceſſe foret, ſi fideles tanto Sacramento ipſe cibaret, ita D. Thomas in probationibus laudatis.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Ad ſolos Sacerdotes ſpectat conficere Euchariſtiam, & eam ex jure avito diſpenſare: Iſtud poſſunt Diaconi ex commiſſione, & Laici in neceſſitate.

Primum patet, cum iſta Chriſti verba, *Hoc facite in meam commemorationem*, ad ſolos Sacerdotes dirigantur: ſic de fide definitum eſt in Concilio Tridentino ſeſſ. 23. ſic praxis, & omnis traditio Eccleſiæ: Ratio divi Thomæ eſt, quia conficiens Euchariſtiam agit in perſona Chriſti, quod quidem fieri non poteſt ſine poteſtate, & charactere, quæ dubioprocul in ſolis Presbyteris reperiuntur.

Secundum: Non minus claret, propter rationem divi Thomæ mox laudatam.

Tertium: Legitur Actuum 8. ubi fit mentio de Diaconis, qui ſacris menſis inſerviebant, Sanctus Juſtinus Apologia II. ſcribit pro more fuiſſe tunc poſitum, ut Diaconi deferrent Euchariſtiam ad abſentes.

Habemus ex Hiſtoria Eccleſiaſtica Laicos tempore perſecutionum ſacram Euchariſtiam domi aſſervaſſe, ut ſe ipſos communicarent, & ſic cibo grandium nutriti, ac roborati, in prælium cum fidei Hoſtibus deſcenderent.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET EXPLICATIONUM.

PRIMO: Tametſi quædam Concilia prohibeant Diaconis ab oblatione abſtinere, non iode ſequitur quandoque ſacram Euchariſtiam confeciſſe: vel enim loquuntur de oblationibus fidelium, quas præſentibus Sacerdotibus contra reverentiam debitam abſque liceotia benedicebant, vel ſi de oblatione ſacrificii ſermonem inſtituant, non de conſecratoria loquuntur; ſed de ea quæ illam præcedit, quo munere in pœnam peccatorum non ſemel privati ſunt Diaconi, ut legitur in Concilio 1. Nicæno canone 18.

Secundo: In vanum laborant Proteſtantes, dum iſta Petri verba, in gratiam omnium fidelium dicta, *vos autem regale Sacerdotium*, laudant, cum eo loci non ſit ſermo niſi de Sacrificio myſtico, quale eſt cor contritum, & humiliatum, vel in ipſis Scripturis Pſal. 50. *Sacrificium laudis* nuncupatum.

Tertio: Tametſi Diaconi, poſſint ex officio miniſtrare Chriſti ſanguinem, non idem dicendum de corpore Chriſti ſub ſpeciebus paois contento, quia, inquit divus Thomas, hic q. 82. art. 3. ad primum munus obeundum non eſt neceſſarius contactus ſanguinis immediatus; ſecus vero ad ſecundum.

ARTICULUS DECIMUS.

De ſubjecto Euchariſtiæ.

QUÆRES, I. Utrum Euchariſtia ſit dipenſanda Energumenis?

Reſpondeo primo, prioribus Eccleſiæ temporibus ab Eccleſia, & Occidentali & Orientali, eis fuiſſe abnegatam, ita colligitur ex canone 78. Apoſtolorum ubi hæc habentur: " Si quis dæmonem habeat, nec fiat Clericus, ſed neque cum „ Fidelibus precetur.„ Idem expreſſe habetur L. 8. Conſtitut. Apoſt. c. 7. Succinit Chryſoſtomus Homil. 3. de incomprehenſibili natura Dei. Cum eos, *inquit*, Energumenos, una cum fratribus orare

non liceat &c. hæc de Ecclesia Græca. Concilium vero Illiberitanum Ecclesiæ Latinæ canone 29. non absimilia pronuntiat; & sic habetur: " Energumenum, „ qui ab erratico spiritu exagitatur, cu- „ jus nomen neque ad altare cum oblatio- „ ne recitandum, neque permittendum ut „ sua manu in Ecclesia ministret. „ Eam tamen illud Concilium opponit clausulam canone 37. ut in articulo mortis, ista donentur consolatione: ait enim: " Eos „ qui a spiritibus immundis vexantur, si „ in fine mortis fuerint constituti, bapti- „ zari placet: si vero Fideles fuerint, „ dandam eis esse communionem. „

Respondeo II. Quinto sæculo ab ista praxi abstinuit Ecclesia: nam in lucidis intervallis dandi communionem Energumenis licentiam fecit: sic habetur canone 14. Synodi 1. Arausicanæ: " Energumeni „ jam batizati, *inquiunt Patres*, si de pur- „ gatione sua curent, & se solicitudini „ Clericorum tradant, monitisque obtem- „ perent, omnimodo communicent, Sa- „ cramenti ipsius virtute, vel muniendi „ ab incursu dæmonum quo infestantur, „ vel purgandi, quorum jam ostenditur „ vita purgatior. „

Celeberrimum est testimonium Cassiani, qui collatione 7. c. 29. & 30. scribit jam suo tempore, quinto scilicet sæculo inolevisse consuetudinem, vel apud Orientales, Energumenos adversus dæmonis impetus sacra communione munire; ibi enim sic loquitur Serenus Abbas de Energumenis: " Communionem vero eis sa- „ cro-sanctam a senioribus nostris, num- „ quam meminimus interdictam ... quæ „ ab homine percepta, eum qui in mem- „ bris ejus insidet spiritum, seu in ipsis „ latitare conatur, velut exurens fugat „ incendium: hoc namque modo cura- „ tum, & Abbatem Andronicum nu- „ per aspeximus, aliosque quam plures, „ magis namque ac magis inimicus insul- „ tabit obsesso, cum eum a cœlesti disci- „ plina viderit segregatum, tantoque di- „ rius, ac frequentius attentabit, quan- „ do eum ab spirituali remedio, longius „ senserit applicatum. „

Sanctus Thomas isti patrocinatur sententiæ hic q. 80. art. 9. ubi respondet ad 2. argumentum ex Dionysio L. de Ecclesiast. Hierarch. ubi videtur innuere cap. 3. Energumenos a sacra mensa esse arcendos: " Dicendum, *inquit*, quod Dionysius lo- „ quitur ibi de Energumenis nondum ba- „ ptizatis, in quibus scilicet nondum est „ vis dæmonis extincta, quæ viget in eis „ per originale peccatum, sed de bapti- „ zatis qui corporaliter ab immundis spi- „ ritibus vexantur, est eadem ratio & „ de aliis amentibus; unde Cassianus di- „ cit, eis qui ab immundis vexantur spi- „ ritibus, communionem sacro-sanctam a „ senioribus numquam meminimus inter- „ dictam. „ Ex quibus verbis patet solis Energumenis nondum baptizatis denegandam esse communionem.

Quæres II. Num Eucharistia ultimo supplicio damnatis sit concedenda?

Respondeo I. Non esse concedendam si non sint pœnitentes. Ratio est, quia sancta non sunt canibus projicienda, maxime vero cum impœnitens judicium sibi manducet non dijudicans corpus Domini. Sic colligitur ex S. Cypriano Epist. ad Antonianum: " Idcirco, *inquit*, frater „ charissime pœnitentiam non agentes, „ nec dolorem delictorum suorum toto „ corde, & manifesta lamentatione suæ „ professionis testantes, prohibendos om- „ nino censuimus a spe communicatio- „ nis, & pacis, si in infirmitate, at- „ que in periculo cœperint deprecari; „ quia rogare illos non de delicti pœni- „ tentia, sed mortis urgentis admonitio „ compellit, nec dignus est in morte ac- „ cipere solatium qui se non cogitavit es- „ se moriturum. „

Respondeo II. Eucharistiam vel ipsis reis in brevi ultimum diem clausuris, tametsi appareant pœnitentes, & sint absolutione sacramentali muniti, Eucharistiam tum in Galliis, tum in Hispaniis denegari.

Pro Galliis habetur statutum 11. Concilii Rhemensis sub Sonnatio Episcopo habiti, his verbis, " Cur ad mortem con- „ demnatis, renuitur *Eucharistia*: cum iis „ maxime conducat ad spem, & securamen certi decessus, & præsentis ago- „ nis. Nunc autem etiam denegatur, si- „ lente Ecclesia, & veluti consentiente, „ non obstantibus iis canonibus, qui vel „ numquam recepti, vel saltem per u- „ sum contrarium sunt abrogati. „

Idem probat historia quam Claudius Espen-

Espenceus L. 2. de Eucharistiæ adoratione ex libro 10. Gaguini scribit: " Sic „ Eucharistiæ hominibus supplicio extremo addictis dandæ, permittendæve mos „ adeo non obtinuit in Gallia nostra, ut „ superiore proximo sæculo, Rege nobis „ Ludovico XI. Ludovicus Luxemburgus Comes Stabuli, Majestatis reus, „ capite damnatus, confessione christiano more expleta, viaticum Christi corporis ministrari oraverit: nec exoraverit, aut obtinuerit. Res tamen divina, sive Missa coram illo facta, & „ panis benedictus oblatus quem religiose manducavit. Decollati in Gravia „ corpus per Patres Franciscanos elatum, „ & in eorum medio choro humatum „ an. 1475.

De more vero Hispaniarum ita scribit Dominicus Soto in 4. Sent. dist. 12. q. 1. art. 1. " De illa autem, *inquit*, Hispanorum consuetudine, qui condemnatis Eucharistiam non ministrant, aliæ „ Nationes obmurmurant .... præcipue „ cum secundum canonum sanctiones, ut „ habetur 13. q. 2. cap. *Quæsitum*, eadem illis communio sit danda ... extare vero hanc consuetudinem per ignorantiam dicere non possumus, nam satis „ Curia Hispana canones novit. Sed dicere debent non usque adeo hujusmodi „ canones obligare, quin possint per contrariam consuetudinem abrogari. „ Ratio hujusce consuetudinis non una est: Prima ultimo supplicio afficiendi, ut plurimum magis dolent de peccatis patratis propter metum mortis imminentis quam ex amore vel initiali & imperfecto, vel perfecto, & charitatis pleno erga Deum. Altera, non semel experientia comprobatum est, reos spe fucatæ veniæ obtinendæ hallucinatos sua graviora in confessione dissimulasse peccata. Tertia demum, dato quod sint vere pœnitentes, tanto mortis imminentis terrore ita perterriti sunt, ut non sint sufficienter sui compotes ad sacram Eucharistiam digne suscipiendam.

Quæres III. Utrum Eucharistiam mortuis administrare licitum sit?

Respondeo, Ecclesiam hoc nusquam probasse, tametsi quædam historiæ etiam piorum contrarium afferant, ut colligitur ex libro 2. Dialogorum Gregorii Magni cap. 24. cum non semel factum sit sanctos quædam facta dubiæ fidei enarrasse. Usus enim ille absolute damnatur in Concilio 3. Carth. can. 6. his verbis: " Placuit ut corporibus defunctorum Eu- „ charistia non detur. „ Rursus Synodus quini-sexta canone 83. ait: " Nemo mortuorum corporibus Eucharistiam communicet, scriptum est enim, Accipite, & comedite; mortuorum corpora non possunt accipere, nec comedere. „ Ratio a priori hujus denegationis ea est, quod suscipiens corpus Domini debet, teste Apostolo 1. Cor. 11. seipsum antea probare ut discernat hanc mirabilem a ceteris cibis communibus escam, quod mortuus facere non valet.

ARTICULUS UNDECIMUS.

De Eucharistia ut Sacrificium est.

PROBATUM est in secunda parte dari Sacrificium incruentum nomine Missæ celebratum; nunc ordo rerum postulat, ut quatuor ad tantæ materiæ complementum discutiamus. Primo quidem in qua actione consistat essentia illius Sacrificii? II. Num sit valoris infiniti? III. Quibus applicari queat? IV. Quinam sint ejus effectus? Jam sit.

SECTIO PRIMA.

Num essentia Sacrificii Missa sita sit in C nsecratione?

CONCLUSIO.

Essentia Sacrificii incruenti reposita est in Consecratione connotante Communionem.

Probatur auctoritate, & ratione.

Primo, ex Scriptura sacra.

QUÆ pendent ex mera Dei voluntate, repetenda sunt ex voluntate Legislatoris: sed hujusmodi est sacrificium Missæ; Christus vero auctor istud peregit in sola consecratione: legitur enim in sanctis Matthæo, Marco, & Luca, quod ac-

acceperit panem, benedixerit, fregerit, dederitque Discipulis, similiter & consecratum calicem eisdem bibendum porrexerit, dicendo, ut expresse habetur Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* Igitur Apostoli, & eorum in Sacerdotio successores verum efficiunt per consecrationem sacrificium, cum non legatur Christum aliud quidquam fecisse præter utriusque materiæ consecrationem. Neque vero desunt sancti Doctores qui propugnent Christum summum Sacerdotem, conficiendo Eucharistiam, semetipsum non communicasse: Ergo &c.

Istius sententiæ tenax est Gregorius Nyssenus oratione 1. in Christi Resurrectionem, ubi videtur innuere sacrificium fuisse completum, vel etiam prius quam Discipulos Christus communicaret: "Qui „ potestate sua, *inquit*, cuncta disponit „ ... cum corpus suum Discipulis eden- „ dum, & sanguinem bibendum præbuit, „ tunc aperte declaravit Agni sacrificium „ jam esse peractum. „

Secundo, ex sanctis Doctoribus.

EAMDEM sententiam propugnant sancti Patres & Doctores, in primis Irenæus L. 4. adversus hæreses c. 32. Cyprianus sermone de cœna Dom. & Epist. 63. ad Cæcilium: Ambrosius in Psal. 38. pag. 1345. ubi de Christo loquens, ait: " Vi- „ dimus Principem Sacerdotum ad nos „ venientem: Vidimus & audivimus of- „ ferentem pro nobis sanguinem suum: „ sequamur, ut possumus, Sacerdotes, „ ut offeramus pro populo sacrificium: „ Etsi infirmi merito, tamen honorabiles „ sacrificio: quia etsi nunc Christus non „ videtur offerre, tamen ipse offertur in „ terris quando Christi corpus offertur. „ Immo ipse offerre manifestatur in no- „ bis, cujus sermo sanctificat sacrificium „ quod offertur. „ Igitur verba Christi Evangelica sanctificant seu consecrant, & consecrando conficiunt sacrificium quod offertur, sicque essentia sacrificii in consecratione sita est.

Suffragatur D. Thomas hic q. 82. art. 4. ad 1. his verbis: " Dicendum, quod „ consecratio Chrismatis, vel cujuscum- „ que alterius materiæ, non est sacrifi- „ cium, sicut consecratio Eucharistiæ, „ & ideo non est similis ratio. „ Rursus ibidem ad 2. sic loquitur: Dicen- „ dum, quod sacramentum Baptismi „ perficitur in ipso usu materiæ: Et id- „ eo nullus potest baptizare seipsum quia „ in hoc sacramento non potest esse idem „ agens, & patiens: unde nec in hoc „ Sacramento Sacerdos consecrat seipsum, „ sed panem, & vinum, in qua conse- „ cratione perficitur Sacramentum: usus „ autem Sacramenti est consequenter se „ habens ad hoc Sacramentum, & ideo „ non est simile. „ Audis S. Thomam vocare consecrationem Sacrificium, immo asserere rationem Sacrificii in ea actione perfici, & compleri: Igitur essentia Sacrificii in consecratione sita est.

Tertio, rationibus Theologicis.

PRIMA sic exponitur: Ad rationem sacrificii duo potissimum requiruntur, videlicet ut sistatur victima, & destruatur: Atqui hæc duo in consecratione reperiuntur: Ergo &c. Probatur minor. Primo quidem sistitur victima, cum panis & vinum in corpus, & Christi sanguinem convertantur: tum vero mystice destruitur, eo ipso quo panis separatim consecratur a vino, namque vi verborum ponitur solum corpus sub specie panis, similiter & sanguis sub specie vini, & sanguis nonnisi per concomitantiam reperitur sub specie panis, & vicissim corpus sub specie vini: Ergo &c.

Altera: Sacrificium Missæ, utpote cruenti commemorativum, nihil aliud exigit præter mysticam victimæ destructionem: Sed sit apprime per consecrationem panis separatim a vino, ita ut si Apostoli Missam celebrassent in triduo mortis Domini, solum corpus hypostatice Verbo unitum fuisset sub specie panis, similiter, & sanguis cum divinitate sub specie vini: Igitur destructio moralis, & mystica per consecrationem utriusque materiæ separatim factam optime repræsentat sacrificium cruentum, & quidem realiter, cum eamdem præcontineat victimam, & quidem sufficienter destructam, nempe moraliter, cum non alia requiratur ad sacrificium repræsentativum.

Tertia: Quinque sunt partes in Missa princi-

principales, videlicet oblatio ante consecrationem, altera, consecratione facta, ipsa consecratio, hostiæ fractio, ac demum Sacerdotis communio: Atqui essentia sacrificii non consistit nisi in sola consecratione; & probatur. Primo, non in oblatione quæ præcedit consecrationem, cum nihil sit nisi præparatio ad sacrificium juxta ista Liturgiæ verba: *Benedic hoc sacrificium tuo sancto nomini præparatum*. Tum quia, & Patres, & Tridentinum propugnant sacrificium Missæ eamdem præcontinere victimam, cum ea quæ in ara crucis oblata est; porro nondum facta consecratione, est merus panis. Secundo, nec in oblatione consecrationem subsequente; quandoquidem in ea nulla sit victimæ immutatio. Tertio, non utique in fractione, namque illa fractio ritum solummodo spectat, itaut si hostia dum ad labia calicis frangenda apponitur, casu ex inadvertentia in pretiosum sanguinem decideret, nihilominus sacrificium foret completum, ita colligitur ex D. Thoma hic q. 83. art. 6. ad 6. his verbis: " Dicendum, quod fractio „ hostiæ consecratæ, & quod una sola „ pars mittatur in calicem, respicit cor„ pus mysticum, sicut admixtio aquæ si„ gnificat populum, & ideo horum præ„ termissio non facit imperfectionem sa„ crificii, ut & proper hoc sit necesse „ aliquid reiterare circa celebrationem „ hujus Sacramenti. „

Quarta demum: Non potest etiam dici communionem Sacerdotis esse de essentia, cum non sit de fide Christum seipsum communicasse. Et vero antecedenter ad communionem jam victima super altare posita est sicut & mystice immutata per consecrationem utriusque materiæ separatim factam: A fortiori communio populi non est de essentia, ut contendunt Lutherani, cum verum & perfectum sit sacrificium, etiamsi nullus præter Sacerdotem adsit in Ecclesia; superest igitur ut tota essentia sacrificii reponatur in consecratione.

Quidam ex nostris Thomistis contendunt consecrationem connotare Sacerdotis communionem, eo quod Eucharistia instituta sit per modum cibi & alimenti, quod exigit comestionem; cui lubentius assentiendum est, quia perfectissima victimæ destructio, exigit communionem, qua facta, species consummantur in stomacho, & tunc corpus, & sanguis Christi desinunt esse sub eis.

FIT SATIS OBJECTIONIBUS.

Objicies: Essentia Sacrificii consistit in destructione victimæ: Sed victima non destruitur per consecrationem, verum potius producitur, & sistitur: Ergo &c.

Respondeo distinguendo minorem: Victima sistitur per consecrationem, simul & destruitur, concedo: & non destruitur, subdistinguo; realiter & physice, concedo: mystice, nego. Eatenus enim mystice destruitur, quatenus panis & vinum separatim consecrantur.

Instabis: Atqui requiritur realis destructio: Ergo &c. Probatur subsumptum. Sacrificium est reale, realiter ac physice fit: Igitur necessaria est realis destructio victimæ.

Respondeo negando subsumptum. Ad probationem distinguo: Sacrificium est reale, quatenus realiter producitur victima, & realiter etiam quantum ad modum corpus Christi vi verborum solummodo ponitur sub specie panis, sanguis vero sub specie vini, concedo; itaut destruatur cruente victima, nego. Dictum est ad sacrificium commemorativum personalem non requiri victimæ destructionem: Est tamen quantum ad actionem, & modum realis in eo sensu, ajunt Patres, quo verba veluti gladius separatim ponunt corpus Christi sub una specie, sanguinem vero sub altera, itaut unum non sit cum alio nisi per concomitantiam.

Repones: Nisi adsit destructio subjectiva victimæ, nulla erit immutatio, & nequidem moralis. Ergo &c. Probatur antecedens. Actio consecrativa est solum & in omni sensu victimæ productiva. Ergo &c. Probatur antecedens. Est solummodo juxta Concilium Lateranense: & Tridentinum transubstantiativa: Igitur omnimode, & ratione sua victimæ productiva.

Respondeo negando antecedens primi & secundi argumenti: Ad ulteriorem probationem distinguo: Actio consecrationis est,

est solum transsubstantiativa simul, & virtualiter destructiva, concedo: secus, nego. Eadem actio est virtualiter duplex, productiva quidem victimæ, in quantum convertit panem in corpus, & vinum in sanguinem Christi: Destructiva vero quatenus consecratio utriusque materiæ fit separatim, & quidem per diversas formas realiter a se invicem distinctas.

Replicabis: Eadem forma respectu unius materiæ deberet esse simul productiva, & destructiva v. g. corporis Christi: Sed hoc fieri non potest, sin minus eadem actio seipsam antecederet, & ad seipsam sequeretur: antecederet quidem ut productiva victimæ, subsequeretur vero ut ejudem destructiva, absurdum videtur consequens: Ergo & antecedens.

Respondeo negando minorem: Ad probationem dico, consecrationem unius materiæ esse virtualiter duplicem, & sub diverso respectu seipsam antecedere ut productiva victimæ est, & ad seipsam consequi, ut destructiva concipitur: Sic, tametsi gradus metaphyci sint una, & eadem entitas, virtualiter tamen multiplex censetur; hic anima ut est principium vegetandi, & sentiendi seipsam veluti antecedit, ut est principium ratiocinandi, quatenus prius est vegetari & sentire, quam ratiocinari; eodem sed eminentiori modo eadem actio divina ut est Verbi generativa in instanti a quo atque originis seipsam antecedit ut spirativa est, in quantum prius Verbum generatum concipitur, quam spiritus sanctus intelligatur spiratus.

Respondeo II. ad object. actionem consecrativam non dici productivam simul, & destructivam respectu unius materiæ, sed diversæ, quatenus multiplicata consecratione, vi verborum ponitur solum corpus sub specie panis, & sanguis per aliam consecrationem sub specie vini; sicque duplex realiter actio seu consecratio apparet, & est, adeoque & separatio.

Instabis: Die Parasceves celebratur sacrificium. Sed in eo nulla fit consecratio: Ergo &c. Probatur major. Ista cæremonia non aliam spectat religionis speciem nisi Sacrificii. Ergo &c.

Respondeo distinguendo majorem: Celebratur sacrificium late sumptum, concedo: stricte sumptum, nego. Et concessa minore, nego consequentiam. Certum est illam cæremoniam reduci quidem ad speciem sacrificii, sed non est sacrificium stricte sumptum, cum non destruatur victima, quippe quod fiat ex præsanctificatis. Solutio est Hugonis Victorini secundo codice Missellanæorum Lib. 5. his verbis: " Hodie non sacrificamus, dum " hostia de manibus tollitur: non sa" crificant amici, dum trucidant ini" mici. "

Repones: Fieri potest ut, instante Sacerdotis communione, puer miraculosus sub specie pueri appareat, quod non semel contigit ad Fidelium consolationem: Sed in hypothesi quod puer semper appareat, Sacerdos non debet communicare: Igitur saltem essentia sacrificii tunc non completur, cum consecratio connotet Sacerdotis communionem.

Respondeo I. juxta multorum Theologorum placita qui tenent essentiam sacrificii in sola consecratione positam esse, sacrificium esse completum in hypothesi permanentiæ miraculi, & independenter a communione.

Dices: Ecclesia jubet Sacerdotem etiam non jejunum, si alius deest sumere corpus & sanguinem Christi, & absolvere Missam, in casu quo Sacerdos apoplexia correptus ante communionem expiraret. Igitur commuuio est de essentia.

Respondeo distinguendo antecedens: Hoc præcipit Ecclesia, eo quod existimet Sacerdotis communionem ad integritatem sacrificii pertinere, concedo: ad essentiam, nego: Sicut ergo natura partes integrantes toto nisu adhibet corpori, ne sit monstruosum, sic & Ecclesia a fortiori curat ut nihil de integritate desit sacrificio, cum sit totius cultus divini finis & consummatio.

S. Thomas hic q. 82. art. 4. ad 3. propugnat in hypothesi miraculi prædicti Sacerdotem non teneri aliam hostiam consecrare & sumere, eo quod lex miraculosa, quæ est supra omne præceptum Ecclesiasticum, de hoc dispenset: hoc tamen ad melius fieri potest: " Di" cendum, *inquit*, quod si miraculose " corpus Christi in altari, sub specie car" nis appareat, quod sanguis sub specie

" san

„ sanguinis, non est sumendum. Dicit
„ enim Hieronym. super Leviticum, de
„ hac quidem hostia, quæ in Christi com-
„ memoratione mirabiliter fit, edere li-
„ cet: de illa vero quam Christus in ara
„ crucis obtulit secundum se nulli ede-
„ re licet. Nec propter hoc Sacerdos trans-
„ gressor efficitur, quia ea quæ miraculo-
„ se fiunt, legibus non subduntur. Con-
„ sulendum tamen esset Sacerdoti, quod
„ iterato corpus, & sanguinem Domini
„ consecraret, & sumeret. „

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Essentia Sacrificii Missæ consistit in Consecratione.

Primo: Ex D. Thoma hic q. 82. art. 4. ad 1. consecratio Eucharistiæ est sacrificium, cum nihil aliud requiratur ad sacrificium commemorativum; in eo enim a sacrificio cruento discrepat, quod nonnisi mystice immoletur victima.

Secundo: Per consecrationem sistitur in altari victima, & simul eatenus mystice destruitur, quatenus consecratio panis, & consecratio vini separatim conficiuntur.

Tertio: Non consistit in oblatione præcedente consecrationem, cum sit solum præparatio ad sacrificium: Sed neque in aliis actionibus consecrationem subsequentibus, siquidem jam perfectum est sacrificium: Igitur in sola consecratione sita est essentia sacrificii Missæ.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET EXPLICATIONUM.

Primo: Quamvis sistatur per consecrationem victima, destruitur tamen, in eo quod consecratio panis, & consecratio vini separatim fiant.

Secundo: Destructio mystica sufficit ad sacrificium commemorativum: Immo ea quæ reperitur in Missa non nihil etiam physica dici potest; quatenus scilicet importat realem immutationem panis & vini, quæ fit per duplicem realem consecrationem, qua separatim ponitur corpus Christi vi verborum sub specie panis, sanguis vero sub specie vini.

Tertio: Sacrificium celebratur quidem die Parasceves, sed tantum lato modo cum fiat ex præsanctificatis.

SECTIO SECUNDA.

Utrum valor Sacrificii sit infinitus?

Sacrificium duplici modo a Theologis spectatur, videlicet secundum se, deinde vero secundum applicationem. Hinc quæstio ex parte utriusque capitis movetur, pro quorum resolutione sit

CONCLUSIO PRIMA.

Sacrificium ex parte sui est infiniti valoris.

Probatur rationibus Theologicis.

Prima sic exponitur. Valor sacrificii petitur ex parte rei oblatæ: Atqui res oblata est infiniti valoris: Et probatur. Est ipse Christus oblatus pro nobis, tum in remissionem peccatorum, tum ad gratias a Deo obtinendas: Sed id omne quod est Christus, & fit a Christo est infiniti valoris propter unionem hypostaticam Verbi divini cum humanitate, juxta illud Gen. 2. *Respexit Deus ad Abel, & ad munera ejus*, & illud Summistarum axioma: *Honor est in honorante*; hoc est, si res oblata sit infiniti valoris, erit quoque & Sacrificium, quod non levius indicat Apostolus 1. Cor. 6. *Empti enim estis pretio magno, glorificate, & portate Deum in corpore vestro*. Ergo &c.

Altera est: Illud est infinitum in valore, cujus pretium non potest exhauriri: Atqui pretium sacrificii Missæ exhauriri non potest: & probatur. I. Quia eadem est victima; idemque pretium in ara crucis exhibitum pro redemptione nostra, de cujus pretii consummatione, ait Clemens V, in Concilio generali Viennensi, non est timendum: Ergo &c. II. Redemptio sese extendit ad omnes homines præteritos, ad omnes præsentes, & sese extendet ad omnes futuros, tamensi Mundus in æternum perseveraret. III. Deus vult omnes & singulos homines salvos fieri; hinc & Christus omnes, & singulos redemit, tametsi singuli sua culpa,

redem-

redemptionis fructum efficaciter non participent. Ergo &c.

Tertia : Pretium Sacrificii, nedum ex parte rei oblatæ, sed etiam ex parte offerentis desumitur: Sed si sacrificium relative ad offerentem spectetur, manet infiniti valoris ; & probatur : Christus ipse est offerens, sic enim habetur Joannis I. *Hic est qui baptizat*, Sacerdotes vero ejus tantum sunt Ministri, & causæ instrumentales, quibus non assimilatur effectus ; Christus autem est Deus, actiones vero sunt suppositorum ; cum igitur persona sit infinite digna, sequitur Sacrificium ex parte offerentis esse infiniti valoris, quod quidem declaratur in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. Capite *firmiter*, Tum & in Tridentino Sess. 22. c. 1. his verbis : " Idem nunc offe„ rens Sacerdotum Ministerio, qui se i„ psum tunc in cruce obtulit, sola offe„ rendi ratione diversa. „ Sed maxime hoc patet ex illis Hebræorum cap. 5. *exauditus est pro sua reverentia*: Ergo &c.

Quarta : Illud Sacrificium est infiniti valoris quod ita omnia præcontinet veteris legis Sacrificia, ut per illud abundet gratia, ubi abundavit delictum, ut habetur Rom. 5. Atqui Sacrificium altaris omnia præcontinet veteris legis Sacrificia ; est enim simul Eucharisticum, Latreuticum, Propitiatorium, & Impetratorium : Eucharisticum quidem, quatenus in gratiarum actionem pro beneficiis a Deo acceptis offertur ; Latreuticum cum ad recognoscendum supremum Dei Dominium præsentetur ; Propitiatorium, cum etiam pro pœnis debitis peccato, abstergendis exhibeatur ; ac demum Impetratorium ; quid enim Deus posset denegare? Cum ipse dilectus ejus filius pro nobis immoletur, ut tanto pretio, quidquid gratiarum nobis utile est, habeamus : & hoc in perpetuum, quod quidem ejus sacrificii arguit infinitum valorem : Ergo &c.

Quinta : Quod est Sacrificium ita propitiatorium, ut pro omnibus ultra finem offeratur, est infiniti valoris : Atqui hujusmodi est sacrificium Missæ ; & probatur.

I. *Ex Apostolo*, Hebr. 10. dicente de Christo, *Una enim oblatione, consummavit in sempiternum sanctificatos*. Hæc de Sacrificio crucis annuntiantur : Sed ut dictum est, victima quæ quondam in ara crucis oblata est, eadem est cum ea quæ in altari præsentatur : Ergo &c. Hæc ratio est Conc. Trident. Sess. 22. cap. 2. ubi Patres se exprimunt his verbis : " Quo„ niam in divino hoc Sacrificio, quod in „ Missa peragitur, idem ille Christus „ continetur, & incruente immolatur, „ qui in ara crucis semel se ipsum cruen„ te obtulit, declarat sancta Synodus, „ Sacrificium istud vere propitiatorium „ esse ... Hujus quippe oblatione placa„ tur Dominus, gratiam & donum pœ„ nitentiæ concedens, crimina, & pec„ cata etiam ingentia dimittit ; una e„ nim eademque est Hostia, idem nunc „ offerens. „

Rursus canone III. *Si quis dixerit Missæ Sacrificium, tantum esse laudis, & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem Sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium ; anathema sit.*

II. *Sic* habetur ex Lyturgia D. Jacobi minoris, ubi hæc habentur: " Offerimus „ tibi incruentum Sacrificium pro pecca„ tis nostris, & ignorantiis. „ Similia leguntur in ceteris Lyturgiis tum Orientalibus, tum Occidentalibus, de quibus supra.

III. *Concinunt Patres*, in primis Cyprianus Sermone de cœna Domini, ubi vocat sacrificium Missæ: " Holocaustum ad purgandas iniquitates. „ Tum Chrysostomus Homil. 3. de incomparabili natura Dei, versus finem : " Pro his, *inquit*, Do„ mine rogamus, quos tu adeo dilexisti, „ ut pro eorum salute mortem obires, „ animam in cruce efflares : pro his „ supplicamus, pro quibus ipse tuum largitus es sanguinem : pro his oramus, „ pro quibus corpus hoc immolasti : „ Quæ quidem ultima verba de sacrificio Missæ dicit. Demum in omnibus Lyturgiis jamjam laudatis, habentur in memento pro vivis, & defunctis, variæ preces admirabiles, & pro remissione peccatorum, & pro gratiarum actione. Ergo &c.

CON-

CONCLUSIO SECUNDA.

Sacrificium Missæ ex parte applicationis est finiti tantum valoris.

PROBATUR hoc ratiocinio : Eodem modo ratiocinandum est de causalitate Sacrificii, ac de efficacia causæ universalis : sed in ordine naturali tametsi Deus sit causa universalis, suum tamen attemperat influxum, operationi causæ secundæ : Igitur, & in ordine supernaturali, maxime cum causa secunda non sit capax influxus simpliciter infiniti ad agendum recipiendi.

Confirmatur : Ecclesia diversis modis applicat merita Christi pro remissione pœnæ per indulgentias : hinc quandoque intendit totam pœnam temporalem remittere per indulgentiam plenariam, quandoque solum partem, videlicet per indulgentiam unius, aut alterius anni ; vel etiam quadraginta dierum : Igitur tametsi Sacrificium sit in se valoris infiniti, recte tamen dicitur applicari finito modo, pro remissione peccatorum, nusquam vero pro tota pœna, nisi aliter Ecclesia determinet, ut in indulgentiis.

Confirmatur iterum : Quamvis Sacrificium operetur ex opere operato remissionem peccatorum venialium, & pœnæ temporalis ; applicatio tamen pro quantitate tum intensiva, tum extensiva fit per Ecclesiam, immo etiam juxta devotionem offerentium : sic propugnat sanctus Thomas hic q. 79. art. 5. his verbis, de Eucharistia : " In quantum vero est Sacrificium, habet vim satisfactivam, sed in satisfactione magis attenditur affectus offerentis, quam quantitas oblationis. Unde & Dominus dicit Lucæ 21. de vidua, quæ obtulit duo æra, quod plus omnibus misit : quamvis ergo hæc oblatio ex sui quantitate sufficiat ad satisfaciendum pro omni pœna, tamen fit satisfatoria illis, pro quibus offertur, vel etiam offerentibus, secundum quantitatem suæ devotionis, & non pro tota pœna. „

Quæres, Utrum sacrificium Missæ oblatum pro pluribus, æque prosit cuilibet ac si pro uno tantum offerretur?

Respondeo affirmative cum Cajetano, & Patre Goneto hic disp. 11. art. 5. Ratio non una est. Prima eaque a Priori : Valor sacrificii est infinitus ; igitur ex parte sui æque prodest uni ac alteri ; nec major exurgit fructus nisi ex opere operantis, & majori devotione offerentium. II. Sacerdos generaliter offert Missam pro omnibus circumstantibus ; hinc si magis prodesset pro uno quam pro multis, curandum foret, ut uno solum præsente celebraretur Missa. Dixi tamen magis prodesse fideli offerenti propter ejus devotionem ratione stipendii eleemosynarii fundata, & hoc ex parte operantis.

Non abs re erit verba Cajetani hic texere, Tom. 3. Opusc. Tract. 3. q. 2. sic discurrit : " Quoniam ex parte rei oblatæ est infinitas in hoc Sacrificio, & per unicam devotionem non exhauritur, nec minuitur, consequens est, ut non solum pluribus, sed infinitis devotionibus, unicum Sacrificium sufficienter respondeat, cuilibet certam pariendo satisfactionem. Nihil igitur adimitur alicui facienti pro se offerre hoc sacrificium ex quantitate effectus hujus sacificii secundum se, & applicati ad ipsum, ex hoc quod alter procuret eamdem pro se dici, *scilicet Missam* ; nec e converso, sed unicuique respondet tantumdem, quantum si pro se solo diceretur : quia unicuique sufficienter, & efficienter juxta quantitatem devotionis suæ prodest. „

Rursus hic Comm. in q. 79. D. Tho. art. 5. de eodem momento sic discurrit: " Una Missa non perdit vim satisfactionis suæ pro primo offerente, ex hoc quod pro secundo, III. IV. V. &c. offertur: sicut quantitas devotionis unius nihil tollit de quantitate devotionis alterius. Unde arguendi, instruendique simul sunt homines ignoranter petentes, vel exigentes pro sua eleemosyna totam sibi Missam dari, aut suo defuncto; nihil enim minus ipse habebit si mille alii petant eamdem Missam pro se ipsis, & aliis defunctis, quam si pro ipso celebrari dicatur : immo ex ejusmodi devotione sic petentis, damnum videtur incurrere quod minus sibi proderit. „

Ex quibus patet, applicationem valoris sacri-

sacrificii quoad quantitatem extensivam, esse penes Ecclesiæ determinationem, intensivam vero penes devotionem ipsius Sacerdotis, & populi offerentis: Hinc Missa devoti Sacerdotis ex opere operantis magis proficit, sed non ex opere operato, cum ejus efficacia in se spectata, ejusque valor applicandus, dependeat ab Ecclesia.

FIT SATIS OBJECTIONIBUS.

OBJICIES, contra primam Conclusionem: Sacrificium altaris non idem est cum sacrificio Crucis; Igitur non est valoris infiniti.

Respondeo, distinguendo Antecedens: Non est idem quantum ad modum offerendi, concedo: Quantum ad victimam, & offerentem, nego: victima cruente oblata fuit in ara crucis; incruente vero in altari quotidie immolatur: sed idem Christus in utroque sacrificio est simul, & Sacerdos & hostia.

Instabis: Si sacrificium altaris foret valoris infiniti, sufficeret unam tantum Missam pro toto uno regno offerre, nec curare deberent particulares, plures vicissim pro se ipsis Missas petere: Sed hoc est contra Ecclesiæ praxim: Ergo &c.

Respondeo distinguendo majorem: Si Sacrificium foret infinitum tam ex parte sui, quam ex parte applicationis, una Missa pro omnibus sufficeret, concedo: Si tantum tale sit ex parte sui, & quoad sufficientiam, nego. Et sic distincta minore, nego consequentiam. Sacrificium Missæ est infiniti valoris ex se, & quoad sufficientiam, finitum vero quoad applicationem; hinc quia multiplicatis sacrificiis, multiplicantur applicationes, magis prosunt duæ Missæ, quam una.

Replicabis: Saltem si Sacrificium sit infiniti valoris, plura stipendia possunt pro unica Missa suscipi: Sed hoc est prohibitum: Ergo &c.

Respondeo negando sequelam; sicut enim applicatio fructus sacrificii ab Ecclesia determinatur, sic & quantitas eleemosynæ: cum autem prohibuerit, accepto pro una Missa pretio, partem retinere, & partem alteri eam celebranti dare, sicut & plura stipendia pro una, & eadem recipere, standum est ejus decreto.

SECTIO TERTIA.

Utrum Sacrificium possit offerri pro omnibus?

CONCLUSIO PRIMA.

Sacrificium offertur pro omnibus viventibus.

Probatur multis momentis.

Primo, ex Sacra Scriptura.

IN veteri Testamento Sacrificia pro omnibus offerebantur; legitur enim Lib. 1. Mach. cap. 12. Judæos orasse, & obtulisse Deo sacrificia vel pro ipsis Regibus Paganis, scilicet Persarum. In primis vero Lib. 1. Esdræ cap. 6. Darius eo loci sic loquitur. *Quod si necesse fuerit, & vitulos, & agnos, & hædos in holocaustum Deo cæli, frumentum, sal, vinum, & oleum, secundum ritum Sacerdotum, qui sunt in Jerusalem, dentur eis per singulos dies, ne sit in aliquo querimonia. Et offerant oblationes Deo cæli, orentque pro vita Regis, & filiorum ejus*: Quo motivo Judæi, vel pro ipsis Principibus infidelibus sacrificia litarent, intelligite, ut scilicet vel eorum pro beneficiis acceptis obtinerent conversionem, vel etiam, ut adjuvante Deo mitescerent, & erga eos sævire cessarent: Igitur nostris utique temporibus Sacerdotes debent offerre sacrificium, nedum pro fidelibus, verum etiam & pro infidelibus, cum veritas debeat respondere figuræ: Sacrificia autem veteris legis annuntiabant infiniti valoris novæ legis oblationem. Ergo &c.

In novo testamento res claret; nam Apostolus 1. ad Timotheum 2. ait, *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus: pro Regibus, & omnibus qui in sublimitate constituti sunt, ut tranquillam, & quietam vitam agamus in omni pietate, & castitate*. Quod autem ista verba intelligantur de obsecrationibus quæ faciendæ sunt etiam pro paganis, reddit rationem Chrysostomus Hom. 6. in 1. ad Timoth. " Neque enim, *inquit*, " tunc Reges Deum colebant, verum " multis postea temporibus in infidelita-

,, te

„ te quam per seriem successionis acce-
„ perant, perstiterunt. „

Secundo, ex Traditione.

Ex primo Sæculo, Clemens Romanus L. 8. Constitutionum capite 12. pag. 91. in Missa orare præcipit pro Rege, & pro omnibus qui in sublimitate sunt, tum pro ceteris qui foris sunt, & errant; sic enim loquitur. " Adhuc ob- „ secramus te etiam pro iis qui oderunt „ nos, & nos propter nomen tuum in- „ sectantur: pro iis qui sunt foris, & „ errant, ut convertas eos ad id quod „ bonum est: & eorum furorem miti- „ ges. „

Ex secundo, Justinus Apologia 2. hæc habet: " Nos autem secundum hujusmo- „ di lavationem, credentem jam & no- „ bis adscitum, ad fratres, qui dicun- „ tur, eo adducimus, ubi illi congregati „ sunt ad communes preces, & suppli- „ cationes, cum pro se ipsis, tum pro „ illuminato, & aliis ubique gentium „ omnibus, animo intento peragendas... „ Deinde ei qui fratribus præest, offer- „ tur panis, & poculum aquæ, & vini, „ quibus ille acceptis, laudem & gloriam „ rerum universarum Patri per nomen „ Filii, & Spiritus sancti offert, & Eu- „ charistiam sive gratiarum actionem, „ pro eo quod nos donis suis hisce di- „ gnatus sit, prolixe exequitur. „ Audis ibi mentionem fieri de Eucharistia, quæ offertur pro omnibus gentibus.

Subscribit Dionysius Alexandrinus apud Eusebium L. 7. Histor. Eccl. c. 11. " Huic, „ *Deo*, continuas preces offerimus pro im- „ perio illorum, *scilicet Gallieni, & Vale- „ riani*, ut stabile, & inconcussum per- „ maneat. „ Observes velim, iteratam oblationem pro paganis, commemorari.

Ex tertio, se prodit Tertullianus, qui ad Scapulam c. 2. ait: " Sacrificamus pro „ salute Imperatoris, *Pagani*, sed Deo „ nostro, & ipsius, sed quomodo præce- „ pit Deus, pura prece. Non enim eget „ Deus conditor universitatis, odoris aut „ sanguinis alicujus. „

Ex quarto, Athanasius suum addit calculum, quippe qui in sua ad Constantium Arianum Apologia scribat Imperatoris tametsi hæretici nomen in Liturgia Alexandrina recitari.

Ex quinto, Augustinus Epist. 59. ad Paulinum: loquens ibi de orationibus, & postulationibus quæ in Missa fiunt, dicit: " Ne quisquam existimaret non esse „ ista facienda pro his a quibus persecu- „ tionem patiebatur Ecclesia, cum mem- „ bra Christi ex omni essent hominum „ genere colligenda. „

Ex sexto, Non dissentitur sanctus Prosper L. 1. de vocatione Gentium c. 12. his verbis: " Supplicat ubique Ecclesia „ Deum, non solum pro Sanctis, & in „ Christo jam regeneratis, sed etiam pro „ omnibus infidelibus, & inimicis Crucis „ Christi, pro idolorum cultoribus, pro „ Judæis &c. „

Tertio, ex Liturgiis.

Habemus Liturgias Orientales; sed in omnibus ferme funduntur preces pro Regibus etiam Paganis, aut Hæreticis, modo pro eorum conversione, modo ut a persequenda Ecclesia temperent. Ergo &c. Non injucundum erit quasdam Orientalis pro hoc momento Liturgiæ partes hic texere. In Liturgia S. Petri, *Memento etiam, Domine, illorum & illarum qui regnum temporale obtinent fidelium... mentes eorum, qui regnum super populum tuum ambiunt, ad te inclina, Domine, & ad bona propensos perfice illos &c.* Eo loci loquitur de Imperatoribus paganis qui terras fidelium obtinebant.

In secunda S. Petri Liturgia, primo fit oratio pro Regibus fidelibus, his verbis. *Memento, Domine, Regum fidelium, & immitte cordibus eorum consilia pacifica circa populum tuum.* Tum respiciens ad Principes infideles & Tyrannos subdit: *Mentem eorum qui regnare super nos volunt, fac, Domine, pacificam, & ab invidorum hominumque manibus nos libera: ut referamus tibi.*

In Liturgia Patriarchæ Alexandrini legitur: *Deprecamur te, Domine, pro pace regnorum.... & pro praclaro totius mundi statu ... Corda & animos Regum & Principum ad te converte, Domine:* Quæ preces funduntur pro omnibus absque limite Principibus, adeoque & pro Paganis, ut relictis idolis, convertantur ad

ad Deum verum. In Liturgia S. Ignatii Martyris : *Dignare , Domine , meminisse Regum fidelium . . . Et Principum omnium , qui potestate regia aliquam auctoritatem obtinent .*

Quarto , Rationibus Theologicis .

PRIMA sic procedit : Deus vult omnes, & singulos homines salvos fieri ; hinc Christus singulis meruit gratias , quibus suam possint operari salutem : Sed inter media salutis , sacrificium Missæ est unum efficacissimum : Igitur pro omnibus , ne uno quidem excepto , offerendum est.

Altera : Sacrificium Crucis obtulit Christus pro omnibus hominibus , immo , & pro ipsis Judæis , & transfixoribus : Sed per sacrificium Missæ applicantur merita Sacrificii cruenti : Ergo &c.

Tertia : Inter Paganos , & Infideles, inter Hæreticos, & Schismaticos, infiniti prope ad Christi fidem , & ad meliorem frugem redierunt : Sed tanti fructus repetendi sunt, tum ex meritis Sacrificii cruenti , tum & ex pretio incruenti quotidie oblati pro peccatis in altari , ut merita passionis Domini omnibus applicentur. Ergo &c.

CONCLUSIO SECUNDA.

Sacrificium recte offertur pro piis defunctis.

Probatur omni Argumentorum genere.

Primo , ex Scriptura Sacra .

SCRIPTUM est Machab. 2. cap. 12. de Juda Machabæo : *Facta collatione , duo millia drachmas argenti misit Jerosolymam , offerri pro peccatis mortuorum sacrificium , bene , & religiose de resurrectione cogitans . Nisi enim eos qui ceciderant resurrecturos speraret , superfluum videretur , & vanum orare pro mortuis . Et quia considerabat quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperant , optimam haberent repositam gratiam &c.* Quæ verba Ecclesia nedum verbis , sed & praxi interpretatur de precibus pro mortuorum refrigerio fundendis ; hinc in una defunctorum Missa pro Epistola habet laudata Judæ Machabæi verba : hujusce usus tot habemus monumenta, quot sunt Liturgiæ ; in omnibus enim tum Orientalibus, tum Occidentalibus fit de defunctis memoria.

Secundo , ex Traditione.

QUOD Traditione firmatur, uti de fide tenendum est : Atqui ex traditione habemus Sacrificium pro defunctis offerri . Ergo &c. Probatur minor multis momentis.

Ex primo Sæculo Clemens Romanus Lib. 8. can. 23. *Constitutionum* pag. 92. hunc pium astruit morem his verbis : " Precemur quoque pro iis qui in fide „ requieverunt. „

Ex secundo , Liturgiæ quæ tunc temporis circumferebantur , preces pro mortuorum refrigerio continent . Instar omnium sit istud Liturgiæ 1. S. Petri . *Memento , Domine , illorum qui in domo Sanctorum nos præcesserunt, occubuerunt &c.* In Liturgia S. Marci : *Memento per misericordiam tuam , Domine , . . . omnium defunctorum fidelium , præcipue , Patrum , fratrum, Magistrorumque nostrum* , & in Liturgia S. Joan. Chrysostomi : *Memento , Domine , omnium defunctorum , qui ex hoc altari , aut ex omni loco , vel parte , defuncti sunt . . . . quiescere illos jube in habitaculis tuis calestibus.*

Ex tertio , Tertullianus L. de corona militis c. 3. " Oblationes , *ait* , pro de„ functis, amica die facimus. „ Tum L. De exhortatione castitatis c. 11. sermonem instituens de viro orante pro sua uxore defuncta, sic loquitur : " Pro cu„ jus spiritu postulas, pro qua oblationes „ annuas reddis. „ Rursus de Monogamia capite 10. " Offert annuis diebus „ dormitionis ejus. „ Porro voces istæ , *offerre oblationes* , sacrificium externum, & non mere internum , quod in precibus situm est, designant.

Cyprianus ejusdem ævi Pater non omittendus est. Epist. ad Presbyteros, & Diaconos , & plebem Furnis consistentem hæc profert . " Episcopi antecessores nostri „ religiose considerantes , & salubriter „ pro-

„ providentes censuerunt, ne quis fra-
„ ter excedens ad tutelam, vel curam
„ clericum nominaret, ac si quis hoc
„ fecisset, non offerretur pro eo, nec
„ sacrificium pro dormitione ejus cele-
„ braretur. Neque enim ad altare Dei
„ meretur nominari in Sacerdotum pre-
„ ce, qui ab altari Sacerdotes, & Mi-
„ nistros suos Levitas avocare voluit. „

Ex quarto, se prodit Cyrillus Jerosolymitanus, qui Catechesi 3. Myst. sic effatur: " Maximum esse credimus juvamen,
„ pro quibus offertur obsecratio sancti il-
„ lius, & tremendi, quod in altari posi-
„ tum est, Sacrificii. „

Concinit ex eodem Sæculo Ambrosius in orationibus de obitu Theodosii, Valentiniani, & Satyri fratris, in quibus se pro illarum animarum refrigerio oblaturum Sacrificium promittit. Tum Chrysostomus Homil. 3. in Epist. ad Philippenses versus finem: " Non frustra, *ait*, insti-
„ tuerunt Apostoli, ut cum tremenda
„ Mysteria celebrantur, fieret eorum
„ commemoratio qui ex hac vita decef-
„ serunt; sciebant enim magnum inde lu-
„ crum, multamque utilitatem eis pro-
„ venire. Cum enim adsit populus uni-
„ versus, & Collegium Sacerdotale ma-
„ nus attollat, & coram posita sit tre-
„ menda hostia, quomodo iram Dei non
„ placabimus, pro illis orantes. „

Ex quinto, eminet Augustinus Sermone 32. de verbis Apostoli c. 2. ubi sic loquitur: " Orationibus sanctæ Ecclesiæ,
„ & sacrificio Salutari, & eleemosynis
„ quæ pro eorum spiritibus erogantur,
„ non est dubitandum mortuos adjuvari, ut
„ cum eis misericordius agatur a Domi-
„ no, quam eorum peccata meruerunt:
„ Hoc enim a Patribus traditum, univer-
„ sa observat Ecclesia, ut pro eis, qui in
„ corporis, & sanguinis Christi commu-
„ nione defuncti sunt, cum ad ipsum sa-
„ crificium loco suo commemorantur,
„ oretur, ac pro illis quoque offerri com-
„ memoretur. „ L. 9. Conf. cap. 12. Commemorat Sacrificium oblatum pro refrigerio animæ matris suæ pag. 68. " Ecce
„ corpus elatum est, imus & redimus sine
„ lacrymis. Nam neque in eis precibus quas
„ tibi fudimus, cum offerretur pro ea sa-
„ crificium pretii nostri, jam juxta sepul-
„ crum posito cadavere. „ Ergo &c.

Tertio ex Conciliis, & Rationibus Theologicis.

Concilium Carthaginense 4. ann. 398. adunatum canone 79. ait: " Qui atten-
„ te leges pœnitentiæ exequuntur, si ca-
„ su in itinere, vel in mari mortui fue-
„ rint, ubi eis subveniri non possit, me-
„ moria eorum, & orationibus, & ob-
„ lationibus commendetur. „

Tridentinum hoc ipsum definit de fide contra Lutheranos, & Calvinistas Sess. 22. can. 3. *Si quis dixerit*, inquit, *pro defunctis offerri non debere Missæ sacrificium; anathema sit*. Ergo &c.

Ratio suffragatur: Eodem prope modo ratiocinandum est de sacrificio Altaris, ac de sacrificio Crucis: Atqui Christus suam obtulit redemptionem tam pro vivis, quam pro defunctis: Et probatur, primo quidem, ex eo quod venerit omnes, & singulos homines salvare. 2. Quia de facto liberavit omnes justos, qui in Lymbis commorabantur: hinc profuit illis redemptio dupliciter, scilicet per modum remissionis erga eos qui nondum sufficienter peccata expiaverant; pro Sanctis vero, ut aditus cælorum eis pateret, quod simul & concessum est aliis. 3. Ex eo quod per redemptionem, quæcumque erant ligata, solverit: porro nemo Catholicus negaverit animas in charitate defunctas alligari ad pœnam purgatorii, donec totum solverint debitum: Igitur potest eis applicari, ad refrigerium Sacrificium incruentum.

Quæres, Quinam sint effectus Sacrificii, & quomodo illos producat?

Respondeo 1. Sacrificium producere remissionem peccatorum etiam mortalium ex opere operato, sed tantum mediate, pœnas vero temporales immediate. Quod producat ex opere operato patet, cum ex Tridentino Sess. 22. c. 2. sit propitiatorium, & Christus ipse qui immolatus est in ara crucis, sit ibi realiter præsens; Tum quia ut Sacramentum producit gratiam ex opere operato: Sed idem dicendum est de sacrificio, cum ipsa Eucharistia sit simul, & Sacramentum, & Sacrificium: Jam vero quod producat remissionem peccatorum solum mediate utique patet, cum hoc fiat mediante auxilio

seu gratia quæ per Sacrificium oblatum obtinetur pro conversione peccatoris: & hoc subindigitat Tridentinum loco mox citato: " Hujus, *inquit*, oblatione placatus Dominus gratiam excitantem, & donum pœnitentiæ concedens, crimina, & peccata, etiam ingentia dimittit. " Concinit D. Thomas in 4. dist. 12. q. 1. art. 2. quæstione 2. ad 4. ubi de efficacia Sacrificii sic loquitur: " Peccata mortalia in eis delet, non sicut causa proxima, sed in quantum gratiam contritionis eis impetrat. "

Jam vero si de pœnis temporalibus sermo sit, certum est Sacrificium producere remissionem pœnarum immediate, ita D. Thomas hic q. 79. art. 5. ubi de Eucharistia, *ait*, " In quantum vero est sacrificium, habet vim satisfactivam. " Quod potest illustrari exemplo animarum in purgatorio detentarum, quibus ex praxi, & traditione Ecclesiæ prodest Sacrificium ad refrigerium, & pœnarum relaxationem, quem quidem effectum ex opere operato producit, cum istæ animæ quantumvis justæ non possint mereri, & consequenter aliquid pro peccatis solvere.

Respondeo II. Quosdam Theologos tenere Sacrificium oblatum pro animabus in purgatorio detentis, remittere immediate etiam culpam, quatenus est pretium, & redempio pro hujusmodi culpis, quibuscum e vita quandoque migrant animæ. Non desunt qui teneant in instanti quo anima justa a corpore separatur, eam prorumpere in actum amoris quo deleantur venialia. Applicationem vero Sacrificii vi sua complere quod deest ad remissionem culpæ venialis.

Idem dicendum de peccatis venialibus, quæ viventes ex fragilitate committunt, ad quorum remissionem requiritur quidem motus in Deum; sed per Sacrificium reliqua supplentur; hæc omnia colliguntur ex Tridentino Sess. 22. cap. 1. " Per hoc Sacrificium, *inquit*, passionis Christi salutaris virtus, in remissionem eorum, quæ a nobis quotidie committuntur peccatorum, applicatur. "

Diluuntur Objecta.

OBJICIES contra primam Conclusionem: Pagani, Hæretici, & Schismatici, non sunt de Ecclesia: Igitur Sacrificium non est pro eis offerendum.

Respondeo distinguendo consequens: Non est offerendum directe, concedo: indirecte, nego. Sacrificium duplici modo offertur pro vivis, directe scilicet, & indirecte: Directe quidem dum Missa in particulari pro eis dicitur: & hoc modo non nisi fidelibus, sive justis, sive etiam injustis, immo & quandoque proferendo eorum nomina, sic & in memento vivorum nominantur summus Pontifex, Episcopus, & Rex: Indirecte vero cum in particulari Sacerdos pietatis motivo orat pro infidelium conversione. Posteriori dumtaxat modo sacrificium offertur pro excommunicatis & Schismaticis. Potest dici eatenus offerri pro Paganis, quatenus Sacerdos orat in genere pro omnibus, pro hæresum extirpatione, pro fidei propagatione & augmento.

Instabis: Atqui ne quidem indirecte sacrificium debet offerri pro excommunicatis. Ergo &c. Probatur subsumptum. Excommunicatio major in eo potissimum reposita est, quod præcisi ab Ecclesia priventur Sacramentis, suffragiis Ecclesiæ, immo & ipsa fidelium societate. Ergo &c.

Respondeo negando subsumptum. Ad probationem distinguo: Quod priventur suffragiis quæ fiunt in communi pro fidelibus, concedo: Quæ fieri possunt ex devotione speciali offerentis, nego. Non tenetur quidem Sacerdos offerre sacrificium pro excommunicatis in vindictam scelerum, potest tamen interius, & ex commiseratione Deum deprecari, ut sacrificium prosit illis ad emendationem.

Insistes: Sacrificium non offertur pro damnatis & pueris absque Baptismo vita functis: Sic propugnat Augustinus L. 3. de anima, & ejus origine cap. 12. his verbis: " Noli credere, nec dicere, nec docere Sacrificium Christianorum, pro iis qui non baptizati de corpore exierint, offerendum, si vis esse catholicus. " Igitur nec pro paganis, & excommunicatis.

Respondeo negando paritatem. Ratio discriminis non una est: Reprobi sunt in malo

malo confirmati, & lata sententia immutabili abjecti, ac pœnis constricti: pueri vero de quibus fit mentio, non sunt de Ecclesia, & carent Baptismo, quo mortui habent titulum, & jus ad preces Ecclesiæ: At vero excommunicati, Infideles, & alii non absimiles possunt converti, adeoque aliquem redemptionis fructum recipere, cum Christus sit pro omnibus mortuus.

Insistes: Ex illis laudatis, multi sunt reprobi; Sed Christus non est mortuus pro reprobis: Igitur sicut pro damnatis non offertur Sacrificium, ita nec pro ceteris reprobis offerendum est.

Respondeo distinguendo: Inter Hæreticos, & Infideles multi sunt reprobi in actu primo, & juxta præscientiam Dei, qui prævidet eos pœnitentiam non esse acturos, concedo: complete, & irrevocabiliter; nego. Propugnant enim sancti Doctres, in primis vero Cyprianus, omnibus etiam impiis animam agentibus spem veniæ, si velint resipisci, affulgere: Hinc semper orandum est pro reprobis; cum Christus pro omnibus, & singulis hominibus mortuus sit, hoc est pro justis, & reprobis, sicut definivit Innocentius X. profligando quintam Jansenii propositionem, in qua dicitur Christum dumtaxat pro prædestinatis mortuum esse. S. Augustinus Lib. de Corr. & Gr. a capite octavo ad ultimum usque perstringit Hæreticos, qui hominem ad malum, exorbitante concupiscentia, necessitari contendebant. Eos vult semper posse corrigi, ista potissimum ductus ratione, quod homo quandiu est in hac vita, possit emendari, & salvari.

Oppones, contra secundam conclusionem: Ignorat Ecclesia utrum fidelis qui moritur sit in cœlo aut in purgatorio, vel etiam in inferno. Scriptum est enim Psal. 35. *Judicia tua abyssus multa*. Igitur sacrificium non est pro illo offerendum.

Respondeo, certitudinem moralem de pretiosa morte sufficere, ut Ecclesia offerat Sacrificium pro mortuis; qui autem pie defunctus est, jus habet ad preces, cum adsit probabilis de ejus salute certitudo.

Replicabis: Requiritur certitudo physica; sin minus sub conditione offerendum est sacrificium: Atqui non datur certitudo physica de bona morte, & tamen Sacerdos simpliciter, & absolute offeret Sacrificium: Igitur & consequenter solum in laudem Dei offerre debet.

Respondeo, ut supra sic distinguendo: Certitudo moralis de pia morte sufficit, ut Sacerdos simpliciter, & absolute offerat pro mortuis sacrificium, concedo: & non sufficit, nego. Donec accesserit judicium Ecclesiæ pro canonizatione alicujus sancti, probabiliter præsumit Ecclesia duo, videlicet, & defunctum aliquid habere expiandum, & capacem esse refrigerii, quippe qui in pace Christi quieverit: quocirca si Sacrificium oblatum non prosit, vel quia ille pro quo oblatum est, visione Dei fruitur, vel quod pessimum, & horrendum, sit in inferno, manet pretium, & meritum sacrificii in Thesauris ipsius Ecclesiæ, in quibus haurit indulgentias a Christi sanguine, ut a primigenio fonte emanantes.

Persistes: Defuncti non sunt de Jurisdictione Ecclesiæ: Igitur sacrificium non est pro mortuis offerendum.

Respondeo distinguendo consequens: Non est pro eis offerendum auctoritative, & per modum judicii eos solventis, concedo: Per modum suffragii, nego. Ecclesia offert sacrificium pro vivis, & defunctis: pro illis quidem auctoritative, seu per potestatem quam habet in subditos in foro interiori, & exteriori, ut illos & a peccatis per Sacramenta, & a pœnis per sacrificium solvat, & hoc innixa promissione Christi dicentis, *Quaecumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlis*: pro mortuis vero exhibendo suffragium, & pretium, quo possint solvi a pœnis quas luendas habent pro peccatis, nondum sufficienter, vel in vita præsenti, vel in purgatorio expiatis. Hoc totum potest illustrari isto exemplo: Incarceratus liberatur quandoque ex merito personæ gratiam pro eo expostulantis, ut si Regina expostularet a Rege libertatem incarcerati; quandoque etiam exhibendo, & solvendo pretium pro quo quis obstringitur vinculis; isto prope modo Ecclesia animas e purgatorio per sacrificium extrahit, sicut etiam & per indulgentias illis applicatas, ut suo dicetur loco.

Repones: Mortui nec corpus Christi possunt

possunt sumere, nec sanguinem ejus bibere: Igitur nec frugem ex Sacrificio perficere.

Respondeo distinguendo consequens: Non possunt frugem suscipere ex Sacrificio altaris, ut sacramentum est, concedo: ad hoc enim requiritur corporis, & sanguinis perceptio; reduplicative, ut sacrificium est, nego: quandoquidem sacrificium Sacerdos nedum pro se, sed pro omnibus circunstantibus offert, tametsi solus communicet, quid ni igitur non offerret pro piis defunctis?

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Sacrificium potest offerri pro omnibus, etiam pro Defunctis.

PRIMUM patet: Quandoquidem sacrificium est infiniti valoris, & Christus mortuus est pro omnibus, & singulis hominibus. Sic docent Tertullianus ad Scapulam c. 2. Dionysius Alexandrinus apud Eusebium Lib. 7. Historiæ c. 11. & hanc praxim habemus ex Liturgiis in quibus funduntur orationes pro salute Regum Paganorum.

Alterum non minus claret, cum ex ipso veteri Testamento Lib. 2. Mach. c. 12. habemus pium esse pro mortuis offerre Sacrificium, quæ quidem consuetudo etiam traditione fundatur, ut ipse ait Augustinus Serm. 32. de verbis Apostoli. c. 2. Ratio est, quia animæ in purgatorio detentæ fide, & charitate cum Ecclesia conjunguntur, adeoque ex sacrificio pro eis oblato quietem percipiunt.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET EXPLICATIONUM.

PRIMO: Tametsi Pagani, Excommunicati, & Schismatici non sint Ecclesiæ membra, indirecte tamen potest eis prodesse Sacrificium.

Secundo: Licet Ecclesia ignoret quinam sint in felicitate Sanctorum locandi, quia tamen Christus pro omnibus, & singulis hominibus mortuus est, non est inconveniens pro conversione infidelium sacrificium incruentum offere, saltem indirecte, & Sacerdotem in particulari eodem motivo preces pro eis fundere.

Tertio: Neque vero negamus animas in purgatorio detentas non esse de jurydictione Ecclesiæ, quia tamen sunt ejus membra, per modum suffragii sacrificium proficit eis ad refrigerium.

SECTIO QUARTA.

De Celebratione Missarum.

QUÆRES I. Utrum Sacerdotes teneantur offerre Missæ Sacrificium, quoties, & quando?

Respondeo I. Affirmative, juxta illud Christi præceptum, Matthæi 28. *Hoc facite in meam commemorationem.* Quam quidem legem explicat sacra Synodus Tridentina Sess. 22. c. 1. his verbis: " Corpus & sanguinem suum *Christus*, sub speciebus panis, & vini Deo Patri obtulit, ac sub earumdem rerum Symbolis, Apostolis, quos tunc novi Testamenti Sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit, & eisdem, eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerrent præcepit per hæc verba, Hoc facite in meam commemorationem; uti semper Ecclesia Catholica intellexit, & docuit." Ratio est, quia potestas a Christo tradita non est frustranea: sed Christus tradidit Sacerdotibus potestatem Missam celebrandi: Ergo &c.

Respondeo II. Sacerdotes qui aut numquam, aut raro admodum, vel ex socordia, vel etiam, ut passionibus liberius indulgeant, celebrant Missam, gravi peccato se devincire: sic propugnat S. Thomas in 4. Sent. distinct. 13. q. 1. art. 2. his verbis: " Ambrosius dicit, grave est quod ad Mensam tuam mundo corde, & manibus innocentibus non venimus, sed gravius est, si dum peccatum metuimus, etiam sacrificium non reddamus: sed primum est mortale: Ergo & secundum."

Rursus, ibidem: " Dicendum quod secundum quosdam non peccat qui dimittit celebrationem, nisi populum habeat commissum, vel ex obedientia celebrare teneatur: sed quia secundum Gregorium, cum crescunt, sive augentur dona, rationes crescunt donorum, cum Sacerdoti data sit nobilissima potestas, reus erit negligentiæ, nisi illa

„ illa

utatur ad honorem Dei, & salutem suam, & aliorum vivorum, & mortuorum. „ Observes Cajetanum Comment. in divum Thomam propugnare hujusmodi Sacerdotem nonnisi venialiter peccare: sed sanctus Pius V. voluit istam sententiam expungi a tali Commentario, ut menti divi Thomæ alienam.

Respondeo III. Sacerdotes cujuscumque status, nisi censuris aliquibus innodentur, vel gravissimis teneantur infirmitatibus, teneri sub pœna peccati gravissimi festis saltem anni principalioribus Missam celebrare: ita colligitur ex Concilio Tridentino Sess. 23. cap. 14. his verbis de Refor.: “ Curet Episcopus, ut ii saltem diebus Dominicis, & festis solemnibus, si autem curam habuerint animarum, tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant, Missas celebrent. „

Concinit Angelicus Doctor hic q. 82. art. 10. & hunc casum sibi propositum his verbis: *Utrum liceat Sacerdoti omnino a consecratione Eucharistia abstinere?* sic dirimit: “ Respondeo, dicendum quod quidam dixerunt, quod Sacerdos potest omnino a consecratione licite abstinere, nisi teneatur ex cura sibi commissa celebrare, & populo Sacramenta præbere. Sed hoc irrationabiliter dicitur, quia unusquisque tenetur uti gratia sibi data cum fuerit opportunum. Opportunitas autem Sacrificium offerendi non solum attenditur per comparationem ad fideles Christi, quibus oportet Sacramenta ministrari, sed principaliter per comparationem ad Deum, cui consecratione hujus Sacramenti, sacrificium offertur. Unde Sacerdoti, etiamsi non habeat curam animarum, non licet omnino a celebratione cessare: Sed saltem videtur quod celebrare teneatur in præcipuis festis, & maxime in illis diebus, in quibus Fideles communicare consueverant: Et hinc est, quod 2: Mach. 4. contra quosdam Sacerdotes dicitur, quod jam non circa altaris officia dediti erant, contempto templo, & sacrificiis neglectis. „

Celeberrimum est pro hoc momento testimonium sancti Caroli, qui mentem Concilii Tridentini in prima Synodo Mediolanensi, tit. *De frequenti divini sacrificii oblatione*, sic exponit: “ Cum Pontifices, ut inquit Apostolus, ex hominibus assumpti, pro hominibus constituantur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerant dona, & sacrificia pro peccatis; Episcopus Dominicis, & reliquis festis diebus, nisi jure impediatur, Missam celebret. Tridentini etiam Concilii auctoritatem secuti præcipimus Sacerdotibus reliquis, cujuscumque gradus, conditionis, & dignitatis illi sint, ut iisdem diebus Missam celebrare non omittant. Curatis vero ut præterea ter in hebdomada, aut etiam sæpius quo vel loci consuetudo, vel necessitas crebriorem divini Sacrificii usum postulaverit. „

Respondeo IV. Sacerdotem posse celebrare Missam etiamsi nullus adsit in Ecclesia præter Ministrum, & est contra Lutheranos. Sic definitum est in Concilio Tridentino Sess. 22. can. 8. his verbis: *Si quis dixerit Missas in quibus solus Sacerdos communicat, illicitas esse, adeoque abrogandas, anathema sit*. Ratio non una est. Levitici 6. & 7. sæpius sacrificia pro peccatis populi offerebantur, quæ quidem illis prodesse nemo negaverit, & tamen nihil ex eis degustabant: idem dicendum & pro nova lege. Ratio altera, eaque a priori est, quod independenter a populo sacrificium sit in se omnibus muneris absolutum, eo ipso quo Sacerdos juxta Rubricas sacram Missam celebrat.

Respondeo V. Sacerdotem, si non adest Ministri copia, a sacrificio celebrando, abstinere debere. Hoc ipsum colligitur ex actis beati Laurentii, qui S. Sixtum ad Martyrium properantem, sic allocutus est: *Tu numquam sine Ministro sacrificium offerre consueveras*. Immo & ad hæc usque tempora Græci Sacerdotes sine Diacono ministrante, Missam non celebrant. Concilium Moguntinum an. 813. Leone III. clavum Ecclesiæ universæ tenente, hanc reddit rationem, quia sunt quædam preces quibus facienda est responsio: “ Nullus resbyter, *ait*, ut nobis videtur solus Missam cantare valet recte: Quomodo enim dicet, Dominus vobiscum, vel; sursum corda admonebit haberi, & alia multa his similia, cum alius nemo cum eo sit. „ Suffragatur Concil. Parisiense sub Gregorio Papa

IV. adunatum his verbis : " Provideat „ unusquisque Episcoporum„ ne in sua „ Parochia quisquam Presbyterorum Missam solus celebrare præsumat. „ Concinit Rhemense an. 1583. tit. de Eucharistia ; Mediolanense VI. tit. 15. de iis quæ ad Missam pertinent. Tolosanum anno 1590. cap. 6. Narbonense an. 1609. Ergo &c.

Quæres II. Utrum Sacerdos possit una die multas Missas celebrare?

Respondeo I. Antiquitus fuisse in more positum quosdam ex mera devotione Missam in una die non semel celebrare ; sic colligitur ex Concilio Toletano 12. an. 681. can. 5. sic scribit VValafridus Strabo de rebus Ecclesiasticis c. 21. ubi ait de Leone Papa III. qui labente sæculo 7. & ineunte 8. regebat Ecclesiam: " Fidelium relatione virorum ad nostram usque pervenit notitiam , Leonem Papam , sicut ipse fatebatur , una die „ septies , vel novies Missarum solemnia „ sæpius celebrasse. „ Sic Synodus Salegunstadiensis an. 1022. can. 5. " Decretum est , *ait* , ut unusquisque Presbyter in die non amplius quam tres Missas celebrare præsumat. „ De ista Missarum celebrandarum eodem die pluralitate Petrus Damianus etiam loquitur L. 5. Epist. 28. in qua sub finem undecimi sæculi ad Humbertum Sacerdotem sic scribit: " Hanc consuetudinis regulam in disciplinatis Ecclesiis & didicimus , & „ tenemus, ut calicem differamus in Missarum fine perfundere , si nosmetipsos „ eodem die sacrificium denuo speramus „ offerre. „

Respondeo II. Usum nunc obtinuisse unicam tantum Missam in die celebrare, si excipias diem Nativitatis Domini , & necessitatis casus , ubi propter penuriam Sacerdotum ex speciali Episcopi licentia Rector unius Parochiæ villæ in altera celebrare potest , ea tamen conditione , ut sit jejunus: hoc est ablutionem in priori Missa omiserit. Hæc doctrina fundatur in decreto Alexandri Papæ II. de consecratione distinct. c. 1. *Sufficit* , his verbis : " Sufficit Sacerdoti unam Missam in die una celebrare , & valde „ felix est qui unam digne celebrare potest . „ Cui legi suum addit calculum Innocentius III. cap. *Noluisti de celebratione Missarum*: " Respondeo, *inquit* , quod excepto die Nativitatis Dominicæ , nisi „ causa necessitatis suadeat , sufficit Sacerdoti semel in die unam Missam solummodo celebrare. „

Synopsis eorum quæ in hoc articulo continentur.

PRIMO : Sacerdos tenetur celebrare Missam, juxta illud Domini præceptum: *Hæc quotiescumque feceritis , in mei memoriam facietis.*

Secundo: Peccat graviter Sacerdos non legitime impeditus , si festis anni celebrioribus non dicat Missam ; quippe qui, teste venerabili Beda , Deum laude , Sanctos honore , animas in Purgatorio detentas refrigerio privet.

Tertio : Nedum pro vivis , sed etiam pro fidelibus defunctis Missa celebranda est; illis enim directe, istis indirecte, & per modum suffragii prodest ad salutem quidem priorum, ad refrigerium vero & quietem posteriorum.

SECTIO QUARTA.

Utrum Sacerdos possit accipere stipendium pro celebratione Missarum?

CONCLUSIO AFFIRMATIVA,

Probatur rationibus Theologicis.

PRIMA : Eodem prope modo ratiocinandum est de Sacerdotibus novæ legis , ac de Levitis legis Mosaicæ: Sed isti jubente , & ordinante Deo habebant propter Ministerium & civitates quas incolerent, & decimas ac oblationum partes, quibus sustentarentur : Igitur & eadem proportione servata , debentur Clericis novæ Legis vitæ sustentacula.

De hoc momento multa leguntur data Levitis veteris legis , urbes quidem ad habitandum , tum oblationes ad vivendum. Habetur enim Josue 13. *Tribui autem Levi non dedit possessionem : sed sacrificia & victimæ Domini Dei Israel , ipsa est ejus hæreditas , sicut locutus est illi . .* Rursus Levit. 2. *Cum autem obtuleris sacrificium coctum in clibano : de simila , panes scilicet absque fermento conspersos oleo , & lagana azyma.*

azyma oleo lita. Si oblatio tua fuerit de sartagine: Simila conspersa oleo & absque fermento, divides eam minutatim, & fundas super eam oleum.. Si autem de craticula fuerit sacrificium, aque simila oleo conspergetur: quam offerens Domino, trades manibus Sacerdotis. Qui cum obtulerit eam, tollet memoriale de sacrificio, & adolebit super altare in odorem suavitatis Domino. Quidquid autem reliquum est, erit Aaron & filiorum ejus, Sanctum Sanctorum de oblationibus Domini.

Pro Sacerdotibus vero legis Christi habetur 1. Cor. 9. *Debet in spe qui arat, arare: Et qui triturat, in spe fructus percipiendi. Si nos vobis spiritualia seminavimus: magnum est si nos carnalia vestra metamus... Qui in sacrario operantur: quæ de sacrario sunt, edunt: Et qui altari deserviunt, cum altari participant.*

Concinit Augustinus super illud 1. ad Timoth. 5. *Qui bene præsunt Presbyteri &c.* " Accipiant, *inquit*, sustentationem necessitatis a populo, mercedem dispensationis a Domino."

Altera sic procedit: Melchisedech Rex Salem, & Sacerdos accepit ab Abraham decimas ex spoliis, quæ Regum devictorum iste habebat: in lege Mosaica lex de solvendis decimis pro Levitarum sustentatione, a Deo data, à Moyse promulgata, a populo vero executioni mandata fuit: in nova lege nedum decimæ, sed & multa beneficia eodem prorsus motivo fundata sunt: Sed cuncta quę procedunt & a Deo, & ab Ecclesia justa sunt; hinc ait Apostolus 1. Cor. 9. *Quis militat suis stipendiis unquam*; immo S. Thomas 2. 2. q. 87. art. 1. propugnat decimas Ministris Ecclesiæ ex jure naturæ solvendas esse, tametsi determinatio ad certam taxam sit de jure positivo: Ergo &c. Non abs re erit hic verba Doctoris texere in arg. *Sed contra*: " Augustinus dicit, & habetur 16. q. 1. decimæ ex debito requiruntur, & qui eas dare noluerint, res alienas invadunt." Tum in corpore articuli: " Dicendum, quod decimę in veteri lege dabantur, ad sustentationem Ministrorum Dei, unde Malachiæ 3. Inferre omnem decimationem in horreum meum, ut sit cibus in domo mea. Unde præceptum de solutione decimarum, partim quidem erat morale, inditum naturali ratione, partim autem erat judiciale, ex divina institutione robur habens. Quod enim eis, qui divino cultui ministrabant ad salutem populi totius, populus necessaria victus ministraret, ratio naturalis dictat; sicut & his qui communi utilitati invigilant, scilicet Principibus, & militibus, & aliis hujusmodi stipendia victus debentur a populo. Unde & Apostolus hoc probat 1. Cor. 9. per humanas consuetudines dicens: Quis militat suis stipendiis unquam? Aut quis plantat vineam, & de fructibus ejus non edit? Sed determinatio certæ partis exhibendæ Ministris divini cultus, non est de jure naturali, sed est introducta institutione divina secundum conditionem illius populi... Sic ergo patet, quod ad solutionem decimarum homines tenentur, partim quidem ex jure naturali, partim etiam ex institutione Ecclesiæ." Ergo &c.

Tertia: Æquum est pro rebus spiritualibus in gratiam populi pro ejus salute exhibitis, aliqua temporalia pro vitę sustentaculo accipere, maxime cum Ministri, & in decantandis Ecclesiæ officiis, & in administratione Sacramentorum multum insudent; hæc ratio est divi Pauli 1. Cor. 9.

Quarta: Ministri Ecclesiæ orationi, & Ministerio Ecclesiæ toti vacare debent: Sed nisi pro vitæ sustentaculo haberent necessaria, plurimum ab illis piis exercitiis detraherentur, immo & dividerentur, cum soliciti forent de his quæ ad vitam sustentandam necessaria sunt habenda. Igitur æquum est stipendia accipere, ut suo juxta intentionem Ecclesiæ, fungantur officio: Illud propter motivum, vel ipse Deus jussit Josue ut nihil de terra promissionis distribueret Levitis, ne terrena iniando, terrena utique saperent, sed, Ero, *inquit*, merces eorum: O dignum Dei præmium! Qui tanti facit Sacerdotis ministeria, ut non alio bono, quam seipso remuneranda ducat; sic enim habetur Josue 13. *Tribui autem Levi non dedit possessionem &c.*

Decreta Ecclesiæ pro taxa stipendiorum.

Primo: Congregatio Concilii Tridentini

cini annuente, & confirmante Urbano Papa VIII. declaravit an. 1626. Sacerdotem non satisfacere Missæ, pro qua stipendium accepit, si alias ex fundatione teneatur celebrare: *Sacerdotes quibus diebus tenentur Missas celebrare ratione beneficii, seu Capellæ, Legati, aut Salarii, si eleemosynas etiam pro aliis Missis celebrandis susceperint, non posse eadem Missa utrique obligationis satisfacere.*

Secundo: Eadem Congregatio prohibuit, ne pro una, & eadem Missa a pluribus tametsi exigua stipendia reciperentur. *Deinde*, inquit, *pro pluribus Missis etiam ejusdem qualitatis celebrandis plura stipendia quantumcumque incongrua, & exigua, sive ab una, sive a pluribus personis collata fuerint, aut conferentur in futurum, Sacerdotibus sacra Congregatio sub obtestatione divini judicii mandat ac præcipit ut absolute tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ, præscriptæ fuerint: alioqui graviter peccent, & ad restitutionem teneantur.*

Tertio: Eadem Congregatio sub Paulo V. summo Pontifice quosdam perstrinxit Sacerdotes, qui anticipate Missas pro iis celebrarent, qui stipendia oblaturi erant, quod rescriptum Pontificium ad Nuntium Apostolicum in Hispania degentem missum & promulgatum est.

Quarto: Anno 1659. die 25. Januarii eos damnavit Theologos qui propugnabant Sacerdotem posse, post acceptum pro sua Missa stipendium, aliud iterum accipere pro speciali sacrificii parte, quæ sibi tamquam Ministro contingebat.

Quinto: Alexander Papa VII. an. 1665. protulit decretum, quo tres sequentes propositiones ad minus tamquam scandalosas prohibuit ac damnavit. Prima: *Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idque post decretum Urbani VIII.* Secunda: *Post decretum Urbani potest Sacerdos cui Missæ celebrandæ traduntur per alium satisfacere, collato illi minore stipendio, alia parte stipendii sibi retenta*: Tertia: *Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, & sacrificium unum offerre: neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam promissione etiam juramento affirmata, danti stipendium quod pro nullo alio offeram.*

Sexto: Urbanus VIII. anno 1625. die 21. Julii damnavit Sacerdotes: *Qui Missam susceperunt celebrandam cum certa eleemosyna, eamdem Missam alteri, parte ejusdem eleemosynæ sibi retenta, celebrandam commiserint.* Sed ne quis in dubium hanc declarationem revocet, necesse est hic illam ex integro texere.

Declaratio sacræ Congregationis Concilii SS. D. N. Alexandri Papæ VII. jussu edita, super secundo decreto ejusdem Congregationis de celebratione Missarum.

“ CUM Auctores nonnulli scriptis suis,
„ etiam typis editis asseruerint, Sacer-
„ doti pro alio Missam, recepta eleemo-
„ syna, celebranti, licitum esse aliam
„ eleemosynam quoque accipere ab alte-
„ ro, cui partem illam fructus, seu valo-
„ ris ejusdem sacrificii, ipsimet celebranti
„ debitam (specialem nuncupatam) ap-
„ plicet, ac proinde hunc casum sub de-
„ creto sacræ Congregationis Concilii,
„ prohibente duplex pro unica Missa sti-
„ pendium, seu eleemosynam, recipi non
„ esse comprehensum. Propterea sacra
„ Congregatio Eminentissimorum, & Re-
„ verendissimorum DD. S. R. E. Cardina-
„ lium, Concilii Tridentini interpretum
„ quæ, auctoritate sibi per Apostolicam
„ Sedem specialiter attributa, sedulo cu-
„ rat, ne a Sacerdotibus circa celebratio-
„ nem sacro-sancti Missæ sacrificii, unde
„ in nos uberrima divinæ liberalitatis
„ munera derivantur, avaritiæ labes ul-
„ la, aut suspicio contrahatur: ante di-
„ ctam assertionem mature examinavit,
„ eademque prorsus reprobata, sub die
„ 25. Januarii 1659. censuit: Nulli Sacer-
„ doti licitum esse, præfata ratione, sive
„ prætextu, aliam eleemosynam accipere
„ præter illam quam accepit ab eo pro
„ quo Missam offerre tenetur. Ac proin-
„ de casum hunc esse comprehensum in
„ decretis alias per eamdem sacram Con-
„ gregationem Concilii editis, quibus
„ prohibetur, ne duplex stipendium pro
„ unica Missa recipiatur. „
“ *Quam* sacræ Congregationis senten-
„ tiam ad sanctissimum Dominum N. A-
„ lexandrum Papam VII. relatam,

San-

„ Sanctitas sua, sub die 29. ejusdem mensis approbavit, & decretum publicari, „ atque ad Episcopos, & Generales Regularium Ordinum transmitti jussit, „ ut ipsi doctrinam hujusmodi per suos „ Pœnitentiarios, & Confessarios, ac „ Lectores, respective, insinuari, doceri, atque in tractatibus moralibus per „ eosdem imprimendis, evulgari, pastorali vigilantia curent. „

Gonetus illud interpretans Decretum hic Disput. 11. p. 326. ait Sacerdotem qui accepit stipendium pro Missa votiva B. Virginis, aut alicujus Sancti celebranda, satisfacere etiamsi dicat sacrum quale occurrit eo die pro parentibus, vel amicis ex charitate, nisi stipendium notabiliter augeatur pro laudata conditione. II. Similiter satisfacere Missæ fundationis, etiamsi in altera Ecclesia ubi corpus defuncti non est, celebret, secus si stipendium sit locale, & tali loco affixum. " Demum, *inquit*, observandum est, „ quod cum in supra relatis Congr. Concil. decretis, solum probibeatur quod „ accipiantur plura stipendia pro una „ Missa, non vero quod illa pro pluribus „ sine stipendio gratis applicetur; Sacer„dos obligatus ex stipendio accepto ad „ celebrandum pro aliquo, potest ex cha„ritate, vel gratitudine, pro parenti„bus, amicis, vel benefactoribus eam„dem Missam applicare. „

Ex his omnibus sequitur nullum, secluso privilegio, & summi Pontificis licentia, posse aliter stipendia accipere, quia ex divo Thoma taxæ stipendii determinatio ad Ecclesiam spectat, & quia sacrificium est infiniti valoris, Ecclesia sicut minuere, sic & augere stipendium prout voluerit, potest, ut docet sanctus Thomas 2. 2. quæst. 87. art. 1. his verbis: " Sic ergo patet, quod ad solutio„nem decimarum homines tenentur par„tim quidem ex jure naturali, partim „ etiam ex institutione Ecclesiæ: quæ ta„men pensatis opportunitatibus tempo„rum, & personarum, posset aliam par„tem determinare solvendam. „

Quæres I. Num Sacerdos habens beneficium, cui onus plurium Missarum celebrandarum annexum est, teneatur tantum stipendii reddere alteri ad aliquas dicendas, quantum respondet beneficio?

Respondeo non teneri ad eamdem mensuram reddere; debetur enim Beneficiario aliquid tum pro titulo, tum pro recitatione Breviarii, & assistentia Chori, tum etiam ex cura quæ illi incumbit bonis beneficiis consulere, ita ut illa conservet, quod sæpius non fit sine expensis. Tum quia tenetur pro illo beneficio solvere decimas.

Respondet Gonetus hic disputatione undecima art. 6. pag. 324. his verbis: " Qui „ habet beneficium, cui est annexum onus „ Missarum, si commendat alteri Sacer„doti illas Missas, non tenetur dare „ stipendium ad rationem redituum be„neficii, sed sufficit quod tribuat elee„mosynam congruam, secundum morem „ illius loci, nisi aliud in fundatione „ caveatur. Ita resolvit eadem sacra Con„gregatio in decretis de celebratione „ Missarum dubio octavo. Ratio vero „ discriminis inter Beneficiarium & alium „ simplicem Sacerdotem alteri Missas „ commendantem, manifesta est, nam ut „ supra dicebamus, simplex Sacerdos cui „ pingue stipendium pro celebratione „ unius Missæ tributum est, nullum ha„bet jus ad retinendum sibi partem il„lius, assignando aliam alteri cui Mis„sam commendavit: Beneficiarius vero „ ad hoc titulum habet, scilicet beneficium, „ cui alias est annexum onus recitandi „ divinum officium, & alia similia one„ra. Unde quando commendat Missas „ aliis, tamquam proprius Dominus id „ facit, & sic non tenetur nisi consul„tam eleemosynam dare. „

Quæres II. Num licitum sit tot stipendia exigua a pluribus pro una Missa accipere, quot requiruntur ad taxam Diœcesis adimplendam?

Respondeo I. Quosdam Theologos partem affirmativam propugnare, ea duplici innixos ratione, I. quod in casu proposito nihil contra justitiam committatur, cum in hypothesi nihil ultra pretium ab Episcopo Diœceseos determinatum recipiat. II. Quia illo solum scopo plura accipit stipendia exigua, ne damnum imminens incurrat.

Respondet Gonetus ibidem pag. 325. ad casum his verbis: " Hæc sententia, at„tento jure naturali, videtur satis pro„babilis, Sed post determinationem sea

pre-

„ prohibitionem prædictæ Congregationis „ Concilii, nec est tuta, nec ad praxim „ reducenda. Verba prohibitionis hæc „ sunt: " Deinde pro pluribus Missis, „ etiam ejusdem qualitatis celebrandis, „ plura stipendia, quantumcumque incon„ grua & exigua, sive ab una, sive a „ pluribus personis collata fuerint, aut „ conferrentur in futurum Sacerdotibus, „ sacra Congregatio sub obtestatione di„ vini judicii mandat ac præcipit, ut ab„ solute tot Missæ celebrentur, quot ad „ rationem attributæ eleemosynæ præ„ scriptæ fuerint; alioqui graviter pec„ cant, & ad restitutionem tenentur. „

Priori decreto alterum Alexandri VII. anno 1665. pronuntiatum addimus, quo ista proposit o proscribitur: *Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, & sacrificium unum offerre: neque enim contra fidelitatem; etiamsi promittam, promissione etiam juramento firmata, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram:* " Re mature considerata statuit & de„ crevit prædictas propositiones & unam„ quamque ipsarum, ut minimum tam„ quam scandalosas esse damnandas, sic„ ut eas damnat ac prohibet, ita ut qui„ cumque illas aut conjunctim, aut di„ visim docuerit, defenderit, aut edide„ rit, aut de eis, etiam disputative, „ publice, aut privatim tractaverit, nisi „ forsan impugnando, ipso facto incidat „ in excommunicationem, a qua non pos„ sit præterquam in articulo mortis ab „ alio quacumque etiam dignitate fulgen„ te, nisi a pro tempore existente Ro„ mano Pontifice absolvi. „

Concinit S. Thomas in 4. Dist. 45. q. 2. art. 7. quæst. 3. ad 2. ubi sic loquitur: " Quamvis virtus Christi, quæ contine„ tur sub Sacramento Eucharistiæ, sit in„ finita, tamen determinatus est effectus „ ad quem illud Sacramentum est ordi„ natum. „ Sylvius in 3. part. Sum. divi Th. quæst. 83. art. 1. quæsit. 15. ejusdem est labii; eo quippe loci duo potissimum pro principio habet: primum, Sacrificii valorem esse in se infinitum, alterum vero quoad applicationem quæ fit per Ecclesiam esse finitum. De priori momento hæc habet: " Si per valo„ rem intelligatur dignitas, & æstimatio „ illa moralis, aut ea vis sive impetran„ di, sive satisfaciendi, quam ex re obla„ ta, vel principali offerente habet, est „ infinitus: quia tam principalis offerens, „ quam id quod offertur infinitæ est di„ gnitatis & virtutis. „ De posteriori hæc subdit: " Si autem per valorem in„ telligatur vis & efficacia quam respe„ ctu sui effectus ex institutione habet, „ quatenus per Ecclesiæ Ministros offer„ tur; sic valor est simpliciter finitus. „ Quia oblatio, quæ fit a Sacerdote finita „ est, ipseque Sacerdos finitus. Neque „ hic valor est æstimandus ex infinitate „ rei oblatæ; sed ex Christi institutione, „ & operis, quatenus a Ministris proce„ dit, natura. „

Ex his liquet valorem Sacrificii applicatum esse finitum, cum ex institutione Christi, qui voluit finite & ad mensuram applicari, ne facilitas & abundantia remedii evaderet occasio facilius peccandi: tum etiam ex Ecclesia, quæ non nisi finito intendit sacrificium applicare & pro vivis, & pro defunctis; tum denique ex ipsa Christi actione, quæ finita est.

Quid plura adjiciam? Ecclesia vult & præcipit unum stipendium quantumvis exiguum sufficienter ponderare pro una Missa celebranda, si de tali pretio conveniant partes: sin minus foret in contractu exsequendo infidelitas: immo inde multa sequerentur absurda. Primo quidem, si ex eo quod sacrificii valor sit in se infinitus, plura numero stipendia pro una Missa percipi possit, quidni & multa pinguia pro multo pluribus, cum eadem curreret ratio. Secundo, inutile etiam prorsus foret multas celebrare Missas, cum una sufficeret pro omnibus: quod adversatur manifeste summorum Pontificum decretis: Sic ratiocinatur Isambertus in 3. part. Summæ D. Thomæ quæst. 83. disput. 7. art. 10. & contrariam confutat opinionem tamquam directe oppositam Conciliis. Antiquum anno 1280. per Joannem Peccham, & ejus suffraganeos Angliæ adunatum, sic habet: " Nec credat „ celebrans, se dicendo Missam unam, „ posse satisfacere pro duobus, pro quo „ utroque promisit specialiter & in soli„ dum celebrare ... Absit enim ne a quo„ quam Catholico credatur, tantum inten„ tione prodesse Missam unam, devote ce„ lebratam mille hominibus pro quibus for-

„ san

„ sandicitur, quantum si mille Missæ pro „ eis devotione simili canerentur. Licet „ ipsum sacrificium sit ... infinitæ virtu„ tis; non tamen in sacrificio suę immen„ sitatis summam plenitudinem operatur „ *Christus*: alioquin pro uno mortuo non „ quam oporteret, nisi unam Missam di„ cere. „

Dices: Sacrificium crucis fuit infiniti valoris etiam quoad applicationem, cum Christus pro omnibus & singulis hominibus mortuus sit, & pro omnibus meruerit gratias quæ dantur etiam multis non cooperantibus, ut obduratis & infidelibus, immo & pluribus Christianis, qui non semper Spiritui sancto excitanti obediunt: Igitur & a pari dicendum est sacrificium Missæ etiam quoad applicationem omnibus prodesse, cum idem sit quoad victimam cum sacrificio in ara crucis oblaro.

Respondeo distinguendo antecedens: Christus in cruce pendens pro omnibus & singulis hominibus mortuus est quoad sufficientiam pretii, concedo: quoad efficaciam & applicationem, subdistinguo: faciendam per Ecclesiam, tum & per offerentis & astantium cooperationem, concedo: independenter ab iis, nego. Duplicis generis sacrificii fructus distinguitur, alterum sufficiens, alterum vero efficax: Priori correspondent gratiæ sufficientes se prævenientes, quæ mere gratuito singulis conferuntur: Posteriori vero gratiæ efficaces, quæ annexam habent applicationem faciendam per Ecclesiam, offerentium & astantium cooperationem. Ista responsio colligitur ex Sylvio, qui ibidem ait: " Ne quidem sacrificium cru„ cis dedit valorem aut effectum infini„ tum quoad efficaciam, sed solum quo„ ad sufficientiam. „ Hoc est, efficacia sacrificii profluit quidem ab ejus valore, sed nisi applicetur per Ecclesiam, & sacramenta, ultimum non habebit complementum.

Tum adhuc ibidem Quæst. 16. concl. 1. subjicit: " Quod enim est finitum quan„ do dividitur in plures, non pertinet ad „ quemlibet ex ea parte, qua pertinuis„ set, si vel divideretur inter paucos, „ vel uni solum applicaretur. „

Quod autem applicatio, & reductio Missarum nonnisi ab Ecclesia facienda sit declarat sacra Synodus Tridentina sess. 25. de resor. cap. 4. his verbis: " Con„ tingit sępe in quibusdam Ecclesiis vel „ tam magnum Missarum celebrandarum „ numerum ex variis defunctorum reli„ ctis impositum esse, ut illis pro singulis „ diebus, a testatoribus præscriptis, ne„ queat satisfieri, vel eleemosynam hu„ jusmodi pro illis celebrandis adeo te„ nuem esse, ut non facile inveniatur, „ qui velit huic se muneri subjicere; unde „ depercunt piæ testantium voluntates, „ & eorum conscientias, ad quos prędi„ cta spectant, onerandi occasio datur. „ Sancta Synodus, cupiens hæc ad pios „ usus relicta, quo plenius & utilius pot„ est, impleri, facultatem dat Episcopis, „ ut in Synodo Diœcesana, itemque Ab„ batibus & Generalibus Ordinum, ut in „ suis Capitulis Generalibus, re diligen„ ter perspecta, possint pro sua conscien„ tia in prædictis Ecclesiis, quas hac „ provisione indigere cognoverint, sta„ tuere circa hæc, quid magis ad Dei „ honorem & cultum, atque Ecclesiarum „ utilitatem viderint expedire; ita ta„ men, ut eorum semper defunctorum „ commemoratio fiat, qui pro suarum a„ nimarum salute legata ea ad pios usus „ reliquerunt. „

Synopsis eorum quæ continentur in hac Sectione.

PRIMO: Sacerdos potest accipere stipendium pro celebratione Missarum, cum teste Apostolo, qui inservit altari, debeat ex altare vivere; hinc quædam bona dicuntur Ecclesiastica, eo quod sint pro Ministrorum sustentaculo destinata.

Secundo: Ad solam Ecclesiam spectat determinare quodnam sit stipendium accipiendum pro celebratione Missarum.

Tertio: Inde sequitur illos Sacerdotes graviter peccare, qui pro unius Missæ celebratione plura accipiunt stipendia, cum Urbanus VIII. Paulus V. & Congregatio Concilii Tridentini hoc prohibuerint.

SEC-

SECTIO QUINTA.

De Præcepto audiendi Missam.

Duo sunt ad istius quæstionis eliquationem tractanda; alterum de præcepto secundum se spectato: alterum vero de casibus in quibus non urget præceptum. Unde sit.

CONCLUSIO PRIMA.

Tenentur omnes Fideles præcepto Ecclesiastico de audienda Missa diebus festivis satisfacere.

Probatur rationibus Theologicis.

Prima: Quisque tenetur præcepto Ecclesiæ obedire: Sed Ecclesia præcipit his temporibus audire Missam, juxta illud, *Sabbata sanctifices*; sic etiam non semel determinavere Concilia: Ergo &c.

Altera ratio a priori accedit. Quod Traditione firmatur, fieri debet: Atqui ex Traditione habemus fideles teneri audire Sacrum: Ergo &c. Probatur minor variis modis.

Primo quidem ex illo Actuum 2. *Perdurantes unanimiter in Templo, & frangentes circa domos panes*. Ex quibus verbis colligitur Fideles ab ipsa vagiente Ecclesia pro more habuisse audire Missam, cum inter celebranda mysteria sacram acciperent communionem.

Secundo: Eumdem usum non obscure indicat Justinus Martyr Apologia 2. ubi rationem reddens Imperatoribus Paganis de pietate Fidelium, ita loquitur: "Solis, *ait*, qui dicitur die omni, qui in oppido, vel ruri degunt, in eumdem locum conventus fit... precibus peractis, panis offertur, & vinum & aqua."

Tertio: Hoc ipsum indicant Liturgiæ, quæ quidem apparuerunt prioribus Ecclesiæ sæculis; cum quædam tribuantur Apostolis, quæque adstante populo Christiano celebrabantur. Tunc propter persecutiones, nondum extabat præceptum determinatum de audienda Missa, cum difficile admodum esset Christianos omnes in unum convenire ad sacra celebranda mysteria, sed ipsa Fidelium pietas erat pro ipsis lex, ut illam, quantum fieri poterat, audirent: verum, pace Ecclesiæ reddita, Episcopi voluerunt omnes diebus festivis audire sacrum.

Quarto: Concilium Agathense anno 506. habitum can. 47. sic loquitur: "Missas die Dominico a sæcularibus totas audiri speciali ordinatione præcipimus." Idem præcipit Concilium IV. Carthaginense, & alia.

Tertia ratio hæc est: Deus præcepit Sabbatum observari, & homines ab omnibus operibus servilibus abstinere, ut toti Deo vacent: Hinc in veteri lege ad sacrificia specialia offerenda conveniebat populus in Templum: Sed in nova lege Christus instituit sacrificium Missæ ad Deum Patrem glorificandum, veluti totius cultus divini consummationem. Igitur qua ratione tenentur diem Dominicum celebrare Christiani, eadem tenentur & Missam audire. Hoc ipsum innuit Ecclesiæ praxis, cum vel ipsi mundani erubescerent, Missam diebus festivis prætermittere, sin minus velut impii haberentur. Ergo &c.

Quarta: Ecclesia non semel statuit & præcepit audiri Missam Parochialem, in quantum fieri potest: Igitur diebus festivis tenentur Fideles audire Sacrum, cum ea ratione Ecclesia velit populum audire Missam Parochialem, quia quisque tenetur audire sacrum. Probatur antecedens.

Primo, ex Concilio Nannetensi anno 895. celebrato, maxime ex Concilio Tridentino sessione 22. decreto *De observandis, & evitandis in celebratione Missæ* "Moneant, *inquit*, *locorum scilicet ordinarii* etiam eumdem populum, ut frequenter ad suas Parochias saltem diebus Dominicis & majoribus festis accedant." Rursus ibidem cap. 4. de reformatione: "Moneatque Episcopus populum diligenter teneri unumquemque Parochiæ suæ interesse, ubi commode id fieri potest, ad audiendum verbum Dei." Et consequenter ad audiendam Missam. Et expressius cap. 8. "Mandat sancta Synodus Pastoribus, & singulis animarum curam gerentibus, ut frequenter inter Missarum celebrationem, vel per se,

„ se, vel per alios, ex iis quæ in Missa „ leguntur aliquid exponant; atque inter „ cetera sanctissimi hujus sacrificii mysterium aliquod declarent diebus præsertim Dominicis, & Festis. „

Secundo: Vel ipsa ratio idem comprobat, quandoquidem ex Tridentino Rectores Parochiarum inter celebrandum sacrum teneantur tunc explicare Mysteria, annuntiare Festa, & jejunia quæ in hebdomada possunt occurrere, ut populus per omnia præceptis Ecclesiæ satisfaciat; sed quomodo credent ista observanda, nisi audiant; quomodo vero audient sine prædicante? Hinc non citra peccatum quidam Missam Parochialem semper omittunt. Cum experientia comprobetur plebem non semel, & jejunia, & abstinentias præ inscientia, & inadvertentia transgredi, quod certe non contingeret, si aliquis e familia Missæ Parochiali interfuisset.

CONCLUSIO SECUNDA.

Adulti omnes, nisi aliqua detineantur infirmitate, aut officio publico, vel charitatis exercendæ lege, debent diebus festis audire Missam.

Probatur prima pars. Definitiones Conciliorum spectant adultos: Sed Concilia præcipiunt Fidelibus audire Missam diebus festis: Igitur tenentur adulti eam tunc temporis audire, maxime cum suæ religionis argumenta teneantur dare.

Probatur altera pars, seu potius explicatur. Primo quidem ab hac lege dispensantur qui grave aliquod incurreret detrimentum, puta si domus ruri consistens, ab uno saltem non defenderetur contra incursum latronum, dum ceteri omnes ad Parochiam quandoque distantem Missam audituri abierint. II. Excusatur miles, qui excubias agit; nusquam enim Princeps justis de causis urbem hostibus vicinam aliquo tempore non custodiri sinit. III. Usus etiam obtinuit, ut legi tam strictæ astringerentur qui invigilant ægrotantibus gravi morbo correptis, cum fieri posset, deficiente ope, eos animam agere, & mori.

Si quæras, Num satisfaciant præcepto audiendi Missam ii qui toto ferme celebrationis Missæ tempore, aut nugantur, aut quod impiissimum, mulieribus blandiuntur, vel etiam qui negotiis sæcularibus totaliter intenti, ne quidem Ecclesiæ adsunt nisi corpore: citra dubium est hujus surfuris homines non satisfacere præcepto, immo priores abominationis peccati reos esse, de quo multus est sermo Ezechielis 18.

Gravior est difficultas, num satisfaciant præcepto qui totam Missam vel tardius accedendo, vel citius abscedendo non audiunt.

Respondeo I. quemlibet juxta definitionem Concilii Agathensis laudati ad totam Missam audiendam obligari: " Missas, *inquit can.* 47. totas teneri præcipimus .... ita ut ante benedictionem „ Sacerdotis egredi populus non præsumat: qui si fecerint, ab Episcopo publice confundantur. „ Subscribit Tolosanum anno 1590. his verbis: " Nec nisi „ absoluto post benedictionem Evangelio „ discedent. „ Suffragatur sanctus Carolus in primo Concilio Mediolanensi, ne prius discedant, quam Sacerdos Evangelium ultimum extra altare, & in sacristia ducatur, ut consuetudo obtinet in Diœcesi Parisiensi pro Missa Parochiali.

Igitur pro regula habeatur, quod toties non fit satis præcepto audiendi Missam, quoties aliquis aliquam partem principaliorem nulla justa causa detentus omittit: Hinc probabile est illum non audire Missam qui accedit post Evangelium lectum, & citra dubium quando jam peractum est offertorium. De his qui ante benedictionem a Sacerdote datam citra rationem abeunt, peccare venialiter, quis negabit?

Ex his principiis sequitur nec præceptum adimplere eum qui Missæ partes a diversis Sacerdotibus simul vel successive audiunt, quandoquidem partes unum, & idem sacrificium non constituunt: hinc Innocentius XI. Papa hanc proscripsit propositionem: ***Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo sacro, qui duas ejus partes, immo quatuor simul a diversis celebrantibus audit.***

Syno-

Synopsis eorum quæ complectitur Sectio.

PRIMO : Cuilibet Christiano incumbit audire Missam diebus festis. Sic usus obtinuit ab ipsa vagiente Ecclesia : & de hoc momento extat Ecclesiæ præceptum.

Secundo : Legem obligare omnes adultos constat, nisi justa de causa eximantur a præcepto.

Tertio : Non adimplent præceptum qui vanitatis motivo, aut alio pejori accedunt ad Ecclesiam, ubi ne quidem de Deo cogitant.

Quarto : Nec eos dicimus adimplere præceptum qui vel principalioribus partibus non adsunt, vel etiam plures Missæ partes a diversis Sacerdotibus celebratis audiunt, cum jam desit Sacrificii unitas, cui assistere tenentur.

DIS-

DISSERTATIO QUARTA
DE
PŒNITENTIÆ INSTITUTIONE,
MATERIA, FORMA,
MINISTRO, EFFECTIBUS.

NOMINA, ET DEFINITIO.

DE Pœnitentiæ Sacramento tractaturi, antequam in profundum descendamus quęstionum, quæ vulgo discuti solent a Theologis, juvat prius etymologiam nominis scrutari juxta variam tum Latinorum, tum Græcorum interpretationem. Porro alia sunt nomina simplicia, alia composita: Latini nomen Pœnitentiæ deducunt a pœna, seu punitione; ita divus Isidorus Hispalensis in exhortatione ad Pœnitentiam, ubi sic habet: " A punitione Pœnitentia nomen „ accepit, quasi punitentia, dum ipse ho„ mo punit pœnitendo quod male admi„ sit. „ Quam quidem rationem a S. Augustino in Epistola 54. desumpsit. Auctor antiquus libri de vera & falsa pęnitentia, sub S. Augustini nomine citari solitus, aliunde derivat illud nomen c. 9. ubi sic habet: " Continue dolendum est de pec„ cato, quod declarat ipsa dictionis vir„ tus. Pęnitere enim est pœnam tenere, „ ut semper puniat in se ulciscendo, „ quod commisit peccando. „ Hinc paulo post pęnitentiam sic definit: " Pęni„ tentia est vindicta semper puniens in „ se, quod dolet commisisse. „ Universim igitur pęnitentia significat mutationem mentis & consilii, seu dolorem, & tristitiam de re pręterita; hanc etymologiam nominis pœnitentiæ tradunt, vel ipsi profani, illumque dolorem extendunt ad rem sive bonam, sive malam.

Verum apud Ecclesiasticos Scriptores Pœnitentia tria significat; primo, vitæ prioris mutationem, seu resipiscentiam. II. Odium, & detestationem, seu intimum animi dolorem prioris vitæ. III. Pœnam, seu punitionem, quam in vindictam, & expiationem malæ vitæ peccator, vel sibi ultro imponit, vel impositam lubenti animo suscipit.

Primo: Pœnitentia denotat mentis in melius mutationem; quam expostulat Deus Isaiæ c. 1. his verbis: *Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis: quiescite agere perverse, discite bene facere.* Ita similiter sanctus Petrus Act. c. 2. *Pœnitentiam agite*, inquit &c.

Secundo: Significat animi dolorem, ut habetur Joelis c. 2. *Dicit Dominus, Convertimini ad me, in toto corde vestro ..... Et scindite corda vestra, & non vestimenta vestra.*

Tertio: Importat pœnam in vindictam scelerum susceptam, juxta istud ejusdem Prophetæ effatum ibidem: *In jejunio, & in fletu, & in planctu.*

Jamvero quod spectat ad Græcos, idem intelligunt, vocabulo μετανοία, quod Latini per Pœnitentiam, scilicet sententiæ mutationem: ita Sanctus Clemens Ale-

Alexandrinus L. 2. Stromatum his verbis: " Si ea quæ peccavit, postea mente „ revolvit, sic ex iis in quæ lapsus est, „ prudentior evasit, & resipuit, hoc est „ postmodum cognovit: tarda est enim „ postmodum pœnitentia, sed prima „ cognitio est non peccasse. „ Dicitur pœnitentia tarda cognitio, quia supponit lapsum, quem ignorantiæ tribuit. Pœnitet igitur qui tandem errorem suum agnoscit, & ignorantiæ tenebris liberatur. Idem vocabulum juxta Patres Græcos significat dolorem animo conceptum. In isto sensu illam usurpat S. Chrysostomus Homilia in 2. Epist. ad Corinth. " Cor „ contritum & humiliatum habebat, *ait*, „ quod ipsius peccata maxime abstergebat; hoc est enim Confessio, hoc Pœnitentia. „

Celeberrima est apud illos sanctos Doctores & frequentius usurpata vox exomologesis: Quæ quidem multa significat: I. Gratiarum actionem: II. Confessionem, seu declarationem peccati. III. Tandem integram pœnitentiæ actionem. Nos vero in præsenti tractatu nomine pœnitentiæ intelligimus ritum illum exteriorem, quo ministerio clavium dimittuntur peccata.

Quoad nomina composita, Pœnitentia, duobus præcipue donatur; a Tertulliano, divo Cypriano, & Concilio Tridentino, appellatur secunda post naufragium tabula: Ab aliis vero dicitur Baptismus laboriosus, quia perinde ac Baptismus animam purgat a sordibus peccati, tum propter animi dolorem de peccatis præteritis, tum propter toleratos in eorum vindictam labores.

Catechismus Romanus mira de hoc momento dicit his verbis: " Prius explicanda est varia hujus nominis potestas, „ & notio, ne aliquis ambiguitate vocis „ in errorem inducatur. Nonnulli enim „ pœnitentiam pro satisfactione accipiunt. „ Alii, a Catholicæ Fidei doctrina longissime remoti, cum arbitrentur pœnitentiam nullam temporis præteriti rationem habere, nihil aliud quam novam vitam esse definiunt. Docendum „ est igitur, multiplicem esse hujus nominis significationem. „

" *Pergit*: Primum enim Pœnitentia de „ iis dicitur, quibus aliquid displicet, „ quod ante placuerit, nulla habita ratione hujus cogitationis, bonumne an „ malum fuerit. Sic omnes pœnitet, quorum tristitia secundum sæculum est, „ non secundum Deum: cujusmodi pœnitentia non salutem affert, sed mortem. Altera est pœnitentia, cum quis „ ex scelere admisso, quod quidem antea „ placebat, dolorem non Dei, sed sui „ ipsius causa, concipit. „

Prosequitur: " Tertia est, cum non solum admissi sceleris causa intimo animi „ sensu dolemus, vel ejus doloris externum etiam aliquod signum damus, verum unius Dei causa in eo mœrore sumus. Ac singulis quidem Pœnitentiæ generibus, quæ commemorata sunt, „ pœnitentiæ vox proprie convenit. Nam „ cum in sacris Litteris Deum pœnitere „ legimus, id per translationem dici perspicuum est. Eo enim loquendi genere, quod ad hominum mores accommodatum est, sacræ Litteræ utuntur, „ cum Deum mutare aliquid constituisse „ declarant; quod non aliter facere videatur, quam homines, quos si alicujus rei pœniteat, eam commutare omni „ studio laborant. Sic ergo scriptum est, „ pœnituisse eum, quod hominem fecisset, & alio loco, quod Saul Regem „ constituisset. Verum inter has pœnitentiæ significationes magnum discrimen „ observare oportet. Prima enim in vitio ponenda est; altera est quædam „ commotio, & perturbati animi affectio: tertiam tum ad virtutem pertinere, tum sacramentum esse dicimus. „ Quæ significatio hujus loci propria est. „

Pœnitentia definitur Sacramentum a Christo institutum, quo per juridicam Sacerdotis absolutionem remittuntur peccata post Baptismum commissa homini contrito, & confesso. Jamjam omni argumentorum genere in secunda hujusce tractatus parte contra Hæreticos obstrepentes, pœnitentiam esse Sacramentum probavimus; nunc ordo rerum postulat ut de ejus institutione, partibus, Ministro & effectibus agamus.

AR-

ARTICULUS PRIMUS.

De Auctore & institutione Sacramenti Pœnitentiæ.

DUo hic quæruntur : unum de institutione Sacramenti Pœnitentiæ : Alterum de tempore institutionis.

CONCLUSIO PRIMA.

Sacramentum Pœnitentiæ a Christo immediate institutum est.

Probatur rationibus Theologicis.

PRIMA sic se habet : Ad illum solum spectat instituere Sacramentum Pœnitentiæ, ad quem spectat conferre gratiam sanativam, cum Sacramenta eo instituta sint fine, ut sanarent ægrotos, vel sanatos confortarent & alerent : Sed sacramentum Pœnitentiæ juxta datam definitionem institutum est ut medelam afferat ægris ; sic enim habetur Matth. 9. *Non est opus valentibus Medicus, sed male habentibus*. Ergo &c.

Secundo: Signum arbitrarium non habet virtutem nisi a Legislatore : Sed Pœnitentia est signum arbitrarium : Igitur a Christo solo immediate institui potuit. Hæc ratio est D. Thomæ hic q. 84. art. 7. ubi sic loquitur : " Forma Sacramenti, & virtus ipsius totaliter est ex institutione Christi, ex cujus passione procedit virtus Sacramentorum. Sic ergo hujus Sacramenti materia præexistit a natura ; ex naturali enim ratione homo movetur ad pœnitendum de malis quæ fecit. Sed quod hoc vel illo modo Pœnitentiam agat, est ex institutione divina : Unde & Dominus in principio prædicationis suæ indixit hominibus, ut non solum pœniterent, sed etiam pœnitentiam agerent. "

Tertia: Nomine Pœnitentiæ intelligimus Sacramentum justificationem impii, & peccatorum remissionem operans : Sed hoc a Christi omnipotentia promanat, qui ad hoc dedit Petro claves regni cælorum ut solveret quæ erant ligata : Ergo &c. D. Thomas 1. p. q. 25. art. 3. ad 3 de hoc momento sic loquitur : " Dei omnipotentia ostenditur maxime in parcendo, & miserendo, quia per hoc ostenditur Deum habere summam potestatem quod libere peccata dimittat. " Rursus hic q. 84. art. 7. " Quod pertinet ad officium Ministrorum, determinavit Christus Matth. 16. ubi dixit Petro, Tibi dabo claves regni cælorum, &c.

Quarta: Hoc ipsum de fide determinavit Concilium Tridentinum Sess. 14. c. 1. maxime vero canone 1. his verbis : *Si quis dixerit in Catholica Ecclesia Pœnitentiam non esse vere, & proprie Sacramentum a Christo Domino institutum ; anathema sit.*

Dices : Innocentius III. cap. *Utriusque sexus*, instituit Pœnitentiam, quam Nectarius abrogaverat : Igitur Pœnitentia non est de institutione divina.

Respondeo, Innocentium solum præscripsisse Pœnitentiæ frequentandæ tempus, Nectarium vero non pœnitentiam sacramentalem, sed solummodo canonicam, & publicam luctuosam rescidisse.

CONCLUSIO SECUNDA.

Sacramentum Pœnitentiæ institutum fuit a Christo post suam Resurrectionem.

Probatur ratione, eaque multiplici.

PRIMA : Ut primum aliquid in Scriptura determinatur, ulterius ejus non quærendum est principium : Atqui institutio sacramentalis Pœnitentiæ post Resurrectionem assignatur Joan. 20. his Christi verbis, *Accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Quæ quidem verba explanans Concilium Trident. sess. 14. cap. 1. ait : " Dominus autem Sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipue instituit, cum a mortuis excitatus, insufflavit in Discipulos suos dicens : Accipite Spiritum sanctum ; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. "

Altera, hæc est : Pœnitentia est tribunal in quo judicantur homines : Sed congruebat non nisi post Resurrectionem tribunal illud institui, cum Chri-

ftus quamdiu fuit passibilis, non imperare & dominari, sed potius omnibus subesse, ut suam adimpleret dispensationem, elegerit: Igitur nonnisi redemptione completa, & per sacrificium crucis consummata, Pœnitentiæ Sacramentum instituit.

Tertia: Christus Dominus nonnisi post Resurrectionem voluit prædicari Baptismum Pœnitentiæ, cum e contra & Baptismum, & Eucharistiam passioni suę præmitti voluerit: Igitur argumentum est eum Pœnitentiam solum post Resurrectionem instituisse. Hæc ratio est divi Thomæ hic q. 84. art. 7. his verbis: " Id „ quod pertinet ad officium Ministrorum, „ determinavit Matth. 16. ubi dixit Petro, Tibi dabo claves regni cœlorum „ &c. Efficaciam autem hujus Sacramenti, & originem virtutis ejus, manifestavit post Resurrectionem Lucæ ultimo, ubi dixit, quod oportet prædicari in nomine ejus pœnitentiam, & „ remissionem peccatorum in omnes gentes, præmisso de passione, & resurrectione; ex virtute enim nominis Jesu-Christi patientis, & resurgentis, „ hoc Sacramentum afficaciam habet in „ remissionem peccatorum. „

FIT SATIS OBJECTIONIBUS.

Objicies contra secundam conclusionem: Tunc Sacramentum Pœnitentiæ institutum est, quando Christus dedit Apostolis auctoritatem ad peccata remittenda: Atqui ante passionem Matth. 18. hanc contulit Discipulis potestatem his verbis: *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo*. Ergo &c.

Respondeo distinguendo minorem: Ex eo loci mentio fit solum de promissione potestatis ad remittenda peccata, concedo: de ipsa collata potestate, nego: Ex duobus maxime conjicitur Christum non Matth. 18. sed Joan. 20. facta Resurrectione, defacto dedisse Apostolis peccata remittendi potestatem. I. Ex eo quod ibi expressam faciat mentionem de Spiritu sancto, cui ut amor Patris, & Filii & charitas, competit remittere peccata. II. Tunc temporis contulit Discipulis Missionem, ut omnem orbem peragrarent, docerent gentes, & remittere peccata. Igitur nonnisi post Resurrectionem Sacramentum Pœnitentiæ institutum est.

Instabis: Vel ipse Christus ante passionem, immo ante Baptismum instituit Pęnitentiam: Ergo &c. Probatur antecedens. Illam prædicat Matt. 4. his verbis: *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim Regnum cœlorum*: Ergo &c.

Respondeo negando antecedens. Ad probationem distinguo: Christus ante Baptismum prædicavit pœnitentiam virtutem, concedo: sacramentalem, nego. Sic respondet D. Thomas ad argumentum, ibidem ad 3. his verbis: "Dicendum, quod „ si quis recte consideret ea, quæ Dominus dixit de necessitate Baptismi „ Joan. 3. tempore præcesserunt, ea, „ quæ dixit Matth. 4. de necessitate Pęnitentiæ. Nam id quod dixit Nicodemo de Baptismo, fuit ante incarcerationem Joannis, de quo postea subditur, quod baptizabat: illud vero quod „ de Pœnitentia dixit Matt. 4. fuit post „ incarcerationem Joannis: Si tamen prius „ ad pœnitentiam induxisset quam ad Baptismum, hoc ideo esset, quia etiam „ ante Baptismum requiritur quędam pęnitentia, sicut & Petrus dicit Act. 2. „ Pęnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum. „

Urgebis: Christus suscepit Sacramenta quæ instituit: Atqui neque ante, neque post Resurrectionem Pœnitentiæ sacramento usus est: Ergo &c.

Respondeo distinguendo majorem: Aliqua concedo: omnia, nego. Et concessa minore, distinguo consequens: Non instituit Sacramentum Pęnitentię pro seipso, quandoquidem erat impeccabilis, concedo: pro aliis, nego. Sic colligitur ex D. Thoma ibidem ad 4. ubi dicit Christum non suscepisse Baptismum quem ipse instituerat, cum nemo seipsum baptizare possit, sed Baptismum Joannis. Neque vero potuit propter suam impeccabilitatem Pęnitentiæ sacramento subjici: Subdit vero S. Th. & concludit Christum solam sumpsisse Eucharistiam: " Sacramentum autem Eucharistiæ, *inquit*, & „ ipse sumpsit, & aliis dedit; tum ad commendandam excellentiam hujus Sacra- „ men-

„ menti: tum, quia hoc Sacramentum „ est memoriale suæ Passionis in quâ „ Christus est Sacerdos, & hostia. „

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Christus ipse instituit Pœnitentiæ Sacramentum; & hoc, post Resurrectionem.

PRIMUM est de fide definitum in Concilio Tridentino Sess. 14. cap. 1. Ratio duplex assignatur. Prima, sic habetur expresse Joan. 20. Altera, quia ad solum Deum spectat dare gratiam, adeoque & instituere Sacramenta, quæ sunt ejus causæ productivæ.

Alterum, utique claret ex illis Christi verbis ad Apostolos post Resurrectionem directis Joannis 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, &c.* Ratio convenientiæ ea est, quod Pœnitentia sit tribunal, in quo quidem suprema exercetur potestas ad ligandum, vel solvendum peccatorem; Christus vero ante passionem, nonnisi per omnia humilis apparere voluit: Ergo &c.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Tametsi Christus ante passionem Matt. 18. sermonem de Pœnitentia sacramentali instituat, certum est tamen hunc nonnisi promissionem potestatis ad remittenda peccata spirare, cum illam expresse, & de facto Joan. 20. conferat. Porro supervacaneum foret aliquid, quod jam datum est, ritu solemni iterum instituere.

Secundo: Neque negamus Matt. 4. sermonem haberi de Pœnitentia, sed tantum de Pœnitentia virtute, & non sacramentali.

Tertio: Non opus fuit Christum omnia Sacramenta, quæ instituit, recipere, maxime pœnitentiam, cujus erat incapax.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Pœnitentia secundum se sumpta.

CIRCA Pœnitentiam secundum se sumptam duo examinanda veniunt; Primum quidem an sit necessaria ad remissionem peccatorum. Secundum, quænam sint ejus partes?

SECTIO PRIMA.

An Pœnitentia sit necessaria ad remissionem peccatorum?

ANIMADVERTENDUM est Sacramentum Pœnitentiæ duobus modis suscipi posse; in re videlicet, & in voto: In re autem suscipitur, quando quis peccata deponit, quum de eis conteritur, & beneficium absolutionis percipit; ille vero recipit istud Sacramentum in voto, cum habet desiderium confitendi; sed quia caret Ministro, in animum revocat peccata, de eis dolet, & spondet Deo, prima occasione data, sese ea Confessario depositurum: hoc supposito

Prænotandum est etiam aliquid posse necessarium esse duplici modo, videlicet necessitate medii, & necessitate præcepti: Illud dicitur necessarium necessitate medii, quo secluso, nihil fit; sic amotis pedibus, homo gradiri non valet; necessitate vero præcepti, cum finis absolute loquendo haberi potest, prætermisso medio, sed urgente præcepto tali medio utendum est. Christianus v. g. potest absolute salvari per fidem, per Sacramenta & similia religionis exercitia, non tamen semper requiritur ut audiat Missam.

CONCLUSIO.

Sacramentum Pœnitentiæ in re, vel in voto est necessarium necessitate medii ad delenda peccata post Baptismum commissa.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo, ex Scripturis.

HANC veritatem non unum Scripturæ testi-

testimonium annuntiat, maxime vero ea omnia quæ necessitatem pœnitentiæ ad remissionem peccatorum subindigitant. Sic Ezechielis 18. habetur: *Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis .... vita vivet, & non morietur. Projicite a vobis omnes iniquitates vestras, in quibus prævaricati estis, & facite vobis cor novum: & spiritum novum*. Iterum Eccli. c. 2. *Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini, & non in manus hominum*. Tum Joel c. 2. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, & in fletu, & in planctu, & scindite corda vestra, & non vestimenta vestra, & convertimini ad Dominum*. Ergo &c.

Idem probant ista novi Testamenti oracula Lucæ c. 13. *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis*. Act. c. 3. *Pœnitemini igitur, & convertimini, ut deleantur peccata vestra*. Expressius, illa B. Pauli ad Roman. c. 2. verba. *Ignoras quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis justi judicii Dei*.

Neque vero prætereunda est ista Joannis sententia, quæ habetur Apoc. cap. 2. *Memor esto unde excideris: & age Pœnitentiam, & prima opera fac; sin autem, venio tibi, & movebo candelabrum de loco suo, nisi Pœnitentiam egeris*: Ergo &c.

Pœnitentiæ necessitatem, quatenus est Sacramentum, non levius declarant ea Scripturæ loca quæ probant illam habere veram rationem Sacramenti; scilicet Matt. c. 18. *Quæcumque solveritis* &c. Joan. 20. *Quorum remiseritis &c*. Sed sine remissione peccatorum, quæ fit Sacerdotis ministerio, homo suam non potest consequi salutem: Igitur Sacramentum Pœnitentiæ est necessarium ad remissionem peccatorum.

Confirmatur: Christus Dominus potestatem remittendi peccata Apostolis, & eorum in Sacerdotio successoribus incassum non contulit: Atqui tamen hoc frustraneum apparet, si aliis mediis fieret remissio peccatorum. Ergo &c. Hanc egregiam, auctoritate Scripturæ sacræ innixam rationem si explicat sanctus Leo Epist. 97. ad Theodorum, & habetur de Pœnitentia dist. 1. Ex ea autem colligit sacramenti Pœnitentiæ necessitatem his verbis: " Multiplex misericordia „ Dei, ita lapsibus subvenit humanis, ut „ non solum per Baptismi gratiam, sed „ etiam per Pœnitentiæ medicinam, „ spes vitæ repararetur æternæ; ut qui „ regenerationis donum violassent, pro- „ prio se judicio condemnantes, ad re- „ missionem criminum pervenirent; sic „ divinæ bonitatis præsidiis ordinatis, ut „ indulgentia Dei nisi supplicationibus „ Sacerdotum nequeat obtineri; media- „ tor enim Dei, & hominum homo Chri- „ stus Jesus hanc Præpositis Ecclesiæ tra- „ didit potestatem, ut confitentibus a- „ ctum Pœnitentiæ darent, & eosdem „ salubri satisfactione purgatos ad com- „ munionem Sacramentorum per januam „ reconciliationis admitterent. „

Non absimili modo eamdem interpretatur Scripturam S. Augustinus Homilia 49. inter quinquaginta: " Agite, *inquit*, „ Pœnitentiam, qualis agitur in Ecclesia, „ ut oret pro vobis Ecclesia. Nemo sibi „ dicat, Occulte ago, apud Deum ago. „ Novit Deus, qui mihi ignoscat; quia „ in corde meo ago: Ergo sine causa di- „ ctum est: Quæ solveritis in terra, so- „ luta erunt in cœlo? Sine causa sunt „ claves datæ Ecclesiæ Dei? Frustramus „ Evangelium? Frustramus verba Chri- „ sti? Promittimus vobis quod ille ne- „ gat? „

Secundo ex sanctis Patribus.

PRIMUS qui Pœnitentiæ necessitatem firmat, nobis occurrit Cyprianus Lib. de lapsis, ubi sic habet: " Confiteantur sin- „ guli, quæso vos, Fratres dilectissimi, „ delictum suum .... Convertantur ad „ Dominum mente tota, & Peniten- „ tiam criminis veris doloribus exprimen- „ tes, Dei misericordiam deprecemur. „

Alter est sanctus Ambrosius, qui Lib. in Lucam c. 15. Pœnitentiam uti ad salutem necessariam non obscure prædicat, his verbis: " Scio quosdam dicere, quod „ ad mortem sibi lavacri gratiam vel „ Pœnitentiam referrent, utique Peni- „ tentiæ nomine reconciliationis Sacra- „ mentum intelligi volens. „ Tum subdit: " Qui scis an nocte proxima, tua a „ te anima non reposcatur? „

his

His Doctoribus se se adjungit D. Augustinus Lib. 1. de adulterinis conjugiis cap. ultimo, ubi de Sacramento in periculo mortis administrando loquens, *ait*, " Quæ autem Baptismatis, eadem reconciliationis est causa, si forte pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupaverit, nec ipsos enim ex hac vita sine arrha suæ pacis exire velle debet mater Ecclesia. " Rursus & clarius Epist. 180. ad Honoratum; cum enim, de periculo mortis ex eruptione Hostium salutis imminente loquens, dixisset, in tali temporis puncto alios Baptismum, alios vero reconciliationem, seu Pœnitentiam flagitare, hæc subjicit: " Ubi si Ministri desint, quantum exitium sequitur eos, qui de isto sæculo, vel non regenerati exeunt, vel ligati? quantus est etiam luctus suorum fidelium, qui eos secum, in vitæ æternæ requie non babebunt. " Eo loci expresse docet Pœnitentiam paris esse lapso cum Baptismo necessitatis

Non omittendum pro ista veritate astruenda Sixti IV. Decretum, quo illas Petri Oxomiensis proscripsit propositiones: Primam istam, *Peccata mortalia quantum ad culpam, & pœnam alterius sæculi delentur per solam cordis contritionem sine ordine ad claves*; alteram hanc: *Prava cogitationes, sola displicentia delentur sine ordine ad claves*.

Hoc dogma Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 2. propugnat: " Sacramentum Pœnitentiæ lapsis post Baptismum est necessarium, ut nondum regeneratis ipse Baptismus. " Rursus c. 4. Docet præterea *sancta Synodus*, Etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum *Pœnitentiæ*, actu suscipiatur: ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni, sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam. "

Tertio, ratione.

Prima hæc est: Ex sanctis Patribus Pœnitentia est secunda post naufragium tabula: Sed contingente naufragio, seclusa tabula tunc occurrente, actum est de vita: Igitur & de salute, omissa pœnitentia.

Secunda: Requiritur ad salutem ut peccator Deo reconcilietur: Sed ad istam reconciliationem exigitur, ut inimicus de peccatis doleat. Ergo &c.

Tertia: Nisi motetur peccator, non justificatur, sed manet a Deo abjectus: Atqui ad hoc, opus est pœnitentia: Et probatur. Peccatum in duobus potissimum consistit, videlicet in aversione a Deo, & in conversione ad creaturam: sic enim Deus loquitur Jer. 2. *Duo enim mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ vivæ & foderunt sibi ... cisternas dissipatas*: Per Pœnitentiam vero peccator avertitur a creatura, & se convertit ad Creatorem. Ergo &c.

Solvuntur Objectiones heterodoxorum

OBJICIUNT: Multa Scripturæ sacræ testimonia indicant, ad veniam & salutem sufficere sinceram conversionem peccatoris ad Deum cum peccati detestatione: Ergo Pœnitentia ut Sacramentum, necessaria non est ad remissionem peccatorum: Probatur Antecedens Psal. 50. habetur: *Cor contritum, & humiliatum, Deus non despicies*, Isaiæ 30. juxta versionem septuaginta Interpretum: *Cum conversus ingemueris, salvus eris*. Ezechielis 18. *Si autem impius egerit Pœnitentiam ab omnibus peccatis suis ... vita vivet, & non morietur: omnium iniquitatum ejus, quas operatus est non recordabor*. Rursus ibidem: *Convertimini, & agite Pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris: & non erit vobis in ruinam iniquitas*. Quæ quidem oracula, non minori virtute pollent in nova lege quam in antiqua. Quid plura commemorem? Matthæi cap. 18. habetur, *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum*. Lucæ 2. *Pax hominibus bonæ voluntatis*, Jacobi 5. *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte*. Ex his & similibus locis sequitur pœnitentiæ Sacramentum, non esse ad obtinendam remissionem peccatorum necessarium.

Respondeo I. Retorquendo argumentum. Si conversio cordis ad Deum tolleret necessitatem sacramenti Pœnitentiæ; inde etiam sequeretur Fa,tismum

non esse absolute ad salutem necessarium, cum Scriptura non alio modo loquatur de illo ac de Pœnitentiæ sacramento. Quis autem cordatus præter hæreticum hominem hæc dixerit?

Respondeo II. Distinguendo: Contritio delet peccata, si aliæ partes accedant, videlicet confessio, & absolutio Sacerdotalis, concedo: Si desint, subdistinguo: & supponit votum sese submittendi clavibus Ecclesiæ, concedo: Et non supponit, nego. Sic declaravit Concilium Tridentinum Sess. 14. cap. 4.

Instant: Sacræ Scripturæ operibus misericordiæ non semel tribuunt peccatorum remissionem: Ergo &c. Probatur de eleemosyna. Tobiæ 12. hæc habentur, *A morte liberat, & ipsa est quæ purgat peccata*. Prov. 15. legitur, *Per misericordiam, & fidem purgantur peccata*: Eccli. c. 3. *Ignem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis*, Lucæ c. 11. *Date eleemosynam: ecce omnia munda sunt vobis*. Concinnnt multi Patres, scilicet Cyprianus Tract. de eleemosyna, Augustinus Enchirid. c. 70. &c.

Respondeo distinguendo: Et illa bona opera sunt media quædam ad obtinendam remissionem peccatorum accommodatissima, concedo: & illa ex se conferunt sine sacramento Pœnitentiæ remissionem peccatorum, nego. Congruit quidem, ut qui misericordiam a Deo vult consequi, ipse prius proximo misericordiam exhibeat, juxta illud Matth. 5. *Beati misericordes: quoniam ipsi misericordiam consequentur*. Valent etiam hujusmodi opera ad remissionem, idest ad pœnam peccatis debitam per modum satisfactionis exolvendam; verum satisfactio tametsi Pœnitentiæ pars integrans, seclusis tamen confessione, contritione & absolutione, justificationem impii non operatur.

Urgent: Atqui bona opera, omissis confessione, contritione & absolutione, peccata remittunt: Ergo &c. Probatur subsumptum ex S. Augustino, qui tribuit orationi Dominicæ vim remittendi peccata: sic loquitur Enchiridio ad Laurentium cap. 70. pag. 77. " Delet omnino hæc oratio minima, " & quotidiana peccata. Delet & illa a quibus vita fidelium scelerate etiam gesta, sed pœnitendo in melius " mutata discedit. " Quæ verba consonant in ista Evangelii Matt. 6. *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester cœlestis delicta vestra*.

Respondeo negando subsumptum propter rationes allatas. Ad probationem distinguo: Oratio Dominica valet ad obtinendam remissionem peccatorum, per modum causæ impetratoriæ, concedo: Per se primario & directe, nego. Condonatio quidem injuriæ sibi a proximo illatæ inclinat Deum ad hoc, ut remittat delicta; verum non ita impetrat aliquis remissionem peccatorum, ut alia remedia excludantur, maxime Sacramentum, ejusque partes, quibus claves Ecclesiæ a peccatis solvunt eos qui reatu & culpæ & pœnæ ligantur.

Insistunt: Christus mulieri peccatrici adulteræ, ut habetur Joan. c. 8. dimisit peccata sine Sacramento pœnitentiæ: Ergo &c.

Respondeo, Tunc Pœnitentiæ sacramentum non fuisse institutum; nemini ergo mirum videri debet, si illo prætermisso, mulier peccatrix peccatorum veniam obtinuerit; sed dato & non concesso quod tunc fuerit institutum, potuit tamen Christus per potestatem excellentiæ quam habuit circa Sacramenta, effectum pœnitentiæ sine sacramento producere, præsertim vero cum illa peccatrix vere pœnitens foret.

Persistunt: Christus teste Apostolo Heb. 10. *Una.... oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos*; sacrificii vero cruenti infinitum valorem præcontinentis meritum nobis per incruentum applicatur ad veniam. Igitur inutile est ad hoc pœnitentiæ Sacramentum.

Respondeo distinguendo: Sacrificii cruenti valor est infinitus, & nobis applicatur per Sacramenta rite suscepta, concedo: Secus, nego. Sacrificium cruentum sicut & incruentum non evacuant Sacramenta, quippe quæ sint fontes quibus perenni fluxu veluti etiam per canales aquæ salutares gratiæ fluunt ad remissionem peccatorum; hinc vel ipsa Eucharistia est simul sacrificium & Sacramentum.

Reponunt: S. Petrus act. 8. Simonem Magum gravissimi criminis reum non remisit ad aliquod Ecclesiæ Sacramentum, sed tantum ei dixit, *Pœni-*

tem-

Nitiam itaque age ab hac nequitia tua: Ergo &c.

Respondeo distinguendo: Et hęc pœnitentia ad quam S. Petrus hortatur Simonem Magum non excludit sacramenti Pœnitentiæ necessitatem, concedo: & excludit, nego: Sicut ergo pœnitentia ad quam stimulabant Apostoli eos, qui nondum erant baptizati, non excludebat Baptismi necessitatem; ita nec sacramenti Pœnitentiæ susceptionem: Immo per hoc quod addit Petrus, *si forte remittatur tibi &c.* denotat Pœnitentiæ sacramentum; ostendit quippe difficiliori modo remissionem relapsis concedi quam nondum baptizatis; quod intelligens Simon Magus, hæc ad discipulos ajebat, *Precamini vos pro me ad Dominum*; ut enim ait, S. Leo Epist. 9. " Ab iis qui regeneratio„ nis donum violarunt, indulgentia Dei, „ nisi supplicationibus Sacerdotum ne„ quit obtineri. „ Nomine autem supplicationum, ipsam quoque Sacerdotalem absolutionem comprehendi, citra dubium est.

Replicant: Fides aliena, & oratio interdum impetrant homini remissionem peccatorum; Deus enim ad fidem eorum qui deferebant paralyticum ait illi Matth. 9. *Dimittuntur tibi peccata tua*. Similiter Jacobi cap. ultimo, *Orate pro invicem ut salvemini*. Ipse Simon Magus ab Apostolis efflagitavit, ut pro ipso deprecarentur Deum, ad hoc ut peccatum a se perpetratum ei Deus condonare dignaretur. Hinc D. Augustinus in Psal. 91. de Genethliaco loquens, ait: " Orate pro illo, „ scimus enim, & certi sumus, quia ora„ tio vestra delet omnes impietates ejus. „ Ergo &c.

Respondeo distinguendo: Fides, & oratio aliena valent ad obtinendam pro aliis remissionem peccatorum dispositive, concedo: Per se & effective, nego: Equidem Deus flectitur oratione justorum, id est fit magis propensus ad audiendos peccatores; sed illi ex parte sua debent legitimas afferre dispositiones, quibus seclusis, nunquam remissionem peccatorum obtinebunt. Ceterum controversia præsens non movetur de impetratione gratię, sed de sacramento, quo prætermisso vel ipse justus pro peccatore deprecans, nihil obtinebit. Quid igitur orat? Ut Deus concedat impio gratiam, qua adjutus doleat de peccatis, eaque Sacerdoti confiteatur ut absolvatur.

Instant Lex gratię nihil virtuti Pœnitentiæ adimit: Sed ante Christum, Pœnitentia virtus ad consequendam veniam peccatorum sufficiebat: Sufficit igitur & nunc absque Sacramenti ope.

Respondeo distinguendo minorem: Et difficilius erat tempore Legis quam tempore gratiæ tali pœnitere modo, ad promerendam peccatorum indulgentiam, concedo; & par erat facilitas, nego. Amor perfectus ad justificationem requirebatur in veteri Lege, quem quidem habere laboriosum erat, nunc vero imperfectus & initialis cum Sacramento sufficit. Ex quo sequitur jugum Christi esse admodum suave.

Persistunt: Actus charitatis Dei super omnia sufficit ad justificationem impii, Igitur inutile est Pœnitentiæ sacramentum. Probatur antecedens: 1. Petr. 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum*. Ergo &c.

Respondeo distinguendo: Charitas operit multitudinem peccatorum dispositive, concedo: Effective, subdistinguo: si votum sacramenti Pœnitentiæ includat, concedo; sic Martyrium ea ratione delet peccata: Secluso hujusmodi voto, nego.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Sacramentum Pœnitentię in re vel in voto est necessarium necessitate medii ad salutem.

Primo: Hoc declaratur Luc. 13. his verbis, *Si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis*.

Secundo: Ita docet sacra Synodus Tridentina Sess. 14. cap. 4. ista gloriosus Patrum cœtus. In primis Ambrosius Lib in Luc. cap. 15. Augustinus L. 1. de adult. conjug. cap. ult.

Tertio: Peccator salvari nequit, nisi Deo reconcilietur. Sed hoc fit per pœnitentiam. Ergo &c.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET SOLUTIONUM.

PRIMO : Cum sacræ Scripturæ bonis operibus tribuunt salutem, non excludunt pœnitentiam, sed potius ea vel ut gradus ad eam, vel ut ejusdem signa demonstrativa habent, & prædicant.

Secundo: Ne miremini, si Christus Dominus, absque pœnitentiæ Sacramento Magdalenam peccatricem absolverit; nondum enim illud Sacramentum instituerat: immo ratione potentiæ excellentiæ potuit, omisso Sacramento, remittere peccata.

Tertio: Neque vero plus urget argumentum desumptum ex S. Petro, qui Act. 8. Simoni mago non injunxit Pœnitentiæ sacramentum suscipere, sed eum dimittendo, ei dumtaxat dixit: *Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua*: Quandoquidem ei injungebat pœnitentiæ virtutem, ut dispositionem ad Sacramentum.

SECTIO SECUNDA.

Quænam sint Sacramenti Pœnitentiæ partes?

DUO hic inquiruntur; primum quid essentiam hujus sacramenti constituat: Secundum, quænam sint ipsius partes materiales; circa utramque quæstionem dissident ab Ecclesia hæretici; & inter se pariter nonnihil Theologi.

Errores.

A mente Ecclesiæ, quæ nedum absolutionem, sed & actus pœnitentis vult esse partes Pœnitentiæ; quæque affirmat contritionem, & confessionem de ipsius essentia esse, satisfactionem vero de integritate, secedunt hæretici. Lutherus satisfactionem non esse de jure divino asserit, quin immo, velut quid Scripturæ contrarium abnegat; puta contritionem & satisfactionem. Sic loquitur in refutanda Lovaniensium propositione 17. *Pœnitentia a Lovaniensium Synagoga tradita, scilicet quod sit contritio, confessio, & satisfactio, est nulla, nisi Judæ proditoris, & similium*, ideo ut hæretica est damnanda: Tum in articulis Smalchaldicis capite de Pœnitentia, duas partes Pœnitentiæ omissis essentialibus, esse docet, legem scilicet & Evangelium: Hoc est contritionem ex minis Legis, & fidem ex Evangelii promissis conceptam. Philippus Melancton in locis com. Tit. de Pœnitentia duas Pœnitentiæ partes vocat, mortificationem, & vivificationem. Ita pariter Centuriatores Magdeburgenses centuria 1. l. 2. c. 4.

Calvinus l. 3. Inst. c. 3. §. 8. agnoscit utique mortificationem, & vivificationem pro partibus Pœnitentiæ; sed modo a Lutheranis diverso: Namque per mortificationem, non intelligit terrores incussos, sed mortificationem vitiorum, seu abnegationem sui; hinc tota vita Pœnitentiam esse peragendam affirmat; nomine vero vivificationis; non fidem, vel fiduciam, aut consolationem ex Evangelio conceptam, sed pium bene vivendi studium intelligendum esse autumat. Subscribit Theodorus Beza in Libro cujus titulus, *Abstersio calumniarum Tilmanni Heshusii*, responsione ad quartam calumniam.

Opiniones Theologorum.

Scotus in 5. Sent. dist. 14. q. 4. censet totam essentiam sacramenti Pœnitentiæ consistere in sola absolutione Sacerdotis, contritionem vero, confessionem, & satisfactionem non esse partes illius, seu materiam proximam, sed tantum quædam præambula; unde quando dicuntur partes, id intelligit non simpliciter, & absolute, sed improprie, & secundum quid.

Durandus in 4. Sent. dist. 14. q. 1. asservit solam pœnitentis confessionem, esse partem essentialem sacramenti Pœnitentiæ, contritionem vero minime; e contra vero Paludanus in 4. dist. 16. q. 4. docet contritionem, confessionem, & satisfactionem esse partes essentiales sacramenti Pœnitentiæ.

Hi omnes excusandi sunt, quippe qui floruerint ante Concilium Florentinum, & Tridentinum, in quibus, re accuratius discussa, contrarium definitum est. Ut dilucide quid in hac opinionum varie-

rietate tenendum sit aperiamus, juvat pluribus mentem nostram aperire conclusionibus: quare sit

CONCLUSIO PRIMA.

Sacramentum Pœnitentiæ intrinsece componitur ex actibus pœnitentis, tamquam materia: ex absolutione vero Sacerdotali tamquam forma.

Probatur multis momentis.

Primo, ex Conciliis.

TRIDENTINUM Seff. 14. capite 3. docet formam Sacramenti Pœnitentiæ esse verba illa, *Ego te absolvo &c.* Actus vero pœnitentis, esse quasi materiam: subdit vero tam absolutionem, quam actus pœnitentis ad integritatem Sacramenti pertinere. Unde sic argumentor: Si sola absolutio perficeret sacramentum Pęnitentiæ, non distinxisset Concilium materiam a forma; nec pronunciasset actus Pœnitentis non minus requiri ad integritatem Sacramenti, quam absolutionem: Atqui tamen sic distinxit, & definivit: Igitur actus pœnitentis habent rationem materiæ sacramenti Pœnitentiæ.

Concilium Florentinum in decreto pro Instructione Armenorum, ipsam pœnitentiam vocat Sacramentum, ejusque partes actus pœnitentis; formam vero illa verba Sacerdotis: *Ego te absolvo &c.* esse affirmat: Ergo &c. Tum omnia Sacramenta tribus perfici, scilicet materia, forma, & intentione Ministri dicit. Igitur Sacramentum pœnitentiæ non sola absolutione, sed contritione simul & confessione constare tenendum est.

Expressius Tridentinum Seff. 14. c. 3. his verbis: " Docet præterea sancta Synodus, sacramenti Pœnitentiæ formam, in qua præcipue ipsius vis sita est, in illis Ministri verbis positam esse: Ego te absolvo &c. quibus quidem de Ecclesię sanctæ more preces quædam laudabiliter adjunguntur: ad ipsius tamen formæ essentiam nequaquam spectant, neque ad ipsius Sacramenti administrationem sunt necessarię. Sunt autem quasi materia hujus Sacramenti, ipsius pœnitentis actus, nempe contritio, confessio & satisfactio. Qui quatenus in pęnitente ad integritatem sacramenti, ad plenamque & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione pœnitentiæ partes dicuntur. "

Secundo, Ratione.

PRIMO QUIDEM: Certum est, quod confessio, & dolor internus intrinsece ad constitutionem hujus Sacramenti pertineant: Etenim si se haberent tantum velut meræ dispositiones, inde sequeretur illum qui, illis omissis, absolutionem perciperet, vere esse absolutum, eo non absimili modo quo qui sine dispositionibus abluitur in Baptismate, vere tamen est baptizatus: Atqui falsum est per solam absolutionem, seclusis dolore, & accusatione, remitti peccata: Ergo &c.

Secundo: Illi actus ad remissionem peccatorum obtinendam concurrunt, quos ad hunc effectum exigit Scriptura: Atqui res sic se habet. Legitur enim Isai. 30. *Cum conversus ingemueris, salvus eris*: Rursus 1. Joan. 1. *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est Deus, & justus ut remittat nobis peccata, & emundet nos ab omni iniquitate.*

Tertio: Pęnitentia vocatur a sanctis Patribus mutatio dexteræ excelsi, scilicet gratiæ prævenientis, & adjuvantis, quæ cor immutat, seu etiam hominis interior innovatio: Sed hæc non sine contritione, & confessione operatur Sacramentum; contritione quidem, qua pœnitens relicta creatura, ad Creatorem convertitur; accusatione vero, qua Deus confitentem reum habens, exaltatur. Ergo &c.

Quod satisfactio constitutionem hujus sacramenti etiam spectet, sic evincitur: Omne compositum constat intrinsece non tantum partibus essentialibus, sed & integralibus: Atqui Concilium Tridentinum Seff. 14. c. 3. determinavit satisfactionem esse partem integrantem Sacramenti, quandoquidem est juris divini Læsi vindicta, seu ultio, quæ dubio procul sine satisfactione non fit. Ergo &c.

De-

Demum absolutionem esse partem intrinsecam, & essentialem huic sacramento, sic demonstratur: Omne judicium intrinsece constat ex criminis accusatione, & ex sententia Judicis: Sed Pœnitentia est verum judicium, in quo pœnitens accusator sui, absolvitur. Ergo &c.

CONCLUSIO SECUNDA.

Terror incussus a lege, aut fides, vel omnia bona opera post justificationem, ut mortificatio, & vivificatio in sensu Calvini, non sunt partes essentiales sacramenti Pœnitentiæ, tametsi fides ad eam operandam prærequiratur.

Probatur argumentis auctoritate & ratione fulfultis.

Primo: Timor a Lege impressus non est pars Pœnitentiæ sacramentalis essentialis, nam divus Paulus 2. Corinth. c. 7. distinguit terrores a Pœnitentia his verbis, *Quæ enim secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur*, Nomine tristitiæ eo loci intelligit Apostolus timorem natum ex objurgatione quam fecerat Corinthiis; quæque si benigne accipiatur parit pœnitentiam, quod ipse innuit ibidem, his verbis: *Gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam*; id est ut interpretatur D. Chrysostomus, "non gaudeo de tristitia, sed gaudeo de fructu qui est pœnitentia, in quantum hujusmodi terrores pœnitentiam operati sunt in vobis. Igitur pœnitentia non est terror incussus ex minis, sed potius fructus ejus; ut dicit Concilium Tridentinum Sess. 6. c. 6. "Disponuntur autem ad ipsam Justitiam... „ dum peccatores se esse intelligentes a „ divinæ justitiæ timore, qua utiliter „ concutiuntur, ad considerandam Dei „ misericordiam se convertendo in spem „ eriguntur, fidentes Deum sibi propter „ Christum propitium fore, illumque „ tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt: ac propterea moven„ tur adversus peccata per odium ali„ quod, & detestationem, hoc est per „ eam pœnitentiam quam ante Bapti„ smum agi oportet. „

Confirmatur: Terrores in eis reperiuntur qui pœnitentiam nullam agunt, ac ne quidem inchoant. *Dæmones*, inquit D. Jacobus c. 2. *credunt & contremiscunt*: Quidam etiam nullo pœnæ timore, sed solo Dei, & justitiæ amore impulsi pœnitentiam agunt: Talis fuit mulier peccatrix, de qua Dominus dicit Luc. 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.*

Secundo: Neque vero fides in sensu Heterodoxorum usurpata dicenda est pars essentialis Sacramento; quamvis ad illud eliciendum necessaria sit; siquidem vel ipsam antecedit pœnitentiam: Et probatur: Jonæ c. 3. de Ninivitis dicitur: *Crediderunt viri Ninivitæ in Dominum, & prædicaverunt jejunium, & vestiti sunt saccis*. Huic accedit, quod nullus pœnitentiam peragere possit, nisi prius credat vera esse quæ Deus, tum peccatoribus comminatur, tum pœnitentibus pollicetur: Ergo &c.

Rursus idem sic probatur. Si fides esset par pœnitentiæ, cum sancti Patres pœnitentiam definiunt, fidem commemorarent: Sed vix unum reperies qui illam appellet; sanctus enim Gregorius Homilia 34. pœnitentiam ita definit: " Pœni„ tentia est, præterita peccata plangere, „ & plangenda non admittere. „ Ambrosius in præfatione orationis in Psal. 307. *ait*: " Plena est definitio Pœnitentiæ, commemoratio delictorum, ut „ unusquisque peccata sua, velut quodam „ quotidiani sermonis castiget flagello, „ & commissa sibi flagella condemnet. „

Tertio: Nec etiam omnia bona opera quæ post justificationem fiunt inter partes Pœnitentiæ sunt numeranda. Enim vero, licet propositum bene vivendi ad pœnitentiam pertineat, & opera satisfactoria eam spectent; non tamen omne opus bonum est pars Pœnitentiæ; nulla quippe fiunt a justificatis sine relatione ad peccata præterita, ea scilicet quæ procedunt ex charitate in Deum, & misericordia erga proximum: similiter & illa quæ ex justitia & temperantia procedunt. Ergo &c.

Quarto demum, mortificatio, & vivificatio in sensu Calvini non sunt partes Pœnitentiæ, quod sic ostenditur. Abnegatio sui, & pius vivendi affectus sunt actus qui in reconciliatione inchoati, toto vitæ decursu

cursu perficiuntur, sicque ad justificationem consequuntur: Sed Pœnitentia ipsa justificatione prior est, juxta illud Jerem. c. 18. *Si pœnitentiam egerit gens illa a malo.... agam & ego pœnitentiam* Rursus Act. 2. *Petrus vero ad illos: Pœnitentiam*, inquit, *agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum: & accipietis donum Spiritus sancti*. Ergo &c.

Confirmatur: Pœnitentia non est nisi pro peccatoribus: Sed mortificatio, & vivificatio sicut peccatores, sic & justos spectant. Ergo &c.

CONCLUSIO TERTIA.

Peccatum mortale post Baptismum commissum est materia remota, eaque necessaria sacramenti Pœnitentiæ; peccatum vero veniale materia sufficiens.

Probatur rationibus Theologicis.

Prima: Illud est materia remota eaque necessaria sacramenti Pœnitentiæ, ad quod destruendum Pœnitentia principaliter instituta est: Sed ad tollendum peccatum mortale sacramentum Pœnitentiæ fuit primario & principaliter institutum: Et probatur. Joan. 20. hæc leguntur: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. Ergo &c.

Hanc doctrinam tradit Concilium Tridentinum Sess. 14. cap. 1. " Fuit quidem, *ait*, Pœnitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam & justitiam assequendam necessaria, illis etiam qui Baptismi sacramento ablui petivissent, & perversitate abjecta, & emendata, tantam Dei offensionem, cum peccati odio, & pio animi dolore detestarentur. " Tum c. 5. " Dominus noster Jesus Christus e terris ascensurus ad celos, Sacerdotes sui ipsius Vicarios reliquit, tamquam Præsides, & Judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur; in quæ Christi fideles ceciderint: quo pro potestate clavium remissionis, aut retentionis peccatorum sententiam pronuntient. " Hinc can. 7. sic definit: *Si quis dixerit in sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino confiteri omnia, & singula peccata mortalia .... aut denuum, non licere confiteri peccata venialia; anathema sit*.

Secunda: Peccata mortalia sunt proprie dicta vincula, quibus homo prævaricator alligatur, & pro quibus pœna gravissima, scilicet æterna infligitur: Igitur cum claves habeant pro primario objecto ligata solvere; dicendum est peccatum mortale esse materiam remotam, eamque necessariam sacramenti Pœnitentiæ.

Tertia ratio sic procedit: Est de fide peccatum detestandum & remittendum, esse Pœnitentiæ objectum, seu materia circa quam operatur: Sed solum peccatum mortale est illa materia necessaria, minime vero veniale, cum nec gratia privet, nec ipsum charitatis habitum deleat. Ergo &c.

Quod spectat ad secundam conclusionis partem, scilicet peccata venialia esse materiam sufficientem Pœnitentiæ; hoc probatur argumento. Quidquid habet rationem offensæ Dei, & propria voluntate hominis committitur, illud est materia remota saltem sufficiens sacramenti Pœnitentiæ; Christus enim universaliter sic pronuntiat: *Quorum remiseritis peccata*, &c. Sed quodlibet peccatum veniale est offensa Dei. Ergo &c.

Probatur iterum ista pars conclusionis, videlicet quod peccatum veniale sit materia sufficiens sacramenti Pœnitentiæ. Quidquid habet rationem offensæ Dei, illud est materia sufficiens laudati sacramenti: Atqui tale est peccatum veniale; & probatur: I. Est charitatis & amoris Dei refrigerium, adeoque non sine contemptu committitur. II. Deo displicet, & illud detestatur; habetur enim Apoc. 2. de Episcopo justo, sed tepido: *Charitatem tuam primam reliquisti: memor esto itaque unde excideris, & age pœnitentiam*. IV. Igne punitur in purgatorio peccatum veniale, juxta illud 1. Cor. 3. de eo qui in ejusmodi peccatum prolabitur: *Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem*: Ergo &c.

CON-

CONCLUSIO QUARTA.

Contritio & Confessio sunt partes essentiales Sacramenti Pœnitentiæ, satisfactio vero pars integralis.

Probatur auctoritate, & ratione.

Primo, ex Sacris Scripturis.

CONTRITIONEM ad Pœnitentiam essentialiter pertinere colligitur, I. Ex his quæ leguntur Deut. c. 4. *Cumque quæsieris ibi Dominum Deum tuum, invenies eum: si tamen toto corde quæsieris, & tota tribulatione animæ tuæ.* Joel c. 2. *Scindite corda vestra.* De Confessione legitur Matthæi c. 3. *Baptizabantur ab eo in Jordane, confitentes peccata sua.* Rursus Act. c. 19. *Multique credentium veniebant confitentes, & annuntiantes actus suos.* Tandem satisfactionem per opera laboriosa multoties Scriptura commemorat, præsertim vero 2. Esdræ c. 9. his verbis: *Convenerunt Filii Israel in jejunio, & in saccis, & humus super eos.... & confitebantur peccata sua.* Daniel 4. *Peccata tua eleemosynis redime.* Joel 2. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, & in fletu, & in planctu.*

Secundo, ex Sanctis Patribus.

HANC eamdem veritatem luculenter agnoscit Tertullianus, quippe qui Lib. de Pœnit. cap. 9. dicat, oportere pœnitentes animum mœroribus dejicere, ingemiscere, lacrymari, mugire die ac nocte: Ecce contritio. Tum pro satisfactione necesse esse eos sacco, & cineri incubare, corpus sordibus obscurare, jejuniis preces alere. De confessione vero subjungit: " Cum igitur provolvit hominem, magis „ relevat: cum squalidum facit, ma„ gis mundatum reddit: cum accu„ sat, excusat: cum condemnat, ab„ solvit.

Idem tradit D. Cyprianus Serm. de lapsis his verbis: " Denique quanto, & „ fide majore, & timore meliore sunt, „ qui quamvis nullo sacrificii, aut libel„ li facinore constricti, quia tamen de eo „ vel cogitaverunt, hoc ipsum apud Sa„ cerdotes Dei dolenter, & simpliciter „ confitentur, exomologesim conscientiæ „ faciunt, animi sui pondus exponunt, „ salutarem medelam parvis licet, & „ modicis vulneribus exquirunt. „ Eo loci tres Pœnitentiæ partes clare exponit, scilicet per verbum (*dolenter*) contritionem; per vocem, (*confitentur*) confessionem; per ista vocabula, (*Salutarem medelam .... vulneribus exquirunt*) satisfactionem.

Succinit Sanctus Joannes Chrysostomus Serm. de Pœnitentia, qui habetur autem Tom. 5. post Homilias decem de Pœnitentia, ubi sic habet: " In corde ejus „ contritio est, in ore confessio, in opere „ tota humilitas; hæc est perfecta, & „ fructifera Pœnitentia. „ Idem tradit S. Augustinus Tract. in Ps. 146. ista enim exponens verba: *Qui sanat contritos corde*: " Sanat, *inquit*, contritos corde, „ sanat confitentes, sanat seipsos pu„ nientes. „

Tertio, ex Conciliis.

ILLUD dogma definitum habemus, primo in decreto Eugenii IV. pro Armenis his verbis: " Quartum sacramentum est „ Pœnitentia, cujus quasi materia sunt „ actus pœnitentis, qui in tres distin„ guuntur partes, quarum prima est cor„ dis contritio, ad quam pertinet ut do„ leat de peccato commisso cum proposi„ to non peccandi de cetero. Secunda est „ oris confessio, ad quam pertinet ut „ peccator omnia peccata, quorum me„ moriam habet, suo Sacerdoti confitea„ tur integraliter. Tertia, satisfactio „ pro peccato secundum arbitrium Sa„ cerdotis, quæ quidem præcipue fit „ per orationem, jejunium, & eleemo„ synam. „

Idem definitum fuit a Patribus Tridentinis Sess. 14. c. 3. " Sunt autem, *in„ quiunt*, quasi materia hujus Sacramenti „ ipsius pœnitentis actus, nempe contri„ tio, confessio, & satisfactio, qui qua„ tenus in pœnitente ad integritatem Sa„ cramenti, & ad plenam, & perfectam „ peccatorum remissionem ex Dei institu„ tione requiruntur, Pœnitentiæ partes „ dicuntur. „ Hinc can. 4. sic pronuntiant. *Si quis negaverit ad integram, & perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in*

in pœnitente, quasi materiam Sacramenti pœnitentiæ, videlicet contritionem, confessionem, & satisfactionem, quæ tres Pœnitentiæ partes dicuntur; anathema sit.

Quarto, ratione.

PRIMA RATIO: Sacramentum illud juxta Scripturam, & SS. Patres fuit institutum per modum veri, & proprie dicti judicii, scilicet ad instar fori externi: Sed in foro externo, est accusatio, seu manifestatio criminis a reo noxio commissi, ad hoc ut Judex probe judicet: Sequitur absolutio, si sit pœnitens, sin minus condemnatio: 3. Demum imponitur pro luendo crimine pœna, quæ satisfactio nuncupatur. Igitur a simili in foro interiori requiritur accusatio delictorum, de eis patratis dolor, & tandem pro eisdem expiandis condigna aut saltem sufficiens satisfactio.

Altera sic exponere juvat. Illud est essentiale sacramento Pœnitentiæ, quod est signum efficax gratiæ remissivæ peccatorum: Atqui contritio, & confessio prout conjunguntur absolutioni sacramentali, sunt hujusmodi; Probatur ex Concilio Tridentino, quod explicans qua ratione isti actus habeant rationem partium, seu materiæ proximæ hujus Sacramenti Sess. 14. c. 3. sic habet: " Qui " quatenus in pœnitente ad integritatem " Sacramenti ad plenamque, & perfe- " ctam peccatorum remissionem ex Dei " institutione requiruntur, hac ratione " Pœnitentiæ partes dicuntur. " Igitur si ex institutione Christi plenam & perfectam remissionem peccatorum conferunt, dubio-procul sunt partes essentiales Sacramenti Pœnitentiæ.

Verum tametsi satisfactio sit pars sacramenti Pœnitentiæ, non tamen ad ejus essentiam, sed solum ad integritatem pertinet, quod quidem sic probatur. Illud non est essentialis pars Sacramenti, sine quo tale Sacramentum potest valide administrari: Sed potest contingere, ut ægrotus animam agens, sincerum de peccatis dolorem conceperit; nec tamen valeat ullum opus pro satisfactione exhibere, in quo casu nihilominus recte absolvi, & Deo reconciliari potest. Ergo &c.

Confirmatur: Peccatoris punitio, non est de essentia, sed tantum de integritate judicii, & veluti complementum ejus extrinsecum; quandoquidem satisfactio supponit Sacramentum jam confectum; supponit enim gratiam productam, quæ est principalis ejus effectus. Ergo &c.

Solvuntur Protestantium objectiones.

OBJICIT Kemnitius: Nihil est in Theologia admittendum, nisi quod traditione firmatur: Sed altum est in prioribus sæculis de materia & forma sacramenti Pœnitentiæ silentium: Ergo &c. Confirmatur: Vel ipsi Theologi in hoc sibi non cohærent, alii enim pro materia Sacramenti peccata; alii peccatorum accusationem; alii actiones pœnitentis, alii actionem Sacerdotis absolventis assignant; ipsum Concilium Tridentinum vocat actus pœnitentis solum quasi materiam. Demum Sacramenta sunt actiones Dei: Sed actus pœnitentis, utpote opera humana, non possunt esse partes essentiales Sacramenti: Ergo &c.

Respondeo distinguendo minorem: Altum est in prioribus sæculis de materia & forma Sacramenti Pœnitentiæ silentium, quoad terminos, concedo: quoad rem per verba significatam, nego. Sicut enim sancti Patres agnoverunt pro materia Baptismi aquam, pro forma vero verba a Christo prolata, sic & pro materia sacramenti Pœnitentiæ, contritionem, confessionem & satisfactionem, pro forma absolutionem sacramentalem.

Ad secundum, similiter distinguo: Et Theologi in substantia conveniunt, discrepant vero tantum in modo sese explicandi, concedo: & pugnant inter se circa substantiam, nego. Porro qui solam absolutionem dicunt esse hujus Sacramenti essentiam, volunt simul eam esse materiam & formam; qui affirmant peccata esse materiam, de remota certe loquuntur, qui peccatorem confitentem, pro materia circa quam assignant, loquuntur de subjecto, in quo quidem agit virtus sacramentalis; actio denique pœnitentis eatenus materia vocatur, quatenus ex ea sacramentum, adjuncta forma constituitur. Idem dicendum est de forma; nam ista: *Ego te absolvo*, &c. vel *remitto tibi peccata tua*, idem sonant.

Ad

Ad auctoritatem Concilii Trid. distinguo: Patres Synodici utuntur ista particula *quasi*, quæ est diminutiva quantum ad rei entitatem, quæ habet rationem materiæ, concedo: quantum ad ipsam essentiam, nego: Actus pœnitentis materiæ moralis subeunt rationem: quia vero non sunt materia physica & elementa, ut contingit in ceteris Sacramentis, Concilium ut cuncta secerneret addidit particulam *quasi*.

Ad ultimum distinguo: Actus pœnitentis sunt opera humana, secundum se spectata, concedo; ut elevata sunt per gratiam, & ad producendam impii justificationem, ut instrumenta a Deo assumpta, nego.

Opponunt: Theologi in diversas abeunt circa materiam Pœnitentiæ sententias: Si actus pœnitentis se habeant ut Pœnitentiæ materia, sequitur non Sacerdotem, sed pœnitentem conficere Sacramentum, cum contritio & peccatorum confessio partes essentiales ab illo solo promanent: absurdum consequens: Ergo & antecedens.

Respondeo negando sequelam: Compositum enim est a forma quæ dat rei speciem; hinc a solo Sacerdote conficitur Sacramentum, quia solus absolvit, nec contritio & accusatio rationem materiæ sibi vindicant, nisi quatenus subjiciuntur actioni Ministri, quippe qui solus sit judex, & de eis ferat sententiam, num sufficiant, vel non.

Urgent: Si actus pœnitentis ad Sacramenti essentiam pertinerent, gratiam utique producerent: Atqui hoc dici non potest, cum effectus iste tribuatur Ecclesiæ clavibus: Ergo &c.

Respondeo I. distinguendo minorem: Effectus tribuitur clavibus directe & primario, concedo: omnimode & absolute, nego. Vi equidem clavium, absolvit Sacerdos; sed Deus utitur actibus pœnitentis velut instrumento ad producendam gratiam.

Respondeo II. distinguendo minorem: Effectus tribuitur clavibus directe & primario, concedo: omnimode & adæquate, nego: Causa principalis efficiens justificationis est Deus, moralis Christus per sua merita, ministerialis, Sacerdos, qui nomine Christi absolvit; quia vero Deus ad actus pœnitentis respicit, ut producat gratiam, juxta illud Psal. 50. *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies*; justificatio, contritioni & confessioni tribuitur.

Replicant: Illud omne ex quo intrinsece componitur Sacramentum Pœnitentiæ producit physice gratiam: Atqui sola absolutio id præstat: Et probatur, primo ex divo Thoma, qui in 4. dist. 22. art. 1. quæst. 1. ad 2. sic habet: " Dicendum quod .... pœnitentia exterior quæ, est signum sacramentale, in hoc Sacramento repræsentat cooperationem recipientis, & non influentiam, quæ est in parte agentis extrinseci, & ideo non competit ei, quod gratiam aliquo modo causet. " Confirmatur: Si actus pœnitentis physice producerent gratiam in Sacramento laudato, pœnitens diceretur seipsum justificare, & sibimetipsi remittere peccata, quod tamen falsum est: Ergo &c.

Respondeo I. D. Thomam docere actus pœnitentis una cum absolutione causare gratiam; sic enim loquitur hic q. 84. art. 1. ad 3. " Dicendum, quod etiam in Pœnitentia est aliquid quod est Sacramentum tantum, scilicet actus exterius exercitus tam per peccatorem pœnitentem, quam etiam per Sacerdotem absolventem: res autem, & Sacramentum, est pœnitentia interior peccatoris: res autem tantum, & non sacramentum, est remissio peccati: Quorum primum totum simul sumptum est causa secundi: primum autem & secundum sunt quodam modo causa tertii. "

Respondeo II. negando minorem. Ad probationem distinguo: Sola absolutio causat gratiam per se primo, & principaliter, concedo: Secundario, & minus principaliter, nego. Sola forma per se primo habet virtutem producendi gratiam, sed ratione actus pœnitentis hoc ipsum operatur: Solutio est ejusdem D. Thomæ hic q. 86. art. 6. his verbis: " Actus humani qui sunt ex parte peccatoris, materialiter se habent in Sacramento Pœnitentiæ; omne autem Sacramentum producit effectum suum, non solum virtute formæ, sed etiam virtute materiæ; ex utraque enim est unum Sacramentum:

„ tum: Unde sicut remissio culpæ fit in „ Baptismo, non solum virtute formæ, „ ex qua ipsa aqua virtutem recipit, ita „ etiam & remissio culpæ est effectus „ pœnitentiæ, principalius quidem ex „ virtute clavium quas habent Ministri, „ ex quorum parte accipitur id quod est „ formale in hoc sacramento: Secunda- „ rio autem ex vi actuum pœnitentis, „ pertinentium ad virtutem pœnitentiæ, „ tamen prout hi actus aliqualiter ordi- „ nantur ad claves Ecclesiæ. „

Ad confirmationem distinguo: Si actus pœnitentis causarent physice gratiam, homo se justificaret principaliter, nego: instrumentaliter, subdistinguo: in quantum actus ipsius elevantur per gratiam ad esse supernaturale, concedo: per actus mere naturales, nego. Non ergo pœnitens sibi virtute propria dat gratiam, sed illam & ab actibus supernaturalibus, & a Ministro recipit, qui velut judex potestate a Christo accepta, dat remissionem peccatorum.

Insistunt: Partes componentes totum, exigunt aliquam inter se conjunctionem: Sed contritio, & confessio nullam habent cum absolutione, siquidem eam aliquando multo tempore antecedunt. Ergo &c.

Respondeo distinguendo minorem: Non habent conjunctionem physicam, concedo: moralem, nego minorem, & consequentiam. Porro cum Pœnitentia sit dumtaxat compositum morale, exigit tantum moralem partium conjunctionem; talis autem hæc est, qualis solet intercedere inter accusationem rei, & sententiam judicis.

Reponunt: Quandoque in moribundo est sacramentum Pœnitentiæ sine confessione: Igitur confessio non intrinsece componit illud Sacramentum.

Respondeo distinguendo antecedens: Et signa tenent vices verborum, & confessionis, concedo: & non tenent, nego. Tametsi enim verba obtinuerint significandi principatum, hoc tamen non nihil competit signis: quocirca eum qui contritionis signa dederit, Ecclesia vult & præcipit absolvi.

Insistunt: Omnis pars compositi sensibilis, quale est Sacramentum, debet esse sensibilis: Sed contritio non est sensibilis: Ergo &c.

Respondeo distinguendo minorem: Contritio non est sensibilis per se, transeat: per verba, nego minorem. Ceterum, Ecclesia non judicat de internis, hinc modo pœnitens testetur se vere dolere de peccatis, potest absolvi.

Objicies: Quod componit essentialiter Sacramentum, producit gratiam: atqui actus pœnitentis non producunt gratiam: sed solum ad eam producendam disponunt. Et probatur ex Concilio Tridentino Sess. 14. cap. 4. ubi hæc habentur: “ Fuit quovis tempore ad impetrandum „ veniam peccatorum hic contritionis mo- „ tus necessarius, & in homine post „ Baptismum lapso, ita demum præparat „ ad remissionem peccatorum, si cum „ fiducia divinæ misericordiæ, & voto „ præstandi reliqua conjunctus sit, quæ „ ad rite suscipiendum hoc Sacramen- „ tum requiruntur. „ Ergo &c.

Respondeo negando minorem: Ad probationem distinguo: Contritio est dispositio ad recipiendum effectum Sacramenti, concedo: Non est pars essentialis Sacramenti, nego; hoc enim expresse dicit Concilium in loco quem adduximus in conclusionis probationem: Igitur in altero pro objectione laudato, non nisi de effectu loquitur.

Opponunt Calvinistæ: Mortificatio, & vivificatio sunt partes Pœnitentiæ: Igitur non actus Pœnitentis. Probatur consequentia; ex illis Psal. 33. verbis, ***Diverte a malo & fac bonum.***

Respondeo negando conseq. Ad probationem distinguo: Et Psaltes Regius eo loci loquitur de partibus justitiæ, concedo: de partibus pœnitentiæ, nego. Namque declinare a malo, & facere bonum non est præcise pœnitentiæ munus, sed justorum exercitium: non in hoc igitur præcise consistit pœnitentia, sed potius in fletu, in planctu, cinere, cilicio, eleemosynis, & jejunio.

Instant: Si tres illi actus essentialiter pertinerent ad Pœnitentiam, per illos citra dubium definiretur: Atqui nec Patres, nec Theologi, per hos actus Pœnitentiam definiunt: Ergo &c. Probatur minor. Hanc de Pœnitentia definitionem Magister Sententiarium L. 4. dist. 14. quam desumpsit ex sanctis Gregorio, Ambrosio, Augustino, tradit: Pœnitentia est: “ Anteacta peccata deflere, & flenda

„ non committere. „ Rursus: Mala præ„ terita plangere, & plangenda non com„ mittere. „ Item, " Vindicta quædam „ puniens in se quod dolet commisisse. „ Ibi, ut legenti patet, nulla fit mentio de confessione, nulla de satisfactione: Ergo &c.

Respondeo distinguendo: Et illæ definitiones sunt pœnitentiæ quatenus est virtus, concedo: Quatenus est Sacramentum, nego. Porro communiter docent Theologi, vel ipsam Pœnitentiæ perfectæ virtutem cum voto Sacramenti impium justificare.

Dices: Timor & fides sunt partes Pœnitentiæ: Igitur saltem non sola contritio, non sola peccatorum accusatio. Probatur antecedens: Lex divina minas intentat impiis, ut eos a peccatis committendis deterreat; habetur enim Luc. 13. *Nisi Pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis*. Rursus, Matth. 10. *Timete eum qui potest & animam, & corpus perdere in gehennam*.

Respondeo distinguendo: Et timor, sicut & fides disponunt ad Pœnitentiæ sacramentum, concedo: & sunt partes ipsius essentiales, nego. Aliud autem est terreri, aliud pęnitere; multi timore concutiuntur, paucos tamen pęnitet. Timor concussus, & fides eatenus concurrunt ad Sacramentum, quatenus excitant prævaricatorem ad dolendum de peccatis, juxta illud Prophetæ Psal. 118. *Confige timore tuo carnes meas; a judiciis enim tuis timui*. Sed nemo dixerit tales actus esse partes essentiales Sacramenti Pęnitentiæ, nisi se esse in Theologia hospitem probet.

Dices II. Si actus pęnitentis citati sint hujus Sacramenti partes essentiales, sequitur illud non nisi ex opere operantis, scilicet suscipientis, gratiam producere: Falsum consequens: Ergo & antecedens.

Respondeo negando sequelam; etenim valor sacramenti Pęnitentiæ non desumitur ex materia operis, sed ex promissione, & institutione divina. Jam vero Deus voluit, ut quoties peccata deponeret peccator, & de iis doleret, posita Sacerdotali absolutione, ex meritis Christi consequeretur remissionem peccatorum.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Sacramentum Pœnitentiæ I. Constat actibus Pœnitentis tamquam materia proxima, absolutione vero tamquam forma. II. Contritio & confessio sunt partes essentiales, satisfactio pars integrans. III. Peccatum mortale actuale materia necessaria remota, sufficiens veniale.

Primum, patet ex illis 1. Joan. 1. verbis: *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est, & justus, ut remittat nobis peccata*. Sic habetur in decreto Conc. Flor. pro instructione Armenorum. Sic in Tridentino Sess. 14. cap. 3.

Secundum, ex dictis sequitur: Et vero contritionem, & peccatorum accusationem, esse partes essentiales, satisfactionem vero partem integralem liquido annuntiat Concilium Tridentinum Sess. 14. cap. 3. Docet Tertullianus Lib. de Pœn. cap. 9. Vel ipsa subindigitar fides, cum in iis, & non in timore concusso, aliisque virtutum actibus non sita sit præcise conversio impii, bene vero in contritione peccatorum, & eorumdem confessione.

Tertium, utique definit Synodus Trid. ibidem cap. 1. Quia peccata mortalia hominem avertunt a Deo, venialia vero, non nisi dispositive. Igitur omnia ut abstergenda, sunt materia sacramenti Pœnitentiæ, illa quidem necessaria, ista vero sufficiens.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET EXPLICATIONUM.

Primo: Levissima est objectio Kemnitii dicentis inauditum fuisse prioribus sæculis nomen istud materiæ, quod Theologi invenerunt, cum actus Pęnitentis solum quasi materia a Florentino & Tridentino Concilio nuncupentur.

Secundo: Citra fundamentum obstrepunt nonnulli Scriptores Ecclesiastici, contendentes solam absolutionem esse de essentia sacramenti Pęnitentiæ, tametsi enim actus Pęnitentis rationem essentiæ, vel integritatis habeant; non inde sequitur, aut pęnitentem esse Sacramenti Ministrum, cum per modum imperii non agat,

agat, ut Sacerdos absolvens; nec pœnitentiam sacramentalem producere gratiam solum ex opere operantis, namque forma determinat materiam, & Sacramento sic ut speciem, sic & efficaciam confert, ut gratia ex opere operato producatur, virtute scilicet meritorum Christi, qui actus & pœnitentis, & absolventis ad hoc elevat & sanctificat.

Tertio: Alia argumenta probant solum actus virtutum ad justificationem concurrere ut dispositiones, minime vero ut partes Sacramento essentiales.

ARTICULUS TERTIUS.

De Contritione in speciali.

NOMEN contritionis desumitur a conterendo lapides aliaque dura corpora, quæ quo duriora sunt, eo magis contunduntur ab artifice; qui ea semper atterit, donec nullam adinveniat resistentiam, ita quod ad nutum ei obediant: sic per Pœnitentiam homo obduratus debet cor eo usque emollire per dolorem, quo usque paratus sit ea omnia exequi quæ ab eo Deus efflagitat, tum divinis cedendo inspirationibus, tum etiam Legi divinæ per omnia obediendo; hinc dicitur contritum; hinc dolor de peccato recte contritionis nomine celebratur. " Recte autem, *ait Catech. Rom.* p. 2. de Pœn. n. 33. contritionis nomen ... ad significandam vim doloris impositum est, ducta similitudine a rebus corporeis, quæ minutatim saxo, aut duriore aliqua materia confringuntur: ut eo vocabulo declararetur, corda nostra, quæ superbia obduruerunt, pœnitentiæ vi contundi, atque conteri. "

Neque vero Scriptura silet contritionis nomen. Psalmo enim 50. legitur: "*Cor contritum, & humiliatum, Deus non despicies.*"

Dolor ille de quo præsentem movemus quæstionem quandoque vocatur etiam ab Isaia amaritudo c. 38. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*. Id est in contritione, & dolore, quia contritio peccata præterita reddit amara pœnitenti. Adhuc nuncupatur scissio, vel conscissio cordis, juxta illud Joel. 2. *Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra*. Vocatur *compunctio*, juxta illud Psal. 4. *Quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini*: Nonnumquam attenuatio, ut Isai. 38. *Attenuati sunt oculi mei suspicientes in excelsum.* Non semel *clamor de tribulatione*, Jonæ 2. 3. *Clamavi de tribulatione mea ad Dominum*: sic enim habetur *non vestimenta vestra*, ait *Dominus omnipotens*.

Jam si contritionis divisionem scrutemur, usus apud Theologos obtinuit duplicem distinguere, unam scilicet perfectam, imperfectam alteram. Quia vero graves in scholis etiam Catholicis non semel exardescunt controversiæ, operæ pretium est de utroque momento fundatius tractare. Unde sit

SECTIO PRIMA.

De Contritione perfecta.

CIRCA contritionem perfectam hæc discutienda veniunt. I. In quo consistat eius essentia. II. Quantus debeat esse ille dolor. III. An contritio absque Sacramento justificet. IV. Quodnam sit ejus præceptum, & quando obliget? V. In quo distinguatur contritio ab attritione. VI. Quinam sint ejus effectus? De isto ultimo capite in speciali non dicemus, sed concomitanter, ubi de efficacia contritionis, tum ad remittenda peccata, tum ad restituenda merita.

PUNCTUM PRIMUM.

In quo consistat essentia Contritionis.

MULTA de contritionis essentia Ecclesiæ menti contraria, effutierunt Heterodoxi: Primo, Lutheranorum maxima pars tenet nihil aliud esse, nisi terrorem quemdam conceptum ex consideratione peccatorum, & suppliciorum peccatoribus a Lege divina intentatorum; addunt contritionem esse violentam, & conscientiæ tortorem, eam non esse actionem, sed potius passionem; eo quod homo non seipsum conterat, sed conteratur a Deo; demum eo cæcitatis venerunt, ut contritionem non esse opus bonum, sed solum animam peccatricem sic mortificare & conterere, ut deinde per fidem vi-

vificetur . Ita Kemnitius & alii rigidiores Lutherani : e contra vero Lutherani molliores, ut patet ex colloquio Altemburgensi asserunt contritionem esse opus bonum , & nostram actionem : Assiputur Calvinus l. 3. inst. c. 3. §. 20.

Antequam hæc quæstio resolvatur , quædam sunt præsupponenda . Primum quidem contritionem oportet esse liberam , & actum bonum ; ratio est , quia actus qui a Deo præcipitur , & disponit ad veniam peccatorum , liber , bonus , & honestus est : Atqui talis est contritio ; quocirca Concilium Tridentinum proscripsit errorem Lutheri dicentis dolorem illum esse coactum , & non liberum ; hinc Ps. 50. legitur : *Cor contritum , & humiliatum , Deus non despicies* . Et Isaiæ 66. *Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum , & contritum spiritu , & trementem sermones meos* ? Rursus contritio ubique in Scripturis sacris præcipitur : ea autem tantum imperat Deus quæ sunt in nostra potestate : Demum contritio magnum sacrificium Deo oblatum , Psal. 50. appellatur , & consequenter est actus bonus.

Supponimus II. Dolorem illum debere esse supernaturalem , tum ratione auxilii, tum ratione motivi per quod excitatur . Primo quidem ratione auxilii, seu gratiæ divinæ, sine qua nullus sicut oportet de peccatis dolere , aut conteri valet ; sic enim contra Pelagianam pravitatem non semel definivit Ecclesia. Secundo, Ratione motivi , siquidem actio moralis præsertim ex motivo suo, suam desumit speciem; cum igitur necesse sit, ut contritio sit supernaturalis , oportet motivum illius esse tale ; hinc nulla est contritio quæ ex motivo mere naturali , nempe , vel ex metu mali imminentis, vel ex timore omittendi bonum aliquod temporale profluit ; unde Psal. 84. habetur : *Converte nos Deus salutaris noster* . Jeremiæ 31. *Postquam enim convertisti me , egi pœnitentiam* . „ Quem locum interpretans S. Hieronymus , ait : " Quantum sit auxi„ lium Dei , & quam fragilis humana „ conditio: ut hoc ipsum quod pœniten„ tiam agimus , nisi Dominus nos ante „ converterit , & nisi Dei nitamur au„ xilio , nequaquam implere valea„ mus. „

Concilium Tridentinum Sess. 6. c. 14. de eodem momento ita loquitur: " Qui ve„ ro , ab accepta justificationis gratia , „ per peccatum exciderunt, rursus justi„ ficari poterunt , cum , excitante Deo „ per Pœnitentiæ sacramentum , merito „ Christi amissam gratiam recuperare pro„ curaverint . „ Tum can. 3. definit : *Si quis dixerit sine præveniente Spiritus sancti inspiratione , atque ejus adjutorio , hominem credere , sperare , diligere , aut pœnitere posse sicut oportet , ut ei justificationis gratia conferatur* ; *anathema sit* , His prælibatis, sit

CONCLUSIO.

Odium ante-acta vita , & firmum nova instituenda propositum sunt de essentia Contritionis.

Tres sunt in hac conclusione partes . Prima quidem, odium de peccatis commissis: II. Propositum emendationis. III. Firmum & sincerum propositum, seu sincerus dolor.

Probatur prima pars auctoritate , & ratione.

Primo , ex Sacris Scripturis.

Id a quo abhorruerunt veri pœnitentes , quodque veniam peccatorum eis obtinuit , illud haud dubie est de essentia contritionis: Atqui odium ante-actæ vitæ fuit primarium Pœnitentiæ motivum illorum omnium, qui ad Deum conversi sunt : Et probatur . Job. c. 39. legitur , *Unum locutus sum , quod utinam non dixissem*, Rursus c. 42. *Insipienter locutus sum . . . . Idcirco me reprehendo , & ago pœnitentiam in favilla , & cinere*: Isaiæ c. 38. *Recogitabo tibi omnes annos meos , in amaritudine animæ meæ* . Lucæ 7. mulier peccatrix præterita deflevit peccata ; hinc eorum obtinuit veniam . Similiter Lucæ 22. Petrus ideo *flevit amare* , quia grande duxit peccatum , se Christum Dominum abnegasse.

Secundo , ex Concilio Tridentino.

His accedit Concilium Tridentinum , quod

quod quidem Sess. 14. cap. 4. sic habet : " Declarat igitur sancta Synodus hanc „ contritionem non solum cessationem a „ peccato, & vitæ novæ propositum & „ & inchoationem, sed veteris etiam „ odium continere, juxta illud, Projici„ te a vobis omnes iniquitates vestras, in „ quibus prævaricati estis, & facite vo„ bis cor novum, & spiritum novum ; „ & certe qui illos sanctorum clamores „ consideraverit, Tibi soli peccavi, & „ malum coram te feci, Laboravi in ge„ mitu meo, Lavabo per singulas noctes „ lectum meum ..... facile intelliget, „ eos ex vehementi quodam ante actæ „ vitæ odio, & ingenti peccatorum de„ testatione manasse. „

Tertio, ex SS. Patribus.

Hæc est Patrum doctrina; primo quidem præ ceteris S. Cypriani, qui in sermone de lapsis non procul a fine sic loquitur : " Vos vero fratres, quorum ti„ mor in Deum pronus est, & in ruina „ licet animus constitutus, mali sui me„ mor est; penitentes, ac dolentes peccata „ vestra perstricte, gravissimum conscien„ tiæ crimen agnoscite, ad intelligentiam „ delicti vestri oculos cordis aperite. „

Tum S. Ambrosius L. 2. de Pœnitentia c. 10. sic habet : " Dum dolemus „ admissa, admittenda excludimus, & „ fit quædam de condemnatione culpæ „ disciplina innocentiæ. „

Divus Chrysostomus, illis se addit L. 1. de compunctione cordis, cap. 10. his verbis : " Quid corporis viribus opus est, „ cum cor conterere debeamus. Hoc so„ lum est quod a nobis exposcitur, ut „ semper recordemur mala nostra, & ad „ animum revocemus, & conscientiam „ gestorum nostrorum habeamus ante o„ culos. „

Eadem tradit S. Hieronymus Comment. ad c. 31. Jeremiæ : Ista enim explanans verba, *Postquam cognovi, percussi femur meum*: " Dolentis, *inquit*, & plangentis, & su„ per errore pristino plorantis, judicium „ est, ut femur manu percutiat. „ Et infra : " Quod tempus non est confusionis „ nostræ, si recordemur antiqua pecca„ ta, & omnium quæ male egimus, ca„ piamus memoriam. „

Suffragatur S. Augustinus Serm. 7. de tempore, ubi sic fatur : " Pœnitentiam „ certam non facit nisi odium peccati, „ & amor Dei ; quando sic penites, ut „ tibi amarum sapiat in animo, quod „ ante dulce fuit in vita, & quod te „ prius oblectabat in corpore, ipsum te „ cruciat in mente, jam tunc bene inge„ miscis apud Deum. „

Quarto, Ratione.

POENITENTIA in duobus potissimum sita est, videlicet in aversione a creatura, & conversione ad Creatorem; eadem enim est lex contrariorum ; porro citra dubium est peccatum in aversione a Deo & conversione ad creaturam consistere, vel ipso Domino dicente Jerem. 2. *Obstupescite cœli super hoc . . . Duo enim mala fecit populus meus : me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas.* Igitur odium peccati vera contritio debet includere.

Confirmatur : Ubi amor Babylonis in contemptum Dei perseverat, ibi non est sincerus de peccatis dolor. Sed, secluso creaturæ odio, remanet ad vitium affectus : Igitur odium ad veram contritionem prærequiritur.

Secunda pars, Requiritur emendandi propositum,

Eodem ordine probatur.

Primo, ex utroque Testamento.

DEUS ipse apud Amos cap. 5. sic loquitur : *Odite malum, & diligite bonum, & constituite in porta judicium, si forte misereatur Dominus Deus exercituum.* Rursus Isai. 1. *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis. Quiescite agere perverse, discite bene facere . . . Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur.* Et adhuc Ezechielis cap. 18. *Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea ; & fecerit judicium, & justitiam, vita vivet, & non morietur : omnium iniquitatum ejus quas operatus est, non recordabor.* Hæc autem omnia de-

denotant novæ vitæ propositum, & quidem explicitum.

Apostolus Eph. 4. totam hanc Pœnitentiæ Oeconomiam his verbis explicat: *Vos autem non ita didicistis Christum. Si tamen illum audistis, & in ipso edocti estis, sicut est veritas in Jesu. Deponere vos secundum pristinam conversationem veterem hominem ... Renovamini autem spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem.*

Secundo, ex Conciliis.

Tridentinum Sess. 14. c. 4. ait: " Dolor de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero *requiritur*." Quæ verba denotant propositum explicitum, quippe quod distinguatur ab odio vitæ quondam in vitiis enutritæ. Hinc ibidem sic habet: " Declarat igitur sancta Synodus contritionem non solum cessationem a peccatis, & vitæ novæ propositum, sed etiam veteris odium continere."

Florentinum in Decreto unionis: " Quartum Sacramentum, *inquit*, est Penitentia, cujus quasi materia sunt actus pœnitentis, qui in tres distinguuntur partes, quarum prima est cordis contritio, ad quam pertinet, ut doleat de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero."

Tertio, Ratione eaque multiplici.

PRIMA: Pœnitentia est interior hominis renovatio: Sed nisi adsit propositum ulterius non peccandi, non nisi conversionem verbalem & extrinsecam spirat; quod Christus arguit in Judæis, dicens, Matth. 15. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.* Ergo &c.

Altera: Justificatio est mutatio dexteræ Excelsi, hoc est, Deo excitante, præveniente & adjuvante: Sed nisi adsit propositum veteris vitæ innovandæ, peccator in limo vitiorum infixus manet, quippe qui ea non retractet. Ergo &c.

Tertia: Penitentia exigit, prævia deliberatione facta, determinationem in bono: Sed ubi non adest propositum de vita ante-acta, nulla est ad bonum determinatio, quod quidem quotidiana comprobat experientia, cum peccatores inter bonum & malum penduli existentes, de novo in pristina ruant peccata: Ergo &c.

TERTIA PARS.

Firmum debet esse propositum & sincerus dolor.

Probatur rationibus Theologicis.

PRIMA: Illud ad veram penitentiam requiritur, quod ipse exigit Deus ad hoc, ut peccator reconcilietur: Atqui Deus firmum vitæ pristinæ emendandæ propositum expostulat, ut peccatori delictorum veniam concedat: Et probatur. Joel. 2. ait: *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, & fletu, & planctu, & scindite corda vestra.* Rursus Ezech. 18. *Cum averterit se impius ab impietate sua, ipse animam suam vivificabit.* Ac demum Jonæ 3. *Vidit Deus opera eorum*, scilicet Ninivitarum, *quia conversi sunt de via sua mala, & misertus est super malitiam, quam locutus fuerat, ut faceret eis, & non fecit.* Ergo &c.

Secunda: Ut vera sit penitentia debet esse intima; sed talis non est nisi adsit propositum firmum se se in melius immutandi: Ergo &c. Hæc ratio est Catechismi Rom. parte 2. de Pen. n. 7. his verbis: " Intima autem penitentia est illa, cum ad Deum nos ex animo convertimus, & commissa a nobis scelera detestamur, & odio habemus: simulque illud nobis certum, & deliberatum est, malam vitæ consuetudinem, corruptosque mores emendare." Ergo &c.

Tertia: Actus specificantur a motivo quod sibi aliquis in agendo proponit: Atqui non est vere penitens nisi tria habeat pro fine. I. Abolere peccatum. II. A sceleribus non solum recedere, sed & pro eis Deo satisfacere, quæ quidem satisfactio potissimum in aversione a creatura, & conversione ad Creatorem reponenda est. III. Ut Deo reconcilietur: Sed hæc tria citra firmum emendationis propositum, & vitæ malæ dolorem non reperiuntur in penitente. Ergo &c. Hæc doctrina est Cath. Rom. ibid. n. 10. dicentis: " Sed idem etiam ex iis rebus colligi potest, quas sibi tamquam proponit is, quem vere peccati penitet. Primum

" au-

„ autem hoc ei propositum est, ut peccatum aboleat, omnemque animæ culpam, „ & maculam abstergat. Alterum est, ut „ pro sceleribus admissis Deo satisfaciat: „ quod quidem ad justitiam referri perspicuum est. Nam etsi inter Deum & „ homines, propria justitiæ ratio intercedere non potest, cum tam longo intervallo inter se distent: aliquam tamen esse justitiam constat, cujusmodi „ est inter Patrem, & filios, inter Dominum & servos. Tertium, ut homo „ in Dei gratiam redeat, in cujus offensionem, & odium propter peccati fœditatem ineurrit. Hæc vero omnia satis declarant, pœnitentiam ad virtutem spectare. „

Quarta: Ad veram pœnitentiam gratia & virtutibus veluti tot gradibus ascendit, & pervenit peccator, videlicet I. Gratia misericorditer præveniente. II. Fide. III. Timore. IV. Spe V. Amore saltem incohato: Sed hæc omnia firmum se emendandi propositum, & sincerum de peccatis dolorem complectuntur. Ergo &c. Hoc ipsum docet, & uti ad justificationem requisitum exigit Catechismus Romanus ibidem, n. 11. " Docendum „ est etiam, *ait*, quibus gradibus ad hanc „ divinam virtutem liceat ascendere. „ Primum itaque Dei misericordia nos „ prævenit, cordaque nostra ad se convertit. Quod cum precaretur Propheta: *Converte*, inquit, *nos Domine ad te*, „ *& convertemur*. Deinde hoc lumine illustrati per fidem ad Deum animo tendimus. *Credere enim oportet accedentem* „ *ad Deum*, ut Apostolus testatur, *quia* „ *est*, *& inquirentibus se remunerator sit*. „ Præterea motus timoris consequitur, „ & suppliciorum acerbitate proposita, „ animus a peccatis revocatur. Atque „ huc videntur spectare illa Isaiæ verba: „ *sicut qua concipit*, *cum appropinquaverit* „ *ad partum*, *dolens clamat in doloribus suis*: „ *sic facti sumus*. Huc deinde accedit spes „ impetrandæ a Deo misericordiæ, qua „ erecti vitam, & mores emendare constituimus. Postremò charitate corda nostra accenduntur. Ex qua liberalis ille „ timor, probis, & ingenuis Filiis dignus „ oritur: atque ita unum illud veriti, ne „ qua in re Dei Majestatem lædamus, peccandi consuetudinem omnino deserimus. „

Solvuntur Heterodoxorum objectiones.

OBJICIUNT: Odium vitæ ante-actæ non est de essentia contritionis: Ergo &c. Probatur Antecedens ex illo vulgari axiomate, *Optima pœnitentia, nova vita*. Ergo &c.

Respondeo negando antecedens. Ad probationem distinguo: Optima pęnitentia, nova vita, id est ut signum certissimum veræ Pęnitentiæ habetur, concedo; qui enim sic peccata deflent, ut mox ad eadem revertantur, nihil omnino perficiunt. Optima Pęnitentia nova vita est, per exclusionem odii vitæ veteris, nego: Porro illud proverbium sic explicat Auctor commentariorum in caput 2. secundæ ad Corinth. " Hæc vera pęnitentia est, „ *inquit*, jam cessare a peccato, sic e„ nim probat, dolere se sibi, si de ce„ tero desinat. „

Respondeo II. Aliter distinguendo: Per novam vitam vera dignoscitur contritio, tamquam per partem inadæquatam, concedo; adæquatam, & secundum illud totum quod importat, nego. Nova vita est quidem Pęnitentiæ pars, sed non adæquata: Cum igitur Patres explicant pęnitentiam per novam vitam, contritionem non in se, sed pro ut in operibus elucet, exponunt. Solutio hæc colligitur ex D. Gregorio, qui in 1. Reg. c. 15. ait: " Tunc bene peccatorem conversum „ cernimus, cum digna afflictionis austeritate delere nititur, quod loquendo „ confitetur; in fructu non in foliis, aut „ ramis pęnitentia cognoscenda est. „

Instant: Concilium Tridentinum non videtur distinguere odium peccati a dolore, quem quis ex eo percipit, eo quod Deum læserit; hanc enim tradit contritionis definitionem; " Animi, *inquit*, dolor „ est, ac detestatio de peccato commisso. „ Sed dolor non est pars intrinseca contritionis: contritio quippe est animi virtus, dolor vero est passio sensus: Ergo &c.

Respondeo distinguendo: Et Patres Tridentini sumunt dolorem causaliter, scilicet pro ipsomet peccati odio, quod quidem in terris, non vero in cęlis mœrorem parit, concedo: Neque enim deicolæ tristitia afficiuntur, tametsi peccatum sum-

ta, tum alia omnia, quæ Deus exigit.

Urgebis: Isaiæ c. 55. hæc leguntur: *Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & revertatur ad Dominum, & miserebitur ejus.* Ibi, ut claret, Deus a peccatore deposcit ad suam consequendam misericordiam, ut ipsam efflagitet, tum ut sua detestetur peccata: Sic latro pendens in cruce solum peccata detestatus est, & tamen veniam obtinuit. Sic enim habetur Luc. 23. *Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es. Et nos quidem juste, nam digna factis recipimus, hic vero nihil mali gessit. Et dicebat ad Jesum: Domine memento mei, cum veneris in regnum tuum. Et dixit illi Jesus: Amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradiso.* Ergo &c.

Respondeo distinguendo consequens: Et Priores isti actus supponunt propositum vitæ melioris instituendæ, concedo: & excludunt, nego: Familiare est Scripturis, cum de justificatione loquuntur, ita quibusdam rebus vim justificandi tribuere, ut cetera non desint; sic Rom. c. 3. cum legitur: *Arbitramur enim justificari hominem per fidem*. Rom. 8. *Spe salvi facti sumus*. Job. 12. *Eleemosyna a morte liberat.* Et tamen sola fides, sola spes, & eleemosyna non sufficiunt ad salutem. Ceterum, in testimonio Isaiæ vitæ melioris propositum his verbis continetur: *Derelinquat impius viam suam ... Et revertatur ad Dominum*. Quid enim est derelinquere viam suam, nisi novam instituere, Deum amplius diligere, eique magis placere? Quod dubio-procul secluso novæ vitæ proposito fieri non potest. Ad id vero quod dicitur, latronem dumtaxat supplicii sui justitiam agnovisse; ex impetrata venia facile colligitur eum vera fide, atque ardenti charitate ad Deum fuisse conversum, cum Christo pro virili, & ex toto corde adhærens, in sustinendis patienter crucis doloribus, ad expianda suæ ante actæ vitæ peccata fidelis permanserit, & tandem vere pœnitens obierit: Quæ quidem omnia vitæ immutandæ propositum ita complectebantur, ut omisso hujus proposito, nulla fuisset pœnitentia, nullaque sincera conversio.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

I. Odium peccati, II. Propositum emendationis, III. Sinceritas doloris & propositi sunt de essentia contritionis.

PRIMUM patet, juxta illud Isa. 38. *Recogitabo tibi omnes annos meos, in amaritudine animæ meæ*. Ita Conc. Trident. Sess. 14. cap. 4. " Declarat igitur sancta Synodus hanc contritionem .... odium continere." Ratio est, quia, secluso odio, peccator non Creatorem, sed creaturam amaret; nemo autem, vel ipso Christo teste, *potest duobus Dominis servire*, Matth. 6.

Secundum sequitur ad primum: quis enim dixerit illum de peccato commisso habere dolorem, qui non habet sese emendandi propositum, hoc ipsum Conc. Trid. ibidem dicit his verbis: " Dolor de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero."

Tertium, se prodit ex ipsa contritionis definitione; namque si dolor foret solum extrinsecus, jam non dolor, sed mera hypocrisis, non semel a Christo damnata, existeret. Ceterum dolor debet esse interior, & consequenter sincerum emendationis propositum habet annexum.

SYNOPSIS OBJECTIONUM ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Novum non induit hominem impius, nisi odio peccatum prosequatur. Esto quod dolor sit passio, sed elevatus actum meroris propter Deum læsum importat.

Secundo: Tametsi impossibile sit peccatum commissum non fuisse commissum, in votis temen habet pœnitens, ut si fieri posset, numquam extitisset: hinc illud ita detestatur, ut nolit amplius imposterum peccare.

Tertio: Propositum non peccandi a dolore primum pœnitentis, sum & a charitate promanat; eo enim ipso quo quis de peccato dolere incipit, jam habet in præparatione animi peccatum ultra non committere.

PUN-

PUNCTUM SECUNDUM.

Quanta debeat esse Contritio, ut ad justificationem peccatorum sufficiat?

CERTUM est dolorem de quo agitur, non eum esse qui in sensum quandoque redundat, cum constet istum ab objectis sensibilibus, quæ potentias magis ut plurimum, quam Deus ut offensus apprehensus, movent, promanare, sed potius mœrorem qui ex corde procedit: hoc est ex ratione & voluntate, quæ gratia præventis & excitatis tristitiam ad salutem & intimam animæ compunctionem operantur.

Ad majorem quæstionis elucidationem prænotandum est, duplicem esse detestationis modum, unum intensivum, alterum appretiativum; detestatio intensiva est illa quæ adæquat magnitudinem offensę per respectum ad personam læsam; appretiativa vero ea est qua peccator pœnitens præfert vel formaliter, vel saltem virtualiter unum objectum omnibus aliis: Hoc posito sit.

CONCLUSIO.

Dolor Contritionis debet esse omnium dolorum maximus appretiative, hoc est peccator ita peccata sua detestari debet, ut nolit propter quodlibet rursum peccare.

Probatur auctoritate, & ratione.

Scriptura sacra.

SCRIPTURÆ ad remissionem culpæ non exigunt certum aliquem gradum intensionis in contritione, ita ut si ille desit, peccator non possit veniam consequi: Igitur dolor appretiativus sufficit: Antecedentis propositio firmatur his Scripturæ locis, in quibus nude & simpliciter requiritur, ut peccator avertatur a via sua mala, & convertatur ad Dominum, nihil addendo per quod significetur intentio illius actus, quo vel avertatur, & doleat de peccato, vel convertatur ad Dominum. Psal. 50. habetur: *Cor contritum & humiliatum, Deus non despicies* Isaiæ 30. *Si revertamini, & quiescatis, salvi eritis*. Ezech. 33. *Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua*. Zach. 1. *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos*. Sed nudum conversionis nomen non dicit intensionis aut extensionis gradum. Ergo &c.

Patres.

IDEM docent sancti Patres: præsertim vero S. Cyprianus, qui in sermone de cœna Domini sic habet: " Nec quantitas „ criminis, nec brevitas temporis, nec „ horæ extremitas, nec vitæ enormitas, „ si vera contritio, si pura fuerit volu„ ptatum mutatio, excludit a venia. „

Patrocinatur S. Basilius homilia de Pœnitentia, ubi sic loquitur: " Tantummodo „ voles, & ipse Deus ultra occurret. „

Succinit S. Leo Magnus Epistola 91. ad Theodorum, ubi ait: " His qui in tem„ pore necessitatis, & in periculi urgen„ tis instantia, præsidium pœnitentiæ, & „ mox reconciliationis implorant, nec „ satisfactio interdicenda est, nec recon„ ciliatio deneganda, quia misericordiæ „ Dei, nec mensuras possumus ponere, „ nec tempore definire, apud quam nullas „ patitur veniæ moras vera conversio. „ Eo loci veram solum deposcit conversionem, immo temporis extensionem excludit.

Ejusdem est labii S. Chrysostomus in libello de reparatione lapsi, & habetur apud Gratianum de Pœnitentia Dist. 3. " Talis est, *inquit*, erga homines pietas „ Dei, numquam spernit pœnitentiam, „ si ei sincere, & simpliciter offeratur, „ etiamsi non potuerit quis explere in „ præsenti, satisfaciendi ordinem; quan„ tulumcumque tamen, & quamlibet „ brevi tempore gestam suscipit etiam „ ipsam, nec patitur quamvis exiguæ „ conversionis perire mercedem.

Ratio multiplex.

PRIMA: Contritionis dolor ab ea charitate procedit, qua quidem ita diligitur Deus, ut pœnitens illum ceteris bonis creatis simpliciter anteponat; in hoc enim sita est formaliter conversio, nec aliud ultra saltem ex necessitate prærequiritur: Sufficit igitur ad justificationem ut talis sit contritio; Tametsi enim foret intensa solum ut unus

unus gradus, hæc dubio-procul sufficeret. Ista ratio est Catech. Rom. Ibidem n. 28. his verbis: " Præterea, si, uti Deus „ summum bonum est inter omnia, quæ „ diligenda sunt: ita etiam peccatum „ summum est malum inter omnia, quæ „ odisse homines debent: illud sequitur, „ ut quam ob causam Deum summe di- „ ligendum esse confitemur, ob eam- „ dem rursus peccati summum odium nos „ capiat, necesse sit. Omnibus vero re- „ bus Dei amorem anteponendum esse, „ ita ut ne vitæ quidem conservandæ „ causa peccare liceat, aperte nos do- „ cent illa Domini verba, *Qui amat patrem, „ aut matrem plusquam me, non est me di- „ gnus*: Et, *Qui voluerit animam suam sal- „ vam facere, perdet eam*. „

Altera hæc est: Necesse non est dolorem contritionis esse omnium dolorum maximum intensive, si sacra Scriptura ad veram pœnitentiam non summum conatum absolute requirat, sed ut homo 1. Deum omnibus aliis anteponat, 2. de peccatis omnibus doleat, 3. ab omnibus recedat, 4. illa ultra non patrare sit ei animus. Atqui ita habetur Ezech. 18. & 33. ut supra retulimus. Ergo &c. Sic docet Catechismus Rom. 2. part. de Pœn. n. 31. & seq. " Ex his igitur colligi poterunt, „ *inquit*, quæ ad veram contritionem „ maxime sunt necessaria .... Primum „ enim necesse est, peccata omnia quæ „ admisimus, odisse & dolere ... Alte- „ rum est, ut ipsa contritio, confitendi, „ & satisfaciendi voluntatem conjunctam „ habeat .... Tertium est, ut pœnitens „ vitæ emendandæ certam, & stabilem „ cogitationem suscipiat ... Neque vero „ inter cetera quæ ad contritionem ma- „ xime pertinent, minus diligenter, & „ necessario curandum est: ut, quidquid „ injuriarum ab altero acceperis, id to- „ tum remittatur, ac condonetur. „ Audis Patres Trid. in suo Catechismo nihil aliud præter amorem Dei appretiative super omnia ad justificationem exigere, & perfectiora esse de consilio.

Tertia: Si summus conatus in contritione necessario requireretur, gravis incomberet pœnitentis conscientiæ scrupulus, qui hunc summum conatum, eamque doloris intensionem, ut plurimum non sentit; hinc vel ipsamet Ecclesia non solet a penitentibus, hunc contritionis gradum deposcere, sed tantum ut ex animo propter Dei summe dilecti offensam de peccato doleant. Ergo &c. Juvat istas probationes concludere istis Catech. Rom. verbis, Part. 2. de Pœn. n. 28. " Quam- „ quam si id minus consequi nobis li- „ ceat, ut perfecta sit, vera tamen & „ efficax contritio esse potest: Sæpe enim „ usu venit, ut quæ sensibus subjecta „ sunt, magis quam spiritualia nos affi- „ ciant. „ Igitur ex Concilio Tridentino, cujus mens in Catechismo aperitur, non opus est absolute ad justificationem, ut dolor sit intensissimus.

Diluuntur Objectiones.

OBJICIES: Deus non tantum præ ceteris, sed & plus ceteris diligendus est, scilicet intensive: Ergo &c. Probatur antecedens ex illis Matth. 10. verbis: *Qui amat patrem & matrem plusquam me, non est me dignus*, Rursus Luc. 14. *Qui non odit patrem & matrem, non potest meus esse discipulus*. Hinc S. Augustinus Lib. 1. de Doctrina Christiana c. 22. & L. de moribus Ecclesiæ c. 11. docet ad ordinatam dilectionem pertinere, ut nihil amplius, & nihil æque diligat homo quam Deum: Ergo &c.

Respondeo negando antecedens. Ad probationem distinguo: Et illa verba indicant Deum præ ceteris diligendum esse, concedo: majori intensione subdistinguo; ad melius, concedo: absolute, ita ut, illa deficiente gradus intensione, non fit Sacramentum, nego. Ultro fatemur inordinatum esse hominem qui majori pondere in creaturam quam in Creatorem fertur, & sæpius magis dolet de amissis bonis temporalibus, quam de boni increati ammissione, & hoc vitium ab origine fœdata, non culpandum, sed emendandum & corrigendum. Satis igitur habet Deus misericors, si peccator quantum in se est, doleat de culpa, & dolendo amet præ ceteris bonis Deum. Neque enim Augustinus peccator & pœnitens statim, sed gradatim habuit illam amoris intensionem maximam, quam in libro Solliloq. expressit, & demirata est Ecclesia.

Instabis: Scripturæ sacræ exigunt a peccatoribus conatum aliquem contritionis ma-

magnum. Igitur nedum appretiativum, sed & intensivum dolorem deposcunt. Probatur antecedens: Psal. 37. legitur: *Rugiebam a gemitu cordis mei*. Isaiæ 59. *Rugiemus quasi ursi omnes nos, & quasi columbæ meditantes gememus*. Rursus Micheæ c. 4. *Dole, & satage filia Sion quasi parturiens*. Ad hoc etiam spectat amaritudinis vocabulum in Cantico Ezechiæ & Jeremiæ 31. Sicut enim fervor intensum denotat calorem, ita amaritudo in Scripturis significat metaphorice vehementem, ac intensum dolorem; tale est & istud pœnitentibus dictum Matth. c. 11. *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*. Quæ quidem vox, *violenti*, magnum subindigitat doloris gradum.

Respondeo distinguendo antecedens: Scriptura exigit summum doloris gradum ad melius, concedo: absolute, ita ut prætermissa vehementissima contritionis intensione, non fiat peccati remissio, nego. Sin minus conversio Augustini non fuisset vera, cum contritio de peccatis primum non fuerit intensa, ut postea frequentiori oratione evasit. Igitur dum Scriptura exempla Davidis pœnitentis, Petri & aliorum proponit, id unum intendit, nempe veram conversionem ad Deum esse absolute necessariam, congruamque Deo exhibendam satisfactionem, ad quam implendam quod deest ex parte operis, sæpe compensat vehementia doloris; sed talis dolor intensus, & vehemens, qui injungitur propter satisfactionem, non est absolute necessarius; potest enim & per alia opera, scilicet orationibus, jejuniis, & eleemosynis compleri satisfactio.

Urgebis: Amor Dei debet esse perfectior rerum aliarum amore. Igitur & intensior: perfectio quippe qualitatum, & actionum, non aliunde videtur sumi, quam ex intensione, & majori conatu; ita pariter peccati detestatio, ut perfectior, ita intensior esse debet detestatione cujuscumque alterius mali.

Respondeo distinguendo antecedens: Et illa perfectio desumitur ex intensione simul & ex electione voluntatis, qua Deum amando illum omnibus præponit, concedo: A solo intensionis gradu, nego. Ad veniam peccati obtinendam necessarius non est dolor intensissimus, sed sufficit ut voluntas peccatum oderit super omnia; & Deum rebus omnibus longe anteponat.

Insistes: Scriptura sacra præcipit non tantum dilectionem Dei, sed etiam in dilectione profectum. Habetur enim Apoc. 2. de Episcopo, qui non nihil a priori charitatis fervore defecerat: *Habeo adversum te, quod charitatem tuam primam reliquisti. Memor esto itaque unde excideris: Et age pœnitentiam, & prima opera fac. Sin autem venio tibi, & movebo candelabrum tuum*. Sed in charitate progressus ferventioribus actibus fit. Ergo &c.

Respondeo distinguendo antecedens: Scriptura præcipit profectum in dilectione pro justis, concedo: pro peccatoribus, subdistinguo: tamquam consilium, concedo; velut aliquid absolute necessarium, quo omisso, non justificarentur, nego. Præcipitur peccatori ut justus fiat, justo autem ut in justitia crescat. Porro ad primam justificationem profectum non requiri nullus non novit, cum nemo repente, ut fert adagium, fiat summus: Sufficit igitur ut peccator ad Deum sincere convertatur.

Persistes: Deut. cap. 4. hæc leguntur: *Cumque quæsieris ibi Dominum Deum tuum, invenies eum: Si tamen toto corde quæsieris, & tota tribulatione animæ tuæ*. Rursus Joelis c. 2. *Convertimini ad me in toto corde vestro*. Hæc autem omnia denotant maximum contritionis gradum. Ergo &c.

Respondeo distinguendo: Et hæc omnia id unum probant, scilicet sufficere ut peccator penitens Deum omnibus præponat, concedo: & illa evincunt dolorem intensissimum requiri necessario ad remissionem peccatorum obtinendam, nego. Jam vero sicut ille diligit Deum in toto corde, qui eum ita redamat, ut aliis omnibus anteponat; ita peccator requirit Deum in toto corde, & in tota tribulatione animæ suæ, & ad Deum convertitur in toto corde suo, quando Deum præ omnibus diligens, de peccato dolet, & tribulatur tamquam de malo, quod ex summo illo Dei amore præ omnibus malis detestatur.

§ V.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Dolor de peccatis debet esse appretiative maximus.

PRIMO: Scriptura sacra non in uno loco hanc annuntiat veritatem, nimirum Isa. 30. Ezech. 33. maxime Joel. 2. his verbis. *Convertimini ad me in toto corde vestro.*

Secundo: Hoc idem docent Patres, ut Cyprianus Serm. de cœna Dom. Basilius Homil. de Pœnit.

Tertio: In eo potissimum conversio sita est, ut peccator vere amet Deum, & odio habeat peccatum: Sed eo ipso quo Deum ceteris anteponit, jam illum summe diligit: Ergo &c.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Verum quidem est Deum non solum præ ceteris diligendum esse, sed etiam summopere & secundum omnem animæ conatum, sed pro modulo nostro in quantum fieri potest: Sancti quippe non intra unum aut alterum annum summæ perfectionis gradum ultimum attigere, sed nonnisi post multos exantlatos labores.

Secundo: Neque vero negamus amorem Dei perfectissimum a nobis exigi, sed appretiative, intensive vero solum ex consilio.

Tertio: Fatemur etiam opus esse pro justificatione impii, ut ille diligat Deum ex toto corde, sed appretiative; eo enim ipso quo detestatur creaturam, & Deum bonis creatis anteponit, jam ex toto corde Creatorem diligit, cum in eo ut in ultimo fine quiescat.

PUNCTUM TERTIUM.

Utrum Contritio perfecta semper habeat conjunctam remissionem peccati mortalis, etiam ante receptionem actualem Sacramenti?

ETIAMSI Lutherani contritionem requirant ad remissionem peccatorum, nolunt tamen eam remissionem peccatorum obtinere, & justificare, ne inde fides, quæ juxta eos justificat, detrimentum capiat. Ita Lutherus in assert. art. 12. similiter Calvinus L. 3. inst. c. 4. ff. 3. eadem tradit his verbis: " Diximus & nos „ quodam loco numquam sine penitentia „ obvenire peccatorum remissionem; sed „ simul adjecimus pœnitentiam non esse „ causam remissionis peccatorum. „ Ita pariter Kemnitius in II. parte Exam. p. 960. ibi enim aperte reprehendit eos qui cootritioni remissionem peccatorum tribuunt ante absolutionem; contra quos sit

CONCLUSIO.

Contritio perfecta qua homo sua detestatur peccata propter Deum summe dilectum, omnia abstergit peccata.

Probatur multis momentis.

Primo, ex Sacris Scripturis.

QUOD vivificat animam, cor novum facit, misericordiam promeretur, iniquitates delet, &c. illud profecto animam abstergit ab omnibus peccatis: Atqui hæc omnia leguntur in Scripturis de contritionis efficacia. Et probatur. Ezech. 18. habetur: *Cum averterit se impius ab impietate sua, ipse animam suam vivificabit.* Jonæ c. 3. *Et vidit Deus opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala, & misertus est Deus super malitia, quam locutus est, ut faceret eis, & non fecit.* 2. Regum 12. David penitentia ductus dixit: *Peccavi Domino.* Ad quem Nathan: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum.* Hinc idem David ait Psalmo 31. *Dixi, confitebor adversum me injustitiam meam: & tu remisisti impietatem peccati mei.*

In ea verba divus Ambrosius in Apologia Davidis c. 7. sic loquitur: " Si dixit, „ pronuntiabo, & veniam meruit ante- „ quam pronuntiaret; quanto magis ubi „ de se pronuntiavit dicens: Iniquitatem „ meam ego cognosco: remissum est ei „ peccatum? Ergo remissionem meruit ini- „ quitatis, & texit charitate, atque ope- „ ruit peccata. „ Astipulatur S. Augustinus concione 2. in Psalm. 31. " Non pro- „ nuntiat, *inquit*, sed promittit se pronun- „ tiaturum, & ille jam dimittit. „ In eodem prorsus sensu hunc interpretatur locum Gregorius Magnus Comment. ejusdem

Psal-

Psalmi 31. " Attende, *ait*, quanta sit indulgentiæ vitalis necessitas, quanta misericordiæ Dei commendatio, ut confitentis desiderium comitetur venia antequam ad cruciatum perveniat Pœnitentia: ante remissio ad cor perveniat, quam confessio in vocem erumpat. "

Rursus Isaiæ c. 30. juxta versionem Septuaginta interpretum habetur: *Cum reversus ingemueris, tunc salvus eris.* Quæ verba S. Leo Papa Epist. 91. ad Theodorum sic explicat: " Misericordiæ Dei, nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniæ moras vera conversio, dicente spiritu Dei per Prophetam, cum ingemueris, tunc salvus eris. " Non absimilia profert Cœlestinus Papa Epist. ad Episcopos Galliæ cap. 2. " Vera, *ait*, conversio mente potius quam tempore metienda est, dicente Propheta, Si conversus fueris, salvus eris. "

In novo Testamento Lucæ cap. 7. de muliere peccatrice hæc leguntur: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Dominus idem insinuat in parabola filii prodigi ibid. c. 15. ad quem pater occurrit, antequam ille confessionem absolvisset; hinc divus Petrus 1. Epist. c. 4. sic pronuntiat: *Universa delicta operit Charitas.*

Secundo, ex Sanctis Patribus.

AGMEN ducet Tertullianus, qui L. 4. cap. 10. in Marcionem hæc pronuntiat: " Video .... & Achab Regem, maritum Jezabel, reum idololatriæ, & sanguinis Nabutæ, veniam meruisse pœnitentiæ nomine. "

Hunc sequitur Origenes, qui Homil. 11. in c. 10. Levit. ait: " Purgatio peccati per pœnitentiam constat: quam utrum quis digne gerat, ita ut mereri pro ea veniam possit, videto. "

Tertius est S. Cyprianus sermone 5. de lapsis, ubi hæc scripsit: " Qui pœnitentia facti sui, qui pudore delicti, plus virtutis, & fidei de ipso lapsus sui dolore conceperit, exauditus, & adjutus a Domino, quam contristaverat, lætam facit Ecclesiam, nec jam solum Dei veniam merebitur, sed coronam. "

Succedit S. Athanasius, qui sermone de Virginitate ultra medium hæc tradit: " Vide quale remedium in lacrymis: specta quæso, quam iniquitatem deleverint. Quid enim tetrius hoc vitio? Quippe qui ter jurejurando Dominum abnegaverit, tantum tamen scelus per lacrymas delevit. "

Tum Basilius Orat. 4. de Pœnit. pag. 806. col. 2. " Nunc cum Pœnitentia promittat animæ tuę velut novi germinis renovationem, quam tu veterem effecisti &c. " Deinde vero loquens de efficacia Ninivitarum Pœnitentiæ p. 809. col. 1. ait: " Ob hoc cum vidisset ipsos Deus sic demissos & humiles factos, quasi eos nimis ingenti miseria afflixisset, & cladem eorum misertus est, & vindictam remisit, lætitiam denique præbuit, quod vere pœnitentiam egissent. "

Illis se adjungit Ambrosius præfatione in Psal. 35. hoc modo: " Quis dubitet affligere animam suam, cum Propheta sanctus afflixerit solvens pretium lacrymarum pro redemptione peccati. "

Ejusdem est mentis divus Chrysostomus L. 2. de compunctione cordis, ubi sic habet: " Sola est cordis compunctio, quæ sicut ignis, omne animæ vitium perurit, & adimit, & quantacumque in ea reperit mala, abstergit universa, & penitus delet. "

Demum Gregorius Magnus Homil 33. in Evangelia sic pronuntiat: " Quid esse dilectionem credimus, nisi ignem? Et quid culpam, nisi rubiginem? Unde nunc dicitur: Dimittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum: ac si aperte diceretur: incendit pleni peccati rubiginem, quia ardet valide per ignem amoris. "

Tertio, ex Conciliis.

TRIDENTINUM Sess. 14. c. 4. nostram clare docet conclusionem his verbis: " Docet præterea sancta Synodus, etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur &c. " Rursus Sess. 13. c. 7. ait ad præparationem Eucharistiæ confessionem sacramentalem necessariam esse iis qui lethali culpa laborant. Eum subjungit. " Quod a Chri-

stianis

„ stianis omnibus, etiam ab iis Sacerdo-
„ tibus, quibus ex officio incubuerit ce-
„ lebrare, hæc sancta Synodus perpetuo
„ servandum esse decrevit, modo non
„ desit copia Confessoris. Quod si, ne-
„ cessitate urgente, Sacerdos absque prævia
„ confessione celebraverit, quam primum
„ confiteatur. „ Igitur sacra Synodus putavit peccatum mortale per contritionem perfectam votum confessionis annexum habentem remitti, sin minus licentiam faceret cum peccato graviori Eucharistiam accipere, quod nedum absurdum, sed & suæ doctrinæ eo loci traditæ prorsus contrarium est. Huic definitioni inhærentes summi Pontifices S. Pius V. & Gregorius XIII. sequentes Michaelis Baji damnarunt propositiones. Propositio 62. *Per contritionem, & cum charitate perfecta, & cum voto suscipiendi sacramentum conjunctam, non remittitur crimen, extra casum necessitatis, aut martyrii sine actuali susceptione sacramenti*. Propositio 31. *Charitas perfecta, & sincera, quæ est ex corde puro, conscientia bona, & fide non ficta, tam in Catechumenis quam in pœnitentibus potest esse sine remissione peccatorum*. Prop. 32. *Charitas illa quæ est plenitudo legis non est semper conjuncta cum remissione peccatorum*. Jam vero ibi Bajus loquitur de charitate actuali, scilicet de ea quæ prærequiritur ad remissionem peccatorum in Sacramento obtinendam velut dispositio, ut constat ex propositione 67. sed hæc actualis est, cum ad Sacramenta suscipienda non disponamur per habitus, sed potius per actus. Quid plura? Loquitur Bajus de charitate qua lex, & præcepta adimplerentur, ut patet ex prop. 32. hæc autem non est habitualis, sed actualis, cum non per habitus, sed per actus præcepta adimpleantur. Ergo &c.

Catechismus Rom. 2. p. n. 34. mira de efficacia contritionis scribit his verbis: " Ipsa certe contritio numquam illi gra-
„ ta (*scilicet Deo*) & accepta esse non
„ potest. Nam, inquit Propheta, *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies*.
„ Quin etiam statim, ut eam mentibus
„ nostris concepimus, peccatorum remis-
„ sionem nobis a Deo tribui. alio loco
„ ejusdem Prophetæ verba illa declarant:
„ *Dixi, confitebor adversum me injustitiam*
„ *meam Domino, & tu remisisti impieta-*
„ *tem peccati mei*. Atque ejus rei figu-
„ ram in decem leprosis animadverti-
„ mus, qui a Salvatore nostro ad Sacer-
„ dotes missi, antequam ad illos perve-
„ nirent, a lepra liberati sunt. Ex quo
„ licet cognoscere, veræ contritionis ...
„ eam vim esse, ut illius beneficio omnium
„ debitorum veniam statim a Domino
„ impetremus. „ *Et ante num.* 22. Pœnitentiæ itaque omnis in eo vis est, ut nos in Dei gratiam restituat, cum eoque summa amicitia conjungat.

Quarto, ratione, eaque multiplici.

PRIMA: Contritio non minus est efficax in lege nova ac erat in Mosaica: sed in ista sanctificabat sæpius absque Sacramento: Igitur idem dicendum est & in illa. Istam exhibet rationem Catechismus Romanus; ibidem enim n. 29. probat peccata plurimum esse detestanda; quia contritione delentur: " Maxime autem
„ hortandi & monendi sunt Fideles, ut
„ ad singula mortalia crimina proprium
„ contritionis dolorem adhibere studeant:
„ Ita enim Ezechias pœnitentiam de-
„ scribit, cum ait: *Recogitabo tibi omnes*
„ *annos in amaritudine animæ meæ* .... Sed
„ & apud Ezechielem quoque scriptum
„ legimus: *Si impius egerit pœnitentiam ab*
„ *omnibus peccatis suis, vita vivet*. „

Secunda: Charitas, & consequenter contritio filios Dei adoptivos efficit, juxta illud 1. Joan. 3. *Videte qualem charitatem dedit nobis pater, ut filii Dei nominemur, & simus*. Sed filiatio ista annexam habet omnium peccatorum remissionem, cum filius sit & regni hæres, quod de peccatoribus dici non potest. Ergo &c.

Tertia: Qui charitatem habet, legem adimplet, juxta illud Rom. 13. *Plenitudo ergo legis, est dilectio*. Sed contritio perfecta, qualis requiritur ad justificationem extra Sacramentum, perfectam, & si fieri potest, ardentissimam charitatem importat. Et probatur ex Catech. Rom. ibidem n. 27. dicente: ' Sed illud etiam animad-
„ vertendum est, ut quemadmodum, S.
„ Bernardo teste, nullus finis, & modus
„ charitati præscribitur, modus enim in-
„ quit ille, diligendi Deum, est ipsum
„ diligere sine modo, ita peccati detesta-
tioni

„ tioni nullus modus definitur. „ Pergit ibidem " Sit præterea non solum maxi-„ ma, sed vehementissima ... Etenim in „ Deuteronomio scriptum est: *Cum quæ-„ sieris Dominum Deum tuum, invenies „ eum: Si tamen toto corde quæsieris, & to-„ ta tribulatione animæ tuæ.* „

Quarta: Charitas facit amicos Dei, vel potius ipsa est amicitia hominis cum Deo, juxta illud Prov. c. 8. *Ego diligentes me diligo*. Et illud sancti Ambrosii Epist. 7. ad Simplicianum: " Libertas liberum „ facit hominem, charitas amicum Dei.„ Sed contritio perfecta charitatem importat; imo vero implicat aliquem esse amicum simul & inimicum, quod tamen contingeret, si contritio peccatum non remitteret. Igitur citra moram contritio, de qua loquimur, abstergit peccatum. Ista ratio utique est Catech. Rom. ibidem n. 30. his verbis: " Neque tamen „ hac in re desperent Fideles de summa „ Dei bonitate & clementia: is enim, „ cum nostræ salutis cupidissimus sit, „ nullam moram ad tribuendam nobis „ veniam interponit, sed peccatorem pa-„ terna charitate complectitur, simul at-„ que ille se collegerit, & universe „ peccata sua detestatus, &c. „

Solvuntur Difficultates.

OBJICIES: Lucæ cap. 7. hæc leguntur: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*. Igitur non eodem instanti, quo est dilectio vel contritio, datur peccatorum remissio; cum postea Christus mulieri dixerit, *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*: Sicque contritio eo ipso quo elicitur non habet annexam peccatorum remissionem.

Respondeo distinguendo consequens: Et verba Christi ad Magdalenam directa, erant solum veniæ vi contritionis obtentæ declarativa, concedo: ipsius remissionis causæ, nego. Eo enim ipso quo mulier dilexit, absque mora justificata est. Hæc Christi locutio potest illustrari exemplo mulieris quæ a profluvio sanguinis fide viva in Christum, & charitate formata jamjam fuerat sanata: Sic enim habetur Marc. 5. *Esto sana a plaga tua*, quibus verbis eam non curavit Christus, sed potius sanatam declaravit, & confirmavit.

Instabis: Prius est diligere Deum quam justificari: Igitur contritio perfecta ex se non importat remissionem peccatorum. Probatur antecedens ex illis Scripturæ verbis Joan. 14. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus*: Sed tunc tantum peccata dimittuntur, cum ad nos veniunt tres sanctissimæ Trinitatis Personæ; veniunt vero cum eas amando attrahimus; hinc scriptum est, 1. Joannis 4. " *Deus charitas est, & qui manet in „ charitate, in Deo manet, & Deus in eo*: „ Ergo &c.

Respondeo distinguendo: Prius est prioritate naturæ diligere Deum, quam justificari, concedo: prius est tempore, nego: Eo ipso momento quo quis perfecte diligit Deum, suorum obtinet peccatorum remissionem. Ceterum ista verba *ad eum veniemus*, non sunt referenda ad justificationem, sed ad gloriam æternam, teste S. Augustino Tract. 75. in Joan. Ea est autem glorificationis œconomia, ut quis ad vitam perveniat æternam: Primo oportet ut diligat Deum, tum ut mandata servet, postremo diligetur a Deo, dilectione illa perfecta quæ beatitudinem confert. Non abs re erit verba sancti Præsulis texere: " Ad hoc dixit, „ *diligam eum*, ad quod sequitur, *& mani-„ festabo ei meipsum*. Diligam & manife-„ stabo, id est, ad hoc diligam, ut ma-„ nifestem. Nunc enim ad hoc dilexit, „ ut credamus, & mandatum fidei te-„ neamus: tunc ad hoc diligit, ut videa-„ mus, & ipsa visione mercedem fidei „ capiamus. Quia & nos nunc diligimus „ credendo quod non videmus: Tunc au-„ tem diligemus videndo quod credimus.„

Urgebis: D. Paulus a Christo constitutus fuerat vas electionis, propter suam animi demissionem, cum dixit: *Domine, quid me vis facere*, quod pronuntiare non potuit nisi ex motivo amoris perfecti. Atqui tamen dixit ei Ananias Act. 22. *Et nunc quid moraris? Exurge, & baptizare, & ablue peccata tua invocato nomine illius*. Ergo &c.

Respondeo distinguendo minorem: *Ablue peccata tua*, hoc est Ananias injunxit Saulo Baptismum ut Christo incorpora-

pora-

poraretur, concedo: ut justificaretur, nego: Debuit baptizari propter duo. Primo quidem ex eo quod prior ejus de peccatis contritio includeret votum Baptismi & legis Christi observandæ. Secundo, quia nomen dare Militiæ Christianæ debebat, quod fit per Baptismum, qui est omnium Sacramentorum janua, sicque justificatio sacrum prælusit lavacrum.

Insistes: D. Augustinus Tract. 13. in Joan. sic habet: " Quantumcumque Catechumenus proficiat, adhuc sarcinam iniquitatis suæ portat. Non illi dimittitur, nisi cum venerit ad Baptismum." Igitur a pari peccata post Baptismum commissa non remittuntur, antequam adultus perveniat ad Pœnitentiæ Sacramentum. Ergo &c.

Respondeo distinguendo antecedens: Non dimittitur Catechumeno nisi per Baptismum, eo quod raro perfectam habeat contritionem, concedo: si haberet, nego. Quandoque contingit, ut Catechumeni ante Baptismum perfecte doleant de peccatis, & tunc justificantur. Quia tamen contritio Baptismi votum includit, debitor est legi, & ut stet de suscipiendo Baptismate promissioni, & ut ab omni reatu pœnæ solvatur, quod fit potissimum Baptismi efficacia, in quo quidem sensu S. Augustinus ait, Catechumenum eo usque peccatorum sarcinam portare donec baptizetur.

Persistes: Concilium Tridentinum Sess. 6. cap. 6. declarat eos qui se præparant ad Baptismum, incipere diligere Deum tamquam omnis justitiæ fontem, & tamen de illis ibidem dicitur, quod post illam dispositionem consequantur justificationem, quæ habetur per Baptismum. Igitur sentit Concilium per dilectionem Dei peccata non deleri. Confirmatur Sess. 14. cap. 4. habetur contritionem aliquando hominem Deo reconciliare; *si aliquando*: Ergo non semper: Ergo &c.

Respondeo distinguendo: Pœnitentes post illam solum dispositionem justificantur; eo quod talis dilectio sit imperfecta, concedo: si foret perfecta, nego. Quod autem non censeat Concilium dilectionem illam esse perfectam ex eo claret, quia de illis dicit eos dumtaxat incipere Deum diligere, similiter cum pronuntiat aliquando tantum contritionem justificare, illud verum est, cum sola contritio perfecta justificet extra Sacramentum.

Dices: Si contritio perfecte delet peccata, inutile evadit sacramentum Pœnitentiæ: fallum consequens: Ergo & antecedens. Neque vero in hac hypothesi, necesse erit Sacerdotem aliquo peccato mortali detentum, illud Confessario, antequam divina celebret mysteria, deponere; contrarium tamen sacra Synodus Trid. præcipit. Ergo &c.

Respondeo ad primum, Sacramentum sicut certius, sic & facilius remedium eatenus esse, quatenus amor imperfectus cum Sacramento ad justificationem sufficit; contritio autem perfecta difficillime habetur, quæ & insuper debet includere votum Sacramenti ut justificet: Ad secundum dico, Concilium injunxisse ideo Sacerdotibus ut peccata deponerent propter dignitatem Eucharistiæ, quæ exigit illam securitatem quæ habetur per Sacramentum, certitudinem vero tantam dare non potest actus contritionis, eo quod magis dubitandi sit locus de ejus sinceritate.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Contritio perfecta abstergit omnia peccata.

PRIMO: II. Reg. 12. ut primum David pœnitens dixit: *Peccavi Domino*: Nathan Propheta dixit ei: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum*. Rursus Luc. 7. Magdalenæ pœnitenti dicitur: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*.

Secundo: Idem docent SS. Patres, S. Cypr. Serm. 5. de lap. Basilius Orat. 4. de Pœn. Gregorius Magnus Homil. 33. His accedunt Concilia, in primis Tridentinum Sess. 14. cap. 4.

Tertio: Ratio hæc Theologica suadet. Contritio perfecta est vera ad Deum conversio, immo & unio cum illo per amorem amicitiæ, quandoquidem pœnitens dolet de peccatis propter Deum summe dilectum.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Tametsi prius sit prioritate naturæ Deum diligere quam justificari, non tamen prioritate temporis.

Secundo: Ne miremini, si Ananias præceperit Paulo vere pœnitenti ut baptizaretur, cum ejus contritio ipsum Baptismatis votum includeret, & nomen Christianæ Militiæ dare ei necesse foret, quod nonnisi per Baptismi susceptionem fieri poterat: Igitur ante Baptismum jam Saulus fuerat efficacia contritionis justificatus.

Tertio: Neque vero aliquod facessit negotium, cum Concilium Tridentinum injungit Catechumenis adultis de peccatis dolere, & postea baptizari; dolor enim de peccatis ut dispositio ad Baptismum rite suscipiendum requiritur: Utinam perfectus adsit, tunc enim ipso facto impium justificat; sed modo Baptismatis votum complectatur.

PUNCTUM QUARTUM.

Quale sit præceptum Contritionis, & quandonam obliget?

CONCLUSIO PRIMA.

Contritio præcipitur primo, a jure naturali: secundo & a Divino.

Probatur eam precipi jure Naturali.

PRIMO ex divo Augustino, qui Lib. de duabus animabus c. 14. sic habet: " Vox est etiam ista naturæ: neminem „ stultum rei hujus notitia deseruit: hoc „ nobis nisi penitus insitum esset, perire„ mus: potest aliquis dicere, non se pec„ care; non autem sibi esse si peccaverit „ pœnitendum, nulla barbaries dicere „ audebit. „

Secundo, ex sancto Hieronymo. Iste autem Comment. in cap. 7. Eccl. ad hæc verba, *ne impie agas multum*, Ita scribit: " Si juxta eos qui de Physicis disputant, „ novit hyrundo pullos de succo oculare „ chelidoniæ, & dictamum capreæ appe„ tunt vulneratæ: cur nos ignoremus „ medicinam Pœnitentiæ propositam esse „ peccantibus. „

Tertio, ex D. Thoma: hic enim quæst. 84. art. 4. ad 1. sic loquitur: " De jure „ naturali est, quod aliquis pœniteat de „ malis quæ fecit, quantum ad hoc quod „ doleat se fecisse, & doloris remedium „ quærat per aliquem modum, & quod „ etiam aliqua doloris signa ostendat; sic„ ut & Ninivitæ fecerunt. „

Quarto ratione: Attento solo jure naturali, eo non absimili modo tenemur injuriam alicui illatam resarcire, sicut desideramus, ut quis pro injuria nobis inflicta faciat satis, juxta illud innatum adagium: " Quod vis tibi per alium fieri, „ etiam facias ei. „ Sed peccator injuriam Deo infert: modus autem eam reparandi legitimus, citra dubium, est contritio: Ergo &c.

Probatur Scriptura sacra, & ratione Contritionem jure divino commendari.

PRIMO: Scriptura sacra proponit nobis pœnitentiam iisdem loquendi modis, quibus solet Baptismi, & Eucharistiæ præcepta, nam Luc. 13. dicitur: *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis*. Similiter de Eucharistia hæc leguntur Joan. c. 6. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis &c.* Act. c. 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum*: Sed illa testimonia indicant Baptismi, & Eucharistiæ sumptionem præcipi a Deo: Igitur idem dicendum est de Pœnitentia.

Confirmatur: Illud specialiter præcipitur, propter cujus omissionem homines a Deo reprehenduntur in Sacris Scripturis, & cujus omissio voluntaria inducit novum, & speciale peccatum: Atqui peccatores arguit Scriptura eo quod non agant pœnitentiam; sic enim Rom. 2. legitur: *Secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis justi judicii Dei*: Similiter voluntaria omissio, novum est peccatum, quod vocant Patres peccatum impœnitentiæ: Ergo &c.

Secundo, ratione D. Dhomæ 3. p. q. 84. art. 5. ad 2. quæ sic efformatur. Recta ratio dictat ex triplici capite nobis incumbere de peccato pœnitere. Primo quidem ex lege justitiæ, ut satisfacia-

facimus quantum possumus pro injuria Deo illata: Secundo ex lege charitatis erga Deum, qua tenemur illum amare super omnia, ac detestari quidquid illi displicet, ut ipsi reconciliemur: Tertio ex lege amoris proprii boni, qua saluti nostrę consulere debemus. Prima obligatio fluit ex vi præcepti Pœnitentiæ, aliæ vero ex preceptis spei & charitatis, id est, amoris Boni nostri supernaturalis. Igitur omnes qui peccato lethali constringuntur, ad contritionem eliciendam tenentur. " Sic loquitur S. Thomas: Dicendum, quod ex quo aliquis peccatum incurrit, charitas, fides & misericordia non liberant hominem a peccato sine pœnitentia. Requirit enim charitas, quod homo doleat de offensa in amicum commissa, & quod amico homo studeat satisfacere. Requirit etiam ipsa fides, ut per virtutem Passionis Christi, quæ in Sacramentis Ecclesiæ operatur, quærat justificari a peccatis; requirit etiam & ipsa misericordia ordinata, ut homo subveniat pœnitendo suæ miseriæ, quam per peccatum incurrit: Secundum illud Proverb. 14. Miseros facit populos peccatum. Unde Eccles. 30. dicitur: Miserere animæ tuæ placens Deo. "

CONCLUSIO SECUNDA.

Præceptum eliciendæ Contritionis non obligat statim ac peccatum fuit commissum.

Probatur multiplici ratione.

PRIMA hæc est: Præcepta affirmativa, obligant tantum certis temporibus, & positis quibusdam circumstantiis: Atqui præceptum de contritione est affirmativum; ubicumque enim Deus in Scritura sacra loquitur de pęnitentia, utitur terminis præceptivis, & imperantibus; præcepta autem negativa fiunt per prohibitionem ipso facto, & in qualibet temporis mora executioni mandandam: Ergo &c.

Secunda: Si teneretur homo statim ac peccavit ad contritionem, alicubi extaret illa obligatio: sed nullibi extat; Ecclesia quippe semel dumtaxat in anno imperat fidelibus, ut ad sacramentum Pœnitentiæ accedant. Ergo &c.

Tertia: Si homo statim ut peccavit teneretur ad conterendum, vel ob damnum Deo illatum, vel quia inde aliquod emolumentum Deo eveniret; neutrum dici potest: non primum quia damnum illud non est reale, nec aliquid peccator aufert vere, & proprie a Deo, sicut ille qui abripit bona aliena: non utique secundum, quandoquidem Deus omnia possidet, & nihil a suis recipit creaturis; ait enim Apostolus Rom. 11. *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?*

Colliges tamen teneri hominem ad conterendum: I. In articulo mortis. II. Quando imminet ingens mortis periculum v. g. in certamine. III. Cum prævidet nullum fore Sacerdotem, IV. Si ita circumdatur tentationibus, ut arbitretur se alio modo, eas non posse propellere; tunc enim urget præceptum, ibi quippe adest in dilatione remedii certum vitæ animæ perdendæ periculum.

FIT SATIS OBJECTIONIBUS.

OBJICIES contra primam conclusionem Impęnitentia finalis non opponitur præcepto contritionis: Igitur non datur pręceptum de contritione, alias præceptum illus opponeretur hujusmodi peccato. Probatur Antecedens: Impęnitentia quę opponitur Pœnitentiæ & Contritioni non est speciale peccatum, sed dumtaxat quędam circumstantia peccati illius in quo permanet prævaricator. Sic docet S. Thomas 2. 2. q. 14. art. 2. in corp. Ergo &c.

Respondeo negando Antecedens. Ad probationem distinguo, Impęnitentia generalis non opponitur Pœnitentiæ & contritioni, transeat; opponitur enim saltem indirecte contritioni: Impœnitentia formalis, nego. Duplex distinguitur impęnitentia, una generalis & late sumpta, quæ est nuda in peccato permanentia abstrahendo a voluntate diutius & semper in peccato permanendi, altera formalis, quę annexam habet voluntatem a peccato nunquam recedendi; Prior est solum quædam peccati commissi circumstantia; Posterior vero importat nolitionem perpetuam non conterendi; & ista specialem consti-

tuit peccati speciem quæ impœnitentia vocatur. Solutio est D. Thomæ ibidem his verbis: " Ex parte vero peccati duo „ sunt, quæ hominem a peccato retrahere possunt, quorum unum est inordinatio, & turpitudo actus, cujus consideratio inducere solet in homine pœnitentiam de peccato commisso. Et contra hoc ponitur impœnitentia, non quidem eo modo, quo dicit permanentiam in peccato usque ad mortem, sicut supra impœnitentia accipiebatur; sic enim non esset speciale peccatum, sed quædam peccati circumstantia, sed accipitur hic impœnitentia, secundum quod importat propositum non pœnitendi. „

Rursus in 4. Dist. 43. q. 1. art. 3. ad 3. ait: " Sicut perseverantia dicitur dupliciter: Uno modo est virtus specialis, pro ut dicit propositum perseverandi in bono incepto usque ad finem; & alio modo est circumstantia aliarum virtutum usque ad mortem. Ita etiam impœnitentia secundum quod dicit propositum non pœnitendi, est species peccati in Spiritum Sanctum, secundum autem quod dicit permanentiam in peccato usque ad mortem, negando peccati pœnitentiam, sic est accidens, & circumstantia aliorum peccatorum. „

Instabis: Gratia habitualis est necessaria necessitate medii ad salutem, non tamen necessitate præcepti: Igitur a pari idem de contritione dicendum est.

Respondeo negando consequentiam, & paritatem. Ratio discriminis est, quod non detur præceptum de habitibus supernaturalibus, quippe qui immediate infunduntur a Deo, bene vero de actibus, quia ab hominibus elici debent.

Urgebis: Præceptum datur tantum de eo quod est in potestate hominis: Sed actus perfectæ contritionis non est in potestate hominis, cum contritio sine gratia Dei non possit elici: Ergo &c.

Respondeo distinguendo minorem: Actus contritionis non est in potestate hominis in se relicti, concedo; a gratia adjuti, nego. Citra dubium est hominem se solo non posse actum supernaturalem elicere sine gratiæ adjutorio, ut non semel definitum est in Conciliis Africanis contra Pelagianos: sed utique verissimum est Deum non deficere in necessariis, juxta illud egregium Concilii Trid. Sess. 6. c. 11. effatum: " Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat ut possis. „

Repones: Si præciperetur contritio, maxime a jure naturali: sed hoc falsum est: Et probatur. Omnia præcepta naturalia continentur in præceptis Decalogi: sed in eis ne levis quidem fit mentio de præcepto contritionis. Ergo &c.

Respondeo negando minorem. Ad probationem distinguo minorem: Nulla fit mentio explicita contritionis in præceptis Decalogi, concedo: nulla virtualis & implicita nego; Eatenus enim continetur in primo præcepto, quatenus eo nobis injungitur Deum colere sicut oportet, & consequenter dolere de injuria ipsi per peccatum facta, alias cultus non foret perfectus.

Oppones contra secundam conclusionem: Ecclesiastici cap. 5. dicitur: *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem*: Rursus Apocalyps. cap. 2. *Age pœnitentiam, prima opera fac, sin autem veniam tibi cito, & movebo candelabrum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris*. Hinc D. Augustinus insurgit in eos qui remittunt pœnitentiam usque ad mortis tempus; sic enim habet Serm. 57. de tempore: ' Pœnitentia quæ ab infirmo petitur, „ infirma est; quæ autem a moriente „ petitur, timeo ne & ipsa moriatur. „ Igitur non est licitum procrastinare pœnitentiam.

Respondeo ad primum distinguendo: Et verba Ecclesiastici important necessitatem conversionis in genere, concedo: & designant modum, circumstantiam temporis, & accelerationem ejus, nego. Eo loci Ecclesiasticus quidem dat consilium diutius non procrastinandi pœnitentiam, minime vero præceptum, ita ut qui lethaliter peccaret, novum committeret peccatum, nisi cito citius & abique mora de culpa commissa amare doleret. Eadem est ad locum Apocalypeos responsio. Vel etiam dici potest, ista verba, *veniam tibi cito*, intelligenda esse de summo & supino ad serviendum Deum torpore, qui quidem est ad peccatum mortale proxima, & ne dicam, ultima dispositio; quod non

levius

levius indicant priora ista verba: *Habeo adversum te, quod charitatem tuam primam reliquisti. Memor esto itaque unde excideris: Et age pœnitentiam* &c.

Eadem respondemus ad auctoritatem divi Augustini. Quia vero homines proni sunt ab adolescentia ad malum, sæpius de probis moribus instituendis non stant promissionibus; hinc usus obtinuit apud Patres consilium dare, ut pœnitentiam salutarem non procrastinent, ne malum jam commissum serpat in pejus.

Instabis: Si homo non conteratur statim post peccatum commissum, ipso facto letbaliter peccat: Ergo &c. Probatur antecedens. Velle statum peccati mortalis est mortaliter peccare: Sed qui non dolet, ut primum peccavit, vult statum peccati mortalis, quippe qui nolit adhibere remedium per se necessarium, ne præceps in novum ruat peccatum. Ergo &c.

Respondeo negando antecedens. Ad probationem nego minorem; effectus enim ex omissione sequens non censetur virtualiter, & interpretative voluntarius, nisi ille qui potest, & tenetur, non faciat quod in se est. Et vero vel ipse Deus potest per suam omnipotentiam absolutam impedire peccata: quia tamen ad hoc non tenetur, ideo citra blasphemiam nullus potest ei imputare malum culpæ. Ex quo sequitur hominem, ne quidem vel virtualiter peccatum, ex hoc præcise quod, commisso peccato, absque mora de eo non conteratur, cum præceptum contritionis, [illegible] pore affirmativum, non statim & illico obliget.

Urgebis: Lex justitiæ obligat ad restituendam absque mora rem alteri furto ablatam. [illegible] & ad resarciendum damnum proximo [illegible]: sed a fortiori, quilibet tenetur citra moram Deo pro peccato commisso, contritionis ope, satisfacere. Ergo &c.

Respondeo negando consequentiam, & paritatem. Ratio discriminis est, quia homo cui bona fuerunt subrepta, patitur damnum; hinc fur tenetur statim reddere quod abstulit; Deus vero non patitur injuriam in bonis suis utilibus: Igitur ex dilatione contritionis nullum ei nocumentum advenit.

Insistes: Si quis alterius famam per detractionem violaverit, tenetur statim damnum reparare: Igitur & a pari, iterum dicam, immo a fortiori tenetur resarcire injuriam Deo illatam per peccatum: quod quidem recte fit per veram & perfectam contritionem, qua peccator, relictis diis alienis, scilicet creaturis, ex corde Creatori famulatur.

Respondeo distinguendo antecedens: Tenetur si periculum sit, ac grave incommodum statim sequeretur, concedo: Si non esset, nego. Similiter distinguo consequens: Si ex peccato hominis sequatur scandalum, & sicut Deus, sic & Religio ex contemptu aliorum detrimentum patiatur, concedo: sin minus, nego. Per accidens hujusmodi reparatio evadit in quibusdam circumstantiis necessaria, sed non fluit ex præcepto quo quis astringatur statim ut peccavit, actum contritionis efformare.

Persistes: Ubi primum homo graviter vulneratus est, tenetur citra moram quærere remedium: Pari igitur & consimili ratione, eo ipso tempore quo anima lethali peccato sauciata est, debet contritionis remedium adhibere, maxime cum plus sit quam corpus.

Respondeo distinguendo Antecedens: Quando vita ex dilatione remedii venit in periculum tenetur absque mora adhibere remedium, concedo: secus, nego. Simili modo distinguendum est consequens; eadem enim est ratio quantum ad hoc de salute mentis, ac de salute corporis; solutio est divi Thomæ, qui Quæst. 6. art. 5. sic respondet. " Ad secundum „ dicendum, quod non est de necessitate salutis corporalis, ut statim medicus „ quæratur, nisi quando necessitas curationis incumbit, & similiter est de morbo spirituali. „

Replicabis: Privatus gratia habituali non potest diu omnia peccata vitare; hinc tenetur gratiam absque mora requirere, ne in alia prolabatur peccata; siquidem, teste divo Gregorio Homilia 11. in Ezechielem: " Peccatum quod per pœnitentiam non deletur, suo pondere trahit „ ad aliud. „ Sed non alio medio quam contritione gratia sanctificans advocatur. Ergo &c.

Respondeo distinguendo majorem: Privatus gratia sanctificante tenetur illam per contritionem advocare tempore indeter-

minato, concedo: determinato, subdistinguo: si urgeant nimis tentationum impetus, & adsit vitæ periculum, concedo: sin minus, nego. Experientia non semel comprobatum est, eum qui ex fragilitate graviter peccavit, abstinere ad tempus auxilio gratiæ sufficientis ab eodem peccato, nec cito-citius iterum peccare.

Repones: Tenetur homo festivis diebus actum contritionis elicere, cum cunctis incumbat cultum Deo debitum adimplendi obligatio; sed posset contingere hominem peccato mortali jam detentum, ipso festi tempore de novo lethaliter peccare, in quo casu præcepto contritionis non satisfaceret. Igitur ne veniat in periculum hujusmodi omissionis, debet, ut primum peccavit, de culpa conteri. Probatur major: Vel in ipsa lege veteri præceptum contritionis festivis diebus obligabat; sic enim habetur Levit. 23. *Sabbatum requietionis est, & affligetis animas vestras*: A fortiori Christianus debet festivis diebus de peccatis dolere.

Respondeo negando absolute majorem; cum enim festivitas consistat in cessatione ab opere servili, & in exhibendis operibus religionis, hoc, omissa contritione, præstare potest peccator: Ad probationem dico, illud testimonium intelligendum esse non de contritione interna, sed de afflictione externa, scilicet de abstinentia a ludo, a nugis & crassis voluptatibus, ad quod & tenentur festivis diebus Christiani, sicut Judæi; sic & ceterum Scripturæ textus exponi potest de solo festo Expiationis, quod semel in anno contingebat juxta verba antecedentia: *Mense septimo*, inquit, *Moyses, decima die mensis affligetis animas vestras, nullumque opus facietis, sive indigena, sive advena qui peregrinantur inter vos, in hac die expiatio erit vestri, atque mundatio, ab omnibus peccatis vestris, coram Domino mundabimini; Sabbatum enim* &c. Ultro fatemur contritionem eliciendam esse, cum peccata expiare quisquis teneatur: sed præceptum ea expiandi non obligat pro semper.

Instabis: Festorum celebratio reducitur ad virtutem Religionis: Sed quod pertinet ad illam virtutem non potest fieri nisi ex motivo charitatis, charitas vero supponit actum contritionis: Igitur diebus festivis ad illum actum tenemur. Confirmatur: Festorum sanctificatio, non aliud est quam Dei cultus: sed nemo Deum colit nisi eum diligat: ita Augustinus in Ps. 77. " Hoc colitur, *inquit*, quod di-„ ligitur. „ Demum sanctificatio festi potissimum sita est in spirituali requie: Sed quies illa ab amore Dei causatur: Igitur saltem in die festo peccator tenetur ad actum contritionis: Ergo &c.

Respondeo I. controversiam præsentem non moveri præcise de diebus festivis, sed de die, hora & tempore, quo quis peccat mortaliter; & quæritur num cito-citius sub pena novi peccati committendi, teneatur de peccato patrato conteri?

Respondeo II. negando minorem; motivum enim contritionis non debet confundi cum motivo charitatis; quandoquidem objectum ejus diversum est.

Ad confirmationem facilis est responsio; sic enim distinguitur: Nemo Deum colit, nisi eum diligat ut vitam mereatur æternam, concedo: ut faciat satis præcepto, quo unusquisque tenetur Deum colere, & illi obsequi, subdistinguo: ad melius & perfectius, concedo: absolute, nego. Latum est igitur discrimen inter officium, & officii remunerationem æternam. Ut quis reddat Deo id quod ei debet, sufficit ei munia religionis externa exhibere, interioremque mentis applicationem eis adjungere; sed necesse non est absolute, ut sit in gratia, nisi ut coronam gloriæ percipiat. Ceterum non diffitemur præceptum contritionis diebus festivis non nihil urgere, & in solemnioribus requiri.

Urgebis: Fideles diebus festivis debent adesse Sacrificio altaris: Atqui ad hoc pie adimplendum requiritur status gratiæ, per contritionem & amorem habendæ; Et probatur. Deus rejicit sacrificia eorum qui sunt in peccato lethali, sed quisque Christianus tenetur offerre Deo sacrificia spiritualia, ut autem illa acceptet Deus, debet ille prius actum contritionis elicere; hinc sanctus Hieronymus in hæc verba Scripturæ Isa. 1. *Incensum abominatio est mihi; Neomeniam, & sabbatum, & festivitates alias non feram; iniqui sunt cœtus vestri*, ait: " Omnis conven-„ tus qui non offert hostias spiritua-„ les, nec audit illud quod in quinquage-

„ simo

„ ſimo Pſalmo caoitur: *Sacrificium Deo „ Spiritus contribulatus, cor contritum, & „ humiliatum Deus non deſpicies*, abomina„ bilis Deo.

Reſpondeo diſtinguendo: Et inde ſequitur ad meritum requiri, ut adſtans ſacro ſit io ſtatu gratiæ ſanctificantis concedo: ad executiooem præcepti ſibi injuncti, ut ei violatio non imputetur, nego. Ut adimpleat præceptum, ſufficit ut adſtet, oretque meote & ore, quibus diſpoſitionibus ſatisfacit præcepto; immo ſic flectit Deum, pronumque eum reddit, ad hoc ut ei condonet peccata; quare Publicaous orando obtinuit remiſſionem peccatorum, quam & peccator obdiendo Eccleſiæ, Deumque deprecando impetrat.

Perſiſtes: Atqui requiritur contritio charitate formata, ut reddatur cultus Deo debitus: & probatur. Præceptum miſſæ audiendæ obligat in die feſto: Sed huic ſacrificio addendum eſt a quolibet fideli ſacrificium cordis contribulati: ſin minus nihil Miſſa proderit peccatori ei adſtanti. Ergo &c.

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad probationem diſtinguo minorem: Sacrificio Miſſæ addendum eſt ſacrificium ſpiritus contribulati diſpoſitive, concedo: contribulati perfecte, ſubdiſtinguo. Ad majorem perfectionem, concedo: abſolute, ita ut peccet de oovo peccator ſi contritionem omnibus numeris abſolutam oon eliciat, nego. Debet peccator credere, audire Miſſam cum devotione, ut ſe ſe ad juſtificationem diſponat: & hoc ſufficit ut præceptum audiendi Miſſam adimpleat. Variæ, ultro fateor, ſunt circa iſtud momeotum ſeotentiæ; una quorumdam recentiorum, qui autumant Chriſtianum peccato mortali detentum, io novum ruere, ſi audiat Miſſam, oiſi prius vel deponat io coofeſſione peccatum ut ab eo abſolvatur, vel ſaltem perfecte de illo conteratur: altera, & communior, immo & veracior, hoc ooo eſſe oeceſſe, ſed ſufficere, ut abſque affectu actuali ad peccatum audiat ſacrum; & huic aſſentiendum eſt.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Contritio præcipitur ex jure naturali & divino. Non tamen ut primum commiſſum eſt peccatum mortale.

Prima pars patet. Quia inquit D. Thomas hic q. 8. art. 7. ad 1. " De jure „ naturali eſt, quod aliquis peniteat de „ malis quæ fecit, quantum ad hoc quod „ doleat ſe feciſſe: Et doloris remedium „ quærat per aliquem modum, & quod „ etiam aliqua ſigna doloris oſtendat, ſic „ ut & Ninivitæ fecerunt. „ Si vero ſermo ſit de jure divioo, paſſim in ſacris Scripturis injungitur impiis Pœniteotia; maxime Luc. 13.

Altera pars, Videlicet quod præceptum contritionis non obliget ſtatim atque commiſſum eſt peccatum, omoes doceat Theologi, iſta ionixi ratione, quod præceptum affirmativum, quale eſt illud de quo movetur controverſia, oon obliget pro ſemper.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET RESPOSIONUM.

PRIMO: Impœnitentia finalis adæquate ſumpta, & ut includit firmum in peccando propoſitum numquam a malo recedendi, opponitur præcepto contritionis, cum ſit de jure naturali & divioo a peccato taodem aliquaodo recedere.

Secundo: Præcipitur quidem io genere peccatori, ut citra moram ad Deum convertatur, ſed hoc eſt conſilium, ooo lex; cum Eccleſia fidelis voluntatum Chriſti ioterpres præcipat ſolum ſemel in anoo, ſub pœoa cenſuræ, depooere cooſeſſario peccata.

Tertio: Verum quidem eſt furem teneri ablatum abſque mora reſtituere, quia damnum phyſicum proximo iotulit: ſed peccatum non oiſi morale inducit. Si tamen adſit vitæ periculum peccator non debet procraſtinare contritionem; ſicut oec in ſolemnioribus Myſteriorum feſtis; tunc enim cultus ſpecialiſſimus Deo debetur, qui ſane ſecluſo de peccatis dolore, non exhiberetur.

PUNCTUM PRIMUM.

In quo differat Contritio ab Attritione?

Placita Theologorum.

THEOLOGI circa istud momentum in varias abiere opiniones. Scotus autumat contritionem in eo distingui ab attritione, quod sit dolor isto intensior, & diutius perduret; sed ista opinio in hoc claudicat, quod ut infra ostensuri sumus, specie inter se differant; majus autem, & minus non diversificant speciem.

Alii putant in eo contritionem ab attritione secernendam esse, quod actus contritionis informetur gratia, attritio autem sit absque gratia habituali; sed incassum affertur istud discrimen, cum non semel contingat attritionem conjungi cum Pœnitentiæ Sacramento, & sic informari gratia.

Arbitrantur quidam contritionem odio habere peccata mortalia, super omnia mala; attritionem vero non super omnia mala: ast illa sententia non potest propugnari; quia contritio potest habere dumtaxat pro objecto peccatum veniale, quod homo odio habebit super omnia: Igitur tunc objectum contritionis non erit summum malum: Igitur per hoc non satis ab attritione distinguitur.

Opinantur alii, inter utrumque dolorem illud esse discrimen, quod contritio saltem virtualiter se se extendat ad omnia, peccata, eaque odio habeat super omnia; contra vero, ajunt, attritionem non se se extendere ad omnia: verum nec illa opinio est amplectenda; in eo enim non distinguuntur actus, quod debet esse eis commune: sed uterque dolor debet habere pro fine odium omnium peccatorum, quandoquidem pœnitens non potest detestari unum peccatum sine alio: nec enim unum sine alio remittitur; ejus etiam est muneris ea odio habere super omnia.

Morinus ex Congregatione Oratorii Gallicani, & post ipsum Jueninus, ejusdem Congregationis alumnus nullum statuunt discrimen essentiale inter charitatem perfectam, & imperfectam; docent quippe utriusque objectum esse Deum in se dilectum; & non nisi per gradus inter se differre; ita quod amor ille sit perfectus qui est intensissimus, ille vero imperfectus, qui non est adeo intensus.

Demum Quietistæ, ita constituunt specificum charitatis motivum in ordine ad Deum, ut excludant omnen respectum ad nos; ne quidem ad nostram beatitudinem æternam. His positis sit

CONCLUSIO.

Distinctio specifica contritionis perfectæ ab imperfecta, quæ vocatur attritio, petitur a principiis & motivis specie diversis.

Probatur ratione Theologica Scripturarum, & Patrum auctoritate fulta.

ILLA differunt inter se specifice, quorum principia & motiva sunt specie diversa: Atqui principia & motiva contritionis & attritionis sunt specie diversa: Et Probatur. Quæ a diversa fluunt virtute, & quorum munia non eadem sunt, habent principia & motiva prorsus diversa: Atqui contritio & attritio sunt hujusmodi; cum amor in utroque actu conclusus talis sit. Et probatur: Prior actus, videlicet contritionis perfectæ promanat a charitate; habet enim Deum immediate pro objecto. & in ipso quatenus summe amabili, ultimate quiescit; secundus vero dimanat a spe, ideo enim eum diligimus, quia ab eo speramus, & recipimus bona supernaturalia: atqui virtutes illæ sunt diversæ, & illi modi Deum attingendi inter se discrepant. Probatur minor quoad singulas partes.

Charitas perfecta a spe, specie distinguitur.

Probatur auctoritate & Ratione.

PRIMO, ex Scriptura sacra. Duplicem hanc virtutem distinguit ab invicem divus Paulus 1. Cor. c. 13. his verbis: *Nunc autem manent, fides, spes, & charitas; tria hæc, major autem horum est charitas.* Confirmatur: Charitas habet, quod hominem

minem cum Deo reconciliet, illud autem ſpei non competit; nam de charitate, non de ſpe 1. Petri c. 4. dicitur *Charitas operit multitudinem peccatorum*. Rurſus Rom. c. 13. *Charitas eſt vinculum perfectionis*: Quod nuſquam de ſpe prolatum eſt.

Secundo: Illud expreſſe docet D. Thomas 1. 2. q. 65. art. 4. ad 1. " Fides, " *ait*, & ſpes ſecundum proprias ratio-" nes, nec a prudentia, nec a charita-" te dependent; & ideo ſine charitate " eſſe poſſunt, " Et in corpore articuli: " Charitas, *inquit*, dat fidei, & ſpei per-" fectionem virtutis: ſed fides, & ſpes " ſecundum rationem propriam præſup-" ponuntur ad Charitatem. "

Tertio, ratione, eaque multiplici.

Prima: Peccato mortali detenti ſunt ſine charitate & perfecto Dei amore, & tamen actum ſpei elicere tenentur. Ergo &c.

Altera: Charitas numquam excidit; e contra vero ſpes, quæ dubio procul non remanet in cœlo; quod enim quis videt, quid ſperat? ait D. Thomas. Ergo &c.

Tertia: Spes in Deum tendit: ſed charitas in eo quieſcit, & illum poſſidet. Igitur illæ virtutes non ſunt una & eadem entitas, ſed potius plures ab invicem diſtinctæ.

Munus Contritionis & amoris perfecti diverſum eſt ab officio Attritionis & amoris imperfecti.

Probatur hoc ratiocinio.

QUOD attingit Deum diverſo modo, ab attritione & amore imperfecto diverſum habet ab eo munus obeundum: Atqui res ſic eſt reſpectu utriuſque contritionis & attritionis: Et probatur. Contritio includit perfectam charitatem qua diligitur Deus propter ſe; hinc amor benevolentiæ nuncupatur: E contra vero attritus, non niſi eum, ut ſibi bonum eſt, amat; qui quidem amor nomine amoris concupiſcentiæ donatur: Ergo &c.

Quæ ſunt in iſta minore partes, ſcilicet quod amor perfectus qui tribuitur perfectæ contritioni, diligat Deum propter ſe ſolum & ejus præcellentem bonitatem, attritio vero eum diligat, ut totius juſtitiæ fontem, & ut bonum ſubjecti ſeu creaturæ, probantur.

Contritus diligit Deum propter ſe, & quia ſummum bonum eſt.

Probatur multis momentis.

PRIMO ex Scriptura ſacra. Deut. c. 6. hæc leguntur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua*. Similiter Proverb. c. 23. *Præbe fili mi, cor tuum mihi, & oculi tui vias meas cuſtodiant*. Rurſus Eccli. c. 23: *Omni vita dilige Deum, & invoca illum in ſalute tua*: Hæc de Davide pronunciat Eccleſiaſticus cap. 47. *De omni corde ſuo laudavit Dominum, & dilexit Deum qui fecit illum*. Ipſe Pſaltes Regius ſic exclamat: *Quid enim mihi eſt in cœlo? & a te quid volui ſuper terram. Defecit caro mea, & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum*. Hoc ductus motivo Rom. c. 8. ſanctus Paulus exclamat: *Quis nos ſeparabit a charitate Chriſti? Tribulatio, an anguſtia, an fames.... Certus ſum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque creatura alia poterit nos ſeparare a charitate Dei quæ eſt in Chriſto Jeſu*: Ibi autem, ut claret, Deus in ſe diligendus præſcribitur. Ergo &c.

Secundo, ex ſanctis Patribus. Eamdem veritatem docent unanimiter ſancti Doctores, quippe qui Deum in ſe ſumme bonum, & perfectum abſtrahendo a proprio amantis commodo, aſſignent, tamquam proprium charitatis, & amoris perfecti objectum, juxta illud divi Pauli 1. Cor. 5: *Charitas non quærit quæ ſua ſunt*. Et primo quidem ſanctus Baſilius, qui præfatione in regulas profuſiores circa medium ſic loquitur: " Aut metu ſupplicii " a vitiis declinamus, atque ita animum " ſervilem induimus, aut mercedis ſpe " ducti ad utilitatem noſtram, præcepto-" rum obſervantiam referimus, aut cer-" te pulchro ipſo impulſu, & charitate " quam erga ipſum habemus, a quo legem " accipimus Deo ſervimus, atque hoc " modo bonorum filiorum erga parentes " ſuos animus imitatur. " Audis ſanctum

Præ-

Præsulem secernere amorem perfectum ab imperfecto ex utriusque motivo, & diversa in Deum tendentia.

Idem legimus in divo Ambrosio, qui L. 4. de interpellatione David. c. 11. sic fatur: " Qui illum sequitur non præmio „ ducitur ad perfectionem, sed perfe„ ctione consummatur ad præmium, imi„ tatores Christi sunt, non propter spem „ boni, sed pro amore virtutis. „

S. Hieronymus, eodem se explicat modo Epist. 46. ad Damasum his verbis: " Qui diligit, non ideo imperata custo„ dit, quia aut timore pœnarum, aut „ præmii aviditate compellitur, sed quia „ hoc ipsum quod a Deo jubetur, est o„ ptimum. „

Infinitus essem, si ea omnia, quæcumque scripsit beatus Augustinus de amore Dei puro, vellem hic texere. Unum dumtaxat quod e multis seligam, depromitur ex Soliloquiorum capite 6. ubi sic habet: " Quisquis cognoscit te, diligit „ te, se obliviscitur; amat te plusquam „ se, relinquit se, ut veniat ad te. „

Tertio, ratione: I. Contritio in tantum dicitur perfecta, in quantum includit vehementissimum & filialem Dei amorem; hinc qui flet amare peccata, & de eis vere conteritur, nonnisi amore puro, eoque ardentissimo dolet. Igitur amor perfectus in contritione consistens Deum propter Deum solum diligit. Ista ratio est Catechismi Romani 2. p. de Pœn. n. 35. " Nam cum perfecta contritio sit „ charitatis actio, quæ ab eo timore, „ qui filiorum est, proficiscitur: patet „ eumdem charitatis & contritionis mo„ dum statuendum esse: at quoniam cha„ ritas, qua Deum diligimus, perfectis„ simus est amor; hinc fit, ut contritio „ vehementissimum animi dolorem con„ junctum habeat. Ut enim maxime di„ ligendus est Deus; ita quæ nos a Deo „ alienant, maxime detestari. „

II. Eadem est lex oppositorum: sed homo concupiscentia aut carnis, aut oculorum victus ita quiescit in creatura, ut in ea suum ultimum reponat finem: Igitur e contrario perfecte de peccato contritus, ita Deum propter se diligere debet, ut in eo perfecte tamquam in summo bono quiescat.

III. Judicandum est de contritionis pondere ac de dolore ex eo, quem vere pœnitentes habuisse Scriptura sacra nobis proponit, quales fuerunt Petrus & Magdalena pœnitentes: Sed uterque dolebat de peccato, quia supremam lædit bonitatem: de illo enim dicitur Matth. 26. *Flevit amare*. De ista vero Luc. 7. *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum*. Ergo &c.

Attritus Deum diligit, quia sibi utilis est.

Probatur argumento Theologico efficacissimo.

AMARE Deum solummodo ut totius justitiæ fontem, & quia ex illo bono possesso summa nobis beatitudo promanat, est illum amare amore concupiscentiæ, & eo potissimum motivo, quia utilis est. Atqui ista sunt motiva amoris imperfecti: Minor hæc propositio suadetur multis momentis.

Primo: Hæc leguntur Psal. 17. *Diligam te, Domine, fortitudo mea, Dominus firmamentum meum, & refugium meum*; Psalm. 118. *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum, propter retributionem*. 1. Joan. cap. 4. *Nos ergo diligamus Deum, quoniam ipse prior dilexit nos*. Ibi motivum amoris David erga Deum est collatio fortitudinis, firmamenti, refugii, & retributio. Similiter divus Joannes ideo nos stimulat ad amorem Dei, quia prior dilexit nos: Ergo &c.

Secundo: Amare Deum amore concupiscentiæ, est eum omnibus rebus anteponere, ejus mandata servare, omnia adversa patienter tolerare, vel timore pœnarum incurrendarum, vel intuitu gloriæ sempiternæ consequendæ: Atqui Scriptura, & Patres ubique asserunt Deum condonare crimina, remittere pœnam æternam peccatis debitam, gloriam celestem largiri iis qui hoc motivo pie & juste vixerint: Ergo hæc ita certa sunt, ut necesse non sit longam auctoritatum seriem texere, unde e multis pauca seligere juvat. De Pœnitentiæ efficacia hæc leguntur Ezechielis c. 18. *Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est: Et custodierit omnia præcepta mea,*

mea, *& fecerit judicium*, *& justitiam*, *vita vivet*, *& non morietur*. Rursus c. 33. *Si autem dixero impio*, *Morte morieris*, *& egerit pœnitentiam*, *a peccato suo*, ... *vita vivet*, *& non morietur*. Item Act. 3. *Pœnitemini igitur*, *& convertimini*, *ut deleantur peccata vestra*. His in locis bene operantibus promittit Christus vitam æternam. Matthæi c. 5. his verbis: *Beati pauperes spiritu*, *quoniam ipsorum est regnum cœlorum*... *Beati mundo corde*, *quoniam ipsi Deum videbunt*.... *Beati estis cum maledixerint vobis*, *& persecuti vos fuerint*... *Gaudete*, *& exultate*, *quoniam merces vestra copiosa est in cœlis*. Ergo &c.

Idem astruunt SS. Patres, nam & pœnitentiæ efficaciam prædicant, & gloriam intuitu meritorum concedi docent: quocirca hortatur peccatores ut pœnitentiam agant, si beatitudinem æternam sibi donari velint. De primo capite S. Cyprianus sermone de lapsis ait: " Qui sic „ Deo satisfecerit, pœnitentia facti sui, „ qui pudore delicti, plus & virtutis, „ & fidei de ipso lapsus sui dolore conceperit: exauditus & adjutus a Domino, quam contristaverat nuper, lætam „ faciet Ecclesiam, nec jam solam Dei „ veniam merebitur, sed coronam, „ Concinit sanctus Chrysostomus Lib. de compunctione cordis his verbis: " Sola „ est cordis compunctio, quę sicut ignis, „ omne animæ vitium perurit, & adimit, & quantacumque in ea reperit „ mala, abstergit universa, & penitus „ delet. „

De alio momento multus est sermo in iisdem sanctis Patribus. Enimvero vitam æternam proponi pro motivo doloris passim docent. Instar omnium sit D. Augustinus, qui Serm. 19. de verbis Apostoli, sive 178. editionis novæ sic habet: " Ecce propter quam visionem fac bonum, „ ecce propter quam noli facere malum. „ Hunc Doctorem sequitur divus Thomas 2. 2. q. 23. art. 1. ubi ait: " Mutua benevolentia fundatur super aliqua communicatione. Cum ergo sit aliqua „ communicatio hominis ad Deum, secundum quod nobis suam beatitudinem communicat, super hanc communicationem oportet aliquam amicitiam „ fundari. „

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objicies: Distinctio amoris perfecti ab imperfecto non fluit a motivis, si æterna beatitudo non ad amorem imperfectum, sed ad perfectam charitatem pertineat: Atqui de facto proprium est charitatis sibi gloriam desiderare: Ergo &c. Probatur minor. Amor quo S. Paulus Philipp. c. 1. cupiebat dissolvi, & esse cum Christo erat perfectæ charitatis, juxta S. Thomam 2. 2. q. 24. art. 9. Sed ejus motivum erat unio quædam amantis cum re amata; unio autem illa essentialiter includit respectum mutuum extremorum quæ uniuntur, nempe amantis, & rei amatæ: Igitur propria beatitudo est motivum charitatis perfectæ.

Respondeo negando minorem: Ad probationem distinguo: Amoris S. Pauli motivum erat unio cum Christo propter summam ejus bonitatem, ac perfectionem in se absolute spectatam, concedo: Propter beatitudinem, quæ nos beatos reddit, subdistinguo: Hujus amoris motivum erat æterna beatitudo objective sumpta, hoc est Deus ipse in se bonus, qui est objectum nostræ beatitudinis, concedo: æterna beatitudo formaliter sumpta, hoc est possessio ista Dei quatenus actu, & formaliter beatos nos reddit, nego. Motivum ergo divi Pauli, erat summa, & infinita Dei perfectio in se considerata, minime vero quatenus ex illa nobis bona proveniunt; eadem est responsio ad probationem. Ceterum potest dici beatitudinem ut bonum hominis, fuisse motivum amoris Apostoli, non quidem primarium, sed secundarium; in quantum qui vult & amat Deum propter summam ejus bonitatem, consequenter & propter seipsum illum vult & quærit.

Instabis: D. Thomas tria docet, quæ adversantur conclusioni datæ. Primo asserit charitatem esse amorem Dei quo diligitur ut beatitudinis objectum: ita 1. 2. q. 65. art. 5. ad primum his verbis: " Charitas non est qualiscumque amor „ Dei; sed amor quo diligitur ut beatitudinis objectum, ad quod ordinamur „ per fidem, & spem. „ Idem docet q. 114. art. 4. in corpore. Idem pariter 2. 2. q. 23. art. 4. in corpore, II. Affirmat du-

duplex esse charitatis motivum, unum primarium, nempe bonitatem Dei in se consideratam, alterum secundarium a primario inseparabile, nempe bonitatem Dei relativam ad nos, id est quatenus est nostra beatitudo, ita 2. 2. q. 23. art. 5. ad 2. III. Dicit amicitiam charitatis fundari super communicationem beatitudinis, ut legere est 2. 2. q. 23. art. 1. in corpore. Ergo &c.

Respondeo I. Inter ista duo, maximum esse discrimen, videlicet charitatem esse amorem Dei quo diligitur ut beatitudinis objectum, & charitatem tendere in Deum ex motivo beatitudinis in ipso consequendæ. Primum merito asserit sanctus Thomas, nam Deus sicut beatitudinis, sic & charitatis objectum est, quia summe bonus, & perfectus est in se; pertinet autem ad summam Dei perfectionem, quod sit nostræ beatitudinis objectum; nisi enim summe perfectus esset, nostra non foret beatitudo; charitas vero ex proprio & formali motivo, non tendit in Deum quatenus est nostrum bonum, seu nostra beatitudo: Unde divus Thomas non dixit Deum quatenus est auctor nostræ beatitudinis esse objectum charitatis, sed simpliciter dicit Deum ut objectum nostræ beatitudinis diligi amore charitatis, eo quod sicut objectum amoris perfecti est Deus secundum se spectatus, ita objectum charitatis est idem Deus ut in se est. Hac explicatione posita, absque negotio solvuntur ea omnia quæ objiciuntur ex divo Thoma; unde cum ait amicitiam charitatis fundari in communicatione beatitudinis, loquitur de dispositione excitante, & movente ad charitatem; non vero de motivo formali, & specifico; quando autem ait non esse contra charitatem ut quis diligendo Deum, ad mercedem respiciat, distinguendum est inter esse contra charitatem, & esse ex motivo proprio, & specifico charitatis; nam operari ex motivo mercedis non est contrarium charitati.

Respondeo II. distinguendo: Et S. Thomas in laudatis & similibus locis unum tantummodo docet, Deum scilicet ut bonum, esse cujuscumque amoris sive perfecti, sive etiam imperfecti objectum, concedo: Et contendit charitatem perfectam non tendere in Deum præcise propter suæ bonitatis excellentiam, nego. Solutio patet ex locis divi Thomæ in probationem conclusionis supra allatis.

Instabis: Deus per charitatem diligitur ut benevolus, beneficus, & beatificans: Atqui non potest sub ea ratione diligi sine respectu ad bonum quod ex illo speramus: Ergo &c.

Respondeo distinguendo majorem: Diligitur ratione principii, hoc est quia habet in se perfectiones omnes inter quas est beneficentia, concedo: ratione termini, hoc est boni quod ex divina beneficentia in nos derivatur, nego; istud enim pertinet ad spem, non ad charitatem.

Urgebis: Non potest homo abstrahere a naturali illo desiderio quo beatitudinem quærit & exoptat, namque in omni charitatis actu imbibitur: Ergo &c.

Respondeo distinguendo antecedens: Non potest homo se spoliare naturali desiderio beatitudinis vel formaliter, & explicite, vel virtualiter & solum implicite, concedo; formaliter semper & explicite, quasi in quolibet actu semper expliceite, & formaliter desiderium beatitudinis habeat, & illius motivo agat, nego. Tametsi enim desiderium illud excludere non valeamus, utpote nobis innatum circa beatitudinem in communi, in actibus tamen libere elicitis, ita possumus ab illo desiderio mentem avocare, & abstrahere, ut non propter illud formaliter, & explicite, sed propter absolutam objecti bonitatem, seu excellentiam operemur.

Persistes: Amor Dei castus, purus, & gratuitus, est amor perfectus charitatis: Sed amor quo amatur Deus quatenus nobis bonus, seu quatenus est nostra beatitudo, est hujusmodi: Ergo &c.

Respondeo distinguendo minorem: Amor quo diligimus Deum ut nostram beatitudinem est castus comparative ad amorem quo ad temporalia inhiamus, concedo; relative ad charitatem qua Deus diligitur propter suam excellentissimam bonitatem, nego. Quis autem dixerit amorem quo Deum diligimus propter nos, non nihil esse mercenarium. Norunt omnes actum moralem specificari ab objecto

for-

formali, quod certe juxta diversa motiva, diversum quoque evadit. Ex quo sequitur attritionis amorem esse longe diversum a contritionis dilectione.

Repones: Amor mercenarius opponitur perfectioni: Igitur & ab attritione amovendus est.

Respondeo distinguendo antecedens: Amor mercenarius temporalium opponitur perfectioni, concedo: amor Dei propter spem beatitudinis, nego. Est enim ad perfectionem gradus, cum ad Deum fide, & spe ascendamus, ut charitate & visione in ipso quiescamus. Hinc S. Augustinus totam vitam christianam virtutibus Theologicis institui docet Enchir. cap. 3. ubi sic ait: " Fide, spe, & charitate colendum Deum ... Hæc enim maxime, immo vero sola in religione sequenda sunt ... Cum autem initio fidei quæ per dilectionem operatur imbuta mens fuerit, tendit bene vivendo etiam ad speciem pervenire, ubi est & sanctis, & perfectis cordibus nota ineffabilis pulchritudo, cujus plena visio est summa felicitas; hoc enim nimirum quod requiris, *quid primum*, *quid ultimum teneatur*: inchoari fide, perfici specie." Ergo &c.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Contritio specifice ab Attritione distinguitur.

PRIMO ex S. Paulo, qui 1. Cor 13. ait spem a qua promanat attritio, excidere; charitatem vero in æternum permanere. Quod vel ipsa quotidiana probat experientia, cum certum sit justum habere charitatem, eam vero, cum in peccatum mortale prolabitur, deperire, sed non spem, quippe qui speret in Domino.

Secundo: Idem Apostolus non semel distinguit amorem charitatis, qui contritioni tribuitur, ab amore imperfecto attritionis, quo peccator accedit ad Deum ut totius justitiæ fontem. Rom. 8. priorem designat his verbis; *Neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, qua est in Christo Jesu*: Posteriorem vero 1. Tim. 4. *In hoc enim laboramus & maledicimur: quia speramus in Deum*. Rursus, 2. Tim. 4. *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitia, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex*. Concinit Concilium Tridentinum Sess. 14. cap. 4. concinunt & Patres, ut Amb. L. 4. de interpell. David cap. 11. Solil. cap. 6. &c.

Tertio: Actus specificantur per ordinem ad objectum formale, quod sane diversum est pro contritione & attritione: Illa enim dolet de peccato propter Deum summe & propter se dilectum: ista vero propter Deum ut est bonum nobis utile.

SYNOPSIS OBJECTIONUM ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Verum quidem est contritum & attritum ad Deum ut bonum tendere: sed aliter, & aliter. Primus illum propter suam bonitatis excellentiam diligit, secundus vero ut est sua felicitas & beatitudo.

Secundo: Tametsi Deus ut bonus non distinguatur a parte rei a se, ut est in se summum bonum, & ut bonum est creaturæ beatificandæ, peccator tamen potest abstrahere a priori, & ad Deum solummodo ut est totius justitiæ fons, & omnium beatitudo, accedere: & quia juxta istud adagium, *Quidquid faciant homines, intentio judicat omnes*: sequitur attritionem esse a contritione prorsus diversam.

Tertio: Ultro fatemur cum S. Thoma Deum ut bonum esse omnis amoris objectum: Sed diversimode; ut spectatur in se bonus, est charitatis objectum: ut vero bonus pro nobis, objectum est amoris imperfecti, seu attritionis.

ARTICULUS QUARTUS.

De Contritione imperfecta.

CONTRITIO imperfecta nomine attritionis sæpius celebrata, ea dicitur juxta Concilium Tridentinum, quæ vel ex turpitudine peccati, vel ex metu gehennæ, aut amissionis vitæ æternæ concipitur; quæ si voluntatem peccandi exclu-

eludat, cum spe veniæ, verum est Dei donum, & Spiritus sancti impulsus, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo pœnitens adjutus, viam sibi ad justitiam parat: *Et quamvis*, ait, *sine sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit*.

Verum operæ pretium est hic subnotare, duo potissimum requiri ut hujusmodi dolor una cum Sacramento peccatorem justificet; primum quidem, quod a gratia actuali procedat; definit enim Concilium Tridentinum Sess. 6. cap. 5. initium justificationis a gratia profluere. Alterum vero, quod ex motivo supernaturali eliciatur; sin minus esset quid mere naturale, adeoque ad reconciliationem impii cum Deo prorsus insufficiens, ut non semel declaratum legitur in Conciliis contra Pelagianos adunatis.

His prælibatis, tria quæruntur. Primo, num attritio metu gehennæ concepta hominem magis peccatorem efficiat, ut perperam contendunt Lutherani? Secundo, an ille dolor, omni secluso amore sufficiat cum Sacramento ad justificandum impium? Tertio demum, quisnam debeat esse amor quem plurimi exigunt Theologi? Utrum sufficiat amor a spe fluens, qui concupiscentiæ nomine donatur, eo quod pœnitens diligat Deum ut sibi utilis est?

SECTIO PRIMA.

Num timor pœnæ æternæ, quo concussus peccator ad pœnitentiam movetur, sit bonus?

PRÆNOTANDUM est quadruplicem esse timorem, videlicet mundanum, quo quis a Deo recedit propter quædam imminentia mala: puta ne teneatur crucem portare, bona deprædata restituere &c. Servilem, quo solo pœnæ æternæ vitandæ motivo Deo adhærere seligit: initialem, quo partim propter malum pœnæ, partim etiam propter malum culpæ Deo conjungi satagit: Filialem vero, quo propter Deum summe dilectum a malo culpæ abhorret. Sic docet S. Thomas 2. 2. q. 19. art. 2. in corp. his verbis: "De timore nunc agimus, secundum „ quod per ipsum aliquo modo ad Deum „ convertimur, vel ab eo avertimur. „ Cum enim objectum timoris sit malum, „ quandoque homo propter mala, quæ timet, a Deo recedit: Et iste dicitur „ timor humanus, vel mundanus. Quandoque autem homo propter mala quæ „ timet, ad Deum convertitur, & inhæret; quo quidem malum est duplex, „ scilicet malum pœnæ, & malum culpæ. Si ergo aliquis convertatur ad „ Deum, & ei inhæreat propter timorem pœnæ, erit timor servilis. Si autem propter timorem culpæ, erit timor filialis. Nam filiorum est timere „ offensam patris. Si autem propter utrumque, est timor initialis, qui est „ medius inter utrumque timorem. „

Ad majorem explicationem observandum est, aliquem peccatorem posse attritum esse dupliciter: Primo quidem solo metu pœnæ, recedendo a peccato, ita ut si non daretur infernus, perseveraret in crimine: Secundo, non sistendo in metu, sed terrore supplicii percussus ultro progreditur, & ad Deum tendit reus, ut ad totius justitiæ fontem, in quo velut in fine ultimo quiescit. Prior metus dicitur serviliter servilis, quia peccator sistit in metu; posterior vero simpliciter servilis, ea potissimum ratione, quod illum habeat dumtaxat ut conversionis motivum, cum Deum ut ultimum finem quærat. Controversia præsens non movetur de timore mundano, nam citra dubium est esse malum; neque de timore aut initiali, aut filiali, utrumque laudibus omnes efferunt: Sed neque etiam de timore serviliter servili, nemo quippe cordatus dixerit illum esse supernaturalem, & cum Sacramento ad justificationem peccatoris sufficere. Igitur tota difficultas penes timorem, quo quis impulsus, ad Deum ut ad suum ultimum finem accedere satagit, versatur; & quærimus num sit bonus. Pro cujus resolutione sit

CON-

CONCLUSIO.

Timor gehennæ quo quis movetur ad pœnitentiam agendam, ut in Deo quiescat, bonus & laudabilis est.

Probatur multis momentis.

Primo, ex Sacris Scripturis.

PROVERBIORUM 1. habetur: *Timor Domini principium sapientiæ*. Si est principium sapientiæ, dubio-procul est bonus, & laudabilis. Item Psal. 110. *Initium sapientię timor Domini*. Rursus Eccli. c. 1. *Timor Domini expellit peccatum*, scilicet inchoative, & dispositive. Isaiæ c. 26. Vulgata habet: *Concepimus, & quasi parturivimus, & peperimus spiritum: Salutes non fecimus in terra*. Septuaginta legunt: *A timore tuo, Domine, concepimus, & peperimus spiritum salutis*; id est, pœnitentiæ salutaris, ut explicat D. Thomas 3. p. q. 85. art. 5. in argumento *Sed contra*: Similiter Matth. 10. *Timete eum qui potest animam & corpus perdere in gehennam*. Hinc in Conc. Trid. Sess. 14. c. 4. hæc de pœnarum metu leguntur: " Illam vero „ contritionem imperfectam, quæ attri- „ tio dicitur, quoniam vel ex turpitudi- „ nis peccati consideratione, vel ex ge- „ hennæ & pœnarum metu communiter „ concipitur, si voluntatem peccandi ex- „ cludat cum spe veniæ, declarat non „ solum non facere hominem hypocri- „ tam, & magis peccatorem, verum „ etiam donum Dei esse, & Spiritus „ sancti impulsum, non adhuc quidem „ inhabitantis, sed tantum moventis, „ quo pœnitens adjutus viam sibi ad „ justitiam parat. „

Secundo, ex Patribus.

PRIMUS, qui hanc agnoscit veritatem nobis occurrit Tertullianus, Lib. de Pœnit. cap. 12. ubi sic habet: " Si de Exo- „ mologesi retractas, gehennam in corde „ considera, quam tibi Exomologesis ex- „ tinguit, & pœnæ prius magnitudinem „ imaginare, ut de remedii adeptione „ non dubites. „

Huic accedit Clemens Alex. Lib. 2. Stromat. ubi paulo ante medium, ait: " Qui timorem damnant, ii legem etiam „ insectantur; quod si legem, clarum „ est, quod & eum qui legem tulit. „

Similia tradit S. Cyprianus Serm. de lap. sub finem: " Deus, *inquit*, quantum „ Patris pietate indulgens semper & bo- „ nus est, tantum judicis Majestate me- „ tuendus est. „

Hujusce timoris pretium non silet S. Basilius; interpretans enim ista verba Psal. 33. *Timorem Domini docebo vos*, ait: Timor „ vero salutaris, & qui sanctitatis ope- „ ratorius est, timor item qui studio „ acquiritur, non qui per effectionem „ imprimitur animæ, vis enarrem qua- „ lis sit? Si quando te senseris ad unum „ aliquod cieri & prosilire peccatum, ti- „ bi ad mentem revoca formidabile il- „ lud, nec ulli mortalium tolerabile „ Christi judicium. „

Subscribit S. Pacianus in Parænesi ad pœnitentiam hoc modo: " Timete di- „ lectissimi justa judicia, omittite erro- „ rem, damnate delicias; properat jam „ tempus extremum; tartarus, & ge- „ henna laxatos impiis sinus pandunt: „ post animarum tempestiva supplicia re- „ divivis quoque perpetua corporibus pœ- „ na servatur. „

Hunc eumdem timorem virgini lapsæ proponit S. Ambrosius c. 8. cum ait: " Pœnitentia non verbis agenda est, sed „ actu: hæc autem sic agitur. Si tibi „ ante oculos ponas de quanta gloria „ rueris, & de quo libro vitæ nomen „ tuum deletum sit, & si te jam credas „ prope ipsas positam tenebras exterio- „ res, ubi erit fletus oculorum, & stri- „ dor dentium sine fine. Cum hæc cer- „ ta fide, sicut est, animo conceperis, „ quia necesse est prævaricatricem ani- „ mam tartareis pœnis, & gehennæ „ ignibus tradi, nec aliud remedium con- „ stitutum esse post Baptismum quam „ pœnitentiæ solatium, quantamvis affli- „ ctionem, quantumvis laborem & in- „ decorem subire, esto contenta. „

S. Hieronymus non absimilia profert in cap. 2. Mich. " Ut qui, *ait*, pudore & „ verecundia non tenentur; agant pœ- „ nitentiam saltem comminatione pœ- „ narum. „

Concinit S. Chrysostomus Lib. 1. de com-

compunctione cordis his verbis: " Hoc „ solum est quod exposcitur a nobis .... „ Ut gehennam ponamus in conspectibus „ nostris, & Angelos qui in die judicii „ ubique discurrunt, & congregant de „ omni orbe terrarum eos qui trudendi „ sunt in gehennam ignis, ac suppliciis „ tradendi. „

Catholicam veritatem clare enunciat D. Augustinus in Psal. 127. " Ille, *inquit*, „ timor nondum castus præsentiam Do- „ mini, & pœnas timet, timore facit „ quidquid boni facit, non timore amit- „ tendi bonum illud, sed timore patien- „ di illud malum: non timet ne perdat „ amplexus pulcherrimi sponsi, sed timet „ ne mittatur in gehennam. Bonus est „ & iste timor, utilis est. „ Rursus Tract. 8. in Epist. 1. Joan. " Cœpit ali- „ quis credere diem judicii: Si cœpit „ credere, cœpit & timere; Timendo „ corrigit se, vigilat adversus hostes „ suos, id est peccata sua, incipit revi- „ viscere interius. „

Ab eis non recedit S. Bernardus Lib. de præcepto & dispensatione cap. 10. ubi sic loquitur. " Bonus quidem obedientiæ „ gradus est juxta Magistri nostri sen- „ tentiam. Sive propter metum gehen- „ næ, sive propter professionem sanctam „ quam professus est quispiam, obediat: „ melior tamen quum ex Dei amore „ obeditur. „

Tertio, rationibus divi Thomæ.

PRIMA: Quod a Spiritu sancto promanat, bonum est; sed timor servilis delineatus, a Spiritu santo profluit, cum moveat peccatorem ad Deum ut ultimum finem quærendum, quod nedum gratiæ, sed vel ipsi rationi conforme est; hic enim timor non sistit in pœna: Ergo &c. Hac ratione probat ex professo S. Thomas 2. 2. q. 19. art. 4. timorem servilem esse bonum. In argumento *Sed contra* ita loquitur. " Nullum malum est „ a Spiritu sancto: sed timor servilis „ est a Spiritu sancto; quia super illud „ Rom. 8. Non accepistis Spiritum ser- „ vitutis &c. dicit Glo. Unus Spiritus „ est, qui facit duos timores, scilicet „ servilem, & castum. Ergo timor ser- „ vilis non est malus: „ Tum in copore probat hunc metum esse bonum, quia in Deo ultimate quiescit. " Objectum „ autem timoris servilis est pœna, cui „ accidit quod bonum, cui contraria- „ tur pœna, ametur tamquam finis ul- „ timus. „

Altera: Ideo fides tametsi informis est donum Dei, quia adveniente charitate non perit, sed perficitur. Atqui timor servilis utique consociatur cum charitate, & per eam perficitur. Ergo &c. Ista ratio est etiam D. Thomæ ibidem art. 6. ubi ex professo probat timorem laudatum non opponi charitati: Primo quia est donum Spiritus sancti. " Sed dona Spiritus „ sancti, *inquit*, *in arg. Sed contr.* non tol- „ luntur adveniente charitate &c. „ Secundo, ex eo quod homo isto concussus metu, non quiescit in bono proprio, ut in ultimo fine, sed in Deo. Sic loquitur in Corp. " Alio modo timor pœnæ di- „ stinguitur quidem secundum substantiam „ a timore casto: Quia scilicet homo ti- „ met malum pœnale non ratione sepa- „ rationis ab eo, sed in quantum est no- „ civum proprii boni: nec tamen in illo „ bono constituitur ejus finis. „

Tertia: Habitus qui est initium sapientiæ, optimus est; a fructibus enim arbor bona dignoscitur: Sed timor servilis eatenus est initium sapientiæ, quatenus deterret hominem a peccando, metu pœnarum, ut postea in Deo quiescat. Ergo. Doctor Angelicus ibidem art. 7. ostendit timorem Domini initium esse sapientiæ dupliciter. Primo quidem per rationes altissimas ad Deum ascendendo, videlicet, quia est bonus & in se perfectissimus. Secundo, ex eo quod extra ipsum nulla sit salus. Timor filialis est initium sapientiæ amando Deum, servilis vero illum tamquam criminum vindicem timendo. " Timor est „ initium sapientiæ: aliter tamen timor „ servilis, & aliter timor filialis. Timor „ enim servilis est sicut principium extra „ disponens ad sapientiam, in quantum „ aliquis timore pœnæ discedit a pecca- „ to, & habilitatur per hoc ad sapientiæ „ effectum, secundum illud Eccles. 1. Ti- „ mor Domini expellit peccatum. Timor „ autem castus, vel filialis, est initium „ sapientiæ, sicut primus sapientiæ effe- „ ctus. „

FIT

FIT SATIS OBJECTIONIBUS PROTESTANTIUM.

Objiciunt : Ut fuga mali metu pœnarum sit laudabilis, debet qui tali impulsus motivo a peccatis discedit, ea odio habere : Atqui tamen de facto illa non odit. Ergo &c.

Respondeo distinguendo minorem : Peccata non odit odio ex amore filiali promanante, concedo : odio ex amore boni proprii, & justitiæ, nego. Attritus sua odio prosequitur peccata, ne Deum sibi pro beatitudine utilem perdat.

Instant : Quod a charitate non procedit vitiosum est, ut sæpius prædicat S. Augustinus contra Pelagianos : Atqui attritio ex timore pœnarum concepta annexam sibi charitatem non habet. Ergo &c.

Respondeo I. distinguendo majorem : Vitiosum est, in sensu opposito actui charitatis vitæ æternæ meritorio, concedo: in se spectatum, nego. Et concessa minore, nego consequentiam. Hoc unum probat objectio, videlicet peccatorem attritione, vitam æternam non promereri. Neque vero refragatur S. Augustinus, quippe qui in libris adversus Pelagianam perfidiam, debellet errores Pelagii, & Juliani, qui propugnabant bona opera ordinis naturalis, ut mota compassionis operire nudum, esse supernæ felicitatis meritoria.

Respondeo II. ad eamdem, sed aliter distinguendo minorem: Attritio non habet annexam charitatem habitualem & perfectam, concedo : actualem initialem & imperfectam, qua Deus ut totius justitiæ fons, & creaturæ rationalis beatitudo diligitur, nego.

Urgent : Atqui attritio etiam sic delineata, non est bona : Ergo nulla solutio. Probatur subsumptum : Ut hujusmodi actus sit laudabilis, attritus debet plus timere culpam quam pœnam, ita ut pœnæ liberationem non sibi proponat, tamquam finem ultimum: Atqui timore perterritus non magis timet culpam quam pœnam, & nec alium finem ultimum habet, quam pœnam ipsam vitare : Et probatur ex D. Thoma, qui 2. 2. q. 19. art. 4. in corpore sic habet : " Objectum autem timoris servilis est pœna, cui accidit quod bonum, cui contrariatur pœna, ametur tamquam finis ultimus, & per consequens pœna timeatur tamquam principale malum : quod contingit in non habente charitatem. " Ergo &c.

Respondeo negando subsumptum. Ad probationem distinguo : Attritus debet plus timere culpam quam pœnam, ratione finis ultimi, concedo : Ratione motivi proximi, nego. Et sic distincta minore, nego consequentiam. Attritus movetur quidem proxime a malo pœnæ incurrendæ ad pœnitentiam, in quo sane distinguitur a contrito, qui timore filiali impulsus, a malo culpæ primum toto nisu recedere intendit. Et hoc unum docet S. Thomas ibidem art. 6. in corp. " Timor pœnæ distinguitur quidem a timore casto, quia scilicet homo timet malum pœnæ non ratione separationis a Deo, sed in quantum est nocivum proprii boni : nec tamen in illo bono constituitur ejus finis. " Audis Doctorem Angelicum asserere attritum, finem suum ultimum non constituere præcise in fuga, & privatione mali, sed in Deo ut totius justitiæ fonte. Et sic patet responsio ad ejus auctoritatem.

Reponunt : Timor qui non excludit voluntatem peccandi, sed potius eam supponit, non est bonus, immo nec honestus, nec supernaturalis : Atqui talis est timor pœnæ : Et probatur. Qui timet pœnam dumtaxat, sine ullo amore justitiæ, ita affectus est, ut si peccato non esset injuncta pœna, illud committeret. Ergo &c.

Respondeo negando minorem ; timor enim ex se bonus est tam ex parte objecti, quam ex parte effectus, & medii ; si igitur verus est, & efficax, qualis debet esse, dubio-procul excludit non tantum externum peccati actum, sed & ipsam peccandi voluntatem ; excludit enim id omne, sine quo ad finem, quem attritus intendit, perveniri non potest : atqui sine actu interno ad finem pervenire non potest pœnitens, sed si actum illum excludit, tunc malus est.

Insistunt : Vel timor oritur ex charitate, vel ex cupiditate profluit ; affirmat quippe in multis locis D. Augustinus, nullum esse medium inter utrumque : sed si fluit ex charitate, est timor filialis, si vero ex cupiditate malus est. Ergo &c.

Respondeo negando majorem; nam timor ille est a virtute spei, quæ nec charitas est, nec cupiditas: Ad id quod ait Augustinus, illud omne esse a cupiditate quod non fluit ex charitate, distinguo; & ibi spectat. statum agentis qui vel est in gratia, vel non, concedo: & ibi loquitur de principio ipso formali actionis, nego: Jam vero necesse non est, ut quidquid agit homo, procedat ex motivo aut charitatis, aut concupiscentiæ; alias peccator nihil boni posset facere, nec justus aliquid mali, quod tamen falsum est; certe & spes non est ex charitate, neque a cupiditate, ita pariter timor, & alia bene multa.

Replicant: Sanctus Augustinus multis in locis affirmat peccare eum qui non amore justitiæ, sed timore pœnæ abstinet a malo; sic enim loquitur Epist. 145. novæ editionis: " Inaniter victorem se esse „ peccati putat, qui pœnæ timore non „ peccat, quia etsi foris non impletur nego- „ tium malæ cupiditatis, ipsa tamen mala „ cupiditas intus est hostis. „ Ergo &c.

Respondeo distinguendo antecedens: Qui ex timore pœnæ serviliter servili, abstinet ab externo actu peccati, peccat, concedo: qui ex timore simpliciter servili, quo non tantum actus externus peccati, sed voluntas ipsa prohibetur, nego antecedens & consequentiam: porro D. Augustinus loquitur de illo timore qui non excludit peccandi voluntatem propter pravam dispositionem timentis, quem quidem timorem mundanum vocat S. Thomas 2. 2. q. 19. art. 2.

Persistunt: Quod opponitur charitati est abjiciendum. Atqui timor gehennæ opponitur charitati, juxta illud 1. Joan. 3. *Timor non est in charitate: Sed perfecta charitas foras mittit timorem*. Ergo &c.

Respondeo negando minorem propter rationem supra laudatam. Ad probationem distinguo: Perfecta charitas foras mittit timorem eo prope modo quo magis perfectum excludit minus perfectum, concedo: In hoc sensu visio beatifica propellit tum fidem, tum spem, ut concedunt omnes Theologi: foras mittit timorem ut malum sibi contrarium, subdistinguo: timorem mundanum & serviliter servilem, concedo: simpliciter servilem, nego. Solutio est D. Thomæ ibidem art. 6. his verbis: " Dicendum, quod timor „ servilis ex amore sui causatur: quia „ est timor pœnæ, qui est detrimentum „ proprii boni. Unde hoc modo timor „ pœnæ potest stare cum charitate, sic- „ ut & amor sui. Ejusdem enim rationis „ est, quod homo cupiat bonum suum, „ & quod timeat eo privari. Amor au- „ tem sui tripliciter se potest habere ad „ charitatem. Uno enim modo contra- „ riatur charitati, secundum quod aliquis „ in amore proprii boni finem constituit. „ Alio vero modo in charitate includi- „ tur, secundum quod homo se propter „ Deum, & in Deo diligit. Tertio mo- „ do a charitate quidem distinguitur, sed „ charitati non contrariatur, puta, cum „ aliquis diligit se ipsum secundum ra- „ tionem proprii boni, ita tamen quod „ in hoc proprio bono non constituat fi- „ nem. Sicut etiam & ad proximum potest „ esse aliqua alia specialis dilectio præter „ dilectionem charitatis, quæ fundatur „ in Deo, dum proximus diligitur ratio- „ ne commoditatis, consanguinitatis, vel „ alicujus alterius conditionis humanæ, „ quæ tamen referibilis sit ad charita- „ tem. Sic ergo & timor pœnæ inclu- „ ditur uno modo in charitate. Nam se- „ parari a Deo est quædam pœna, quam „ charitas maxime refugit: Unde hoc „ pertinet ad timorem castum. Alio „ autem modo contrariatur charitati, se- „ cundum quod aliquis refugit pœnam „ contrariam bono suo naturali, sicut „ principale malum contrarium bono, „ quod diligitur, ut finis: Et sic timor „ pœnæ non est cum charitate. Alio mo- „ do timor pœnæ distinguitur quidem „ secundum substantiam a timore casto: „ quia scilicet homo timet malum pœ- „ nale non ratione separationis a Deo, „ sed in quantum est nocivum proprii „ boni, nec tamen in illo bono consti- „ tuitur ejus finis; unde nec illud ma- „ lum formidatur tamquam principale „ malum. Et talis timor pœnæ potest „ esse cum charitate. „ Videas velim ex S. Thoma per attritionem de qua præsens quæstio movetur, peccatorem suum ultimum finem non in fuga mali, sed in Deo reponere, & istum timorem cum charitate consociari, ut ex professo hic arr. 6. docet Angelus Scholæ.

SYN-

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Timor Gehennæ quo attritus movetur ad pœnitentiam, est bonus.

PRIMO: Scripturæ passim, ubi de Pœnitentia sermo est, hunc timorem commemorant; instar omnium auctoritatum sit istud Christi de metu gehennæ oraculum Matt. 10. *Timete eum qui potest & animam, & corpus perdere in gehennam.* Ecce timor servilis laudatus a Domino: erroneum igitur est eum ut malum habere.

Secundo: Patres Tridentini Sess. 14. cap. 4. definiunt istum timorem esse Spiritus sancti donum. Hanc eamdem doctrinam priorum sæculorum Patres prædicaverunt: In primis Tertullianus L. de Pœn. cap. 12. Clemens Alex. L. 2. Strom. & alii.

Tertio ratione: Metus movens peccatorem ad pœnitendum, ut in Deo tamquam in fine ultimo quiescat, est laudabilis: Atqui de isto solo metu hic agimus. Ergo &c.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Esto quod odium peccati requiratur pro vera pœnitentia, metus autem sicut amorem initialem sic & odium complectitur, cum nihil aliud importet quam deterrere impium a peccato, ut gradatim ad Deum velut totius justitiæ fontem tendat, & tandem in eo tamquam in ultimo fine quiescat.

Secundo: S. Augustinus quandoque dicit id omne quod non est a charitate vitiosum esse, sed hoc lato intelligit modo, & in eo solum sensu quod non sit vitæ æternæ meritorium.

Tertio: Falsum est eumdem sanctum Doctorem non agnoscere medium inter charitatem habitualem & concupiscentiam; datur enim amor imperfectus, vel dicendum sanctum Præsulem sermonem instituere de actu vitæ æternæ meritorio: Et in hoc sensu, omne quod agitur, vel ex charitate, vel ex concupiscentia procedit, hoc est vel vitam promeretur, vel non: si fit a charitate citra dubium vita æterna dignum est; e contra vero si ab ea non promanet. Ceterum amor imperfectus tametsi supremæ felicitatis præmio non donetur, attamen a spe fluit, & charitati postea in justificatione advenienti optime consociatur.

SECTIO SECUNDA.

Utrum Attritio imperfecta aliquem debeat includere amorem?

NONNULLI Recentiores posuerunt dolorem ex solo gehennæ metu sufficere cum Sacramento ad justificationem; quam quidem opinionem defendit Gonetus disp. 7. de contr. §. 111. pag. 397. Alii vero e contra. Cum quibus sit

CONCLUSIO.

Attritio aliquem exigit amorem, ut justificet.

Probatur auctoritate, & ratione.

Primo, ex Scriptura sacra.

ISAIÆ 19. multa de conversione peccatoris adimplenda leguntur: c. 19. *Revertentur ad Dominum, & placabitur eis, & sanabit eos.* Similiter Jer. c. 24. *Erunt mihi in populum, & ego ero eis in Deum, quia revertuntur ad me in toto corde suo.* Zachariæ c. 1. *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos.* Rursus Isaiæ c. 55. *Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & revertatur ad Dominum, & miserebitur ejus.* Ista conversio non in eo dumtaxat consistit, ut impius abstineat extrinsecus a peccatis; sed præterea eorum debet affectum deponere, juxta illud Isaiæ. I. *Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.* Et istud Ioel. 2. *Nunc ergo dicit Dominus, Convertimini ad me in toto corde vestro.* Certe secluso omni amore, non est justificatio, cum ea solum conditione Deus veniat ad animam ut prius ab ea diligatur, vel ipso Christo Joan. 14. dicente: *Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo ..... Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.*

Secundo, ex Patribus.

E multis quosdam insignes seligimus. Primus est S. Cyprianus, qui sub finem libri de lapsis sic loquitur: " Confiteantur singuli, quæso vos fratres, delictum suum, dum adhuc qui deliquit in sæculo est, dum admitti confessio ejus potest, dum satisfactio, & remissio facta per Sacerdotes apud Dominum grata est: Convertamur ad Dominum mente tota, & pœnitentiam criminis veris doloribus exprimentes, Dei misericordiam deprecemur; illi se anima prosternat, illi mœstitia satisfaciat, illi spes omnis incumbat. " Hæc verba clare denotant sanctum Doctorem, amorem exigere, dicendo, *illi anima se prosternat, illi mœstitia satisfaciat, illi spes omnis incumbat*.

Secundus est S. Chrysostomus, qui homilia 4. in 2. ad Corinth. sic habet: " Cum peccaveris ingemisce, non quod pœnas daturus sis, nihil enim hoc est, sed Dominum tam benignum, tam te amantem, tam denique saluti tuæ attentum, ut Filium quoque suum tua causa tradiderit, offenderis. " Audis sanctum Præsulem exigere ut pœnitens ad veniam obtinendam Deum reclamet.

Hanc eamdem doctrinam tradit S. Augustinus Ser. 7. de tempore, dum ait: " Pœnitentiam certam non facit nisi odium peccati, & amor Dei. " Utitur sanctus Doctor exceptione generali *non facit*. Censet igitur certam seu veram non esse pœnitentiam, quæ ex Dei amore non oritur, ex quocumque alio motivo fluere supponatur. Ergo &c.

Idem docet S. Gregorius Magnus in c. 27. Job. " Sancta Ecclesia, *inquit*, simplicitatis suæ, & rectitudinis vias timore inchoat, sed charitate consummat, cui tunc est funditus a malo recedere, cum ex amore Dei cœperit jam nolle peccare. "

Illis adjungimus Petrum Blesensem, qui L. de Confessione sacramentali sic loquitur: " Non sine dolore cordis acerbissimo, & anxia cordis afflictione sanantur, quæ longo usu inolita, nec horaria, & levi contritione redimi possunt, quibus mors æterna debetur; nulla affectio pia meritoria est ad salutem, nisi ex Christi dilectione procedat. "

Tertio, ex Concilio Tridentino.

Licet illud Concilium tamquam de fide non definierit necessario requiri in pœnitente amorem Dei imperfectum, ut una cum sacramento Pœnitentiæ peccator recipiat remissionem peccatorum; attamen inchoati amoris necessitatem ex ipsius verbis facile est elicere.

Primo, de modis sese præparandi ad justificationem sic pronuntiat Sess. 6. cap. 6. " Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia, & adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum .... & dum peccatores se esse intelligentes, a divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam, se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt. " Ibi, ut patet, Concilium amorem initialem, seu inchoatum ad justificationem exigit, eo non absimili modo, quo actus spei, & fidei, necessario prærequiri nemo negaverit.

Secundo: Observandum & nusquam omittendum est, Concilium loqui universim de dispositionibus necessariis ad justificationem, scilicet tam in Sacramento, quam extra, assequendam. Hæc verba sequentia illud comprobant: " Moventur adversus peccata per odium aliquod & detestationem, hoc est per eam pœnitentiam quam ante Baptismum agi oportet. " Tractat igitur de dispositionibus quæ ad gratiam in ipso sacramento recipiendam necessariæ sunt; quod & expresse videtur asserere istis aliis verbis: " De hac dispositione scriptum est, Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum, & euntes docete omnes gentes &c.

Tertio: De ea justificatione agit Concilium quam Lutherani, & Calvinistæ impugnabant, ut claret ex istis verbis: " Cum hoc tempore non sine multarum animarum jactura, erronea quædam disseminata sit de justificatione doctrina...

Sed

Sed illi Hæretici impugnabant præsertim justificationem, quam Catholici docent in Sacramento fieri. Ceterum, Patres Tridentinos ibi loqui de justificatione quę fit in Baptismo, & Pœnitentia, illud testatur Vega Lib. 6. in Concilium Tridentinum: " Duo, *inquit*, definita de Pœ„ nitentia hic video, primum est, pœni„ tentiam esse odium & detestationem „ peccatorum propter Deum: Secun„ dum est oportere Pœnitentiam agi an„ te Baptismum. „

Quarto: Concilium Tridentinum nostræ favere sententiæ adhuc declaratur ex aliis momentis, quæ habentur Sess. 14. c. 4. ubi hæc leguntur: " Contritio „ quæ primum locum inter dictos pœ„ nitentis actus habet, animi dolor, ac „ detestatio est de peccato commisso, cum „ proposito non peccandi de cetero; fuit „ autem quovis tempore, ad impetran„ dam veniam peccatorum, hic contri„ tionis motus necessarius; & in homine „ post Baptismum lapso ita demum præ„ parat ad remissionem peccatorum, si „ cum fiducia divinæ misericordiæ, & „ voto præstandi reliqua conjunctus sit, „ quæ ad rite suscipiendum hoc Sacra„ mentum requiruntur. Atqui his verbis innuitur necessitas inchoati amoris Dei super omnia: Et probatur: I. Illa particula (*quovis tempore*) supponit etiam pro tempore, quoquis accedit ad sacramentum Pœnitentiæ; II. Affirmat hunc contritionis motum, præparare ad remissionem peccatorum: Sed amor perfectus nedum præparat, quin potius justificat: Igitur ibi Patres Tridentini, non de amore perfecto, sed de imperfecto, locuuntur; III. Amor imperfectus Dei super omnia, est amor spei, seu concupiscentiæ: Sed talem amorem exigit Concilium, juxta illa verba, *Si cum fiducia divinæ misericordiæ*, & istud, ubi loquitur de attritione, *Si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ*. Ergo &c.

Sed ne remaneat circa mentem Concilii Tridentini ambigendi locus, habemus Catechismum eius interpretem, qui mentionem ubique amoris facit, cum agitur de dolore ad pœnitentiam prærequisito; sic loquitur de amore num. 8. & 9. ubi enumerat multas ad sacramentum Pęnitentiæ necessarias dispositiones, tum de spe loquitur; postea de amore propter retributionem qui spei tribuitur. " Huc „ deinde accedit spes impetrandæ a Deo „ misericordiæ, qua erecti vitam, & „ mores emendare constituimus. Postre„ mo charitate corda nostra accendun„ tur, ex qua liberalis ille timor probis „ & ingenuis filiis dignus, oritur; atque „ ita unum illud veriti, ne qua in re Dei „ majestatem lædamus, peccandi consue„ tudinem omnino deserimus. Hisce igi„ tur quasi gradibus ad hanc præstantissi„ mam Pœnitentiæ virtutem pervenitur. „ Quæ prorsus divina & cœlestis virtus „ existimanda est, cui scilicet regnum „ celorum sacræ Litteræ pollicentur. „ Nam apud S. Matthæum scriptum est: „ Pœnitentiam agite, appropinquavit e„ nim regnum celorum. „ Audis mercedem proponi pro objecto & motivo Pęnitentiæ, & quidem in spe & caritate fundatæ; immo & in timore. Igitur Concilium Trid. exigit in attritione amorem inchoatum solum quo Deum, ut totius justitiæ fontem diligat peccator, & hoc sufficit. Utinam foret semper perfectus sicut & perfecta contritio.

Tertio, ex sententia Ecclesiæ Gallicanæ.

HUJUSCE florentissimi regni Præsules ann. 1701. Parisiis congregati sermonem de dispositionibus necessariis ad Pęnitentiam instituentes, sic loquuntur: " Ne„ que satis adimpleri potest utrique Sa„ cramento necessarium vitæ novæ in„ cohandæ, & servandi mendata divina „ propositum, si pœnitens primi & ma„ ximi mandati, quo Deus toto corde „ diligitur, nullam curam gerat, nec sit „ saltem animo ita præparato, ut ad il„ lud exequendum, divina opitulante „ gratia, sese excitet, & provocet. „

Quarto, ex Theologis, qui ante & post Concilium Tridentinum scripsere.

Ex his qui Synodum Tridentinam antecessere, unus est Joannes Nider verus D. Thomæ discipulus, qui floruit Sæc. 15. In tertium Decalogi præceptum cap. 8. hæc de Pœnitentia scribit: " Si homo „ solum detestaretur peccata propter ti„ morem pęnæ, & amissionem vitæ „ æter-

„ æternæ, in quantum illud sibi esset ad „ incommodum, sine ulteriori relatione „ ad Deum, tunc homo solum quære„ ret suum commodum, & fugeret suum „ incommodum, & nullo modo quære„ ret Deum, & illius honorem. „

Assipulatur perecelebris Pighius in collatione Ratisbonæ Catholicos inter & Lutheranos habita ann. circiter 1514. controversia 7. fol. 139. ubi hæc habet: " Hæc est Catholicæ Ecclesiæ, & no„ stra doctrina de Pœnitentia a Baptismo „ peccantium, cujus si partes quæran„ tur, has assignare possumus cordis con„ tritionem, & confessionem factam . . . „ contritionem intelligimus displicen„ tiam vehementem, & dolorem de „ commissis a nobis peccatis ex corde „ sincero, & intimo, atque eo respectu „ quod divinam illius majestatem offen„ dimus; non omnem cordis pœnitudi„ nem, & de peccatis displicentiam ac „ dolorem etiam magnum & vehemen„ tem contritionem intelligimus, qualis „ in pœnitentia salutari requiritur; qui „ enim ex sui tantum amore, sui com„ modi respectu, nempe ob gehennæ „ metum de peccatis dolor procedit, et„ iam quantumvis vehemens & intensus „ sit, non est qui contritum facit, & ve„ niam impetrat. Contritio ergo quam „ Deus in nobis respicit, est dolor of„ fensæ, non nostri tantum, immo illius „ præcipue causa quem offendimus, cu„ jusmodi ut sit, necessarium Dei amo„ rem requirit.

Dominicus Soto, qui Synodo Tridentinæ adfuit, ejusdem est sententiæ. In assertionibus quas pro virili oppofuit Confessioni Augustanæ tit. de Pœn. ait: " Con„ tritionem vocat Catholica Ecclesia a„ nimi dolorem de peccato voluntati illi „ qua peccare libuit oppositum, frangen„ temque duritiam cordis, qua peccan„ tes divinis præceptis & bonitati resi„ stimus. Dolor siquidem peccati imper„ fectus est ex quantacumque fide pro„ cedens, & quantacumque lacrymas, „ & sensus doloris habeat, quo usque ex „ Dei charitate & dilectione illius super „ omnia bona, & amabilia procedat, at„ que ita peccata, tamquam Dei oppo„ sita, super omnia quæ odio habet, „ detestetur, idque in divinis oraculis. „

Post Concilium Tridentinum omnium gentium Episcopi, & non pauci qui isti adfuerant Synodo, asseruerunt amorem incohatum qualem delineavimus esse necessarium in attritione ut cum Sacramento justificet. Ita legitur in Catechismo Friderici Mauseæ Episcopi Viennensis in Austria his verbis: " Cum in omni peccato „ mortali sit aversio voluntatis a Deo per „ peccatum, & ipsa quoque contraria cu„ rentur contrariis, consequens est, ut e „ diverso in omni remissione peccati mor„ talis actualis sit conversio ad Deum. „

Non dissentit Sonnius Antverpiensis Præsul, qui Bienaio post suum a Synodo Tridentina regressum Tract. de Pœn. cap. 6. de contritione loquens sic scribit: " Quę „ sane si faciat, hoc est, peccatum dete„ stetur cum proposito melioris vitæ „ prorsus ex amore ad bonum Deum cum „ fiducia inveniendæ reconciliationis per „ Christum, est contritio; sin remisse, „ vel solo metu pęnæ evadendæ, est at„ tritio, non efficiens veram pęnitentiam, „ attamen ad illam præparans. „ Eo loci distinguit duplicem attritionem, alteram quæ motu amoris & spe veniæ a reconciliatis per Christum obtinendæ procedit; alteram quæ solo timore pœnarum innititur. Priorem ad justificationem sufficere tradit, secus vero posteriorem.

Quinto, rationibus Theologicis.

PRIMA: Reconciliari Deo ex toto corde est illum amare, & ut finem suum ultimum velle: Sed motus cordis & voluntatis est amor, attritus vero accedit ad Sacramentum eo prorsus scopo ut Deo reconcilietur, & abjectis omnibus bonis temporalibus eum veluti suam beatitudinem, ut appretiative super omnia eatenus illum diligat, quatenus ceteris illum præfert. Igitur requiritur amor inchoatus in attritione ut cum Sacramento justificet impium.

Altera: Eadem est lex oppositorum: Sed homo peccando mortaliter relinquit Deum ut corde & effectu adhæreat creaturæ; Igitur ut attritus eum Sacramento justificetur, debet e contra Deo per affectum uniri & adhærere; maxime cum per justificationem Filius Dei & nominetur, & sit.

Ter-

Tertia: Nullus justificari potest donec Deo conjungatur, quandoquidem justificatio in unione cum Deo ut ultimo fine fundatur: Sed qui recedit a peccato solo pœnarum motivo nondum Deo, sed sibi soli, suoque commodo inhæret; quippe qui nondum velit bonum Dei, quod tamen requiri nemo cordatus dixerit, velle autem bonum Dei, & illum amare idem est. Ergo &c.

Quarta: Non omnis timor ex solo pœnarum metu excludit voluntatem peccandi, quod tamen ex Concilio Trid. laudato, ad justificandum requiritur. Igitur attritio debet habere aliquem Dei amorem sibi annexum ut justificet. Probatur antecedens ex S. Augustino, qui L. 6. de Nat. & Gr. cap. 51. sic loquitur: " Qui „ timore supplicii quod lex minatur, non „ amore justitiæ se sentit abstinere ab o„ pere peccati, nondum liber est, nec a„ lienus a voluntate peccandi. " Rursus L. 2. contra Adversarium legis & Prophetarum, ait: " Desiderium peccandi, „ non extinguitur nisi contrario desiderio „ recte faciendi, ubi fides per dilectionem „ operatur; non extinguitur per jubentem litteram timore pœnæ, sed per ju„ vantem spiritum dilectionem justitiæ. „ Quid clarius pro nostra sententia. Ecce Augustinus, qui amorem justitiæ præter timorem pœnarum exigit: Igitur ex sancto Doctore ut attritus justificetur debet amare Deum, & ad eum ut totius justitiæ fontem accedere.

Quinta: Doctrina a Concilio Tridentino instituta, aliis prorsus omissis, amplectenda est: Sed ex illa Synodo requiritur ut attritus per Sacramentum justificetur, primum spe misericordiæ consequendæ erigatur, cum & Deum tamquam totius justitiæ fontem diligere incipiat; ait enim Sess. 6. cap. 6. de peccatoribus vere & sicut oportet attritis: *Se convertendo in spem eriguntur, & fidelem Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt*. Ergo &c.

Solvuntur objectiones Geneti.

OBJICIT: Attritio ex solo pœnarum metu juxta Concilium Tridentinum optima est, & ad justificationem disponit. Igitur non requiritur absolute inchoatus amor. Sic autem loquitur sacra Synodus Sess. 14. cap. 4. " Illam vero contritio„ nem imperfectam, quæ attritio dici„ tur, quoniam vel ex turpitudinis pec„ cati consideratione, vel ex gehennæ „ & pœnarum metu communiter conci„ pitur .... Quamvis sine Sacramento „ Pœnitentiæ per se ad justificationem „ perducere peccatorem nequeat, tamen „ eum ad Dei gratiam in sacramento Pœ„ nitentiæ impetrandam disponit. „ Confirmatur: Si Concilium aliquem simul cum attritione amorem exigeret, hoc ipsum non siluisset, maxime vero cum in præfatione illius sessionis præmittat se exactiorem & pleniorem de sacramento Pœnitentiæ definitionem daturum: Atqui tamen siluit. Ergo &c.

Respondeo distinguendo antecedens: Attritio ex solo gehennæ metu disponit ad justificationem remote, concedo: proxime, nego. Duplex distinguenda est attritio. Una quæ sistit in metu; altera quæ ulterius progreditur, videlicet ad Deum usque, ut nobis bonum. Prior nonnisi remote disponit ad justificationem, quatenus est motivum quo peccator recedit a malo, & gradum facit, ut Deum tamquam suum ultimum finem eligat, & amet. Concilium est sui ipsius interpres Sess. 6. cap. 6. ubi ait attritum incipere, *Deum tamquam omnis justitiæ fontem diligere*. Et hæc sola attritio est dispositio proxima ad justificationem. Et vero ibidem fidem & spem exigit ad justificationem, & tamen & fides & spes absque amore, nonnisi dispositiones remotæ dicuntur; idem & de metu servili asserendum est.

Eadem sacra Synodus suam de amore inchoato prodit mentem ibidem Sess. 14. cap. 4. ubi expletis quæ de attritione dicenda habebat, totum dictum illustrat exemplo Ninivitarum, qui dubioprocul terrori addiderunt amorem, cum eorum Christus, Matth. 12. laudet pœnitentiam, quæ certe, secluso amore, eos Deo non reconciliasset, eo potissimum tempore quo nondum erat institutum Pœnitentiæ sacramentum. En verba Concilii: " Hoc autem timore utiliter „ concussi Ninivitæ ad Jonæ prædicatio„ nem, plenam terroribus pœnitentiam

„ egerunt, & misericordiam a Domino „ impetrarunt. „

Ad confirmationem dico, sacram Synodum siluisse nomen amoris Sess. 14. cap. 3. loquendo de contritione propter duo; primo quidem quia cap. 6. tractando de eodem attritionis motu ad justificationem disponente, dixerat attritum terrore concussum, tum & spe erectum incipere Deum, *tamquam omnis justitiæ fontem diligere*. Secundo: Eo quod scopus ejus Sess. 14. cap. 4. principalis sit demonstrare adversus Lutherum attritionem metu pœnarum formatam non esse quid malum & turpe. Ibidem can. 5. est sui ipsius interpres his verbis: *Si quis dixerit eam contritionem, quæ paratur per discussionem, collectionem, & detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incursum, cum proposito melioris vitæ, non esse verum & utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam & magis peccatorem; demum illam esse dolorem coactum, & non liberum ac voluntarium; anathema sit.*

Instat: Eadem Synodus ibidem Sess. 14. c. 4. veluti opponit contritionem imperfectam perfectæ. Primo dicit quandoque contingere contritionem esse charitate adornatam: Tum gradum facit ad attritionem, quam dicit & ex turpitudine peccati & ex metu gehennæ fluere: Sed si attritio amorem includeret, nec staret ista oppositio, nec istud inter utrumque dolorem discrimen. Igitur Concilium ab attritione quam ventilat, ut veram ad pœnitentiam dispositionem, omnem amorem excludit.

Respondeo distinguendo minorem: Si attritio amorem benevolentiæ includeret, non staret discrimen allatum a Synodo inter contritionem & attritionem concedo: Si solum amorem initialem & spei, quo peccator diligit Deum, ut omnis justitiæ fontem, nego: In hoc igitur amor benevolentiæ ab amore concupiscentiæ secernitur, quod Deum propter se velit, & hominem Dei amicum faciat, & sua energia eumdem, vel extra Sacramentum justificet; quæ cuncta non nisi dispositive operatur attritionis amor. Ceterum longe secedit Gonetus a sancto Thoma, qui ubique in locis supra citatis ait amorem servilem & solo metu conceptum ne quidem cum Sacramento justificare, sed ille solum qui in Deo, ut in summo bono quiescit: " Quia scilicet homo timet „ malum pœnale non ratione separatio„ nis a Deo, sed in quantum est noci„ vum proprii boni: nec tamen in illo „ bono, *scilicet proprio*, constituitur ejus „ finis. „ Nempe in Deo ut omnium bonorum fonte 2. 2. qu. 19. art. 6. in corp.

Urgebis: Concilium requirit in attritione conditionem illam, videlicet ut excludat peccandi voluntatem: Atqui solus timor sine amore Dei, talem voluntatem excludere potest; quippe qui excludat illud omne quod meretur gehennam. Ergo &c.

Respondeo distinguendo minorem: Et ultra requiritur, ad hoc ut quis justificationem consequatur, ut incipiat diligere Deum velut totius justitiæ fontem, concedo: & sola exclusio voluntatis peccandi sine amore Dei sufficit, nego. Tametsi timor possit excludere voluntatem peccandi; necessarius tamen est ad remissionem peccatorum in Sacramento consequendam amor Dei inchoatus; quatenus scilicet nobis bonus est, sin minus non foret conversio, cum converti ad aliquem ut suam beatitudinem spiret talis boni amorem, & sit quid ab ipsa vera conversione inseparabile.

Insistes: Concilium docet eam attritionem sufficere ad sacramentum Pœnitentiæ, quam Lutherus negabat esse sufficientem, immo quam malam esse contendebat: Sed Lutherus loquebatur de attritione ex solo metu pœnarum concepta. Ergo &c.

Respondeo negando majorem; scopus quippe Concilii non est probare attritionem ex metu gehennæ conceptam sufficere cum Sacramento ad justificationem, sed eam non esse malam, ut contendebat Heterodoxus.

Persistes: Si amor aliquis in attritione requiratur, inde sequitur conditionem Judæorum meliorem fuisse ipsa Christianorum conditione: Sed falsum consequens; Ergo & Antecedens. Probatur sequela.

In

In veteri lege fideles solo doloris actu more informato justificabantur : nos vero Sacramentum cum amore & dolore de peccatis conjungere debemus. Ergo &c.

Respondeo negando sequelam. Ad probationem distinguo: In nostro statu necesse est amorem inchoatum Sacramento suscipiendo addere, concedo : amorem perfectum, nego. Porro Judæi non nisi contritione perfecta, vel ipsis Sacrificiis adornata, justificabantur; quibus accedebat etiam quædam peccatorum confessio, quatenus non quodlibet sacrificium offerre liceret, sed illud solum quod erat pro tali, vel tali peccato expiando determinatum, ut habetur in libro Levitic. Sic cap. 1. assignatur pro detrimento in fama, vel in rebus proximi facto, Arietis oblatio : *Pro peccato autem suo offeret arietem immaculatum de grege, & dabit eum Sacerdoti, juxta æstimationem, mensuramque delicti: qui rogabit pro eo coram Domino, & dimittetur pro singulis, quæ faciendo peccavit.* Ceterum, arduum est habere contritionem : facile vero elicere attritionis actum.

Repones: Si actus amoris requireretur, Sacramentum foret inutile : Atqui illud falsum est, Ergo &c. Probatur Major : Omnis amor qui est super omnia, justificat peccatorem absque Sacramento : Atqui vel ipse amor initialis qui ad attritionem exigitur, est utique super omnia. Ergo &c.

Respondeo negando majorem. Ad probationem distinguo : Omnis amor benevolentiæ, concedo : omnis amor concupiscentiæ, nego majorem; & sic distincta minore, nego consequentiam. Solus amor Dei super omnia, qui habet Deum pro objecto quatenus in se dilectum, justificat. Et vero tametsi attritus appretiative Deum super omnia diligat, quia tamen non sistit in eo præcise propter innatam sibi bonitatis excellentiam, sed solum quia utilis est, & creaturarum spiritualium beatitudo; hujusmodi amor extra Sacramentum non justificat impium.

Instabis: Divus Augustinus L. de Catechizandis rudibus cap. 17. sic loquitur : " Qui propter beatitudinem sempiternam, „ & perpetuam requiem, quæ post hanc „ vitam Sanctis futura promittitur, vult „ fieri Christianus, ut non eat in ignem „ æternum cum diabolo, sed in regnum „ æternum intret cum Christo, vere ip„ se Christianus est. „ Unde sic arguit Lambertus. Ad gratiam Baptismi recipiendam sola attritio sufficit: Ergo & pariter in Pœnitentia.

Respondeo distinguendo: Et nemo potest desiderare esse cum Christo, nisi eum amet saltem amore concupiscentiæ, concedo : & absque amore potest quis fieri Christianus, ut æternam consequatur beatitudinem, nego antecedens, & consequentiam : Jam vero quomodo posset fieri ut quis Cristi consortium desideraret, nisi eum amaret?

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Attritio ut justificet cum Sacramento, aliquem inchoatum amorem exigit.

PRIMO: Scripturæ utriusque Testamenti, semper de amore loquuntur, cum homines adhortantur ut Deo sese reconcilient, ut Joel. 2. *Convertimini ad me in toto corde vestro.* Quis autem dixerit eum toto corde se ad Deum convertere, qui solo pœnarum metu bonum suum, scilicet a malo liberationem ut ultimum finem habet. Et illud Christi Joan. 14. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.*

Secundo: Subscribit Concilium Trid. Sess. 6. c. 6. ubi de attritis loquens, ait eos incipere Deum diligere, ut omnis justitiæ fontem. Suffragatur S. Chrysostom. Hom. 4. in 2. ad Corinth. in primis S. Aug. L. de Nat. & G. c. 57. ubi expresse dicit eum qui nondum amore justitiæ teneatur, nondum etiam a voluntate peccandi recedere.

Tertio : Conversio vera importat cum Deo unionem: Sed solius est amoris corda unire. Ergo &c.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Concilium Tridentinum ait quidem attritionem metu pœnarum conceptam, dum habet a peccando recedendi volun-

voluntatem, esse bonam, ut perstringat Lutherum contrarium rimantem, sed non dicit ad justificandum peccatorem sufficere.

Secundo: Esto quod eadem Synodus Sess. 14. cap. 4. agendo de attritione, sileat amorem, non tamen Sess. 6. cap. 6. ubi de attrito sermonem instituens, asserit illum incipere amare Deum *tamquam omnis justitiæ fontem.*

Tertio: Neque diffitemur Patres Tridentinos Sess. 14. cap. 4. opponere charitati attritionem, quam eo loci dicunt cum Sacramento impium justificare, sed ex hoc solum sequitur eos ab attritione excludere amorem benevolentiæ & charitatem habitualem, nusquam vero amorem actualem concupiscentiæ & initialem.

SECTIO TERTIA.

Cujusnam generis amor requiratur in Attritione, ut cum Sacramento justificet peccatorem.

PRÆNOTANDUM est amorem alium esse actualem, alium vero habitualem: Prior est motus in Deum tamquam bonum, sub quo respectu est dilectionis objectum: Posterior est ipse charitatis habitus, quo homo justus, & filius Dei est. Rursus amor actualis duplex secernendus est, unus scilicet qui a charitate procedit, quo Deus diligitur propter se: Alter vero qui a spe promanat quo Deus amatur, quia utilis, totius justitiæ fons, & creaturarum est beatitudo, quique amor concupiscentiæ vulgo dicitur.

Quæstio non movetur de charitate habituali, cum hic agatur de peccatore nondum justificato, sed de amore actuali: Et quæritur, num amor attritioni ad justificandum hominem necessarius, a charitate, vel a spe solum debeat promanare. Jansenius passim docet contritionem perfectam cum Sacramento requiri. Ab ista opinione non multum abscedit Juenin disp. 6. de Pœn. q. 4. §. 4. pag. 396. his verbis. *Amor in pœnitente requisitus, ut gratiam in sacramento Pœnitentiæ recipiat, est amor charitatis, non autem amor concupiscentiæ.* Contra quem sit

CONCLUSIO.

Sufficit amor concupiscentiæ a spe procedens, ut attritus justificetur in Sacramento.

Probatur rationibus Theologicis ex sacra Synodo Tridentina excerptis.

PRIMA: Ille amor sufficit, quem Concilium Tridentinum exigit: Sed ista Synodus non alium in attritione cum Sacramento exigit, quam incohatum, & a spe promanantem: Et probatur: Amor a spe profluens diligit Deum ut totius justitiæ fontem, scilicet, ut est nostra beatitudo. Ergo &c. Ecce Concilii verba Sess. 6. cap. 6. " Dum peccatores se esse „ intelligentes, a divinæ justitiæ timo„ re, quo utiliter concutiuntur, ad „ considerandam Dei misericordiam se „ convertendo, in spem eriguntur, fi„ dentes Deum sibi propter Christum „ propitium fore, illumque tamquam „ omnis justitiæ fontem diligere inci„ piunt. „

Altera: Amor quem in attritione exigit illa sacra Synodus, est specie distinctus ab eo qui a charitate procedit. Ergo &c. Probatur antecedens. Actus specificantur ab objectis formalibus. Atqui actus amoris quem quærit Concilium in attritione, habet objectum formale prorsus diversum ab amoris actu a charitate procedente: Et probatur. Prior tendit ad Deum quatenus nobis utilis est: Posterior vero ut in se bonus existit. Sed istæ rationes sunt prorsus diversæ. Ergo &c.

Tertia: Attritio ex pœnarum metu & amore initiali conceptus confert justificationem. Igitur sufficit, nec perfectior absolute requiritur. Probatur antecedens: Timor ille amore inchoato aspersus disponit proxime ad justificationem impii. Ergo &c. Probatur antecedens. Fortius disponit quam metus ex solo motivo gehennæ: Sed ille metus ex Conc. Trident. Sess. 14. cap. 4. disponit remote peccatorem ut se convertat, cum hunc timorem Spiritus sancti impulsum esse declaret sacra Synodus adversus Lutherum. Igitur attritio ex timore pœnarum simul & amore incohato quo Deus diligitur ut nobis utilis est, proxime disponit ad justi-

justificationem; & consequenter ad justificandum impium sufficit.

Quarta: Illum amorem ne quidem indirecte exigit in attritione Synodus, quem opponit attritioni, quam dicit disponere proxime ad justificationem: Atqui res sic se habet. Et probatur: De utroque momento sic loquitur Concilium Sess. 14. cap. 4. "Docet præterea, etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur; ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni, sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam." Ecce amor charitatis ab ipso delineatus, quem quidem tantæ esse efficaciæ asserit, ut extra Sacramentum justificet.

Tum pergit, & de attritione hunc instituit sermonem: "Illam vero contritionem imperfectam, quę attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ; daclarat, non solum non facere hominem hypocritam & magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse, & Spiritus sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat. Et quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in sacramento Pęnitentię impetrandam disponit." Videas velim in ista attritionis definitione, tria esse ponderanda. I. Eam esse Spiritus sancti donum. II. In hypothesi quod habeat spem veniæ cum proposito non peccandi, disponere ad justificationem; porro ubi est spes, ibi est motus in Deum ut beatitudinem amandum. *Quo salutari metu adjutus pœnitens*, inquit, *viam sibi ad justitiam parat*. III. Hanc attritionem non justificare quidem sine Sacramento, bene vero cum Sacramento, ait: *Et quamvis sine sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit*. Scilicet proxime; posita autem ultima dispositione, forma intenta statim producitur, quæ est peccatoris justificatio.

Quinta: Hæc ratio sequitur. Quod justificat extra Sacramentum, omnino distinguitur ab eo quod nonnisi cum Sacramento justificat. Sed ex Concilio Tridentino dolor contritionis perfectæ extra Sacramentum justificat, attritionis vero nonnisi cum Sacramento. Igitur attritio quę justificat cum Sacramento, ex charitate non procedit.

Convellitur systema Juenini ex contradictoriis qua auctor in hoc ubique loquitur.

TAMETSI opinio illius Theologi confutata maneat ex rationibus modo allatis, attamen non abs re erit ostendere illum passim circa istud momentum contradictoria loqui.

Prima contradictio. Jueninus hic disp. 6. de Pœn. art. 2. §. 3. pag. 382. agnoscit attritionem aliquo amore illustratam sufficere ad justificationem.

CONCLUSIO. *Contritio*, ait, *imperfecta debet oriri ex incohato Dei amore super omnia, ut satis sit ad recipiendam gratiam in sacramento Pœnitentiæ*. Et tamen §. 4. nullam contritionem nisi perfectam admittit. Pag. 395. ait. CONCLUSIO. *Amor in pœnitente requisitus ut gratiam in sacramento Pœnitentiæ recipiat, est amor charitatis, non autem amor concupiscentiæ*. Amor autem charitatis specifice distinguitur ab amore concupiscentiæ, ea potissimum ratione, quod sit semper perfectus, quippe qui Deum in se, & propter se diligere velit. Incassum enim reponit auctor sufficere ad justificationem amorem charitatis in gradu minimo, qui quidem imperfectus est relative ad intensiorem; & hoc propter duo: Primo, quia habitus non distinguuntur penes magis, & minus: cum igitur Jueninus actum a charitatę fluentem exigat, non distinguit contritionem ab attritione. Secundo, hallucinatur in principio; charitas quippe quantumvis minima est semper in ratione amoris perfectissima, quippe quæ diligat Deum, & propter se, & super omnia, ut asserit S Thomas 3. p. q. 70. art. 4. in corp. his verbis: "Minima gratia potest resistere cuilibet concupiscentiæ, & vi-

„ & vitare omne peccatum mortale, quod „ committitur in transgressione mandato- „ rum legis: minima enim charitas plus „ diligit Deum, quam cupiditas millia „ auri & argenti. „

Secunda contradictio. Jueninus ibidem §. 4. pag. 395. sententiam Concilii Tridentini de amore inchoato, quo Deus diligitur tamquam totius justitiæ fons & origo refert, & ei subscribit: " Conci- „ lium Tridentinum, *ait*, Sess. 6. cap. 6. „ describens dispositiones justificationi præ- „ requisitas, recenset quidem actum cha- „ ritatis, sed quæ inchoata tantum sit, „ non vero perfecta; *Ipsum*, inquit, *tam-* „ *quam omnis justitiæ fontem diligere inci-* „ *piunt*. „ Sed hoc ipsum retractat, & a Concilio prorsus secedit, dum ibidem pag. 396. sic loquitur: *Amor in pœnitente requisitus ut gratiam in sacramento Pœnitentiæ recipiat, est amor charitatis, non autem amor concupiscentiæ*; quod est directe contra Synodi & verba & mentem; quandoquidem Concilium distinguendo contritionem ab attritione, seu contritionem perfectam ab imperfecta, verbis claris charitatem ab attritione sejungit, & excludit; dicit enim illam sine Sacramento justificare, istam solum cum Sacramento. Ecce pro contritione verba. *Docet præterea*, sancta Synodus, *etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu recipiatur* &c. Audis non semper, sed quandoque contritionem informari charitate: Audis hominem justificari vel ipsum extra Sacramentum; non ait, ubi adest charitas intensissima, sed absque limite, ut primum adest charitas, sive magna, sive parva sit. Tum ad attritionem a qua excludit charitatem, suum convertit sermonem, & subdit illam cum Sacramento justificare: *Et quamvis sine sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit*.

Ex alio capite se prodit Juenini contradictio, quando dicit charitatem Deum ut totius justitiæ fontem juxta Tridentinum respicere, cum potius Deum propter se diligat, & Synodus tribuat attritioni hanc ad Deum tendentiam Sess. 6. cap. 6. ut illam ab amore perfecto distinguat. Demirentur Lectores uenini doctrinam. Num mente versipelli, ut errori Jansenii, qui non alium agnoscit amorem verum præter perfectum, faveat? judicet rerum æquus æstimator.

Tertia contradictio. Jueninus ultro fatetur Pœnitentiam esse Sacramentum mortuorum, cum in ejus conclusionibus allatis distinguat amorem justificantem extra Sacramentum, ab eo qui nonnisi simul cum Sacramento justificat: Sed charitatis amorem exigere pro semper, est evacuare sacramentum Pœnitentiæ, quod dubio-procul, si adest semper charitas ad justificationem solum consequens, nec unquam Sacramentum erit. Quis enim gentium usquam dixerit, peccatorem diligentem Deum super omnia, & propter se, tametsi amor sit solum intensus ut unus gradus non justificari: namque pro eo omni qui hac charitate accedit ad Deum habetur Joan. 14. *Si quis diligit me ... & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*. Hinc S. Augustinus Tract. 5. in 1. Epist. Joan. ait: " Dilectio sola, discernit in- „ ter filios Dei, & filios diaboli. „ Rursus ibidem: " Si quis in corde suo inve- „ nerit charitatem, securus sit, quia „ transiit a morte ad vitam. „ Igitur opinio contraria eatenus destruit Pœnitentiæ sacramentum, quatenus secundum illam erit solum declaratio, peccata jam fuisse remissa, sed non remittenda, cum ex ipso Concilio Tridentino Sess. 14. cap. 4. contritio charitate formata extra sacramentum justificet.

Quarta contradictio. Jueninus ibidem §. 4. pag. 395. ratum habet decretum Facultatis Parisiensis ann. 1638. 1. Julii latum contra Claudium Segenot Presbyterum Gallum Oratorianum, qui in quodam libro quasdam facit ad librum S. Augustini de Virg. observationes pag. 122. 126. 128. & 129. ubi istæ leguntur propositiones. *Actus charitatis perfectæ, seu is, qui vera & perfecta contritio dicitur, absolute necessarius est ad impetrandam gratiam in sacramento Pœnitentiæ, & absolutio Sacerdotis nihil aliud est quam mera, sed juridica tamen peccati jam remissi declaratio*. Prius ibidem dixerat attritionem de peccatis insufficientem esse pro reci-

recipiendâ remissione peccatorum in sacramento Pœnitentiæ.

His propositionibus hanc notam inussit sacra Facultas. *Quæ tradit* Segenot, *de attritionis insufficientia, & contritionis ex perfecta charitate absoluta necessitate ad recipiendum sacramentum Pœnitentiæ, & addit, & approbat de absolutione, quod nihil aliud sit quam declaratio juridica peccati jam remissi, damnavit quoque Facultas, & censuit has propositiones esse quietis animarum perturbativas, communi, & omnino tota praxi Ecclesiæ contrarias, efficaciæ sacramenti Pœnitentiæ imminutivas, & insuper temerarias, ac erroneas.* Sed in eadem damnationis causâ videtur esse Jueninus, cum voce & scripto tenus dicat attritionem a contritione ab ipso Concilio Tridentino distinctam, sufficere eum Sacramento ad justificationem; quippe qui exigat etiam cum Sacramento contritionem charitate formatam, quam attritionis nomine, ut fucum faciat, defectu majoris intensionis nuncupat. Non enim secernit contritionem ab attritione penes actuum speciem, sed vult utramque eamdem entitative esse, nec aliter quam penes gradum distinguit; ita ut attritio dicatur si actus sit levissime intensus, contritio vero si magis fervescat. Ergo &c.

Quinta contradictio. Jueninus ut declinet anathema tum Ecclesiæ, tum Academiarum Catholicarum se subscribere credi sanæ Theologorum sententiæ, qui propugnant attritionem amore incohato a spe fluentem sufficere cum Sacramento juxta mentem Concilii Tridentini, dum asserit hic idem §. 4. p. 295. non impugnare se amorem quo peccator diligit Deum ut totius justitiæ fontem: Atqui tamen de facto in sua conclusione pag. 296. debellat istum amorem, & omni argumentorum genere conatur probare solum amorem perfectum ex charitate procedentem sufficere. Isto prorsus scopo laudat multos tum Scripturæ, tum Concilii Tridentini, tum etiam divi Thomæ textus, quos omnes in suum adulterinum convertit sensum. Tametsi enim in eis fiat mentio de charitate, nullibi tamen illic auctor distinguit charitatem perfectam ab amore imperfecto, nec contra mentem Scripturæ, Patrum, & ipsius Concilii Tridentini concludere dubitat, amorem perfectum a charitate promanantem solum cum Sacramento sufficere, suam sinistram opinionem ratus irrefragabiliter probare, si loca, ubi amor & charitas commemorantur afferret: quo fine, pace dicam, si credamus terminis, absit enim de intentione judicare, nisi ut & principiis a Jansenio, non nihil emendicatis, omne quod non est a charitate, malum esse, & ex concupiscentia mala procedere subindigitet; hinc splendide ait p. 396. *Amor in pœnitente requisitus ut gratiam in Sacramento recipiat, est amor charitatis, non autem amor concupiscentiæ.* Quasi vero non daretur amor concupiscentiæ bonus & laudabilis. Ne autem aliquis relinquatur circa istud momentum ambigendi locus, hæc Thesis proponitur in speciali, & probatur;

Amor concupiscentiæ a Juenino, ut insufficiens etiam cum Sacramento, abjectus, castus, & sufficiens est: & in hoc effulget nova ejus contradictio.

Probatur iste efficacissimo argumento.

Ille amor est castus, & Sacramento consociatus ad justificationem sufficiens, qui tametsi ad mercedem tendat, laudatur tamen in Patribus veteris Testamenti, prædicatur a Christo, a sacra Synodo Tridentina proponitur, & ita defenditur, ut illum abjicientes anathemate percutiat; qui tandem appretiative Deum super omnia diligit. Atqui talis est amor concupiscentiæ a spe promanans, quem initialem & incohatum nominamus: Igitur causa cadit Jueninus, cum illum floccifacit, nec in hoc sibi constat, quando per contritionem imperfectam seu attritionem, asserit nihil aliud se intelligere præter amorem charitatis castum quo Deus super omnia diligitur. Probatur minor quoad omnes partes.

Primo: Amor quo Deus diligitur ut totius justitiæ fons & nostra beatitudo, laudatur ab ipsa Scriptura in Sanctis; namque Heb. 11. legitur de Abrahamo: *Expectabat enim fundamenta habentem civitatem, cujus artifex & conditor Deus:* Tum ibidem de Moyse: *Majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum, improperium Christi: aspiciebat enim in remunerationem*

ratio-

rationem. Rursus Psal. 118. *Inclinavi cor meum*, ait Propheta, *ad faciendas justificationes tuas in æternum propter retributionem*.

Secundo: Christus ad ciendos amoris affectus, pro motivo proponit mercedem. Matth. 5. ait: *Beati estis cum maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversum vos mentientes propter me: gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis*. Rursus ibidem c. 19. *Omnis qui reliquerit domum ... propter nomen meum .... Centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit*. Eo loci Christus ex professo invitat homines ad vitam Apostolicam amplectendam æternæ mercedis motivo, quod quidem verba ista antecedentia declarant: *Petrus dixit ei: Ecce nos reliquimus omnia, quid ergo erit nobis? Jesus autem dixit illis . . . Sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel: Et omnis qui reliquerit &c.*

Tertio: Sacra Synodus Tridentina Sess. 6. cap. 11. ait, proponendam esse vitam æternam pro Pœnitentiæ motivo; nec asserere dubitat eos qui Deum, ut totius justitiæ fontem diligunt, justificari cum Sacramento, quem quidem amorem sic laudabilem & castum habet, ut damnet contrarium propugnantes: "Princeps „ Apostolorum Petrus, *ait*, Satagite, ut „ per bona opera certam vestram vocatio- „ nem & electionem faciatis; hæc enim „ facientes non peccabitis aliquando. Un- „ de constat eos, Orthodoxæ Religionis „ doctrinæ adversari, qui dicunt, justum „ in omni bono opere saltem venialiter „ peccare, aut (quod intolerabilius est) „ pœnas æternas mereri: atque etiam „ eos qui statuunt in omnibus operibus „ justos peccare, si in illis suam ipsorum „ socordiam excitando, & se se ad cur- „ rendum in stadio cohortando, cum hoc, „ ut in primis glorificetur Deus, merce- „ dem quoque intuentur æternam, cum „ scriptum sit: Inclinavi cor meum ad „ faciendas justificationes. „

Tum ibidem can. 31. sic concludit. *Si quis dixerit, justificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur; Anathema sit*. Igitur juxta Tridentinum est de fide amorem, quo diligitur Deus, ut beatitudo nostra, esse castum, bonum, laudabilem; & consequenter sufficit cum Sacramento ad justificationem.

Demum: Amor ille a se promanans ita castus est, ut Deum appretiative super omnia diligat. I. Quia ex Tridentino illum diligit, ut totius justitiæ fontem, qui quidem amor nulli creaturę convenire potest. II. Ex S. Thoma 2. 2. q. 19. art. 4. licet homo moveatur proxime a bono proprio consulendo in fuga peccati propter pœnas, non tamen in hoc, ut in ultimo fine sistit, sed in Deo. Igitur attritus amore spei impulsus, appretiative diligit super omnia Deum, quem ceteris bonis creatis, ut melius, & summum bonum habet, quippe qui non in illis, sed in eo solo, ut in ultimo fine quiescat.

FIT SATIS OBJECTIONIBUS.

OBJICIES I. Qui fugit peccatum propter Deum quatenus nobis bonum, habet pro motivo amorem proprium: Sed amor proprius est malus. Ergo &c.

Respondeo distinguendo minorem: Amor proprius inordinatus, ad quem omnia refert homo, concedo: ordinatus, & in quo ultimate non quiescit, sed insuper Deum sibi, ut ultimum finem proponit, nego minorem, & consequentiam. Certum est in amore Dei benefactoris, nihil inordinatum esse, modo istius finis sit Deus, ad quem possidendum in cęlo refert omnia; hinc amor ille proprius est supernaturalis, & rectus.

Instabis: Sequeretur inde amorem istum esse charitatis in Deum, non vero concupiscentiæ, quia, inquit D. Thomas 2. 2. q. 19. art. 6. si pęna timeretur eo quod separat hominem a Deo, ut ultimo fine, tunc esset charitatis: Sed per attritionem, malum timet peccator solum in quantum impedit possessionem proprii boni, in quo tamen, ut in ultimo fine non quiescit, cum fugam mali ordinet ad Deum, ut a se desideratum. Ergo &c.

Respondeo negando sequelam. Ratio discriminis triplex est. Prima: ille qui charitate movetur, diligit Deum propter ejus bonitatis excellentiam; econtra vero attritus propter suam propriam utilitatem

Secun-

Secunda: Prior fugit peccatum quia est malum Dei, posterior vero ex eo quod beatitudini suæ opponatur. Tertia: Charitatis amore flagrans, habet pro ptimario & immediato peccatum fugiendi motivo Deum ipsum ut bonum, hinc amoris benevolentiæ nomine celebratur ejus amor: Sed non sic amor concupiscentiæ qui est proprii boni motus, quippe qui a timore pœnæ, ad recedendum a peccato moveatur, nec nisi mediate diligat Deum, & in eo ut in ultimo fine, ne a beatitudine excidat, quiescere velit. S. Thomas ibidem est sui ipsius interpres. " Ejusdem enim rationis est, *ait*, quod „ homo cupiat bonum suum, & quod „ timeat eo privari. Amor autem sui „ tripliciter se potest habere ad charita- „ tem. Uno enim modo contrariatur cha- „ ritati, secundum quod aliquis in amore „ proprii boni finem constituit. Alio vero „ modo in charitate includitur, secun- „ dum quod homo se propter Deum, & „ in Deo diligit. Tertio modo a chari- „ tate quidem distingoitur, sed charitati „ non contrariatur, puta cum aliquis di- „ ligit se ipsum secundum rationem pro- „ prii boni, ita tamen quod in hoc pro- „ prio bono non constituat finem .... „ Timor pęnæ includitur uno modo in „ charitate. Nam separari a Deo est quæ- „ dam pœna, quam charitas maxime re- „ fugit. Unde hoc pertinet ad timorem „ castum ... Alio modo timor pœnæ di- „ stinguitur quidem secundum substantiam „ a timore casto: quia scilicet homo timet „ malum pęnale, non ratione separationis „ a Deo, sed in quantum est nocivum „ proprii boni: nec tamen in illo bono „ constituitur eius finis. „ Angelicus Doctor eo loci, angelice cuncta distinguit. Primo quidem contritionem ab attritione, in eo quod illa Deum propter se diligat, ista propter proprium bonum, ita tamen quod attritus in Deo ut in ultimo fine quiescat. Secundo, ait amorem concupiscentiæ supernaturalem, distingui secundum substantiam & entitative a charitate. Igitur vel concedat Jueninus cum S. Thoma attritionem non includere amorem a charitate fluentem, vel ultro fateatur se revera nullam agnoscere attritionem, sed tantum amorem perfectum.

Urgebis: Ut attritio justificet, amor eam castum debet includere: Sed amor ea stus ex S. Thoma soli charitati tribuitur: " Separari a Deo, *inquit*, est quædam „ pęna, quam charitas maxime refugit. „ Unde hoc pertinet ad timorem castum. „ .... Alio modo timor pęnæ distingui- „ tur quidem secundum substantiam a ti- „ more casto. „ Igitur attritio a charita- „ te, nusquam vero ab amore concupiscentiæ promanare dicenda est.

Respondeo distinguendo majorem: Debet includere amorem castum inchoatum, concedo: castum perfectissime, nego: Et sic distincta minore, nego consequentiam. Amor castus duplex distinguitur, unus quo Deus immediate & propter se diligitur, alter vero quo amatur ut nobis utilis. Priori modo convenit charitati, posteriori attritioni; qui quidem amor eatenus dicitur castus, quatenus pœnitens, nec in solo pęnarum metu sistit, sicut dæmones, qui, *credunt*, & *contremiscunt*, ut ait S. Jacob. 2. nec etiam in bono creato, cum in eo, inquit D. Thomas, non reponat ultimum finem: Non implicat autem amorem castum inchoatum convenire amori initiali; illum tamen cum Sacramento sufficere iterum atque iterum probatum est.

Oppones II. Concilium Tridentinum exigere videtur amorem ex charitate promanantem. Ergo &c. Probatur antecedens Sess. 6. cap. 6. postulat dilectionem adjungi actibus tum fidei, tum timoris Dei: " Peccatores, *inquit*, se intelligen- „ tes, a divinæ justitiæ timore, quo uti- „ liter concutiuntur, ad considerandam „ Dei misericordiam, se convertendo, in „ spem eriguntur, fidentes, Deum sibi „ propter Christum propitium fore, il- „ lumque tamquam omnis justitiæ fon- „ tem diligere incipiunt. „ Sed si amor spei sufficeret, incassum ulterius dilectio requireretur. Ergo &c. Confirmatur. Ibidem dicit amorem attritionis esse solum incipientem: Igitur nondum est ille amor, donec accedat charitas.

Respondeo negando Antecedens. Ad probationem distinguo: Concilium exigit præter spem, amorem, tamquam effectum a causa dimanantem, concedo: velut actum specialem, non a spe, sed a charitate dimanantem, nego. Illam igitur dilectio-

lectionem a spe distinguit, sicut cæteri effectus a causis secernuntur: sed illam non ab alio habitu profluere, omni legenti patebit, si consideret proprium esse spei movere hominem in Deum, ut bonum supremum possidendum, cujus fruitione perfecte beatus est.

Ad confirmationem distinguo: Amorem illum vocat sacra Synodus incipientem respective ad amorem perfectum, concedo: quasi in se sumptus sit incipiens, nego: Porro amor spei in se habet omnem perfectionem requisitam; eatenus autem dicitur incipiens amor, quatenus est via ad perfectum, immo & perfectissimum.

Instabis: Dilectio qua diligitur Deus, velut omnis fons justitiæ, est vera & perfecta dilectio: Sed talem exigit Concilium Tridentinum. Ergo &c.

Respondeo distinguendo majorem: Si sit sine respectu ad nos, concedo; si dicat ad nos relationem, nego. Jam vero ille amor nos respicit; eo enim modo diligimus Deum, quatenus nobis bonum; in remunerationem quippe aspicimus. Ceterum ille amor in sua linea perfectus est. Sed eo perfectior datur, ille scilicet quo Deus propter se diligitur.

Urgebis: Concilium Sess. 14. c. 4. appellat attritionem, contritionem imperfectam: Atqui imperfecta contritio non distinguitur a perfecta essentialiter: Ergo &c.

Respondeo distinguendo majorem: Et contritio imperfecta sic nominatur, propter motivum, concedo: propter gradum remissum, nego majorem. Ad minorem utique distinguo: Contritio quæ mensuratur penes gradus, concedo: penes motivum, nego minorem, & consequentiam. Jam vero motivum contritionis imperfectæ diversum est a motivo contritionis perfectæ; cum igitur actus specificentur ab objecto formali, quod quidem est diversum pro contritione, & attritione, sequitur amorem attritionis ab amore contritionis prorsus distingui.

Insistes; Sancti Patres passim exigunt charitatem, ad hoc ut quis justificetur: Ergo &c.

Respondeo distinguendo: Charitatem habitualem concedo: actualem subdistinguo; quæ consideret Deum nobis bonum, concedo: Deum in se, iterum subdistinguo, extra Sacramentum, concedo: cum Sacramento & hoc absolute, nego minorem, & consequentiam.

Persistes: Multi Theologi, qui post Concilium Tridentinum floruere, contendunt timorem pœnarum junctum Sacramento justificare sine amore: tales sunt Dominicus Soto, Melchior Canus, Vasquez, Gonetus, & alii.

Respondeo multo plures optimæ notæ nobis favere; unde alios, veritate superati, deserimus, cum præsertim Concilium exigat dumtaxat, ut peccator incipiat diligere Deum velut totius justitiæ fontem.

Objicies III. Contra charitatem est operari intuitu mercedis, cum 1. Corinth. c. 13. legatur *Charitas non quærit quæ sua sunt*: Igitur amor spei non est ad justificationem sufficiens, etiam Sacramento consociatus.

Respondeo distinguendo antecedens: Intuitu mercedis temporalis, concedo: æternæ nego Antecedens, & consequentiam. Merces temporalis refertur ad nos tamquam ad finem ultimum; æterna vero ad Deum in quo quiescit anima.

Repones: Sanctus Bernardus Epist. 11. ad Guidonem Priorem Carthusianum, non approbat amorem quo diligitur Deus quia nobis bonus. Sic enim loquitur: " Qui magis, aut certe solum diligit „ suum, convincitur non caste diligere „ bonum, quod utique propter se dili- „ git, non propter ipsum; & hic talis „ non potest obedire Prophetæ qui ait, „ Confitemini Domino quoniam bonus; „ confitetur quidem quia fortasse bonus „ est sibi, non quia bonus est in se. „

Respondeo distinguendo: Divus Bernardus non approbat amorem quo diligitur Deus quatenus nobis bonus, propter bona temporalia quæ ab ipso petimus, & accipimus, ita ut istud unicum sit amoris nostri motivum, concedo: propter bona spiritualia, eaque æterna, & quæ ab ipso non sunt distincta subdistinguo: Si referat ad se tamquam ad finem ultimum, concedo: si referat ad Deum, nego: eo loci propugnat S. Bernardus amorem quo quis diligit Deum, propter bona interna, & æterna quæ ad Deum refert, esse legitimum; quod patet ex iis

quæ

quæ scripsit in Psal. 90. ubi sic habet: " Sunt forte nonnulli qui a Domino ob-„ tinere temporalia seu spiritualia quæ-„ libet concupiscunt, sed perfecta chari-„ tas, solum sitit quod summum est, & „ tota desiderii vehementia clamat: Quid „ enim mihi est in cœlo, & a te quid „ volui super terram, Deus cordis mei, „ & pars mea Deus in æternum. „

Urgebis: Eadem Epistola sic prosequitur: " Est qui confitetur Domino quo-„ niam potens est, qui confitetur quo-„ niam sibi bonus est, & idem qui con-„ fitetur quoniam simpliciter bonus est: „ Primus servus est, & timet sibi; se-„ cundus mercenarius est, & cupit sibi; „ tertius filius, & defert Patri. Itaque, „ & qui timet, & qui cupit uterque pro „ se agunt, sola, quæ in filio est chari-„ tas, non quærit quæ sua sunt: quamob-„ rem puto de illo dictum, Lex Domi-„ ni immaculata convertens animas, „ quod sola videlicet sit, quæ ab amore „ sui, & mundi avertere possit animum, „ & in Deum dirigere; nec timor quip-„ pe, nec amor privatus convertit ani-„ mam; mutant interdum vultum, vel „ actum, affectum nunquam. „ Ex quibus sic arguitur. Amor iste castus non est, sed perversus, qui sibi soli cupit, qui pro se agit, qui affectum numquam mutat, nec potest animum a sui, & mundi amore avertere: Atqui talis est amor quo Deus diligitur, ut nobis bonus. Ergo &c.

Respondeo distinguendo minorem: Amor quo Deus diligitur præcise propter bona temporalia est perversus, concedo: si ad gloriam Dei ea referamus, nego. Hunc esse sancti Doctoris sensum patet. I. Quia eodem loco profitetur, se de illo amore loqui, in quem dirigitur istud opprobrium Prophetæ Psal. 48. *Confitebitur tibi cum benefeceris eis*. Nemo autem dixerit opprobrium esse amare Deum quia nostra est beatitudo, nostra felicitas & finis ultimus: deinde Propheta Regius quem laudat sanctus Bernardus, ibi agit de iis qui Deum colunt propter remunerationem temporalem, ut liquet ex his verbis antecedentibus versu 7. ubi sic loquitur: *Confidunt in virtute sua: & in multitudine divitiarum suarum gloriantur*.

Persistes: Idem sanctus Doctor Lib. de diligendo Deo c. 3. vult amorem illum quo diligimus Deum, ut bonum nostrum, esse mercenarium; sic enim habet: " Non „ sine præmio diligitur Deus; Etsi abs-„ que præmii intuitu diligendus sit, va-„ cua namque vera charitas esse non pot-„ est; nec tamen mercenaria est, quip-„ pe non quærit quæ sua sunt ...... Ve-„ rus amor præmium non quærit, sed „ meretur. Ergo &c.

Respondeo distinguendo Antecedens: Diligendus est Deus absque præmii intuitu, quod sit diversum a Deo, & infra Deum, concedo: quod sit Deus ipse, nego. Loquitur eo loci sanctus Bernardus de præmio quod sit diversum, & distinctum a Deo.

Oppones IV. Spes non tollit affectum peccati, quippe quæ reperiatur cum culpa mortali in peccatoribus: Igitur ubi non est charitatis amor, ibi nulla est peccatoris justificatio.

Respondeo distinguendo: Spes non tollit affectum peccati semper, concedo: quando adjunctum habet amorem initialem, nego. Tollit affectum actualem spes, sed non habitualem, quod est charitatis munus proprium, quæ sola per se justificat; unde amor spei sine Sacramento nihil efficit.

Instabis: Non defuerunt Sancti qui consenserunt privari beatitudine propter fratres, juxta illud Moysis Exod. 32. ad Deum, *Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo*. Et illud Apostoli ad Romanos 9. *Optabam enim ego ipse Anathema esse a Christo pro fratribus meis*. Igitur solus benevolentiæ amor apud Deum ponderat.

Respondeo, justos illos fuisse locutos de morte temporali, nusquam vero de æterna. II. Id exoptabant ex abundantia, & charitatis excessu; idque erat sub conditione, quam impossibilem arbitrabantur; non enim volebant se privari beatitudine æterna quæ est ipse Deus, propter fratres: ita sanctus Chrysostomus Hom. 16. in Epistolam ad Romanos, ubi locum Apostoli sic interpretatur.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Amor ex Spe promanans sufficit cum Sacramento ad justificandum peccatorem.

PRIMO: Non alium amorem absolute exigit Concilium Tridentinum Sess. 6. c. 6. quam illum quo peccator diligit Deum, ut totius justitiæ fontem: talis est autem quem in conclusione defendimus.

Secundo: Hujusmodi amore, pœnitens diligit Deum appretiative super omnia, cum in illo solo, nusquam vero in bono creato, suum ultimum reponat finem.

Tertio: Si requireretur amor charitatis, ut quid ad justificationem impii simpliciter necessarium, inane foret Pœnitentiæ sacramentum, cum nusquam justificaret peccatorem, sed solum declararet justificatum, quod est manifeste contra doctrinam sacræ Synodi de dogmate numeri septennarii Sacramentorum.

SYNOPSIS ARGUMENTORUM IN CONTRARIUM, ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Amor proprius qui sistit in bono Creato non sufficit quidem ad justificationem, secus vero ille, qui in Deo quiescit.

Secundo: Neque vero negamus amorem concupiscentiæ malæ a S. Augustino rejici, sed non sic amor concupiscentiæ supernaturalis, quo quis quærit Deum, ut suum bonum, & finem ultimum, qualem dumtaxat propugnamus.

Tertio: Absit impugnare placita Patrum qui exigunt charitatem ad justificationem: Sed eos, charitatem solum inchoatam, seu amorem initialem exigere constat; si quando vero amorem charitatis habitualis expostulent, non absolute ad justificationem, sed ad vitæ æternæ meritum exiguat.

ARTICULUS QUINTUS.

De Confessione in speciali.

Nomina varia.

IN Scripturis sacris, nomen Confessionis usurpatur quandoque ad significandum modum Deo gratias agendi, vel etiam ejus celebrandi laudes, juxta illud Psal. 7. *Confitebor Domino secundum justitiam ejus, & psallam nomini Domini altissimi*. Et istud Psal. 9. *Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo, narrabo omnia mirabilia tua*. Rursus Psal. 34. *Confitebor tibi in Ecclesia magna, in populo gravi laudabo te*. Quandoque etiam eadem vox significat peccatorum Confessionem, ut Levitici c. 16. ubi de Aarone dicitur: *Postquam emundaverit Sanctuarium, & Tabernaculum, & Altare, tunc offerat Hircum viventem, & posita utraque manu super caput ejus confiteatur omnes iniquitates filiorum Israel, & universa delicta atque peccata eorum*. Item Marci c. 1. *Et egrediebatur ad eum omnis Judæa Regio, & Jerosolymitæ universi, & baptizabantur ab illo in Jordanis flumine confitentes peccata sua.*

S. Thomas 2. 2. q. 3. art. 1. ad 1. ait illud nomen nonnumquam sumi in textu Sacro pro Confessione fidei: " Triplex, „ est, *inquit*, Confessio quæ in Scripturis „ laudatur. Una est Confessio eorum „ quæ sunt fidei, & ista est proprius „ actus fidei, utpote relata ad fidei fi„ nem. „ Tum modos jam citatos refert his verbis: " Alia est Confessio gra„ tiarum actionis, sive laudis; & ista „ est actus latriæ; ordinatur enim ad „ honorem Dei exterius exhibendum, „ quod est finis latriæ. Tertia est Con„ fessio peccatorum, & hæc ordinatur „ ad deletionem peccati, quæ est finis „ Pœnitentiæ, unde pertinet ad pœni„ tentiam. „ Jam vero actionem quam Latini peccatorum confessionem vocant, Græci appellant ἐξομολόγησιν, quod vocabulum vertitur *Exomologesim*, quo utitur Tertullianus Lib. de oratione c. 7. " Ex„ omologesis, *inquit*, est petitio ve„ niæ, quia qui petit veniam, deli„ ctum confitetur. „ Eumdem terminum

rum pro delicti confessione Cyprianus adhibuit Lib. de lapsis his verbis: "Quoniam tamen de hoc, vel cogitaverunt hoc ipsum apud Sacerdotes Dei dolentes, & simpliciter confitentes, exomologesim conscientiæ faciunt, animi sui pondus exponunt, salutarem medelam parvis licet, & modicis vulneribus exquirunt."

Confessio a Divo Thoma in 4. Dist. 17. art. 2. q. 1. sic definitur: "Confessio, *inquit*, est Sacramentalis delinquentis accusatio ex erubescentia, & per claves Ecclesiæ satisfactoria, obligans ad faciendam pœnitentiam injunctam." Eam esse de jure divino, omni argumentorum supellectili jam ostendimus; sequentia jam veniunt examinanda, scilicet, quid sit declarandum in Confessione? Secundo quomodo confitendum?

SECTIO PRIMA.

Qualis integritas requiratur ad veram Confessionem?

CONVENIUNT omnes ad legitimam confessionem perficiendam, necessarium esse omnia peccata mortalia post Baptismum commissa deponere; hanc exigunt cujusvis sæculi Ecclesiæ Patres, sed non idem dicendum de peccatis venialibus; quæ licet sint materia Sacramenti Pœnitentiæ, juxta illud a Christo universaliter pronuntiatum, *Quorum remiseritis peccata &c.* Sunt tamen materia libera, ut constat ex illis Concilii Tridentini verbis Sess. 14. c. 5. "Venialia quibus a gratia non excludimur, & in quæ frequentius labimur, quamquam recte, & utiliter, citraque omnem præsumptionem in confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat, taceri tamen citra culpam, multisque aliis mediis expiari possunt." Istam doctrinam hausit Concilium ex sanctis Patribus, præcipue ex Augustino, qui Homilia 19. inter Quinquaginta censet aliis mediis quam sacremento Pœnitentiæ peccata venialia deleri; sic enim habet: "Non me latet vitam istam mortalem, & in carne corruptibili constitutam sine peccatis esse non posse, sed illa quotidiana levia habent etiam lavacra quotidiana; hoc est quod pectus tundimus & dicimus, in oratione Domino Deo nostro, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris."

Ultro conveniunt utique omnes in Theologia Magistri, pœnitentem, ad confessionis validitatem intra veritatis terminos sic continendum esse, ut nihil omittat essentiale, vel ex malitia, aut superstitione aliquid addat; hinc aliquod gravissimum peccatum celare, aut peccata non commissa deponere, grande scelus est. Similiter confessio debet esse integra, quia est judicium; ut autem Judex rite pronunciet, debet omnia cognoscere delicta. His positis, sit

CONCLUSIO.

Ad validam Confessionem requiritur, ut Pœnitens aperiat I. Omnia peccata mortalia. II. Omnes utique circumstantias, vel speciem immutantes, vel eam supra modum aggravantes.

PRIMA PARS.

Omnia peccata gravia sunt aperienda.

Probatur, primo ex Patribus.

ORIGENES Homil. 3. in Levit. ait: "Si quid in sermone solo, vel etiam intra cogitationum secreta comisimus, cuncta necesse est publicari, cuncta proferri &c."

Astipulatur S. Hieronymus, qui exponens illud Eccli. 10. *Si mordeat serpens in silentio*, dicit: "Si enim erubescat ægrotus vulnus medico confiteri, quod ignorat medicina, non curat."

His accedit Theodulphus Aurelianensis, qui Lib. 3. c. 31. ait: "Confessiones dandæ sunt de omnibus peccatis." Alios Patres recensere supersedeo, cum omnes qui de confessione scripserunt, ne uno quidem excepto, docuerint cuncta peccata gravia Sacerdoti esse deponenda.

Secundo, ex Conciliis.

QUOSDAM nono sæculo perstrinxit

Concilium Cabillonense, qui dum confiterentur, quædam reticebant peccata; sic enim habet can. 32. " Sed & hoc emendatione indigere perspeximus, quod quidam, dum confitentur peccata sua Sacerdotibus, non plane id faciunt, &c. "

Concilium Tridentinum Sess. 14. c. 5. punctum istud his verbis definit: " Cum universa mortalia peccata etiam cogitationis, homines iræ filios, & Dei inimicos reddant, necessarium est, omnium etiam veniam, cum aperta, & verecunda confessione, a Deo quærere. Itaque dum omnia, quæ memoriæ occurunt peccata Christi fideles confiteri student, procul dubio omnia divinæ misericordiæ agnoscenda exponunt; qui vero secus faciunt, & scienter aliqua retinent, nihil divinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt: si enim erubescat ægrotus vulnus medico detegere, quod ignorat medicina, non curat. " Hinc can. 7. sic pronunciat, *Si quis dixerit in sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino confiteri omnia, & singula peccata mortalia .... etiam occulta ... & quæ sunt contra duo ultima Decalogi præcepta, & circumstantias quæ peccati speciem mutant &c. Anathema sit.*

Tertio ex Ratione, eaque multiplici.

PRIMO: In Sacramento Pœnitentiæ peccata per modum judicii remittuntur, scilicet accusatione noxii rei, & sententia Judicis: Atqui Judex debitam non potest ferre sententiam nisi omnia noverit: Ergo &c. Hanc rationem eleganter exponit Concilium Tridentinum in capite jam citato his verbis; " Dominus noster Jesus Christus e terris ascensurus ad cœlos, Sacerdotes sui ipsius Vicarios reliquit, tamquam præsides, & judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles ceciderint, qui pro potestate clavium, remissionis, aut retentionis peccatorum sententiam pronuncient. Constat enim Sacerdotes judicium hoc, incognita causa exercere non potuisse; neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis servare non potuisse; si in genere dumtaxat, & non potius in specie, ac singillatim, sua ipsi peccata declarassent. "

Secunda: Sacerdotes in hoc Sacramento nedum sunt judices, sed etiam medici: Sed medicus remedium non potest debite parare, nisi omnes morbos, qualitatemque vulnerum, tum speciem, tum numerum apprime noverit. Ergo &c. Hanc rationem tradit D. Thomas hic 3. p. Suppl. q. 9. art. 2. in corpore: " In medicina corporali, *inquit*, oportet quod medicus, non solum unum morbum contra quem medicinam dare debet, cognoscat, sed etiam universaliter totam habitudinem ipsius infirmi; eo quod unus morbus ex adjunctione alterius aggravatur, & medicina quæ uni morbo competeret, alteri nocumentum præstaret, cum quandoque aliquis contrariis peccatis infectus sit, ut Gregorius in Pastorali docet; & ideo de necessitate Confessionis est, quod homo omnia peccata confiteatur, quæ in memoria habet: quod si non faciat, non est confessio, sed confessionis simulatio. "

Tertia: Talis debet esse confessio, qualis contritio: Sed contritio non delet peccata nisi omnia pœnitens detestetur: Igitur nec confessio, nisi omnia subjiciantur clavibus Ecclesiæ. Istam rationem subjicit etiam D. Thomas eodem articulo in responsione ad secundum: " Sacerdos, *inquit*, confessionem audiens, vicem Dei gerit, & ideo debet ei fieri hoc modo confessio, sicut fit contritio Deo. Unde sicut non esset contritio nisi quis de omnibus peccatis quæ memoriæ occurrunt, contereretur; ita non esset confessio, nisi quis de omnibus quæ memoriæ occurrerent, confiteatur. "

SECUNDA PARS.

Circumstantiæ notabiliter aggravantes malitiam peccatorum intra eamdem speciem, necessario sunt explicandæ in Confessione.

Probatur rationibus Theologicis.

PRIMO: Concilium Tridentinum Sess. 14. c. 5. docet talem faciendam esse a peccatore confessionem, ex qua Sacerdos rite valeat de peccatorum gravitate judicium

picium ferre: Sed hoc fieri nequit, nisi pœnitens circumstantias in eadem specie aggravantes aperiat; furtum enim mille aureorum longe gravius est quam duodecim; sed non licitum est a mente Concilii Oecumenici in rebus dogmaticis secedere. Ergo &c.

Secundo: Ibidem sic ait: " Constat enim „ Sacerdotes judicium hoc, incognita causa, exercere non potuisse, neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis servare non potuis, si in genere „ dumtaxat, & non potuisse, in specie, „ ac sigillatim sua ipsi peccata declarassent. „ Atqui inde sequitur manifeste tales circumstantias esse aperiendas; major enim dignus est supplicio qui uno ictu plures interemit homines, quam qui unum dumtaxat occidit. Ergo &c.

Tertio: Illa circumstantia debet necessario manifestari, quæ est materia necessaria confessionis: Sed talis est circumstantia notabiliter aggravans in eadem specie: Et probatur. Propter illam circumstantiam, summus Pontifex, vel etiam Episcopi, possunt tale peccatum sibi reservare, immo & quandoque reservant; sic ad suum tribunal adducunt incestus commissos cum sororibus, non autem cum consobrinis: Ergo &c. Jam vero Ecclesia numquam sibi reservat peccata venialia; illæ igitur circumstantiæ, utpote mortales, debent necessario deponi.

Quarto: Malitiæ pondus in confessione aperiendum est, cum ad hoc major sequatur offensa, maior etiam & ei pœna debita: Sed illud pondus a circumstantiis notabiliter aggravantibus ita dependet, ut ab eis sit inseparabile. Et probatur: Incestus omnes ex D. Thoma 2. 2. q. 154. art. 9. ad 2. sunt ejusdem speciei, & tamen incestus in primo, vel secundo gradu in malitiam & enormitatem sic crescit, ut Præsules ad peccatores a tantis criminibus patrandis deterrendos, hujusmodi casus sibi reservent, secus vero incestum in gradu inferiori. Ergo &c.

Ex his sequitur pœnitentem teneri aperire in confessione, num ad propinquam in primo, vel secundo gradu, diversatus sit, sicque peccati complicem illi declarare, non quidem in particulari, dicendo, quæ sit propinqua quæ sui copiam fecit, sed in genere: hoc est, declarando, peccavi cum consanguinea in tali gradu: si tamen contingeret peccatum gravius aliter non posse, sicut oportet aperiri, nisi etiam peccati consocium manifestando, ita decet fieri, ne integritas confessionis in periculum veniat. Ceterum Confessarius tenetur sub sigillo cuncta audire. Unde ex confessione nullum unquam pœnitenti, aut in fama, aut in rebus sequitur incommodum. S. Basilius non levia pro hujusmodi in confessione explicationibus, dicit. Scribens enim ad Amphilochium can. 66. sic loquitur: " Cum sorore coitus, *ait*, homicidæ tempore punietur & can. 74. „ Qui cum propria ex matre sorore pollutus est, in domum orationis ne permittantur accedere, donec ab iniqua & „ nefaria actione desistat. Postquam autem in horrendi peccati sensum, & „ animadversionem venerit, triennio defleat. „ Et can. 78. " Ii autem qui „ in suas Novereas insaniunt, sunt eidem „ canoni obnoxii, cui & ii qui in suas „ sorores insaniunt. „ Quomodo autem graviori pœna eos Ecclesia mulctasset, nisi complices criminum in confessione aperuissent.

Similia profert Concilium Triburiense c. 43. " Si quis, *inquit*, cum qualibet „ fornicatus fuerit, & eo nesciente filius „ ejus, vel frater ejusdem, & rei inscius „ cum eadem se polluerit, & postquam „ se pollutum esse cognovit, confessus „ fuerit, & hoc se nescire cum juramento „ confirmaverit, quia hoc pœnituit, & confessus sit, post peractam congruam pœnitentiam legitimo utatur matrimonio. „

Dices: Non licitum est detrahere aliquid ex fama proximi. Sed manifestare in confessione complicem, est detrahere proximo. Ergo &c.

Respondeo I. Graves quosdam auctores propugnare in aliquibus casibus licere peccatorum complices revelare non solum confessario, verum etiam & judici Civili, si isti, bono publico per fas & nefas adversentur; nec asserere dubitant, ad hoc teneri latronem, antequam vitam claudat in patibulo, maxime si ad hoc interpellatur a Magistratu.

Respondeo II. Distinguendo minorem: Manifestare peccati complicem non licitum est, si ex hoc sequatur proximo aper-

apertum incommodum, concedo: Sin minus, nego. Solutio est D. Thomæ, qui 2. 2. q. 73. art. 2. ad hanc difficultatem sic respondet: " Contingit tamen quandoque, quod aliquis dicit aliqua verba, per quæ diminuitur fama alicujus, non hoc intendens, sed aliquid aliud. Hoc autem non est detrahere per se & formaliter loquendo, sed solum materialiter, & quasi per accidens. Et si quidem verba, per quæ fama alterius diminuitur, proferat aliquis propter aliquod bonum vel necessarium, debitis circumstantiis observatis, non est peccatum, nec potest dici detractio."

FIT SATIS OBJECTIONIBUS.

Objicies contra secundam conclusionis partem: Sacra Synodus Tridentina Sess. 14. cap. 5. definiens quænam circumstantiæ in confessione forent explicandæ, eas solum nominat quæ speciem immutant, his verbis: " Colligitur præterea eas circumstantias in confessione explicandas esse, quæ speciem peccati immutant." Igitur ceteras quantumvis graves non tenetur pœnitens absolute aperire. Confirmatur: Ibidem post verba allata subjicit: " Constat enim, nihil aliud in Ecclesia a pœnitentibus exigi."

Respondeo distinguendo Antecedens: Et Synodus alias notabiliter aggravantes subintelligit, concedo: Et eas prorsus excludit, nego. Eo ipso quo circumstantias speciem immutantes statuit aperiendas esse, consequenter loquitur & de ceteris notabiliter aggravantibus: Et hoc propter duo: Primo quidem ex eo quod sæpius contingat speciem peccati immutari illis circumstantiis, & tamen hoc ignoret Pœnitens, quocirca illas, ne ulla quidem exclusa, debent aperiri confessario, ut judicet de qualitate peccati. Secundo, circumstantiæ de quibus impræsentiarum sermo est, semper augent peccati malitiam, quæ certe graviori satisfactionis pœna expiandæ sunt. Quomodo vero Judex satisfactionis gradum imponet, si cuncta quæ aggravant peccatum, non cognoscat?

De hoc momento consulendus & audiendus est Catechismus Romanus, qui Concilii mentem prænoscens, eam hic part. 2. de Pœnit. n. 63. sic explicat, & interpretatur: " Quædam enim circumstantiæ, adeo graves sunt, ut peccati mortiferi ratio ex illis tantum constet: quare hæc omnia semper confiteri oportet: Si quis enim hominem interemit, explicandum est utrum ille, sacris initiatus, an profanus sit. Itemque si cum muliere concubuerit, matrimonii ne lege libera, aut alterius uxore, aut propinqua, aut alicujus voti sponsione Deo consecrata, aperiat necesse est; Hæc enim diversa peccatorum genera constituunt: ita, ut primum quidem, simplex fornicatio, alterum adulterium, tertium incestus, quartum sacrilegium a divinarum rerum Doctoribus appelletur. Furtum etiam in peccatis numerandum est; verum si quis, aureum nummum furetur, levius omnino peccat, quam is, qui centum, vel ducentos, vel ingentem aliquam auri vim, præsertim vero qui sacram pecuniam abstulit. Quæ etiam ratio ad locum, & ad tempus pertinet." Ex his liquet circumstantias notabiliter aggravantes, semper esse in confessione aperiendas, nec nisi leviores posse omitti. Hinc ibidem additur: " Hæc igitur, ut diximus, annumeranda sunt; quæ vero gravitatem rei magnopere non augent, sine crimine omitti possunt." Ad probationem distinguo: Et hæc verba, *Nihil aliud a pœnitentibus exigit*, denotant Concilium postulare dumtaxat examen, confessionem peccatorum, & dolorem de illis sufficientem, concedo: Exigit tantum manifestationem speciei, & numeri, nego: Hanc esse ejus mentem patet ex iis quæ postea subjungit: " Quam, *inquit*, ut postquam quisque diligentius se excusserit, & conscientiæ suæ sinus omnes, & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum, & Deum suum mortaliter offendisse meminerit."

Instabis: D. Thomas in 4. Dist. 16. q. 3. art. 2. quæstiunc. 5. vel 50. sic ait: " Alii dicunt quod non sunt necessario confitendæ, nisi circumstantiæ quæ ad aliud genus, & speciem peccati mortalis trahunt, & hoc probabilius est." Ergo &c.

Respondeo distinguendo Antecedens. Et

Et ibi loquitur D. Thomas de circumstantiis non valde aggravantibus, concedo: multum adaugentibus peccatum, nego antecedens, & consequentiam. Veritas solutionis patet ex mente eorum, quos ibi refellit Sanctus Doctor. Asserebant quidam leves circumstantias esse enarrandas, ut v. g. Si ille qui commisit peccatum sit in aliqua dignitate constitutus, si in die &c. Et quod hæc responsio sit legitima aperte colligitur ex ratione quam affert; ait enim ideo circumstantias aggravantes non esse confitendas, sed tantum speciem mutantes: " Quia venialia non sunt de „ necessitate confessionis, sed tantum „ mortalia, quæ quantitatem infinitam „ quodammodo habent. „ Excludit igitur sanctus Thomas has circumstantias quæ continentur intra lineam peccati venialis: at circumstantiæ de quibus nunc agimus non sunt tales; augent enim in infinitum malitiam peccati.

Urgebis: Ideo circumstantiæ mutantes speciem sunt necessario aperiendæ, quia constituunt distincta peccata: Atqui circumstantiæ aggravantes intra eamdem speciem, non addunt novum peccatum, sed unum dumtaxat efficiunt. Ergo &c.

Respondeo distinguendo minorem: Illæ circumstantiæ non dicunt plura peccata formaliter, concedo: virtualiter, & æquivalenter, nego minorem, & consequentiam. Porro unum peccatum notabiliter grave ex aliqua circumstantia, æquivalet moraliter multis numero distinctis.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Debent I. omnia peccata mortalia in Confessione. II. Et circumstantia notabiliter aggravantes aperiri.

PRIMUM defendimus auctoritate suffulti, I. Concilii Tridentini Sess. 14. cap. 5. II. Patrum, videlicet S. Hieronymi explicantis illud Eccli. 10. *Si mordeat serpens in silentio*; qui ait: " Si enim erubescat „ ægrotus vulnus medico confiteri; quod „ ignorat medicina non curat. „ Tum Origenis Homil. 5. in Levit. III. Ratione: Judex cuncta debet cognoscere; ut recte judicet. Ergo &c.

Secundum, utique claret. I. Quidem ex eodem Tridentino ibidem. II. Ex ejus Catechismo, qui num. 63. expresse dicit omnia esse aperienda, quæ vel immutant peccati speciem, vel illud multum aggravant: " Quæ vero gravitatem rei magno- „ pere non augent, *ea solum*, sine crimi- „ ne omitti possunt. „ III. Ratione, quia omissis gravioribus circumstantiis, nec de qualitate peccati, nec de malitia, & pondere, rite posset judicare Confessarius.

Synopsis Objectionum contra secundam Conclusionis partem.

PRIMO: Esto quod Concilium Tridentinum Sess. 14. c. non nominet circumstantias aggravantes notabiliter, virtualiter tamen illas includit, dum ait eas esse in confessione aperiendas, quæ speciem peccati immutant, cum de hoc non possit judicare Confessarius, nisi confessione cuncta cognoscat.

Secundo: Neque vero S. Thomas in 4. dist. 16. q. 3. art. 2. quæst. 5. opponitur; cum subscribat eo loci soli opinioni eorum qui tenent circumstantias leviores non esse manifestandas.

Tertio: Circumstantiæ notabiliter aggravantes, sunt aperiendæ, non ea solum ratione, quod sæpius immutent speciem, verum etiam quia pondus malitiæ augent.

SECTIO SECUNDA.

Quomodo facienda sit Confessio?

CITRA dubium est fideles teneri sua confessario approbato deponere peccata semel saltem in anno, ut definivit Concilium Oecumenicum Lateranense III. cap. *Utriusque sexus*. Hoc ipsum cum imminet mortis periculum faciendum esse docent communiter Theologi. Jam si de modo loquamur, verbis confessionem fieri usus Ecclesiæ obtinuit. Num scripto nutibus, vel etiam internuncio, hoc salutis grande negotium peragi possit, cum aliter fidelis, vel propter ægritudinis pondus verba formalia promere non valens, vel propter idiomatis imperitiam, cum quis apud exteras progreditur regiones, ultro id illi permittit Ecclesia. Sed gravissima difficultas est, num id scripto inter absen-

tes fieri queat, ita ut & peccatorum absolutio per litteras data valeat; quidam veteres quondam hoc fecere, ut in secunda hujusce tractatus parte retulimus. Eo etiam loci ostendimus id nunc esse prohibitum. Quia tamen quæstio maximi evasit postea momenti, ne aliquid expectationi alienæ deficiat, eam ex professo hic tractare juvat. Unde sit

CONCLUSIO.

Non valida est confessio Sacramentalis, per nuntios, *aut per litteras inter absentes facta*.

Probatur multis momentis.

Primo, ex summis Pontificibus.

Clemens Octavus Papa certior factus, quod quidam Theologi nedum inter veteres, sed etiam inter recentiores, opinionem contrariam, alii ut probabilem, nonnulli saltem ut licitam propugnarent, omnibus prævio examine discussis, eam suo perstrinxit stylo censorio illo decreto, die vigesimo mensis Junii, ann. 1602. edito & promulgato. *In generali Congregatione S. Romanæ & universalis Inquisitionis habita in palatio Apostolico in monte Quirinali coram SS. Domino Clemente, divina providentia Papa VIII. Proposita quæstione utrum liceat per litteras, seu internuncium Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere? Sanctissimus Dominus noster auditis votis Patrum, Theologorum, & re cum Illustrissimis & Reverendissimis Dominis Cardinalibus contra hæreticam pravitatem generalibus Inquisitoribus mature, ac diligenter considerata, hanc propositionem, scilicet, licere per litteras, seu internuncium, Confessario absenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere, ad minus uti falsam, temerariam & scandalosam condemnavit, ac prohibuit, præcepitque ne deinceps ista propositio publicis privatisque lectionibus, concionibus & congressibus doceatur; neve unquam tamquam aliquo casu probabilis defendatur, imprimatur, aut ad praxim quovis modo deducatur. Quod si quis illam docuerit, defenderit, imprimi fecerit, aut etiam de ea disputative tractaverit nisi forsan impugnando, vel ad praxim, seu directe, vel indirecte deduxerit, præter excommunicationem latæ sententiæ, quam ipso facto incurrat, & a qua non possit, præterquam in articulo mortis, ab alio quacumque etiam dignitate fulgenti, & S. Romanæ Ecclesiæ majori pœnitentiario, nisi a pro tempore existente Romano Pontifice absolvi, aliis etiam pœnis arbitrio infligendis subjaceat.*

Neque vero quisquam replicare posset, summum Pontificem declarare confessionem inter absentes solum illicitam, cum prohibeat ne quidem, ut probabilis defendatur; nec de ea loqui velit nisi ad illam debellandam; ex quibus sequitur, Papam definivisse confessionem, simul & peccatorum absolutionem inter absentes, Sacramentum prorsus invalidum reddere.

Concinit Paulus V. qui explicationes de Decreto Clementis VIII. datas, ut adversa opinio posset in necessitate propugnari, ulterori decreto die 14. Julii anno 1605. abjecit. *Proposita causa P. Francisci Suarez Jesuitæ, & consideratis his quæ scripsit tom. 4. in 3. partem S. Thomæ sectione 4. disput. 21. interpretando Decretum felicis recordationis Clementis Papæ VIII. die 10. Junii anno 1602. quo damnavit hanc propositionem: Licere per litteras, seu internuncium Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absolutionem obtinere; ac etiam mature discussis his quæ idem Pater Suarez adduxit in defensionem suæ interpretationis, auditis votis Illustrissimorum Dominorum Cardinalium, Sanctissimus decrevit, dictam interpretationem non subsistere, & ideo amovendam esse ab ejus libris juxta decreta alias facta a felicis recordationis Clemente Papa VIII. in actis S. Officii.*

Secundo, ex Conciliis.

Concilium Nemausense an. 1096 secundum alios 1284. Istud caput per omnia explicat, & sic loquitur: " Non debet confiteri per nuncium, vel per scripturam, sed viva voce, ore proprio & præsentialiter, ut qui per se peccavit, per se ipsum confiteatur, & erubescat." Eo loci nullam admittit exceptionem Synodus, quod sane argumentum est,

sacra-

sacramentum Pœnitentiæ inter absentes invalidum esse.

Tridentinum tam clare suam prodit circa istud controversiæ punctum mentem, ut qui confessionem inter absentes validam esse propugnaverit, ab ejus sensu secedere manifestum sit. Sess. 14. cap. 2. de adultis baptizatis pœnitentibus, ita loquitur: "Ante hoc tribunal, tamquam reos, „ sisti voluit: ut per Sacerdotum senten„ tiam non semel, sed quoties ab ad„ missis peccatis ad ipsum pœnitentes „ confugerint, possent liberari. „ Sed qui per litteras vel nuncium confitentur, nec humilitatis gradum ad erubescentiam usque attingunt, ut exigit Nemausense; nec ante Tribunal Ecclesiæ personaliter sistuntur, sicut statuit Tridentinum. Ergo &c.

Tertio, rationibus Theologicis.

Prima: Confessio vera & integra debet esse, ut sacramentum Pœnitentiæ validum sit: Sed nisi pœnitens sit præsens, hoc saltem certo fieri nequit: Et probatur. Primo, vix Confessarius sinceram confessionem in pluribus pœnitentibus, etiam adhibitis interrogationibus, cognoscere potest, cum plurimi peccata deponant mere historice, & absque prærequisitis dispositionibus. Secundo, non pauci, etiam inter nobiles, peccata in genere, & iniqua seu dolosa lance ponderata aperiunt, maxime mulieres, ut pudori suo parcant: Tertio, sæpius etiam contingit circumstantias notabiliter aggravantes omitti; immo & quotidiana comprobat experientia, quod nisi Sacerdos variis, subtilibus, sed amicis discussionibus probet pœnitentem, majora ipsum latere peccata: sed si vel pro ipsis personaliter præsentibus tot occurrunt ad veram confessionem emittendam difficultates superandæ, quid de absentibus dicendum? Ergo &c.

Secunda: Debet constare hic & nunc de pœnitentia & contritione actuali confitentis, ut absolutio detur, & valeat Sacramentum: Sed pro isto momento nihil certi habetur de absente. Et probatur: missa in litteris confessione, potest vel se retractare, vel in nova ruere peccata, a quibus recedere nolit. Ergo &c.

Tertia: Confessarius est judex a Christo institutus, pœnitens vero sui accusator, & contra semetipsum testis: Sed judex suo nequit fungi munere, cum reus absens est; neque enim prævaricatorem pro more posito in Tribunali sive de delictis, ut apud ipsum de his constet, neque de dispositionibus actualibus absolute requisitis, puta de contritione, interrogare potest. Ergo &c.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objicies: 2. Cor. 2. Apostolus tametsi absens, absolvit tamen incestuosum Corinthium: *Quod donavi*, inquit, *si quid donavi propter vos in persona Christi*. Quod autem nedum de excommunicationis censura, sed & de absolutione a culpa loquatur, patet ex eo quod S. Ambrosius explicans illum textum, affirmet D. Paulum remisisse peccatum; nomine autem peccati culpa proprie intelligitur: ita similiter D. Anselmus verba Apostoli interpretatur: Sic etiam D. Thomas, quippe qui adducat in probationem illa Christi verba Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata &c.* Quæ quidem citra dubium intelliguntur de absolutione a peccatis. Ergo &c.

Respondeo distinguendo: Apostolus absentem absolvit incestuosum a pœna, concedo: a culpa, nego antecedens, & consequentiam. Solam pœnam remisit D. Paulus. Solutio est S. Paciani Barcinonensis Episcopi Epist. contra Novatianos. Cum ergo SS. Patres utuntur nomine *peccati*, a quo Corinthium prævaricatorem absolutum fuisse commemorant, ipsam peccati pœnam intelligunt, possessionem scilicet a diabolo; cujus rei argumentum est, quod de facto ab hac possessione liberatus sit reus. Quia vero ad claves Ecclesiæ spectat non solum a culpa, verum etiam a pœna peccato debita liberare, S. Thomas ad probandam suam explicationem apprime laudat ista Joan. 20. verba: *Quorum remiseritis, &c.* quibus Christus Dominus contulit Apostolis, & eorum in Sacerdotio successoribus, potestatem solvendi tum a culpa, tum a pœna.

Instabis: Tom. 3. Conciliorum Galliæ ad ann. Christi 872. refertur Epistola Roberti Cenomanensium Episcopi, qui in ægritudine positus scripsit ad Epi-

Episcopos in Concilio Duziacensi prope Andegavum congregatos, quibus sua confitetur peccata, & ab eis absolutionem deposcit: Similiter eorumdem legitur Epistola ad hunc Præsulem, qua eum absolvunt. II. In notis ad istum locum habetur Epistola Hincmari Rhemensis ad Hildebertum Suessionensem Episcopum corporis infirmitate detentum, in qua, accepta per litteras ejus confessione, eum absentem absolvit. Ergo &c.

Respondeo distinguendo: Et istæ confessiones sicut & absolutiones eis correspondentes, non fuerunt proprie sacramentales; sed mera, ut aiunt Theologi, sacramentalia, concedo: & fuerunt ritu sacramentali peractæ, nego. Jam vero necesse est ad rationem Sacramenti ut aliquod peccatum mortale explicetur, quando pœnitens libera utitur voce; quod & illos Episcopos fecisse nullatenus legimus in illis Epistolis; verba quippe earum sunt tantum deprecatoria: Talis est illa absolutio quam Sacerdos sacrum celebrans dat post confessionem; sic autem prædicti Episcopi rescribunt: " Dominus noster Jesus &c. gratia & potentia sua, virtute Spiritus sancti qui est remissio peccatorum, dimittat tibi omnia peccata tua, liberet te ab omni malo &c." Eadem est responsio ad alia non absimilia Historiæ Ecclesiasticæ facta.

Urgebis: Prædicti Præsules, huic deprecationi præmittunt id fieri per Ecclesiasticam Apostolicæ auctoritatis potestatem, quam Joan. c. 20. Christus Apostolis, & eorum Successoribus dedit: *Accipite Spiritum sanctum, &c.* sed hæc verba intelliguntur de remissione sacramentali peccatorum. Ergo &c.

Respondeo distinguendo: Et potestas Ecclesiastica nedum ad Sacramenta, sed & ad sacramentalia facienda sese extendit, concedo: ad sola Sacramenta operanda, nego. Duo sunt distinguenda, & nusquam confundenda, videlicet Sacramentum, & sacramentale; utrumque ab Ecclesia conficitur, sed primum producit gratiam ex opere operato, alterum vero dumtaxat ex opere operantis. Porro inter sacramentalia annumeratur absolutio generalis quam Sacerdos inter communicandum Laicum præmittit, ea etiam quam die Jovis in Cœna Domini Episcopus in sua Ecclesia Cathedrali, Rector vero animarum in propria Parochia dat. Idem dicimus de absolutione data inter absentes a Synodo, quæ certe erat solum deprecatoria, nec aliud spirat, ut attendenti patebit: " Quapropter, frater, *inquiunt Episcopi*, & Consacerdos noster, tibi peccata tua confitenti per Ecclesiasticam Apostolicæ auctoritatis potestatem, quam Deus noster Jesus Christus tradidit Discipulis, dicens: *Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata remittuntur eis*. Et per eosdem Apostolos ipsorum Successoribus, quorum vices licet indigni tenemus, etsi non merito, tamen nomine, & officii susceptione eamdem potestatem donavit, & se fideliter credenti dixit, Fiat tibi secundum fidem tuam, & gratia & potentia sua, virtute Spiritus sancti qui est remissio peccatorum omnium dimittat tibi omnia peccata." Audis Episcopos deprecari ut Dominus Jesus dimittat Roberto ejus peccata secundum ipsius fidem, nec imperative dicere, *Te absolvimus*: immo nec in persona particulari dicitur, *Ego te absolvo*, quod tamen requiritur ad absolutionem sacramentalem, cum non multi Judices simul, sed unus existat in tribunali fori interni. Quid plura adjiciam? Absolutio Roberti non multum absimilis est absolutioni quam in Congregationibus Præsul Monasterii modo in Capitulis, modo etiam in cubiculo, ubi extrema agentes decumbunt, tradit. Instar omnium sit ritus nostri Ordinis. Superior adunatis in Capitulo Religiosis, ait: *Dominus noster Jesus Christus, per suam piissimam misericordiam vos absolvat. Et ego auctoritate ipsius ... vos omnes absolvo ab omnibus censuris .... Præterea absolvo vos ab omni transgressione regulæ, & constitutionum majorum nostrorum, & ab omni pœnitentia neglecta, vel oblita, & ab omnibus aliis &c.*

Insistes: Refert Sylvester, S. Thomam Cantuariensem summo Pontifici absenti peccata deposuisse, & sic ab eo absolutum fuisse. Idem scripsit Eduardus qui illo florebat tempore; scripserunt & alii, S. Thomam, eo quod aliquando consensisset nefariæ voluntati Regis Anglorum, noluisse celebrare Missæ sacrificium, nisi prius esset a summo Pontifice absolutus: Neque vero ista absolutio expostula-

stulata, intelligenda aut de aliqua plenaria indulgentia, vel benedictione Pontificia; hæc enim non impediunt Missæ celebrationem; unde sensus est, quod sanctus Præsul Romam miserit ad obtinendam peccati remissionem; hinc ad eum sic rescripsit Alexander Papa III. *Nos de beatorum Petri & Pauli Apostolorum meritis confidentes, te ab eo quod est commissum absolvimus, id ipsum fraternitati tuæ auctoritate Apostolica relaxamus*. Ergo &c.

Respondeo distinguendo: Te absolvimus &c. a pœnis canonicis, si quas incurristi, concedo: ab ipso peccato, nego: Pœnas canonicas ad cautelam remisit, sed injunxit, ut Sacerdoti confiteretur; sic enim habet: *Si igitur aliquid te recolis commisisse, de quo propria te debeat conscientia remordere: quidquid sit, Sacerdoti qui discretus, & providus habeatur, tibi consulimus per pœnitentiam confiteri*. Ad quid autem hæc particularis confessio Sacerdoti facienda, si eum sacramentaliter absolvisset?

Repones: Sacramentum Pœnitentiæ sequitur naturam judicii; sicut Matrimonium naturam contractus: Sed Matrimonium recte contrahitur inter absentes: Ergo &c. Confirmatur: Eodem prope modo ratiocinandum est de causa pœnitentis in foro interiore constituti, ac de causa rei noxii in contentioso appellati: sed Judex Laicus, ubi constat de delicto, absentem vel absolvere, vel etiam condemnare non dubitat. Igitur a simili peccatorem per litteras se confitentem utique Sacerdos potest absolvere.

Respondeo distinguendo: Sequitur naturam judicii juxta leges a Christo Domino statutas, concedo: judicii civilis quoad omnia, nego. Porro in aliquibus judicium pœnitentiale fuit institutum ad instar judicii civilis, scilicet in eo quod debet esse judex, accusator, cognitio causæ, sententia, & satisfactio; sed in hoc differt quod primum voluerit Christus fieri, præsente accusatore, a judice pronuntiante verbaliter super subditum præsentem; Christi autem voluntas innotescit per definitionem, & praxim Ecclesiæ; & sic satis non est ut sit certus de dispositione pœnitentis, sed insuper debet esse præsens. Ceterum Matrimonium per internuncium contractum, debet, ut primum desponsati adsunt simul præsentes, ratificari.

Ad confirmationem nego paritatem. Ratio discriminis est, quod Judex non judicet de internis sicut Confessarius; hinc iste debet audire pœnitentem, ut probet num vere & ex corde de peccatis doleat. Altera discrepantiæ ratio hæc est, quod Judex laicus per testes extraneos habeat criminis notitiam, unde si constet de delicto, tametsi reus non habuisset nocendi animum, profert tamen sententiam; sed Sacerdos sedens pro tribunali, non alium habet accusatorem, quam ipsum pœnitentem, quem consequenter audire debet. Tertia disparitatis ratio hæc affertur, quod cognitio nedum peccatorum, sed & contritionis requiratur in Confessario, quæ quidem certa non habetur nisi pœnitens præsens adsit.

Replicabis: In hypothesi nihil deesset Sacramento: Ergo &c. Probatur antecedens. Costaret, I. de materia tum remota, confessione scilicet peccatorum, tum proxima, nempe de contritione. II. De forma, quandoquidem de his omnibus, scripta & pœnitentis peccata cum dolore debito confitentis, & Sacerdotis absentem absolventis fidem facerent. Ergo &c.

Respondeo negando antecedens. Ad probationem distinguo: Coustaret de materia & forma secundum quid, concedo: sufficienter, nego. Explicatio ex probationibus liquet.

Dices: Dictum est in secunda hujusce tractatus parte, Diss. 4. art. 2. §. 5. non esse nostri de hoc judicare. Igitur cum instrumenta scripti authentica adsunt, jam ista opinio videtur probabilissima.

Respondeo distinguendo antecedens: Non est nostri judicare secundum proprium sensum, transeat; utraque enim opinione ponderata, contraria nobis improbabilis videtur: secundum Ecclesiæ decreta, nego. Et vero juxta SS. Pontificum, & Conciliorum sanctiones, citra peccatum non potest propugnari validam esse absolutionem sacramentalem inter absentes collatam.

SYN-

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Confessio & absolutio per litteras, aut inter nuncios, non sunt valida,

PRIMO : Sic declaravit Clemens VIII. in decreto ann. 1602. die 20. Junii dato : Sic Concilium Namausense anno 1096. Sic & Tridentinum Sess. 14. cap. 2.

Secundo : Ut confessio sit valida, debet constare de ejus integritate : Sed si pœnitens sit absens, id fieri non potest, cum antequam scripta, in quibus & peccata, & dolorem exprimit, ad Confessarium perveniant, ejus voluntas, data peccandi occasione, immutari in pejus potest. Ergo &c.

Tertio : Sacerdos est Judex, & reum interrogare debet, ut perfectam habeat ejus conscientiæ notitiam ; quod certe fieri nequit in absentia pœnitentis, cum quotidiana probet experientia, pœnitens circumstantias notabiliter aggravantes omittere. Ergo &c.

SYNOPSIS OBJECTIONUM ET RESPONSIONUM.

PRIMO : Verum quidem est Apostolum absentem absolvisse Corinthium incestuosum ; sed intelligas velim, ab excommunicatione, & non a peccatis. Porro pœna inflicta potest remitti a Superiori, tametsi absente, cum hoc forum externum spectet.

Secundo : Incassum quædam Historiæ Ecclesiasticæ facta adducuntur in contrarium, namque nonnisi de absolutione generali peccatorum, qualis datur in Cœna Domini populo, procedunt.

Tertio : Non eadem est ratio pro Matrimonio contrahendo & pro Pœnitentia ; cum enim Matrimonium sit contractus publicus, per nuncios celebrari potest : Sed pœnitens judicatur in foro interno, unde debet esse præsens. Ceterum Matrimonium inter præsentes ratificatur.

ARTICULUS SEXTUS.

De Ministro Pœnitentiæ.

CIRCA Ministrum Pœnitentiæ multa veniunt examinanda : Primum est, quis sit ? II. An requiratur potestas Jurisdictionis in eo ? III. Quis sit proprius, & alienus Sacerdos juxta Concilii Lateranensis decretum ? IV. Utrum ad sigillum Sacerdos audiens confessiones teneatur ?

SECTIO PRIMA.

Quis sit Pœnitentiæ Minister ?

REFERENTE Thoma Vvaldensi Tom. 2. de Sacramentis c. 135. asseruit Vviclefus potestatem absolvendi a peccatis, seu reconciliandi Deo peccatores, tam Laicis quam Sacerdotibus communem esse : Idem docuit Lutherus in libro de abroganda Missa ; contra quos sit

CONCLUSIO.

Solus Sacerdos est Minister Sacramenti Pœnitentiæ.

Probatur auctoritate, & ratione.

Primo, ex Sacris Scripturis.

IOANNIS c. 20. hæc leguntur. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* His positis sequitur istud argumentum. Illi soli sunt sacramenti Pœnitentiæ Ministri, quibus Christus Dominus contulit baptizatos a peccatis absolvendi potestatem : Atqui Dominus Jesus hanc ipsam solis Apostolis & eorum in Sacerdotio successoribus dedit ; nullibi enim in Scriptura alios reperies, qui hac donati sint facultate. Ergo &c.

Secundo, ex SS. Patribus.

INNOCENTIUS I. Epist. ad Decentium c. 7. sic habet : " Ceterum de pondere æstimando delictorum, Sacerdotis est judicare, ut ostendat ad confessionem

„ nem

„ nem pœnitentis, & ad fletus, & lacrymas corrigentis, ac tunc jubere dimitti, cum videbit congruam satisfactionem. „ Tertullianus L. de Pœnitentia cap. 9. testatur pœnitentes sui temporis non tantum lacrymari, & ingemiscere fuisse solitos: " Sed & Presbyteris advolvi, & aris Dei adgeniculari. " Hanc „ veritatem tradit S. Chrysostomus L. 3. de Sacerdotio c. 5. his verbis: " At vero „ nostris Sacerdotibus non corporis lepram, verum animæ sordes, non dico „ purgatas probare, sed purgare prorsus „ concessum est. „

Ejusdem est labii S. Hieronymus in c. 16. Matt. ubi sic habet: " Quommodo „ ergo ibi leprosum Sacerdos mundum, „ & immundum facit, vel solvit Episcopus & Presbyter, non eos qui insontes sunt vel innoxi, sed pro officio suo cum peccatorum audierit varitates, scit qui ligandus sit, qui „ solvendus. „

S. Ambrosius illis se adjungit L. 1. de Pœn. c. 2. " Dominus, *inquit*, par jus „ & solvendi esse voluit, & ligandi, „ qui utrumque pari conditione permisit. Ergo qui solvendi jus non habet, „ nec ligandi habet; sicut enim secundum Dominicam sententiam, qui ligandi jus habet & solvendi habet; ita „ istorum assertio seipsam strangulat, ut „ quia solvendi sibi jus negant, negare „ debent & ligandi. Quommodo igitur „ potest alterum non licere? Si quibusdam „ datum utrumque est licere, aut utrumque non licere, certum est Ecclesiæ utrumque licere; jus enim hoc „ solis permissum Sacerdotibus est. „

S. Leo Magnus Epist. 97. & habetur de Pœnitentia dist. 1. ubi sic loquitur: „ Mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, hanc Præpositis Ecclesiæ „ tradidit potestatem, ut a confitentibus „ actionem pœnitentiæ darent, & eosdem „ salubri satisfactione purgatos, ad communionem sacramentorum per januam „ reconciliationis admitterent. „ Iam sic argumentari fas est: Cum Patres sermonem de Ministro sacramenti Pœnitentiæ instituunt, solos Episcopos vel Presbyteros commemorant, Igitur solos spectat Sacerdotes istud Sacramentum conferre.

Tertio, ex Conciliis.

INTER articulos Vviclefi in Concilio Constantiensi damnatos iste recensetur: " Laicus, si vir frugis fuerit, clavium „ potestatem a Christo accepit. „ Eugenius IV. in decreto pro instructione Armenorum hæc habet: " Minister hujus „ sacramenti est Sacerdos habens auctoritatem absolvendi vel ordinariam, vel „ ex commissione Superioris. „

Tertium, est Concilium Tridentinum, quod Sess. 14. c. 6. ait: " Circa Ministrum „ autem hujus Sacramenti declarat sancta „ Synodus falsas esse, & a varitate Evangelii penitus alienas doctrinas omnes, quæ „ ad alios quosvis homines præter Episcopos & Sacerdotes clavium ministerium „ perniciose extendunt, putantes verba illa „ Domini: *Quæcumque alligaveritis &c. Et quorum remiseritis &c.* ad omnes fideles „ indifferenter & promiscue contra institutionem hujus Sacramenti, ita fuisse „ dicta, ut quivis habeat potestatem remittendi peccata. „ Hoc & de fide definivit can. 10. ejusdem sessionis his verbis: *Si quis dixerit, Sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi & solvendi non habere, aut non solos Sacerdotes esse Ministros absolutionis .... anathema sit.*

Quarto, Ratione.

PRIMA: " Conveniens est, inquit D. „ Thomas hic §. 8. art. 1. ut illi soli „ haberent potestatem in corpus Christi „ mysticum, qui potestatem habent in „ corpus Christi verum, quales sunt soli „ Sacerdotes; unde in nullius alterius „ Ministri consecratione dicitur, Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis. „

Secunda: Sacramentum Pœnitentiæ se habet per modum judicii; absolutio quippe a peccatis est actus judicialis: Sed non est conveniens, quod in Republica bene ordinata, qualis est Ecclesia, omnes indiscriminatim sint Judices; cum multa requirat actus judicialis, quæ non facile possunt in quolibet reperiri; qualia sunt scientia, prudentia, justitia, zelus. Ergo &c.

Tertia: Judicandi potestas est dignitas a Christo Deo promanans: Sed hæc non omni competit, sed illis solis qui ad hoc

hoc consecrantur, & inaugurantur, quales sunt soli Sacerdotes. Ergo &c.

SOLVUNTUR OBJECTIONES

Objicies: Jacobi c. 5. hæc leguntur: *Confitemini alterutrum peccata vestra*. Hæc autem de confessione quæ fit in Sacramento intellexit sanctus Augustinus L. 50. homiliarum, Homilia 12. ubi sic habet: " In omnibus Scripturis divinis „ utiliter ac salubriter admonemur ut „ peccata nostra debeamus jugiter & humiliter non solum Deo, sed etiam „ Sanctis & Deum timentibus confiteri; „ sic enim per Jacobum Apostolum nos „ admonet Spiritus sanctus: *Confitemini* „ *alterutrum peccata vestra*. „ Ergo &c.

Respondeo distinguendo: *Confitemini*, non solum Deo, sed & hominibus potestate ligandi & solvendi donatis, concedo; quibuscumque, nego. Solutio est venerabilis Bedæ, sic ad hæc verba Apostoli loquentis: " In hac sententia illa debet „ esse discretio, ut quotidiana leviaque „ peccata coæqualibus alterutrum confiteamur; porro gravioris lepræ immun„ditiam Sacerdoti pandamus, atque ad „ ejus arbitrium qualiter & quanto tem„ pore jusserit purificari curemur. „ Vel dici potest hanc confessionem quam S. Jacobus Fidelibus injungit, ad humilitatem spectare, quatenus ipsius intuitu, Deus movetur ad condonanda peccata, quando desunt Ministri.

Instabis: Capite *si fures*, extra. *de furtis*, sic habetur: " Si fures furando com„ prehensi, vel vulnerati, Presbytero, „ vel Diacono confessi fuerint, commu„ nionem eis non negamus. „ Igitur alii quam Sacerdoti facta confessio valet.

Respondeo I. Caput illud fuisse vitiatum; sic enim legendum est: " Si fures com„ prehensi, & vulnerati Deoque, & Sa„ cerdoti confessi &c. „ Ita in decretis causa 13. infra simile caput, *fures*, appendix notat, & colligitur ex eo quod in Concilio Triburiensi, ex quo caput illud desumptum est, nulla fit mentio de Diacono.

Respondeo II. distinguendo: Et caput illud loquitur de reconciliatione cum Ecclesia, concedo: de confessione & reconciliatione per sacramentum Pœnitentiæ, nego. Sensus igitur canonis est, absente Sacerdote, posse Diaconum furem vulneratum, & peccatum suum confitentem & detestantem reconciliare cum Ecclesia, eique Communionem Eucharisticam impertire, cum ille possit ministrare Eucharistiam.

Urgebis: Concilium Illibetitanum can. 3. sic habet: " Apud Presbyterum si quis „ gravi lapsu in ruinam mortis incide„ rit, placuit pœnitentiam agere non de„ bere, sed potius apud Episcopum, co„ gente tamen infirmitate, necesse esse „ Presbyterum communionem præstare „ debere, & Diaconum si ei jusserit Sa„ cerdos. „ II. Alcuinus L. de divinis officiis c. de jejunio ait: " Si necessitas e„ venerit, & Presbyter non fuerit præ„ sens, Diaconus suscipiat pœnitentem, „ & det ei communionem. „ Eadem verba leguntur in antiquo Ordine Romano. III. Concilium Eboracense an. 1194. habitum sic statuit: " Decernimus autem, „ ut non nisi summa & gravi urgente „ necessitate Diaconus baptizet, aut cor„ pus Christi eroget, vel pœnitentiam „ confitenti imponat. „ IV. Concilium Londinense similia loquitur: " Non li„ cet Diaconis baptizare, vel pœnitentias „ imponere, nisi duplici necessitate v. g. „ quia Sacerdos non potest, vel absens, „ vel stulte non vult, vel mors immi„ net. „ Odo Parisiensis vult ut Diaconi, non nisi gravi urgente necessitate, confessiones audiant. Igitur possunt pœnitentes absolvere, adeoque non soli Sacerdotes sunt sacramenti Pœnitentiæ Ministri.

Respondeo ad primum distinguendo: Diaconus si jusserit Sacerdos, potest communionem præstare, id est per pœnitentiam canonicam ipsum reconciliare cum Ecclesia, vel Eucharistiam porrigere, concedo; Absolutionem sacramentalem a peccatis dare, nego antecedens & consequentiam. Diaconus in absentia Episcopi, vel Presbyteri, reconciliationem externam peccatorum cum Ecclesia perficiebat; immo & corpus Dominicum subministrabat, verum sacramentaliter non absolvebat; eadem est solutio pro ceteris. Ceterum, si facultatem fecerint Episcopi Diaconis audiendi peccata, non tamen ab eis absolvendi impertire potuerunt.

Respo-

Repones : S. Cyprianus Epist. 13. sic loquitur : " Occurrendum puto fratribus „ nostris , ut qui libellos a Martyribus „ acceperunt , & prærogativa eorum apud Deum adjuvari possunt, si incommodo aliquo , & infirmitatis periculo „ occupati fuerint , non expectata præsentia nostra apud Presbyterum quemcumque præsentem , vel si Presbyter repertus non fuerit , & urgere exitus cœperit , „ apud Diaconum quoque exomologesim „ facere delicti sui possint, ut manu eis „ in pœnitentia imposita , veniant ad „ Dominum cum pace, quam dari Martyres litteris ad nos factis desideraverunt . „ Eo loci sanctus Martyr, quando Episcopi & Sacerdotes absunt, Diaconis eamdem facultatem tribuit ,qua illi donantur. Ergo &c.

Respondeo distinguendo : Et ibi S. Cyprianus loquitur , vel de precibus quas Ecclesia pro morientibus solebat fundere, vel de absolutione ab excommunicatione minori, qua innodati erant illi pœnitentes qui sacrificio Missæ non adstabant , & corpus Christi non percipiebant ; vel etiam de Eucharistia quam Diaconi porrigebant illis , qui absente Presbytero , veræ contritionis signa dabant , & per humilitatem eis peccata deponebant , concedo : Et loquitur de absolutione sacramentali , nego . A tempore dumtaxat Concilii Tridentini , injunctum est Fidelibus , ne si in peccato lethali forent , ad Mensam Christi accederent , nisi præmissa confessione sacramentali & accepta absolutione. Cum igitur Eucharistia sit sacramentum vivorum, ratione dispositionum eis per accidens remittebat peccata mortalia.

Instabis : Sanctus Præsul loquitur de pœnitente in extremis posito , qui non solum reconciliatione, sed & absolutione indiget ; dicitque Diaconum in absentia Presbyteri posse munus illud obire , eique pacem dare ; pax autem illa est receptio corporis Christi , quod dubio-procul non debet dari nisi prius absolvatur peccator. Ergo &c.

Respondeo distinguendo : In absentia Presbyteri potest Diaconus succurrere ægroto, id est , potest ei præstare id omne quod valet vi suæ ordinationis , concedo : Id omne quod Sacerdos, nego. Potestas autem Diaconi in eo potissimum sita est , quod urgente necessitate , ex commissione, seu annuente Episcopo possit reconciliare Ecclesiæ pœnitentes , eisque sacram administrare Eucharistiam, sed prævia confessione facta Sacerdoti, si opus sit.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Solus Sacerdos est Sacramenti Pœnitentiæ Minister.

PRIMO : Christus solis Apostolis, & eorum in Sacerdotio successoribus dixit , Joan. 20. *Accipite Spiritum sanctum , quorum remiseritis peccata , remittuntur eis.*

Secundo : Hoc ipsum annuntiat SS. PP. Traditio. Sic declarat Innocentius I. Epist. ad Decentium . Sic Tertullianus L. de Pœn. cap. 9. Sic Hieronymus in cap. 16. Matt. Quibus accedit Concilii Tridentini definitio Sess. 14. cap. 6.

Tertio : Ratio hæc convenientiæ affertur a D. Thoma hic q. 8. art. 1. Congruit ut illi soli qui habent potestatem in corpus Christi verum, habeant & in mysticum.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM, ET EXPLICATIONUM.

PRIMO : Verba ista D. Jacobi, *Confitemini alterutrum* ; non intelligenda sunt de confessione sacramentali , sed generali, cum humilitatis motivo Fideles annuntient actus suos etiam Laicis ; quod certe ex opere operantis prodest ad salutem.

Secundo : Quidquid in Conciliis dicitur de potestate Diaconorum ad beneficium absolutionis conferendum , hoc intelligitur de absolutione a censuris , & reconciliatione pœnitentium cum Ecclesia , & hoc solum in necessitate , & per commissionem.

SECTIO SECUNDA.

Utrum in Ministro Pœnitentiæ præter potestatem ordinis, requiratur potestas jurisdictionis?

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

Probatur auctoritate, & ratione.

Primo, *Auctoritate*.

QUOD Concilia requisierunt, illud omne necessarium est: Sed Concilium Tridentinum absolute exigit jurisdictionem in Ministro Pœnitentiæ: Et probatur. Hæc Sess. 14. cap. 7. leguntur: " Quoniam natura, & ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, & verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet jurisdictionem. " Ergo &c.

Concinit Eugenius IV. in decreto pro instr. Armen. ubi sic loquitur: " Quartum sacramentum est Pœnitentia ... Hujus Sacramenti Minister est Sacerdos, habens auctoritatem absolvendi vel ordinariam, vel ex commissione Superioris.

De eodem momento audiendus est S. Thomas, qui hic q. 8. art. 4. ait: " Sicut qui non est Sacerdos non potest hoc Sacramentum conferre, ita nec ille qui non habet jurisdictionem: & propter hæc oportet sicut Sacerdoti, ita proprio Sacerdoti confessionem fieri. Cum enim Sacerdos non absolvat nisi ligando ad aliquid faciendum, ille solus potest absolvere, qui potest per imperium ad aliquid faciendum ligare. "

Catechismus Romanus D. Thomæ innixus rationibus, mentem Concilii Tridentini, part. 2. n. 54. & 55. fuso calamo explicat & aperit his verbis: " Sed jam de Ministro hujus Sacramenti dicendum est: Eum autem Sacerdotem esse, qui ordinariam, aut delegatam absolvendi potestatem habeat, ex Ecclesiasticis Sanctionibus satis apparet, Habeat enim oportet non solum ordinis, verum jurisdictionis potestatem, qui hoc munere fungi debet. Illustre vero hujus Ministerii testimonium præbent illa Domini verba apud S. Joannem: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt*; Neque enim omnibus, sed Apostolis tantum hæc dicta fuisse constat, quibus in hac functione Sacerdotes succedunt: idque etiam maxime consentaneum est. Nam cum omne gratiæ genus, quæ hoc Sacramento tribuitur, a Christo capite ad membra derivetur: merito debent corpori Christi mystico, id est Fidelibus illud administrare, qui soli verum ejusdem corpus conficiendi potestatem habent: cum præsertim Fideles hoc ipso Pœnitentiæ sacramento ad sacram Eucharistiam sumendam apti, idoneique reddantur. "

Pergit. Verum quanta olim religione in antiquissima Ecclesia jus ordinarii Sacerdotis conservatum fuerit, ex veteribus Patrum decretis facile intelligitur, quibus cautum est, ne quis Episcopus, aut Sacerdos in alterius Parochia aliquid gerere auderet, sine ejus auctoritate, qui illi præesset, aut nisi magna necessitas cogere videretur. Ita vero ab Apostolo sancitum est, cum Tito præcepit, ut in singulis civitatibus Sacerdotes constitueret: qui scilicet doctrinæ, & Sacramentorum cœlesti pabulo Fideles alerent, & educarent. Quamquam si mortis periculum imminet, & proprii Sacerdotis facultas non datur, ne hac occasione aliquis pereat, in Ecclesia Dei custoditum fuisse, Concilium Tridentinum docet, ut unicuique Sacerdoti liceret, non solum omni peccatorum generi, cujuscumque potestatis sit, illa condonare; sed etiam ab excommunicationis vinculo solvere. "

Secundo, *rationibus in Conciliis*, *& in Jure fundatis*.

Prima: Ubi agitur de dogmate, audienda est Ecclesia; ait enim Christus Matth. 18. *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus*: Sed Ecclesia in Concilio Tridentino adunata, ait absolutionem nullam esse, nisi Confessor

fessor aut ordinariam, aut saltem delegatam habeat in pœnitentem jurisdictionem, cui oraculo concinit Florentinum laudatum. Ergo &c.

Altera: Præsules jus habent sibi reservandi casus: Sed si jurisdictio foret inutilis, incassum & summus Pontifex, & Episcopi sibi reservarent casus, cum omnes Sacerdotes indiscriminatim possent absolvere ab omnibus peccatis: Ergo &c. Major patet ex ipso Concilio Tridentino, quod Sess. 14. cap. 11. sic pronuntiat: *Si quis dixerit Episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque ideo casuum reservationem non prohibere, quominus Sacerdos a reservatis vere absolvat; anathema sit.*

Tertia: Duplex a Concilio Lateranensi cap. *Omnis utriusque sexus*, distinguitur Sacerdos, a quo pœnitens possit absolvi; & habetur *extra* de Pœnit. & remiss. Unus ordinarius cui ex jure innato vi beneficii habentis curam animarum annexam competit jurisdictio: alter vero alienus, cui commissionis ex commissione ad invigilandum Fidelium saluti præficitur: Sed iste ab alio secernitur, quod solum dependenter ab Episcopo possit officio curiali fungi, & audire confessiones. Ergo citra jurisdictionem nullus potest a peccatis pœnitentes absolvere. Ecce Synodi generalis verba: " Si quis autem alieno „ Sacerdoti voluerit justa de causa confiteri peccata, licentiam prius postulet, & obtineat a proprio Sacerdote, „ scilicet Episcopo, cum aliter ipse non „ possit absolvere. „

Quarta: Quod est de intrinseca ratione judicii, illo sublato, non stat judicium: Sed jurisdictio est de intrinseca ratione judicii. Et probatur: Per jurisdictionem conceduntur Judici tum in civilibus, tum in foro Ecclesiastico subditi: sed ablatis subditis, vanum est judicium, cujus conditionis defectu, Hispanus non potest ferre sententiam in Gallos. Ergo &c.

Quinta: Quod universali traditione & jure tenetur, non potest aliter fieri: sed ab ipsa vagiente Ecclesia ad nos usque nullus potuit absque jurisdictione sacramentalem absolutionem conferre: hoc ipsum probat missionis ab Episcopis acceptæ pro Ministris necessitas juxta illud Apostoli Rom. 10. Quomodo vero prædicabunt nisi mittantur? Hoc demum cuncta docent jura. Ergo &c.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

OPPONES: Si præter ordinis potestatem requireretur jurisdictio, nullus posset absolvere summum Pontificem valide; nemo enim habet in eum jurisdictionem, nec ipse eam potest alteri communicare, quippe qui eam non habeat supra seipsum. Ergo &c.

Respondeo, Consessarium electum a SS. Pontifice, jurisdictionem ab ipso accipere; ad quod sufficit, ut sicut accepit a Christo potestatem subjiciendi quoscumque Fideles cuilibet Sacerdoti; ita & habet ab eodem Christo potestatem subjiciendi seipsum cui volet: hinc D. Thomas art. 4. ad 4. sic loquitur: " Prælatis „ concessum est, quod possint eligere pro„ prios Sacerdotes Confessores, qui quan„ tum ad hoc sunt eis superiores; sic„ ut etiam unus Medicus ab alio curatur, „ non in quantum Medicus, sed in quan„ tum infirmus. „ Licet igitur summus Pontifex non possit dare jurisdictionem in foro externo contra seipsum, secus in interno: maxime vero cum Pontificia auctoritas sicut in aliorum Fidelium, sic & in sui ipsiusgratiam cedat: sin minus Pastor foret pejoris conditionis quam ipsæ oves, quatenus a propriis peccatis ex humana fragilitate contractis non posset absolvi, quod manifestam implicat absurditatem.

Instabis: Sacerdos jurisdictione carens potest tamen ægrotum agentem animam absolvere. Ergo &c.

Respondeo Ecclesiam pro mortis articulo, omnibus absque exceptione concessisse facultatem audiendi confessiones. Quare Concilium Tridentinum postquam asseruit requiri jurisdictionem Sess. scilicet 14. cap. 7. sic prosequitur: " Verumtamen „ pie admodum, ne hac ipsa occasione „ aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei „ custoditum semper fuit, ut nulla sit „ reservatio in articulo mortis; atque „ ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœni„ tentes a quibusvis peccatis, & censuris „ absolvere possunt. „ Per articulum autem mortis intelligitur illud tempus in quo

quo mortis periculum imminet; talis est navigatio periculosa, imminens prælium &c.

Urgebis: Potestas jurisdictionis est aliquid morale tantum: Sed ad remissionem peccatorum quæ est effectus physicus non requiritur aliquid morale: Ergo ad remittenda peccata non opus est jurisdictione.

Respondeo distinguendo: Et remissio peccatorum fit etiam modo morali, concedo: simpliciter physico, nego: Jamvero remissio peccatorum quæ fit in sacramento Pœnitentiæ, mediante gratia, non tantum physice, sed etiam moraliter causatur; datur enim modo judiciali, qui certe moralis est.

Instabis: Episcopus omnibus Sacerdotibus quos consecrat, dat eis facultatem peccata absolvendi: quippe qui in persona Christi hæc proferat verba Joan. 20. c. 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata &c.* Quibus quidem verbis contulit Christus Apostolis potestatem jurisdictionis. Ergo &c.

Respondeo distinguendo: Et per hæc verba confert potestatem Ordinis, scilicet physicam, concedo: Jurisdictionis & moralem, nego. Porro Apostoli non præcise ex vi ordinationis receperunt potestatem jurisdictionis universalem in Christianos, sed ex speciali privilegio ratione necessitatis, & Apostolicæ Dignitatis illis concesso; hinc Episcopi illarum terrarum in quibus non sunt Christiani, nullam habent jurisdictionem.

Persistes: Sacerdotes ex vi illorum verborum: *Quorum remiseritis &c.* constituuntur Judices, subindeque potestatem judiciariam recipiunt: Sed potestas judiciaria est potestas moralis, & non physica: Igitur ex vi illorum verborum Sacerdotes recipiunt potestatem moralem absolvendi a peccatis, adeoque & ipsam jurisdictionem. II. Potestas physica ad absolvendum consistit in charactere Sacerdotali: Sed antequam Episcopus proferat hæc verba: *Accipite Spiritum sanctum &c.* Sacerdos charactere Sacerdotali donatus est: Igitur vi illorum verborum accipit potestatem moralem, & consequenter jurisdictionem.

Respondeo distinguendo: Constituuntur Judices aptitudine, concedo: actu, & vere, nego. Vi illorum verborum Sacerdotes declarantur apti ad judicandum, quatenus accipiunt potestatem Ordinis, ratione cujus deputantur tanquam apti ad ferendam sententiam; constituuntur vero actu Judices, quando actu ipsis conferuntur subditi, quia tunc primo habent jus ad ferendam sententiam.

Respondeo II. distinguendo majorem: Sacerdotes per ista verba, *Accipite Spiritum sanctum*, constituuntur Judices in actu primo, & auctoritative, concedo: in actu secundo, & quoad exercitium, nego. Tametsi Rex constituat Petrum Judicem, iste tamen non exercet, donec habeat subditos. Sacerdos accipit quidem in ordinatione absolvendi potestatem, sed per jurisdictionem habet subditos in quos illam exercere valeat.

Ad probationem, nego antecedens; etenim potestas physica ad absolvendum a peccatis, non nisi incomplete, & fundamentaliter constituitur in charactere Sacerdotali; hinc tribuit eis jus supra corpus Christi sacramentale; altera vero physice supra corpus Christi mysticum, jurisdictio autem dat potestatem moralem exercendam, subditos actu assignando.

Insistes: Prioribus Ecclesiæ sæculis omnes Sacerdotes poterant quoscumque peniteotes voluntarie se submittentes a quibuscumque peccatis absolvere: Ergo &c. Probatur antecedens cap. *Placuit de Pœnitentia* dist. 6. Urbanus II. " prohibet „ ne deinceps ulli Sacerdoti liceat quem- „ libet alteri Sacerdoti commissum ad „ penitentiam recipere sine ejus consen- „ su, cui prius se commisit. „ Vox autem (*deinceps*) denotat canonem præteritum non comprehendere: Igitur ante illa constitutionem, cuilibet Sacerdoti peccata deponebant Fideles.

Respondeo distinguendo: Et Urbanus II. in illo canone vel abusum jurisdictionis temperat, vel etiam ad certos limites restringit, concedo: Et ante ejus constitutionem quilibet Sacerdos poterat absque jurisdictione absolvere pœnitentes a peccatis, nego. Ab omni ævo jurisdictio a summis Sacerdotibus collata est inferioribus: Hujus rei argumentum est, quod prioribus sæculis soli Episcopi & prædicationis & sacramenti Penitentiæ administrationi vacarent; crescente vero Fi-

Fidelium numero sibi in ministerio coadjutores adjunxerunt. Quia vero licentia generali concessa ad audiendas confessiones quidam abutebantur, Pontifex jurisdictionem collatam temperare æquum duxit. Quod enim antea Ministri, omni non carerent jurisdictione, ista indicant laudati canonis verba: " Prohibet ne deinceps ulli Sacerdoti *commissum ad pœnitentiam recipere*. " Porro si Sacerdos antea erat ad pœnitentiam commissus, jam aliquam habebat jurisdictionem.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Requiritur in Confessario potestas jurisdictionis ordinaria vel delegata.

PRIMO: Si statuit Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 7. cujus mentem fuso calamo de potestate ordinaria vel delegata explicat Catechismus Romanus 2. p. de Pœn. n. 71. & 72.

Secundo: Hoc ipsum concluditur ex jure quod inest Episcopis quosdam sibi reservandi casus; & vero si jurisdictio non foret necessaria, inutilis esset reservatio, cum hac non obstante, quilibet Sacerdos indiscriminatim ab omnibus peccatis posset absolvere.

Tertio: Nullus Judex sententiam ferre potest, nisi habeat subditos: Sed per solam jurisdictionis potestatem habet. Ergo &c.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Quamquam Confessor non habeat jurisdictionem in summum Pontificem; ipse tamen potest illi dare in foro interno, ut illum a peccatis absolvat.

Secundo: Esto quod potestas jurisdictionis sit solum quid morale, fundatur tamen in ordinatione & charactere, quæ sunt quid physicum; hinc & ad peccata absolvenda inservit.

Tertio: Neque vero negamus Sacerdotem in sua ordinatione accipere ab Episcopo potestatem a peccatis absolvendi, sed donec per jurisdictionem accedant subditi, eam ad praxim & exercitium reducere non valet.

SECTIO TERTIA.

Quinam sit proprius & alienus Sacerdos juxta Concilii Lateranensis caput Utriusque sexus, *mentem*.

CELEBRIS ille canon his verbis concipitur: *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter semel in anno proprio Sacerdoti, & injunctam sibi pœnitentiam studeat pro viribus adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ sacramentum*. Qua vero occasione additum sit, *proprio Sacerdoti*, ex est quod cum non esset definitum & determinatum territorium pro singulis Parochiarum Rectoribus, ut inde ad victum decimas, aut reales, aut personales colligerent, Fideles solebant eas solvere illi Sacerdoti cui peccata sua deponebant; hinc multi, lucri cupidi alienas ad se pertrahebant oves, ex quo lites, & contentiones gravissimæ suboriebantur. Tanto malo volens occurrere Concilium, sancivit ut Fideles quotannis proprio Sacerdoti confiterentur, ipsique decimas solverent. Sic refert Theodulphus Aurelianensis in suo Capitulari edito ann. 797. & habetur II. parte Decreti dist. 6. de Pœnitentia, causa 33. cap. *Placuit*.

His prælibatis quæritur quinam sit genuinus canonis sensus? Quidam nomine proprii Sacerdotis solum intelligunt Parochum. Sic propugnat Jueninus q. 5. art. 3. §. 1. ceteri communiter, omnem Sacerdotem ab Episcopo approbatum maxime ipsum Episcopum. Cui sententiæ adhæremus: Sed antequam ad conclusionem, & ejus probationem veniamus, nonnulla supponenda sunt.

Primo: Certum est ad superiorem Ecclesiasticum spectare juridictionem dare in subditos suos, qua seclusa, nullus potest proferre sententiam. Etenim ex statuto Concili Tridentini exigitur approbatio, quæ non nisi ex prævio examine de scientia & probis moribus præsentati conceditur; quæ si denegetur, non potest ille audire confessiones, quippe qui non illi concedantur subditi in quos jus exercere valeat.

Secundo: Neque vero minus constat sum-

summum Pontificem habere in tota Ecclesia Juridictionem ratione sui primatus, & posse delegare aliquem qui sua exerceat munia in Confessionibus audiendis ubique, cum jus illud ei competat. Idem proportionaliter dicendum de Patriarcha in sua ditione, de Primate qui habet Episcopos sibi subditos, & quandoque etiam & Metropolitanos, servatis tamen de jure & more servandis, ut nulli fiat injuria. Idem dicendum est de Metropolitano in sua Provincia, idem demum de Episcopo in sua Diœcesi.

Tertio: Observandum est, & nusquam omittendum, Episcopum esse primarium suæ Diœceseos Pastorem, & Rectorem, adeoque omnium Parochiarum proprium Sacerdotem, quippe qui antiquitus solus Sacerdotale exerceret Ministerium, immo & solus Officialis, Pœnitentiarii, & Theologalis officia subibat, eratque Cathedralis Curatus, quandoquidem tunc temporis non alia erat in Diœcesi parœcia, cum parœciæ ruribus non nisi quarto sæculo institutæ sint, sed neque erant plures in civitatibus, solus enim Episcopus hæc omnia peragebat; audiebat quippe confessiones, & alia administrabat sacramenta; sic scribit Thomassinus tomo 1. Disciplinæ Ecclesiasticæ parte I. l. 1. cap. 19. & 21. Nonnumquam tamen Episcopus in casu vel ægritudinis, vel absentiæ legitimæ, hæc munia committebat Vicariis, qui in Concilio Lateranensi canone 10. ejus Coadjutores vocantur: neque ab audiendis confessionibus abstinuere Episcopi nisi versus 12. sæculum. Quo quidem tempore nonnulli ferventiores in audiendis confessionibus perseverarunt; namque Everardus Ambianensium Episcopus anno 1218. munus audiendi confessiones commisit quidem Pœnitentiario; sed Parochorum, Magnatum, & Baronum suæ Diœceseos sibi reservavit, ut habetur in Spicilegio to. 12. pag. 166. parte 4. cap. 6. Quid plura? Concilium Parisiense an. 1212. canone 28. & Oxoniense an. 1222. adhortantur Episcopos, ut ipsi audiant suorum confessiones.

Quarto: Eo ipso tempore quo Episcopi ab onere confessionum audiendarum se se exemerunt, pœnitentiarium instituere, qui omnes Diœceseos fideles pro confitendis peccatis audirent, & a casibus etiam reservatis absolverent, duos vero in quolibet rurali decanatu designarunt Presbyteros, qui Ecclesiasticorum confessiones susciperent; pro Laicis audiendis Rectores Parochiæ assignabantur, ita tamen ut unusquisque posset pro libito rationabili de causa adire Episcopum, vel etiam pœnitentiarium, qui utique nomine proprii Sacerdotis ex jure insigniebatur; sicque quilibet habebat proprium determinatumque Confessarium; nec citra indulgentiam ab Episcopo concedendam, poterat alteri sua deponere peccata. Jam vero si de Regularibus agitur, Abbati proprio confiteri tenebantur: quia tamen summus Pontifex universalis Ecclesiæ Pastor existit, licitum erat vel ipsum, vel Pœnitentiarium ab ipso institutum ad confitenda peccata adire. Revera quidem ipso anno 1084. aderant Romæ pro illo munere fungendo Pœnitentiarii, ut testatur Bertholdus Presbyter Constantiensis in suo Chronico, seu in continuatione Chronici d' Herman: " Presbyterum, „ inquit, *loquendo de Papa* promovit, „ & potestatem ad suscipiendos pœniten„ tes ex Apostolica auctoritate conces„ sit. „ Pœnitentiarii munus etiam vigebat in Anglia anno 1194. ut habetur canone 2. Synodi Eboracensis: perseverabat adhuc an. 1237. ut constat ex Concilio Londinensi his verbis: " In Ecclesiis „ vero Cathedralibus Confessores institui „ præcipimus generales. " Et sic, maxime a Concilio Lateranensi IV. Pœnitentiarii fuerunt in usu, quippe qui canone 10. ibi vocantur, *Coadjutores & cooperatores*, in audiendis confessionibus. Non omittendum pro eodem momento statutum Everardi Episcopi Ambianensis, quod his concipitur verbis: " Pœnitentiarius „ vero loco nostri, confessiones audiet, „ de quacumque parte Diœcesis ad i„ psum referantur. „ Sic habetur tomo 12. Spicilegii pag. 166. Quod etiam duo essent Presbyteri in quolibet decanatu rurali pro audiendis Ecclesiasticorum confessionibus, non unum asserit testimonium. Statuta Synodalia Angliæ ann. 1217. injungunt Episcopo, ut in quolibet capitulo duos nominaret Confessores qui audirent omnium Ecclesiasticorum confessiones, ita tamen ut possent justa de causa, vel Pœnitentiarium,

vel

vel Episcopum, vel alium ab ipso delegatum adire ad sua deponenda peccata. Sic etiam statuit Concilium Londinense anno 1237. celebratum: Demum statuta Ecclesiæ Vvorcestensis an. 1240. designant Confessores Clericis cujuslibet decanatus ruralis.

Quinto: Fuit antiquitus pro more positum, ut cujuscumque ordinis fideles determinatos haberent Confessarios; hinc Episcopi juxta jus commune Metropolitanis, Metropolitani Primatibus, Primates Patriarchis, isti vero Papæ confiteri debebant, ut scribit celebris canonista Fagnanus Lib. 5. parte secunda decretorum pag. 140. quia vero sæpissime difficile erat adire Papam, Gregorius capite, *Ne pro. De pœnitentia &c.* Concessit Episcopis, Archiepiscopis, & Primatibus sapientes ad libitum suum seligere Confessores: Eamdem concessit facultatem Concilium generale Viennense ann. 1302. col. 1567. A. B. Clemens quippe V. in gratiam laborum Præsulum ab expensis itineris faciendis pro adeundis Superioribus sic statui voluit, concedens insuper ut Sacerdos sive Sæcularis, sive Regularis ab eis electus, posset illos etiam ab excommunicatione, immo & irregularitate absolvere. Constitutiones Præmonstratensium Ordinis injungunt Religiosis ut ter in anno scilicet die Nativitatis, Paschatis, & Pentecostes proprio Abbati sua deponant peccata. Concilium Parisiense ann. 1212. parte 5.c.7. præcipit Episcopis pios determinare pro Monialibus Confessarios. Idem decernit Synodus Oxoniensis cap. 46. ann. 1222. Eadem erat, a fortiori, pro Laicis conditio & disciplina, ut constat ex Concilio Parisiensi an. 1212. cap. 12. his verbis: " Et ne quis Sacerdos sine mandato superioris, aut ejus qui in aliqua Parochia curam animarum gerit, confessiones recipiat, omissis propriis Sacerdotibus: vel contemptis nisi in articulo necessitatis. &c." Quinimmo eidem legi subjiciebantur Principes, nec aliis citra privilegium poterant confiteri quam Sacerdotibus assignatis. Philippus Rex Galliæ Intrepidus nominatus, inter Reges, primus fuit qui a Gregorio X. obtinuit licentiam sibi eligendi ex Sacerdotibus, vel Sæcularibus, vel Regularibus Confessarium, ut scribit Renaldus an. 1272. n. 59. Idem concessit indultum Martinus IV. Magno Sueciæ Regi, & Bonifacius VIII. Eduardo Regi Angliæ ibidem anno 1301. n. 25. & de facto ad nostra usque tempora Episcopi determinant Confessores pro Monialibus, Regulares Præsules pro suis subditis; pro Laicis vero approbati ab Episcopo assignantur: Tandem Rectores particulares Parochias suæ ovibus invigilant, & nedum verbi Dei pane eas cibant, sed & necessaria tum ad salutem, tum ad perfectionem conferunt eis Sacramenta.

His prælibatis, cardo difficultatis est, num cap. 21. Concilii Lateranensis injungendo Fidelibus ut semel saltem in anno tempore Paschatis proprio Sacerdoti confiteantur, alios a Parocho excludat Confessarios. Pro cujus resolutione sit

CONCLUSIO.

Ista canonis XXI. verba, OMNIS UTRIUSQUE SEXUS FIDELIS . . . . OMNIA SUA SOLUS PECCATA CONFITEATUR SEMEL IN ANNO PROPRIO SACERDOTI: *non excludunt Papam pro tota Ecclesia, nec Episcopos pro sua Diœcesi, immo nec alios Sacerdotes, sive sæculares, sive Regulares, ab eis delegatos.*

Probatur Conclusio multis momentis.

Primo, ex ipso Concilio Lateranensi.

NON possumus clariori via habere sensum Concilii, quam ab ipso Concilio: Atqui ex ipso liquet Patres non exclusisse in conclusione nominatos; & probatur: Canone X. sic præcipiunt: " Tam in Cathedralibus, quam in aliis Conventualibus Ecclesiis viros idoneos ordinari, quos Episcopi possint coadjutores, & cooperatores habere, non solum in Prædicationis officio, verum etiam in audiendis confessionibus." Rursus c. 21. *Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit justa de causa sua confiteri peccata, licentiam prius postulet: & obtineat a proprio Sacerdote, scilicet Prælato.* Audis Episcopos inter proprios Sacerdotes esse

Primos, cum ex jure avito possint sibi adjungere coadjutores in confessionibus audiendis, cum ad superiorem spectet delegare. Audis quemlibet Sacerdotem, obtenta ab Episcopo licentia, posse audire confessiones. Ergo &c.

Secundo, ex Decretis SS. Pontificum.

Nubem Testium habemus, inter summos Pontifices, qui canonem *Utriusque sexus*, uno veluti ore sic explicant: Instar omnium sit Gregorius IX. qui ann. 1227. concessit FF. Prædicatoribus privilegium audiendi confessiones fidelium, hortaturque Prælatos, ut ad hoc munus subeundum eos benigne suscipiant: nec meminit canonis Lateranensis, immo nec temporis Quadragesimalis, & Paschatis; sed absque limitatione loquitur his verbis: " Charitatem vestram rogantes, & „ exorantes in Domino, ac per Apostolica vobis scripta mandantes, ut dilectos filios Fratres Ordinis memorati „ pro reverentia divina ad officium prædicandi, ad quod deputati sunt, recipiatis benigne, ac populos vobis commissos, ut in ore ipsorum verbi Dei „ semen devote suscipiant, & confiteantur iisdem, cum ipsis auctoritate nostra liceat confessiones audire. „ Alexander IV. confirmat iisdem idem privilegium an. 1256. in Diplomate quod incipit, *Non sine multa*: Illudque extendit Clemens VI. an. 1265. ad FF. Minores in suis ad generalem Ministrum litteris, quæ incipiunt *Quidam temere*.

Bonifacius VIII. in Decretali *super Cathedram* quæ habetur L. 3. extravagantium communium, titulo De sepulturis, idem tribuit utrique Mendicantium Ordini, asserendo, eamdem eis in hoc se conferre potestatem, quæ est in Curatis, vel Parochialibus Sacerdotibus.

Benedictus XI. Bonifacii successor expressius loquitur; quippe qui Constitutionem ediderit an. 1204. quæ habetur L. 5. extravagantium communium titulo De Privilegiis; qua quidem statuit FF. Prædicatores, & Minores ad audiendas confessiones a suis electis superioribus: „ Libere, auctoritate Apostolica absque „ licentia Diœcesanorum, & aliorum „ Prælatorum inferiorum, exemptorum, „ quibus subsunt, qui ad confitendum „ accedunt, audiant, eis peccata sua „ confiteri volentes, ipsisque pœnitentias „ salutares injungant. „

Leo X. ampliores concessit Mendicantibus gratias Constitutione quæ incipit *Dum intra mentis arcana*: Quæ in Concilio Lateranensi V. generali sessione XI. lecta, & approbata est, septem solum, aut octo dumtaxat Episcopis dissentientibus; declarat confessos Mendicantibus Canoni *Omnis utriusque sexus* satisfecisse. " Possent illi, *inquit*, per eosdem Episcopos, & Prælatos super sufficienti „ litteratura, & aliqua saltem hujusmodi Sacramenti peritia dumtaxat examinari, talibusque præsentatis admissis, vel etiam indebite recusatis confitentes, Constitutioni quę incipit, *Omnis utriusque sexus*, quoad confessionem „ dumtaxat, satisfecisse censeantur. „

Paulus III. eamdem gratiam ann. 1549. in Constitutione qua munus Præpositi Generalis Societatis Jesu explicat, ut pii Instituti Patribus sine Parochorum licentia, fideles confiteri possint, concedit, his verbis: " Universis utriusque sexus „ fidelibus, ut cuilibet de Societate „ prædicta confiteri possint, Rectoris „ sui licentia minime requisita, cui non „ tenentur, eadem peccata, de quibus „ confessi, & absoluti fuerint rursus confiteri, concedimus.

Clemens VIII. an. 1592. idem largitur Privilegium RR. Patribus Societatis, Constitutione data adversus quosdam Diœceseos Attrebatensis, & Duacensis Parochos tumultuantes, ea solum conditione, ut ab Ordinario approbarentur Patres, & fideles confessi sacram Eucharistiam die Paschatis a Pastore suo susciperent.

Demum Clemens X. Constitutione quæ incipit *Suprema*, data Romæ undecimo Kalendas Junii an. 1670. totam hanc dirimit litem aureis istis verbis: " Regulares, *ait* simpliciter ab Ordinariis approbatos posse in Diœcesi Episcopi approbantis, quovis anni tempore, etiam „ Paschali, & quorumcumque etiam infirmorum confessiones audire absque ulla Parochorum, vel ipsius Episcopi licentia. De qua tamen confessione teneri dictos Religiosos eorumdem infirmorum Parochum, illico certiorem redde-

„ reddere. Et hoc posse illis ab Episco- „ po, sub pœna suspensionis a facultate „ audiendi Confessiones præcipi: sufficere „ re tamen, ut certioratio hujusmodi „ fiat saltem per scripturam apud ipsum „ infirmum relinquendam. Et eos qui di- „ ctis religiosis simpliciter approbatis Pa- „ schali tempore confessi fuerint, consti- „ tutioni quæ incipit, *Omnis utriusque* „ *sexus*, quoad Confessionem dumtaxat, „ satisfecisse censendos. „

Tertio, ex Conciliis.

CONCILIA hic texenda, sunt duplicis generis: Quædam statuunt peccata Archiepiscopo, vel ejus Pœnitentiario esse deponenda; quandoque etiam aliis absque speciali eorum licentia: Quædam vero tradunt, vel ipso Paschatis tempore cum licentia, vel Papæ, vel Ordinarii fideles alteri a Parocho posse confiteri.

Primum, commemoramus Rothomagense, ann. 1236. quod quidem injungit Presbyteris sua peccata solum semel in anno Archiepiscopo seu Pœnitentario deponere, ea tamen cum licentia ceteris ulterioribus vicibus alios adire Sacerdotes.

Nemausense ann. 1284. statuit idem fieri cum licentia proprii Sacerdotis, scilicet Episcopi; quosdam tamen recenset casus, in quibus dicit eam non requiri; sic loquitur: " Sine licentia proprii Sacer- „ dotis potest aliquis alieno Presbitero „ confiteri. Primus est, cum Episcopus „ hoc alicui specialiter delegavit. Secun- „ dus, cum quis peccat in aliena Paro- „ chia, & de illo peccato Sacerdoti illius „ Parochiæ confitetur. Tertius, si causa „ domicilii se duxerit ad aliam Paro- „ chiam transferendum. Quartus, est cum „ vagabundus circumit. Quintus cum im- „ minet sibi mortis periculum, & non „ potest habere proprium Sacerdotem.

Concinunt alia permulta. In primis Oxoniense ann. 1222. can. 18. Londinense ann. 1237. can. 5. Pictaviense ann. 1280. can. 4. Claromontanum, & Bituricense ann. 1286. can. 14. Bajocense ann. 1300. cap. 108. Nicosiensis Ecclesiæ Constitutiones cap. 11. Tarraconense ann. 1329. Rursus alterum ann. 1391. can. 18. Narbonense ann. 1374. Inter cetera sic loquitur Attrebatense 1. ann. 1263. " Proprium autem Sacerdotem dicimus „ duobus modis: Ex officio, utpote Pa- „ pam, Episcopum, Curatos, vel ex „ commissione, sicut Fratres Prædicato- „ res, & Minores, & quibus Episcopus „ commiserit vices suas. „

Lingonense ann. 1452. habitum, paucis, sed clare admodum explicat canonem *utriusque sexus*: " Ne remaneat aliqua hæ- „ sitatio quis proprius dicatur Sacerdos, „ declaramus pro ut Doctores, & jura „ declarant, quod proprius Sacerdos est „ Papa, ejus Legatus, Episcopus, Pœ- „ nitentiarius Diœcesanus, & ejus Vica- „ rius generalis, & ille cui cura Paro- „ chalis Ecclesiæ est commissa, sive Re- „ ctor, sive Vicarius. „ Expressius tandem, & clarissime Attrebatense an. 1490. titulo de sacramento Pœnitentiæ, ubi explicans canonem Lateranensem ait: " Per „ hoc tamen præjudicare non intendimus „ illis, quibus a sede Apostolica est indul- „ tum, quod confessiones audiant, vel „ audire valeant sibi confiteri volentium, „ quominus ea potestate uti valeant, non „ obstante hujusmodi propositione, secun- „ dum quod antea de jure poterant, „ vel valebant. „ His omnibus accedit Conventus Parisiensis ex Parochis illius Regiæ civitatis habitus, ubi præsidebat D. Franciscus Harleus Archiepiscopus in peritia canonum nulli secundus; die enim 26. Aprilis an. 1683. auditis pro utraque opinione Doctoribus celeberrimis, resumptione facta erudite, & sapienter pronuntiavit nomine proprii Sacerdotis recte intelligi summum Pontificem in tota Ecclesia; Episcopos in sua vicissim Diœcesi, & Religiosos, aliosque Sacerdotes approbatos posse, vel in ipso tempore Paschatis audire confessiones.

Quarto, ex Propositionibus, Privilegiis Mendicantium adversantibus, proscriptis.

PRIMUS nobis occurrit Matthæus Parisius, qui inter alias propositiones propugnabat confessiones a Mendicantibus auditas esse nullas. Synodus Exoniensis elapsis 43. annis sic pronuntiavit: " Quia „ de rebus transitoriis nihil superest quod „ animarum saluti debeat anteponi: præ- „ cipimus quod cum Fratres Prædica-

„ tores, & Minores tam in Quadragesima, quam extra, cum transitum fecerint per Parochias, confessiones fidelium libere audiant . . . . . Etsi sedes Apostolica eis amplius indulserit, vel indixerit indulgendum, hoc ab omnibus observetur. „

Alexander IV. Diplomate dato Anagniæ 12. Kalendas Novembris an. 1256. damnavit propositionem Guillelmi de Sancto-Amore contendentis. Mendicantes non posse audire confessiones.

Joannes XXII. an. 1321. Constitutionem edidit contra errores Joannis de Poliaco doctoris Parisiensis, quæ incipit *Vas electionis*, & habetur Lib. 5. extravagantium de Hæreticis; qui erat unus eorum, qui confessiones Mendicantibus factas, nullas asserebant.

Anno 1357. eadem de causa ab Innocentio VI. Richardus Armachanus Archiepiscopus propulsus est.

Tum an. 1659. Kalendis Februarii Alexander VII. damnando quasdam propositiones ab Episcopo Andegavensi sedi Apostolicæ delatas, intactam reliquit eam, qua dicebantur fideles non teneri deponere sua peccata in propria Parochia. Demum ante ipsum Alexandrum, Innocentius X. an. 1645. disceptationem exortam inter Henricum Burdigalensem Episcopum, & Regulares, quos tempore Paschatis andire confessiones nolebat; discussa causa a Congregatione Cardinalium Interpretum Concilii Tridentini, declaravit licere Regularibus habentibus Privilegia Apostolica, Fidelium confessiones audire, a Dominica Palmarum, usque ad Dominicam in Albis inclusive, ut fert ejus Constitutio pro isto data momento, 7. Idus Februarii, quæ incipit, *Exponi nobis*; quam Ludovicus decimus quartus 11. Martii die jussit executioni mandari.

Quinto, ex Theologis.

AGMEN ducet, omnium facile princeps sanctus Thomas, qui quidem non in uno loco dirimit controversiam, maxime in Supplemento quæstione 8. art. 5. ubi probat ex professo Religiosos approbatos posse audire confessiones, & respondet objectionibus: ad primum ait: " In nullo „ fit præjudicium inferioribus Prælatis, „ nisi illis qui quærunt quæ sua sunt, non „ quæ Jesu Christi. „ Quando scilicet Regulares audiunt Fidelium confessiones. Tum in responsione ad tertiam objectionem, ait, eodem modo Episcopum posse sibi assumere pro adiutoribus in confessionibus audiendis Regulares, sicut sæpius assumit Pœnitentiarios. Idem propugnat in Opusculo contra impugnantes Religiosorum Ordines cap. 4.

Sanctus Bonaventura in tractatu qui inscribitur: *Quare Fratres Minores prædicent, & confessiones audiant*. Henricus Gandavensis Quodlibet. 7. Durandus in quartum Sentent. distinct. 7. quæst. 12. Marsilius Abengen in quartum Sentent. quæst. 12. art. 1. Ægidius Carlerius Parisiensis Theologus, & Cameracensis Decanus, in quartum Sentent. distinc. 17. Adrianus Cancellarius Lovaniensis, postea Summus Pontifex hujus nominis sextus, in quartum Sentent. quæst. 5. de Confessione. Joannes Major Parisiensis Theologus in quartum sententiarum dist. 17. quæst. septima. Cujus hic titulus est, *An Confessus Mendicantibus sine facultate Parochi teneatur peccata sua iterum proprio Sacerdoti confiteri?* Ad quæstionem factam idem respondent.

Non omittendus Gersonius, qui eamdem tenet doctrinam, Libro de Statibus Ecclesiasticis consideratione prima, maxime vero consideratione quinta, ubi dicit eamdem Religiosis approbatis inesse potestatem ad confessiones audiendas, qualis est vel in ipsis Curatis: " Status, „ *inquit*, Privilegiatorum hoc habet, ut „ idonei præsentati sufficienter per superiores suos ad Prælatum Diœcesanum, „ valeant in locis suis confessiones audire Diœcesanorum, & eos absolvere, „ cum tali potestate, & in casibus talibus, quem admodum Curati Parochiales ordinarie funguntur, & non ampliori: nisi de speciali gratia Prælati „ major eis fuerit elargita potestas. „ Consideratione sexta & septima, propugnat Parochos non posse a suis ovibus, quæ sua Regularibus deposuerunt peccata, iteratam eorumdem exigere confessionem; hoc enim, subdit Consideratione sexta, per Joannem XXII. fuit declaratum validum, & usus communis obtinuit.

Quid plura dicam pro eodem momento?

Sa-

Sacra Facultas Parisiensis an. 1484. Tertio Kalendas Augusti Congregata, duas propositiones a Joanne Lallerio in Sorbonica disputatione positas damnavit; quarum prima hæc erat: *Confessi Religiosis mendicantibus, præsentatis, & acceptatis secundum formam Decretalis dudum, non sunt absoluti, & tenentur eadem peccata confiteri Curato.* Altera his verbis exprimitur: *Summus Pontifex Joan. XXII. non potuit condemnare de Polliaco, nec facere Decretalem*: VAS ELECTIONIS.

Sexto, Ratione multiplici.

RATIONES ad probandum Regularium privilegium pro confessionibus audiendis multæ sunt in instrumentis laudatis, ut legere est Glossa in caput *si Episcopus* in sexto Decretalium. PP. Thomassinus, & Alexander, Prior Tom. 2. disc. Eccli. posterior vero Differt. 3. sæculi 14. validissimis argumentis probant regulares absque restrictione tempore Paschatis posse audire sæcularium confessiones: hoc & probat differtissime auctor Anonymus Differt. historica, & dogmatica de confessione Paschali Regularibus facta, quæ Parisiis ann. 1700. in lucem prodidit; ibi ex professo explicatur canon *utriusque sexus*. Aliquas hic texere juvat rationes.

Prima, hæc est: Nullus cordatus dixerit Episcopos, quibus ex jure competit delegare operarios, qui sua vice fungantur in administratione Sacramentorum, hanc in Concilio Lateranensi in gratiam Curatorum depofuisse potestatem; maxime cum ex ipso capitis 10. contextu possint sibi assumere coadjutores, quod & primitus fecere, nemine contradicente, instituendo Pœnitentiarios, qui independenter a Parochis audirent omni tempore confessiones; immo & a casibus reservatis absolverent: Igitur & consimili ratione Regulares delegati, & approbati idem prorsus peragere possunt: sic omnes nationes intellexerunt canonem Lateranensem: Sic Hungari, sic Boemi, sic Poloni, sic Sueci, sic Belgæ, Angli, Hyberni, Hispani, Lusitani, Itali, Siciliani, & alii Insularii, sicut & deputati quatuor Patriarcharum Orientis, qui omnes aderant Concilio, intellexere. Ergo &c.

Secunda: Quod potest inferior, potest a fortiori & superior, nam inferiora, teste Dionysio, adunata sunt in superioribus: Sed parochi ex Sacerdotibus approbatis possunt aliquos pro adjutoribus, ad confessiones audiendas tempore Paschatis sibi assumere: Igitur jure potiori SS. Pontifex, vel Episcopus Regulares pro eodem fungendo munere designare possunt. Joannes Major citatus ita ratiocinatur. Et vero nullum inde sequitur detrimentum juribus Curati, cum ex jure proprio audiat fideles suæ Parochiæ, ceteri vero non nisi ex privilegio, & per delegationem: Istud ratiocinium est D. Thomæ supra laudati. Ergo &c.

Tertia, eaque efficacissima. Si verba canonis Lateranensis in sensu obvio intelligenda forent, duo inde maxima sequerentur absurda: Primum quidem, Patriarchæ soli Papæ, Metropolitani soli Primati; Episcopi vicissim uni Metropolitano, tum Parochi soli Episcopo confiteri deberent, quod moraliter impossibile est. Alterum, solus Curatus teneretur intra quindecim Paschatis dies omnes sibi subditorum confessiones audire: Sed & hoc sæpius prorsus impossibile est: quomodo enim Parochus sancti Sulpicii v. g. urbis Parisiensis posset audire intra tantas temporis angustias 50000. & amplius fidelium suæ Parœciæ peccata. Ergo &c.

Quarta demum, evertendo fundamentum opinionis contrariæ, sic procedit. Ideo quidam Curati zelo, non secundum scientiam, & pietatem abrepti, volunt Regulares tempore Paschatis non posse suarum ovium audire confessiones, quia juxta istud juris adagium de Pastore proprio, *Agnosce vultum pecoris tui*: semel saltem in anno quisque proprio Sacerdoti sua debet deponere peccata: Sed hæc ratio nulla est; & probatur. 1. Quidem ex omnibus auctoritatibus laudatis, quibus, constat nomine proprii Sacerdotis intelligi non solum Curatum, sed & Papam, & Episcopum, & omnes ab eis approbatos, ut etiam statuit Innocentius II. Epist. 10. absque restrictione, & post Concilium Lateranense, sacra Facultas Theologiæ Parisiensis an 1252. Concilium Bituricense an. 1286. c. 13. & alia, maxime Tridentinum, quod sessione 13. canone 9. revocat canonem *utriusque sexus*

pro

pro Communione annua, sessione vero 14. c. 5. de reformatione etiam pro confessione annuatim quidem facienda, sed altum ibi silentium de confessione proprio Curato peragenda. II. Ex eo quod Parochus non magis possit cognoscere vultum pecoris, seu fidelium, qui Sacerdotibus ab ipso deputatis confitentur, quam si sua regularibus deponerent peccata; nullus quippe Confessor, nec ipse Parochus potest revelare peccata audita, & uti Confessione ad perniciem subditi. Quid plura? Possunt agnoscere vultum pecoris expostulando a Parochianis suis, confessoris schedulas, quibus eis innotescat eos satisfecisse præcepto confessionis, ut sacram ab eis suscipiant Eucharistiam; præterea nec ipsi eam ipsam omnibus administrant, cum sinant illam suscipi ab aliis Sacerdotibus qui suæ famulantur Parochiæ; non tamen inde queruntur se tunc temporis non agnoscere vultum pecoris sui. Ergo &c.

Sanctus Thomas hic 3. p. Supp. q. 8. art. 5. ad 1. ait agnoscere vultum pecoris externum spectare forum externum, non internum, adeoque Privilegium nemini offensam dare: " Dicendum quod rector „ Ecclesiæ debet vultum peccoris sui agnoscere dupliciter. Uno modo, per „ solicitam exterioris conversationis considerationem, qua invigilare debet super gregem sibi commissum: & in hac „ cognitione non oportet, quod credat „ subdito, sed certitudinem facti, in quantum potest, inquirat. Alio modo, per „ confessionis manifestationem: quantum „ ad hanc cognitionem, non potest majorem certitudinem accipere, quam ut „ subdito credat; quia hoc est ad subveniendum conscientiæ ipsius. Unde in „ foro confessionis creditur homini & pro „ se, & contra se, non autem in foro „ exterioris judicii, & ideo ad hanc cognitionem sufficit, quod credat subdito dicenti se alteri absolvere valenti „ fuisse confessum: & sic patet quod talis cognitio pecoris per privilegium alteri indultum de confessione audienda, „ non impeditur. „

Diluuntur Objecta.

OBJICIES: Quod alicui essentialiter convenit, alteri tribui non debet: Atqui juxta canonem Lateranensem soli Parocho convenit ex jure audire confessiones, saltem semel in anno, tempore Paschatis. Ergo &c.

Confirmatur: In isto sensu explicat canonem Innocentius IV. in Constitutione edita undecimo Kalendas Decembris in an. 12. sui Pontificatus; sic Martinus IV. Constitutione, quæ incipit *ad uberes* an. 1281. ubi sic loquitur: " Suis Presbyte„ ris Parochialibus confiteri saltem semel „ in anno pro ut Concilium generale sta„ tuit. „ Sic Concilium Biterrense anno 1246. & alia. Ergo &c.

Respondeo distinguendo: Quod convenit essentialiter physice, alteri communicari non potest, concedo; nam essentia Physica est individua, & absolutis conclusa terminis; essentialiter moraliter, nego. Et sic distincta minore, nego consequentiam: cum jus audiendi confessiones sit quid morale, non est inconveniens per privilegium, & delegationem, alios præter Parochos audire confessiones. Sic respondet sanctus Thomas ad objectionem in Supplemento quæst. 8. art. 5. Et vero tametsi ex jure, soli competat Episcopo confirmare, hoc tamen ex indulto potest & simplex Presbyter. Idem a simili dicendum de confessionibus audiendis &c. Ecce verba Doctoris Angelici: Ad primum sic loquitur: " Dicendum quod, „ præjudicium non fit alicui, nisi ei subtrahatur, quod est in favorem ejus indultum. Jurisdictionis autem potestas „ non est commissa alicui homini in fa„ vorem suum, sed in utilitatem ple„ bis, & honorem Dei, & ideo si superioribus Prælatis expedire videatur ad „ salutem plebis, & honorem Dei promovendum, quod aliis, quæ sunt Jurisdi„ ctionis, committant: in nullo fit præ„ judicium inferioribus Prælatis, nisi illis qui quærunt quæ sua sunt, non „ quæ Jesu Christi, & qui gregi præsunt „ non ut eum pascant, sed ut ab eo pa„ scantur. „

Ad confirmationem distinguo similiter: Summi Pontifices, & Concilia explicant canonem Lateranensem in gratiam Parochi, quando periculum est ne decimis frustretur, concedo: quando non est periculum, nego: Nomine quippe proprii Sacerdo-

cerdotis intelligitur etiam Sacerdos Regularis approbatus, ut non semel probatum est.

Instabis: Concilium Arelatense an. 1260. can. 16. prohibet vel ipsis Pœnitentiariis in suis visitarionibus audire confessiones vulgi, permittendo solum eis absolvere a casibus reservatis. II. Concilium Biturricense an. 1286. laudatum in gratiam Regularium, præcipit semel saltem in anno Curato confiteri. III. Rhemense an. 1583. a Gregorio XIII. confirmatum, & refertur capite *de Pœnitentia*, parag. 5. sic pronuntiat: " Nemo existimet sibi licere „ cuicumque volet Sacerdoti confiteri, „ sed proprio tantum Parocho: „ His accedit Basileense, quod teste Augustino Parritio, idem confirmat. Ergo &c.

Respondeo opponendo alia Concilia laudatis: Quidquid sit de priorum auctoritate, eorum disciplinæ canones, pro confessionibus soli Curato reservatis, evacuavit Concilium Lateranense V. in quo approbata est Bulla Leonis X. qui permittit Regularibus præsentatis, & rite examinatis audire confessiones. Eidem licentiam facit audiendi confessiones Tridentinum laudatum, & post ipsum Innocentius X. qui Decreto dato die 7. Februarii anni 1654. adversus Archiepiscopum Burdigalensem obstrepentem, declaravit Regulares posse audire confessiones tempore Paschali per quindecim dies; cui decreto accessere litteræ solemnes Ludovici XIV. Jam ad singula respondendum est.

Ad primum, dico Concilium Arelatense loqui de fidelibus Pagorum qui se Pœnitentiariis confessos esse asserebant, cum tamen id non fecissent: " Ut magna pars „ Christianorum, *inquit*, occasione hu„ jusmodi Pœnitentiariorum propriis Sa„ cerdotibus super confessionibus alludant, „ asserentes se dictis Pœnitentiariis fuisse „ confessos, cum tamen per hujusmodi „ Confessores vix, aut numquam possit „ pars populi modica suorum peccato„ rum confessionibus generaliter expe„ diri. „

Ad secundum, dico Concilium Rhemense permittere Laicis cum licentia proprii Sacerdotis, scilicet Episcopi, Regularibus se confiteri: " Licentiam, *ait*, postu„ let, & obtineat a proprio Sacerdote „ &c. „ Porro eo ipso quo sunt ab Episcopo approbati, habent potestatem a proprio Sacerdote. Ad summum ut diximus, possunt Laici testimonium de confessione facta accipere a Regularibus, ut statuit Concilium Coloniense an. 1549. his verbis: " Si de eorum confessione probabi„ lis est dubitatio, testimonium afferant „ quod alibi sint confessi. „

Ad tertium respondeo, Concilium Biturricense cap. 14. præcipere, ut quam primum Parochi lingua vulgari canonem Lateranensem legi curent, tum & Constitutiones Martini IV. & Clementis VIII. quibus licitum est Regularibus audire confessiones, etiam quindecim Paschatis diebus: " Ut Rectores Ecclesia„ rum, *ait*, legant Constitutiones Ponti„ ficum de proprio Sacerdore, & de pri„ vilegio Regularium. „ Qua quidem cautela volunt Patres Synodici Regulares approbatos posse audire confessiones, vel ipso Paschatis tempore.

Insistes: Usus invaluit ut Regulares obediant Episcopis, tametsi eis pro confessionibus audiendis excipiant tempus Paschale. Ergo &c.

Respondeo: Regulares ea qua par est reverentia in hoc Episcopis obedire satius esse, cum potestas Ecclesiæ sit in ædificationem: Sed quæstio mota procedit de validitate confessionum, quæ factæ sunt tali tempore Regularibus, quos si constet ab Ordinario esse approbatos, citra dubium validas esse jura laudata volunt, & docent. Nec pro isto momento aliqua SS. Pontificum Decreta hic recensere pigebit. Clemen VIII. an. 1592. declaravit contra Parochos Duacenses non nihil obstrepentes, Mendicantes posse audire Fidelium confessiones vel ipso Paschatis tempore. Neminem etiam latet Episcopum Lingonensem ab Urbano VIII. propulsum fuisse, eo quod ann. 1624. die 22. Septembris contenderet Regulares, præter approbationem ab Ordinario jam obtentam, alteram a Parocho expostulandam esse.

S V.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Regulares ab Episcopo approbati possunt audire Confessiones, vel ipso Paschatis tempore.

PRIMO: Hoc ipsum colligitur ex Concilio IV. Lateranensi cap. 10.

Secundo: Ad hoc munus obeundum Regulares habent indulta a summis Pontificibus, maxime a Bonifacio XI. Leone X. Clemente VIII. Urbano VIII. His accedunt variæ Synodi, ut Nemausensis ann. 1284. Bituriensis 1286. Lingonensis 1452. quæ indulta Regularium confirmant.

Tertio: Theologi omni exceptione majores defendunt istud Regularium privilegium. Instar omnium sit S. Thomas hic, Suppl. q. 8. art. 5. ex professo. Sacra Parisiensis Facultas, quæ ann. 1484. Tertio Kalendas Augusti contrariam profligavit opinionem.

Quarto: Adversa sententia injuriosa est & summo Pontifici, & Episcopis.

Quinto: Eadem opinio implicat contradictionem. Quis enim gentium dixerit Papam non esse in tota Ecclesia proprium Sacerdotem, Episcopum vero in propria Diœcesi?

SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET EXPLICATIONUM.

PRIMO: Potestas audiendi confessiones est quid morale, quo circa Summi Sacerdotes possunt eam delegare Regularibus.

Secundo: Agnoscere vultum pecoris sui spectat forum contentiosum; hinc isti Parochorum juri, ne minimum quidem adversantur indulta Regularium pro confessionibus quovis tempore audiendis.

Tertio: Neque vero Synodi Provinciales indulta laudata impugnant, sed potius confirmant; unde si quid durius pro isto momento scribant, non contra privilegium, sed ad rescindendos abusus loquuntur.

SECTIO QUARTA.

Utrum Confessarius teneatur ad sigillum?

Status quæstionis est, utrum Sacerdos audiens confessiones teneatur servare sigillum, nedum circa peccata, sed & alia quæ relationem habent ad confessionem?

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

Probatur multis momentis.

Primo, ex Scriptura sacra.

QUOD est de jure divino, illud necessario tenendum est: sed sigillum est de jure divino: & probatur. Matth. cap. 18. habetur: *Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlis*. Joan. cap. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. Ex quibus sic argumentatur Estius in 4. Dist. 17. §. 14. " Inde enim per se consequens fit Sacerdotem tamquam Christi Vicarium debere per confessionem peccata cognoscere, & quia a confitente deteguntur in ordine ad absolutionem, ab eodem Sacerdote tamquam Vicario Christi percipiendam, eadem peccata debere celare. " Et vero eo ipso quo Christus præcipit hominibus peccata omnia etiam occulta confiteri, eadem & sententia injungit servari secretum, quod non levius subindigitat idem Dominus, Matth. 18. his verbis: *Si autem peccaverit in te Frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipsum solum*.

Secundo, ex Patribus.

ORIGENES Hom. 2. in Psal. 37. expresse dicit antiquitus in more fuisse positum peccata in occulto Sacerdoti aperire; tum si aliquod interea pœnitens in conventu Ecclesiæ humilitatis causa vellet publicare, hoc non nisi ex consilio Confessarii faciebat: " Si, *inquit*, intellexerit " & prævideril, talem esse languorem tuum, " qui in conventu Ecclesiæ exponi debeat & curari, ex quo fortassis & ceteri " ædificare poterunt, & tu ipse sanari, " mul-

„ multa hoc deliberatione & satis periti „ medici illius consilio procurandum est. „

S. Basilius expressius loquitur c. 14. his verbis: " Adulterio pollutas mulieres, & „ confitentes ob pietatem, vel quomodo- „ cumque convictas, publicare quidem „ Patres nostri prohibuerunt. „ Eo loci prohibet ne Sacerdos, qui mulieris adulteræ confessionem audierat, idem adulterium, vel ad ipsam satisfactionem, publicandi licentiam daret.

Subscribit Leo Magnus Epist. 80. ad Episcopos Campaniæ dicens: " Cum rea- „ tus conscientiarum sufficiat solis Sacer- „ dotibus indicari confessione secreta. „ Si secreta exigitur, consequenter & sigillo confessionis munita.

Sozomenus Lib. 7. hist. cap. 16. scribit Patres priorum sæculorum invigilasse, ut Sacerdotes depositum conscientiæ pœnitentis obsignato sigillo tenerent. Sic enim ibi loquitur: " Itaque aliquem vitæ inte- „ gritate quam maxime spectabilem, se- „ cretorum etiam maxime tenacem, ac „ sapientem huic officio præfecerunt: ad „ eum accedentes, qui peccarant, & „ acta vitæ suæ confitebantur. „

Paulinus in vita sancti Ambrosii, laudat in eo secreti conservationem respectu peccatorum quæ a fidelibus excipiebat, his verbis: " Causas autem criminum, quas „ illi confitebantur, nulli nisi Domino „ soli, apud quem intercedebat, loque- „ batur. „ Idem autem debitum omnibus incumbere, his verbis declarat Paulinus: " Bonum relinquens exemplum po- „ steris Sacerdotibus, ut intercessores a- „ pud Deum magis sint, quam accusa- „ tores apud homines. „

Tertio, ex jure Canonico sententiis Conciliorum fulsulto.

GRATIANUS de Pœnit. dist. 6. c. *Sacerdos*, laudat hunc canonem, sub Gregorii VII. nomine, ut quibusdam videtur, ubi habetur: " Sacerdos ante omnia „ caveat, ne de his quæ ei confitentur „ peccata, alicui recitet, non propin- „ quis, non extraneis, neque, quod „ absit, pro aliquo scandalo: Nam si „ hoc fecerit, deponatur, & omnibus „ diebus vitæ suæ ignominiose peregri- „ nando pergat. „

Nunc ad Concilia properamus: Lateranense 4. sub Innocentio III. idem hisce verbis definit. can. 21. " Caveat autem „ omnino Sacerdos, qui *Pœnitentis confessionem excepit*; ne verbo, vel signo, „ vel alio quovis modo prodat aliquate- „ nus peccatorem, sed si prudentiori con- „ silio indiguerit, illud absque ulla ex- „ pressione personæ caute requirat: quo- „ niam qui peccatum in pœnitentiali ju- „ dicio sibi detectum præsumpserit reve- „ lare, non solum a Sacerdotali officio „ deponendum decernimus, verum etiam „ ad agendam perpetuam pœnitentiam in „ arctum Monasterium detrudendum. „

His accedit auctoritas multorum Galliæ Conciliorum, quæ referuntur L. 2. Decret Eccl. Gallic. c. 171. apud Bochel. p. 24. Primum, est Senonense an. 1524. quod sic habet: " Obligantur Sacerdo- „ tes omnes, & singuli triplici jure, „ videlicet naturali, divino, & humano „ celare peccata quæcumque revelata, „ & dicta in confessione Sacramentali, „ quæ tanto, vel tali debet claudi sigil „ lo secreti, ut nullo casu, nec verbo, „ nec signo aliqualiter reveletur, aut re- „ velari existimetur, peccat enim gravi- „ ter: Primo, contra jus naturale Sacer- „ dos qui revelat peccatum, sibi in se- „ creto confessionis dictum, quia revelan- „ do tale peccatum diffamat proximum, „ & facit proximo quod sibi non velet fie- „ ri. Secundo, peccat Sacerdos contra jus „ divinum, quia eodem jure prohibetur „ revelatio confessionis, quo jure præcipi- „ tur ipsa confessio, quæ est de jure divi- „ no a Christo instituta. Et si licitum es- „ set in aliquo casu Sacerdoti, revelare „ peccatum sibi dictum in confessione, „ enervaretur præceptum divinum de con- „ fessione facienda, quia nemo esset qui „ vellet suum peccatum occultum pro- „ priæ famæ denigrativum Sacerdoti de- „ tegere, & revelare, & sic talis reve- „ latio peccati esset a præcepto de fa- „ cienda confessione retractivum. „

Synodus Parisiensis an. 1557. habita, idem tradit: " Caveat, *inquit*, Sacerdos, „ ne quavis occasione peccatum divul- „ get, quod si fecerit præter dejectio- „ nem a suo munere, perpetuo carcere „ mancipabitur, nullus ita, vel odio vel „ etiam metu mortis in aliquo audeat

reve-

Atqui licitum est aliquando integram confessionem non tacere : Igitur & a pari sigillum aliquando temerare.

Respondeo negando consequentiam & paritatem. Ratio discriminis est, quod præceptum de sigillo non referendo negativum sit, adeoque ubique & semper obligans; alterum vero de confessionis integritate solummodo est affirmativum; hinc non ligat in omni temporis circumstantia, maxime in casu quo præceptum naturale simul & divinum, quale est de servando sigillo, in periculum veniret.

Persistes: Interdum revelatio confessionis necessaria est ad avertendum aliquod grave malum imminens vel Ecclesiæ, vel rebus publicis, aut etiam viris in summa dignitate constitutis: Igitur in eo saltem casu, licitum erit confessionem revelare; bonum quippe privatum, publico debet cedere. Et vero si quis in confessione deprehenderet Heresiarcham, qui in perniciem animarum suos indiscriminatim errores disseminaret, videtur quod necessitas compelleret eum revelare.

Respondeo distinguendo antecedens: Et revelatio confessionis non est medium a Deo præfixum ad removenda mala in objectione recensita, sed potius prohibitum, concedo: secus, nego. Sed in hoc nihil timendum, cum Deus sciat & possit bonum ex malo inferre, quippe qui a fine ad finem fortiter simul & suaviter omnia disponat, & ipso ordinante vel ipsum malum occasionaliter cedat in bonum, dicente Apostolo Rom. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*. Solutio est D. Thomæ hic q. 11. art. 1. ad r. his verbis: " Confessio non desinit esse „ sacramentalis, quamvis ille qui confi„ tetur, emendationem non proponat, „ & ideo nihilominus sub occulto tenen„ da est. Nec tamen sigillum confessionis „ contra charitatem militat. Quia chari„ tas non requirit, quod apponatur re„ medium peccato, quod homo nescit: „ illud autem quod sub confessione sci„ tur, est quasi nescitum: cum illud non „ sciat aliquis ut homo, sed ut Deus. „ Tamen aliquod remedium adhibere de„ bet in prædictis casibus quantum pot„ est, sine revelatione confessionis, sicut „ monendo eos qui confitentur, & aliis „ diligentiam apponendo ne corrumpan„ tur per hæresim. Potest etiam dicere „ Prælato, quod diligentius vigilet super „ gregem suum, ita tamen ut non dicat „ aliquid per quod verbo, vel nutu con„ fitentem prodat. „

Instabis: Quandoque sigilli fides, & conservatio nocet proprio Confessario: Primo quidem si sub interminatione excommunicationis ipso facto incurrendæ revelatio delicti exigatur. II. Cum Prælatus ex confessione edifcit aliquem e suis subditis, ab ipso alicujus Communitatis constitutum superiorem, dilapidasse, & in futurum funditus dilapidaturum bona Monasterii, nisi eum suo spoliet officio: Sed nemo tenetur contra proprium bonum servare secretum. Ergo &c.

Respondeo non licitum esse uti confessione in ruinam pœnitentis, cum Confessor non sciat ut homo, sed ut Deus, qui teste Apostolo, dissimulat peccata hominum ut detur locus penitentiæ, quæ dubio-procul, violatione sigilli odiosa evaderet. Unde ad primum dico, Confessarium teneri quidem ad revelationem delicti quod extra confessionem novit, secus e contra. Ad secundum, Prælatus potest alia a confessione via impedire privati Præpositi malum. Sic respondet ibidem S. Thomas ad 3." Dicendum, quod „ homo non adducitur in testimonium, „ nisi ut homo: & ideo sine læsione con„ scientiæ potest jurare se nescire, quod „ scit tantum ut Deus. Similiter etiam „ potest Prælatus sine læsione conscientiæ „ dimittere peccatum impunitum, quod „ scit tantum ut Deus, vel sine aliquo „ remedio: quia non tenetur adhibere re„ medium, nisi eo modo, quo ad ipsum „ defertur. Unde in his quæ ad ipsum „ deferuntur in foro penitentiæ, debet in „ eodem foro, quantum potest adhibere „ remedium, ut Abbas in casu prædicto „ * debet eum admonere ut Prioratum „ resignet: vel si noluerit, potest ex ali„ qua occasione absolvere eum a cura „ Prioratus, ita tamen quod omnis suspi„ cio vitetur de confessionis revelatione. „

Replicabis: Saltem aliquis potest impedire ne Joannes eligatur Congregationis Præpositus, quem ex ejus confessione cognoscit esse officio illo indignum. Igitur sigillum confessionis ad omnia non se extendit.

Respondeo negando antecedens: Sigillum quippe ea omnia quæ relationem habent ad confessionem, respicit. Sic propugnat Angelicus Doctor ibidem ad 4. his verbis: " Dicendum, quod ex multis aliis " causis redditur quis indignus ad Prælationis officium, quam ex peccato: " sicut ex defectu scientiæ, vel ætatis, " vel alicujus hujsmodi: Et ideo qui " contradicit, nec suspicionem de crimine inducit, nec confessionem revelat. "

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Confessor ad secretum tenetur.

PRIMO: Jus naturale simul & divinum hoc injungit: naturale quidem, juxta illud celebre adagium, *Alteri ne feceris, quod tibi fieri non vis*. Quis autem vellet, ut amicus, cui sua pandit crimina, suæ postea non parceret famæ; divinum vero, cum Christus præcipiat nobis Matth. 18. in secreto corripere fratrem.

Secundo: Patres prædicant, & volunt confessionem sacramentalem inviolabili sigillo muniri. Sic propugnant Origenes Homil. 2. in Psal. 37. Basilius can. 14. Sic Concilia definiunt; in primis Parisiense ann. 1557. Rhemense cap. 158. Tridentinum Sess. 14. cap. 5.

Tertio, ratione: Secreto confessionis prætermisso, potestas Ecclesiæ foret in destructionem, cum ex revelatis peccatis inde sequerentur inter offensos odia, bonorum subversio, homicidia; tum enim fures occulti dignoscerentur.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Si quando Patres injunxerint pœnas pro expiandis peccatis publicas, hoc citra dubium nonnisi pro peccatis aut publicis & omnibus notis, aut pro secretis quæ Fideles ex devotione sicut manifestare, sic & publice castigare volebant; porro volenti non fit injuria, cum ipse sic satisfaciendo justitiæ divinæ solvat sigillum.

Secundo: Tametsi Ecclesia quandoque injungat sub pęna excommunicationis criminum revelationem in Monitoriis, peccata tamen soli Confessario cognita non comprehendit, quia inquit divus Thomas hic quæst. 11. art. 1. loquitur solum ad homines, qui humano modo aliquid noverunt; Confessarius vero non ut homo, sed ut Deus, cujus vices gerit, peccata scit; hinc non incurrit excommunicationem silendo: immo interrogatus debet asserere se omnia ignorare.

Tertio: Neque vero Abbas Monasterii posset Superiorem localem, quem confessione novit bona Monasterii dilapidare, ab officio deponere, nisi alia via ipsi constaret de delicto; non enim facienda sunt mala, ut eveniant bona. Quis autem gentium ignoret secretum confessionis, ceteris aliis bonis præponderare, nec citra grande crimen igne castigandum, posse a Confessario violari.

ARTICULUS SEPTIMUS.

De Absolutione.

AD dicendorum de absolutione intelligentiam, prænotandum est Apostolis, & eorum in Sacerdotio successoribus a Christo datam fuisse potestatem ligandi & solvendi; solvunt autem cum peccata dimittunt; ligant vero cum retinent; id est a Deo judicant retineri, vel pęnas imponendo pęnitentibus, vel etiam contumaces per excommunicationem ab Ecclesia ejiciendo. Nec mirum, peccatum eatenus hominem coram Deo ligat, quatenus reatum & culpæ, quæ inimicum Dei facit, & pęnæ tum temporalis, tum etiam æternæ inducit. Ex quo manifeste sequitur pęnitentem a Sacerdote solvi, quippe qui per sacramentum Pęnitentiæ eum ita reconciliet, ut pœna æterna, & temporalis sive ex parte, sive ex toto, & hoc juxta contritionis mensuram, illi remittatur.

Hinc nomine clavium Ecclesiæ intelligitur potestas ligandi, vel solvendi a Christo Ecclesiæ tradita, quæ quidem clavis vocatur. Duæ a Theologis distinguuntur, videlicet una scientiæ, & altera jurisdictionis: Rursus una ordinaria, altera vero delegata. Illa competit Ecclesiæ Prælatis, ista iis omnibus, quibus eam committunt. Si quæras quid sit clavis scientiæ, quid & jurisdictionis? Respondet D. Thomas hic q. 17. art. 3. priorem esse

ejus interrogandi pœnitentes ut Sacerdos judicet de eorum dispositionibus ad absolutionem prærequisitis, posteriorem jus ipsum & absolvendi potestatem.

His positis circa absolutionem hæc veniunt examinanda. Primum, quænam sit forma absolutionis? Secundum, an forma deprecatoria sit valida? Tertium, utrum absolutio restituat peccatorem in bonis spiritualibus per peccatum deperditis?

SECTIO PRIMA.

Quænam sit forma absolutionis?

CONCLUSIO.

Forma conveniens Sacramenti Pœnitentiæ sunt hæc verba, vel alia eis æquivalentia, EGO TE ABSOLVO A PECCATIS TUIS, ore Sacerdotis juridice pronuntiata.

Probatur auctoritate & ratione.

PRIMO: Illa forma est conveniens, quæ exprimit facultatem datam a Christo Ecclesiæ ad remittenda peccata: Atqui verba laudata exprimunt istam potestatem datam a Christo; his quippe verbis usus est Christus in institutione sacramenti Pœnitentiæ Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*: Sed illa verba, *Ego te absolvo a peccatis tuis*, illud apprime denotant. Ergo &c.

Secundo: Hanc formam tradunt Concilia Oecumenica, videlicet Florentinum in decreto pro instructione Armenorum. Tum Tridentinum Sess. 14. cap. 3. his verbis: " Docet sancta Synodus sacra„ menti Pœnitentiæ formam, in qua præ„ cipue vis ipsius sita est, in illis Mini„ stri verbis positam esse, Ego te absolvo „ &c. Quibus quidem de Ecclesiæ sanctæ „ more preces quædam laudabiliter ad„ junguntur; ad ipsius tamen formæ es„ sentiam nequaquam spectant, neque ad „ ipsius Sacramenti administrationem „ sunt necessariæ. „

Tertio, ratione: Forma illa quæ significat expresse id quod fit per Sacramentum, censetur ei esse valde conveniens: Atqui hæc verba: *Ego te absolvo a peccatis*, significant id quod fit per sacramentum Pœnitentiæ. Et probatur: Effectus sacramenti Pœnitentiæ est remissio peccatorum a Sacerdote facta, prout habet potestatem jurisdictionis; Atqui illa verba totum id significant; hæc enim particula (*Ego absolvo*) denotat actum judicialem, quo Sacerdos pronuntians sententiam, remittit peccata; deinde particula, *te*, denotat determinate subjectum, & personam, cui talis remissio fit, scilicet a peccatis, non vero a censuris: Ergo &c.

Jam vero quod voce, talis forma debeat proferri seu esse verbalis, subindigitant hæc verba Eugenii in decreto instructionis pro Armenis: " Hujus Sacramenti „ forma sunt verba absolutionis, quæ Sa„ cerdos profert cum dicit: *Ego te absol„ vo*. „ Similiter Patres Tridentini Sess. 14. c. 3. ajunt, formam hujus Sacramenti in illis Ministri verbis positam esse (*Ego te absolvo*,) & cum agunt c. 6. de absolutione sacramentali ita dicunt, *velut a Judice sententia pronuntiatur*.

Neque vero desunt rationes cur forma Sacramenti Pœnitentiæ debeat significare non tantum remissionem peccatorum quam facit in pœnitente, sed etiam explicare quomodo Minister hic & nunc efficiat illam remissionem. Prima est, quia hoc perfici non potest sine verbis, quippe quæ obtinuerint significandi principatum. Secunda, formæ Sacramentorum novæ legis debent significare expressius & distinctius suum effectum proprium, quam eorum materiæ: Atqui forma pœnitentiæ quæ fieret sine verbis humano more prolatis a Sacerdote juridice absolvente, non significaret expressius, & distinctius remissionem peccatorum, quæ tunc fit ex opere operato, quam actus pœnitentis, scilicet contritio & confessio; hæc enim elicita cum dolore talem effectum magis exprimunt quam nutus Sacerdotis, vel ejus scriptura. Ergo &c.

Solvuntur Objectiones.

OBJICIES: Christus instituit sacramentum Pœnitentiæ per analogiam ad judicium civile: Sed in Tribunali externo, necesse non est ut judex vocaliter proferat sententiam, in multis quippe rebus publicis sententiæ non proferuntur ore. Ergo &c.

Re-

Respondeo distinguendo majorem: Instituit quoad ea quæ sunt communia cuilibet judicio, concedo: quoad omnia, nego majorem: & concessa minore, nego consequentiam. In hoc Christus comparavit pœnitentiam judicio civili, ut foret reus, testis, accusatio, & convictio criminum apud judicem, qui illis cognitis juridice ferret sententiam; sed non quoad omnia. Voluit enim ut major adesset solemnitas Tribunali Pœnitentiæ quam ceteris, & in hoc eam reposuit, ut sententia ore semper proferretur, quo certe judiciaria potestas Sacerdotis magis affulget.

Instabis: Sententia absolutionis ab excommunicatione, vel alia censura Ecclesiastica potest in foro exteriori Ecclesiæ dari valide solo scripto, vel aliquo nutu, aut signo exteriori illius qui habet potestatem jurisdictionis ad absolvendum, ab illa: v. g. declarando tali signo, seu scripto, vel facto se intendere absolvere talem excommunicatum: Igitur a pari absolutio Sacramentalis potest, omissis verbis, conferri. Probatur absque negotio paritas. Absolutio a censuris est potestatis spiritualis judiciariæ effectus, & tamen absque verbis formalibus fieri potest. Igitur & absolutio sacramentalis.

Respondeo negando paritatem. Ratio discriminis non una est: Primo absolutio a censuris forum Ecclesiæ dumtaxat externum spectat; hinc juxta hominum Ecclesiasticorum judicium conferri potest; at vero sacramentalis ad tribunal Christi, qui renes & cor magis quam res externas quærit & respicit, pertinet; hinc verbis claris judicium exprimendum est. Secundo, in foro externo testes sunt contra reum hominem, unde cognita causa, signo quo voluerit Judex, ligatum solvit; sed in foro judiciali interno non homo, sed Christus, per Sacerdotem solvit. *Hic est qui baptizat*, ait Joannes c. 1: hinc Minister verba, quibus testatur se Christo absolventi conformari velle, enunciare debet. Tertio, pœnitens verbis expressis se accusat: Igitur verbis ore prolatis absolvendus est, cum inter accusationem & absolutionem sit mutua relatio. Demum censuræ sunt solum temporales pœnæ ab Ecclesia inflictæ impiis, ut ab enormibus peccatis committendis deterreantur quia vero ad eumdem spectat Superiorem sicut legem condere, sic & prævaricatores absolvere, utique & absolvendi modus est in ejus arbitrio, cum totum sit penes humanam potestatem. Sed sane res non sic se habet in foro interno, quia peccatum annexum habet reatum culpæ & pœnæ æternæ, quorum remissio a solo dependet Christo, qui voluit, ut ex traditione constat, peccatorem ab utroque vinculo verbis ore enuntiatis absolvi.

Ad confirmationem distinguo: Absolutio est effectus clavium secundarius & incompletus, concedo: principalis, nego. Unde non requiritur ut per omnia assimiletur absolutioni sacramentali, quæ est palmaris pœnitentiæ effectus, sed sufficit, si ei in aliquo assimiletur, quatenus vel verbis, si velit Superior, vel saltem signis manifestetur.

Urgebis: Sacramentalis accusatio potest fieri Sacerdoti nutibus, aut alio signo exteriori, per quod Sacerdos valeat devenire ad notitiam peccatorum: Igitur a pari sufficit ut Sacerdos aliquo signo suam de absolvendo manifestet intentionem.

Respondeo negando consequentiam: Disparitas est, quod Christus respectu accusationis non præscripserit hanc solemnitatem, ut patet ex praxi Ecclesiæ; præsertim quando sese explicare non valet pœnitens; sed forma debet explicare effectum Sacramenti, & sic verbis eam concipere necesse est.

Insistes: Matrimonium valide contrahitur inter baptizatos per signa tantum, vel per nutus, aut per Scripturam, quia est contractus; qui consequenter his modis fieri potest: Quidni & hoc modo celebraretur Pœnitentiæ Sacramentum? Confirmatur: Illud Sacramentum est in genere judicii: Sed sententia Judicis non postulat ut fiat voce; tum quia absolutio data scripto, tam expresse significat remissionem peccatorum, quam ea quæ fit ore Sacerdotis absolventis. Ergo &c.

Respondeo negando utramque paritatem: Eam primo, quæ de Matrimonio procedit, quod, quia contractus rationem subit, consensu, nutu aut scripto expresso valet: sed non sic absolutio sacramentalis quæ est quid absolutum, & forum

mere internum spectans. Tum & aliam, quæ est de sententia judicis ad quam factum est satis. Ceterum nego quod remissio peccatorum nutu vel signo alio valeret, cum tunc deficeret Ministri cum Christo conformitas sufficienter expressa: per verbum illud regulariter ostenditur quidem ordinarie contrahi per verba; sed extraordinarie per nutus; e contra vero pronuntiatio formæ est de sacramenti Pœnitentiæ essentia propter rationes supra allatas.

Persistes: Sequeretur inde Christum, quod absit dicere, non satis providisse saluti hominum; potest quippe contingere ut fideli moribundo nullus Sacerdos adsit nisi mutus, vel elinguis; sed tunc temporis sua absque culpa absolutionis remedio defraudaretur. Ergo &c.

Respondeo nego sequelam: sat enim providit Christus Dominus hominum saluti, eo quod instituerit remedium quod debite usurpatum, sit unicuique adipiscendæ salutis æternæ medium efficax quantum est ex se; hinc sufficit quod defectus applicationis illius ad producendum effectum non se teneat ex parte Dei, sed ex parte hominis; esto quod per concursum aliquorum agentium naturalium illud remedium, hic & nunc applicari non possit, hoc certe per accidens contingeret; nec enim Deus tenetur impedire hunc effectum, quandoquidem de ratione providentiæ divinæ est, sinere causas naturales & liberas agere modo sibi connaturali, & proprio. Quid plura adjiciam? Homo ille moribundus potest in hoc casu conteri de peccatis cum voto confitendi sacramentaliter, si detur in futurum occasio. Speret igitur in Domino, & erit ei propitius, juxta illud Ps. 54. *Jacta super Dominum curam tuam. & ipse te enutriet: non dabit in æternum fluctuationem justo.*

SYNOPSIS PROBATIONUM

Forma absolutionis hæc est, EGO TE ABSOLVO A PECCATIS TUIS, *ore prolata*.

PRIMO: Usus & praxis Ecclesiæ obtinuit ut illis verbis ore prolatis absolutionis beneficium conferretur, ut docet Synodus Tridentina Sess. 14. cap. 3.

Secundo: Illa forma clare exprimit & Sacramentum quod peragitur, & ejusdem Sacramenti effectum, scilicet peccatorum remissionem.

Tertio: Voce enuntianda est illa forma, sin minus non satis consuleretur Pœnitentiæ sacramentalis validitati, quandoquidem teste D. Thoma 3. p. q. 60. art. 7. verba obtinuerunt significandi principatum.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM, ET EXPLICATIONUM.

PRIMO: Tametsi in foro contentioso reus nutu aut signo Judicis a pœna solvatur, non tamen in confessionis tribunali, eo quod Christus est qui solvit peccatorem per Sacerdotis ministerium; hinc ipsi debet conformari Confessarius, quod nonnisi verbis expressis, sicut oportet, fieri potest.

Secundo: Ultro fatemur accusationem fieri posse, cum loquela deficit, nutibus; sed non sic de absolutione, cum ex traditione constet Christum ordinasse ut voce & ore proferretur.

Tertio: Neque ex Matrimonio nutibus celebrato, potest a simili concludi absolutionem nutibus datam valere, quia Matrimonium est contractus solum exigens utriusque partis consensum, quod ubique gentium nutibus & signis optime exprimitur; Sed Pœnitentia forum mere internum spectat, in quo reatus culpæ & pœnæ æternæ remittitur, quod certe non fit sine sententia clare verbis expressa.

SECTIO SECUNDA.

Utrum Forma absoluta sit ita de essentia absolutionis, ut deprecatoria non sufficiat?

ABSOLUTIONEM deprecatorie prolatam validam esse asseruerunt olim Alensis, Mayrouis, & alius auctor quem refert, & impugnat D. Thomas Opusc. 22. cujus opinionem vocat temerariam & præsumptuosam, ne dicam, inquit, erroneam.

Hanc sententiam fere extinctam suscitaverunt Joannes Murinus, tum & Joannes

nes Launoius quos refellit R. P. Baronius ex Ordine S. Dominici p. 2. Theol. Moral disp. 2. sect. 3. art.: 5. & P. Nicolai 3. parte q. 84. art. 3. cum quibus sit

CONCLUSIO.

Absolutio ad modum precationis expressa, non est valida.

Probatur rationibus Theologicis.

PRIMA sic procedit: Quæ sacra determinavit Scriptura, immutare non licet: Sed Scriptura sancta loquens de potestate collata Ecclesiæ a Christo ad remittenda peccata, formam absolutam spirat; non enim ait, Quæcumque erunt alligata, rogate ut solvantur; sed potius absolute ait, Matt. 18. *Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo.* Et Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. Ista ratio est D. Th. citato Opusc. 22. cap. 2. ubi ait " In sa„ cramento autem Pœnitentiæ verba „ Scripturæ non faciunt mentionem de „ aliqua deprecatione; sed magis verbo „ indicativo utitur: non enim dicit, „ Quæcumque petieris esse solvenda, „ erunt soluta, sed Quæcumque solveris „ erunt soluta. Si ergo illa tantum di„ cuntur esse soluta, quæ habens claves „ solverit, qui autem petit aliquid esse „ solvendum, non solvit: miror qua te„ meritate aliquis afferat esse solutum, „ quem habens claves non significat se „ solvere, sed solum rogat esse solven„ dum. „

Secunda est ex Concilio Tridentino: Si forma absolutionis esset deprecativa, hæc verba, *Ego te absolvo*, nihil efficerent; cum prius orationem fundat Sacerdos dicendo, *Dominus noster Jesus Christus per suam pissimam misericordiam te absolvat*: Sed illud falsum est, hæc quippe de forma Pœnitentiæ leguntur Sess. 14. c. 3. " Docet prætera sancta *Synodus* sacra„ menti Pęnitentiæ formam in qua præ„ cipue ipsius vis sita est, in illis Mini„ stri verbis positam esse: Ego te absol„ vo &c. Quibus quidem de Ecclesiæ „ sanctæ more preces quædam laudabili„ ter adjunguntur: Ad ipsius tamen for„ mæ essentiam nequaquam spectant. „ Tum cap. 6. ait quod forma, veluta Judice sententia, pronuntiatur. Atqui sententia Judicis non deprecatorio, sed indicativo & imperativo modo profertur. Igitur forma ex Concilio Tridentino est mere absoluta; maxime cum ab essentia Sacramenti preces excludat. Hinc can. 9. anathemate percellit negantes absolutionem sacramentalem non esse actum judicialem his verbis: *Si quis dixerit, absolutionem sacramentalem Sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium ... anathema sit.*

Tertia: Sancti Patres passim docent Sacerdotem prius pœnitentes absolvere in terris, quam absolvantur in cœlis, & Dominum sequi servorum sententiam, eamque confirmare. Præcedit, inquit D. Bernardus, sententia Petri, sententiam cœli: Sed si absolutio esset tantum deprecatoria, Deus absolveret prius quam Sacerdos hoc faceret: Igitur forma debet esse indicativa, & absoluta.

Quarta: Absolutio est actus hominis auctoritatem exercentis: Sed deprecatio est actus supplicantis, ostendens Sacerdotem potestatem absolvendi non accepisse; quam tamen Christus dedit Apostolis, & eorum in Sacerdotio successoribus: Igitur, ut manifestetur auctoritas, debet absoluto modo Confessarius verba proferre.

Solvuntur objectiones Morini.

OBJICIT I. Morinus: In antiquis Euchologiis Græcorum hæc verba leguntur (*Dimitte ei, condona ei, habito sermonem cum Deo*, & similia verba: Sed ista denotant formam deprecatoriam: Ergo &c. Confirmatur: Tam illæ formulæ sunt deprecatoriæ, quam forma Confirmationis: Sed ista ex Ordine antiquo Rom. est deprecatoria; describens quippe ritum Confirmationis dicit, Episcopum per modum orantis hæc verba proferre: *Signa eos, Domine, signo crucis*: ac deinde cum tangit pollice frontem, subjungit: *Ego te confirmo*. Similiter, & in veteri Ordine Romano, cum accederet Diaconus ordinandus ad Episcopum, iste manus imponebat & orabat, intendebatque illum ordinare. Concinit D. Dionysius loquens de ordinatione Episcopi L. de Eccl. Hierar. c. 9. ubi

explicans ritum consecrationis, hæc ait: *Sanctissimis invocationibus, seu precationibus, perficitur, hoc est, consecratur*. Rursus de Sacerdote dicit: *Sacrum facientibus, precationibus sanctificatur*. Ergo par utrobique ratio.

Respondeo distinguendo: Et illæ orationes, vel antecedunt, vel subsequuntur formam absolutam, concedo: & meram adhibuerunt Græci orationem pro forma Pœnitentiæ, nego. Græcorum Euchologium R. P. Goart Ordinis S. Dominici, qui inter Orientales fidei propagandæ causa diu commoratus est, nob s suppeditavit; in quo quidem hæc verba precatoria præmittuntur: *Dominus noster Jesus Christus, & Deus, qui mandatum ligandi & solvendi peccata Discipulis tradidit prætereat omnia peccata sua*: sed orationem, hæc consequuntur verba: *Ego vero indignus ejus servus absolvo te a peccatis tuis*, ἀπολύω σε ἀπὸ πάντων ἁμαρτιῶν σου: Rursus: *Dominus justus qui propter nos carnem assumpsit, & universi orbis peccatum tollit, deleat: Ego vero condono tibi omnia peccata sua*.

Ad D. Dionysium eadem est solutio; ideo enim ordinis formam alioquin enuntiativam ἐπάλλειν appellavit, quia vel ante, vel post, preces funduntur, & celeste numen invocatur; quia vero forma enuntiativa in se deprecationem complectitur, optat Minister exaudiri a Deo dum formam pronuntiat.

Jam ad Ordinem Romanum venimus, & dicimus eum velle orationem præparare; sed postea formam pronuntiari: hæc enim verba postea subjungit: *Ego te confirmo*, quæ totam formam perficiunt. Idem dicendum de difficultate petita ex Diaconatu: Episcopus enim oratione præmissa, postea formam absolutam pronuntiat.

Instans: Potestas remittendi peccata soli Deo competit, juxta illud Ezech. 18. *Cum averterit se impius ab impietate sua, quam operatus est .... vita vivet, & non morietur*. Igitur Minister tantum ostendit hominem absolutum; hinc Christus Dominus qui sanitatem solus leprosis contulit, ad Sacerdotes eos misit, non ut sanitas virtute illorum perficeretur, sed ut tantummodo testimonio illorum comprobaretur. Ergo &c.

Respondeo I. Christum non dixisse Apostolis, quodcumque solutum ostenderitis, sed, quodcumque solveritis: Ex quibus verbis sequitur Christum magnam potestatem eis dedisse; qualis porro? Nisi sit facultas tamquam ejus instrumenta viva remittendi peccata, juxta illud: " Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. "

Respondeo II. distinguendo: Solius Dei est, ut causa principalis, remittere peccata, concedo: excludens Sacerdotem ut causam ministerialem, nego. D. Thomas Opusc. 22. cap. 2. pag. 194. his verbis: *Peccata dimittere, solius est Dei, non ergo Sacerdotis*, præoccupat objectionem: tum sic respondet: " Hoc etiam per verba Dionysii supra solutum est, quia Dei est auctoritate peccata dimittere, hominis autem est, ministerium ad remissionem exhibere. "

Urgebis: Ex verbis Christi, *Quodcumque solveritis* &c. colligimus etiam absolutionem ab excommunicatione, & tamen illa dubio procul juxta omnes, non solum fit his verbis: " Ego te absolvo ab excommunicatione, sed etiam potest fieri his aliis, Absolvat te Deus; quidni idem dicetur in Sacramento Pœnitentiæ? "

Respondet D. Thomas Opuscolo jam citato c. 2. p. 194. his verbis: " Alia ratio est de absolutione ab excommunicatione, quæ non est sacramentalis, sed magis judiciaria, jurisdictionem consequens, & alia de absolutione a peccatis in Sacramento Pœnitentiæ, quæ consequitur potestatem clavium, & est sacramentalis; in illa enim, verba habent efficaciam ab intentione dicentis, unde non refert quibuscumque verbis utatur ad exprimendam suam intentionem: in Sacramento autem verba habent efficaciam ex institutione divina: unde tenenda sunt verba determinata consonantia divinæ institutioni: institutioni autem dicentis: *Quodcumque solveris, &c.* hæc verba conveniunt, Ego absolvo te, sicut instititutioni dicentis, *Euntes docete omnes gentes, baptizantes*, &c.

Persistes: In Extrema-Unctione Sacerdos utitur forma deprecatoria: igitur & poterit in administratione Sacramenti Pœnitentiæ.

Re-

Respondeo negando paritatem: Ratio discriminis est, quod in Extrema-Unctione petitur sanitas corporis cito citius concedenda; & hoc pertinet ad gratiam gratis datam, quæ ab Apostolo gratia sanitatum vocatur; item & perseverantia finalis, quæ certe non cadit sub meritum; hinc Ecclesia æquum duxit preces in forma Extremæ-Unctionis adhibere; ut nedum vi Sacramenti remissio peccatorum concederetur, sed & aliæ gratiæ misericorditer ad susceptionem Sacramenti consequerentur. D. Thomas istam sibi proponit objectionem opusculo mox laudato cap. x. pag. 194. col. 1. & eam sic solvit. Primo quidem probat cetera Sacramenta formam absolutam habere, ea ductus ratione; quod ex opere operato, & ex se producant gratiam, quod non contingeret si formam deprecatoriam induerent; tunc enim non ex opere operato, sed potius ex opere operantis eam causarent: " Nam ablutio, *inquit*, quæ fit per aquam significat interiorem ablutionem, & sacramentaliter efficit eam; ... Idem apparet in sacramento Confirmationis, in quo forma est; Consigno te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis &c. Quibus verbis manifeste effectus sacramenti figuratur. In sacramento etiam Eucharistiæ. Sacerdos ex persona Christi loquens dicit: Hoc est corpus meum: Hic est calix sanguinis mei; hoc significans quod in sacramento efficitur. Similiter etiam in sacramento Matrimonii requiruntur verba exprimentia consensum de præsenti .... In sacramento vero Ordinis, quia fit traditio potestatis, est forma imperativi modi, cum Pontifex dicit: Accipe potestatem faciendi hoc vel illud. In solo autem sacramento Extremæ-Unctionis forma verborum est deprecativæ orationis, sicut cum dicitur, Per istam unctionem; servatur autem hoc in hoc sacramento propter auctoritatem sacræ Scripturæ. Dicitur enim Jacob. 5. Oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus; & si in peccatis sit remittentur ei; ubi etiam ratio hujus singularis observantiæ assignari videtur. In aliis enim sacramentis nihil corporaliter agitur, quod non statim ex operatione Ministri sequatur. Sicut statim in Baptismo fit ablutio corporalis quæ spiritualem designat, & sacramentaliter causat; sanatio autem corporalis non statim sequitur ex unctione; sed petitur præstanda a Deo; unde & interior sanatio quæ per eam signatur sub deprecatione a Deo poscitur. In sacramento autem Pœnitentiæ, verba Scripturæ quæ maxime sunt sectanda, non faciunt mentionem de aliqua deprecatione. ".

Opponis II. Divus Dionysius de Ecclesiastica Hierach. cap. 7. recensitis istis Christi verbis Matth. cap. 18. *Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo &c.* ait, Sacerdotem esse solum Christi interpretem: Igitur solus Christus absolvit: Ecce Dionysii verba p. 358. ff. 7. " Eodem modo Antistites habent potestatem segregandi, tamquam interpretes divinarum justificationum; non quod irrationabilibus motibus sapientissima Divinitas serviliter ut honeste dixerint, obsequatur, sed quod ipsimet spiritu mysteriorum principali, a quo ad interpretandum moventur a Deo, pro merito judicatos secernant. *Accipite* enim, inquit, *Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittentur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt*. Quin & ei, qui divinas revelationes a supremo Patre didicerat, dicitur: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cœlis*, ita ut ille, omnisque Pontifex illi similis, juxta revelationes paternarum justificationum sibi indultas, quasi interpres ac portitor Deo charos admittat, & impios excludat ".

Respondeo distinguendo: Et eo loci Dionysius propugnat Sacerdotes peccata remittere sicut Magnus Pontifex Christus, a quo prius ut a causa principali, cui sobordinatur instrumentalis, movetur, concedo: propugnat Sacerdotes ut Christi Ministros, non remittere peccata, nego. Dionysius est sui ipsius interpres; allata enim promissione facta Petro Matt. 16. de ligandis & solvendis peccatoribus, subdit ibidem §. 7. " Ita ut ille, *Petrus*, omnisque Pontifex illi similis, juxta revelationes paternarum justificationum sibi indultas, quasi interpres, & portitor.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Regulares ab Episcopo approbati possunt audire Confessiones, vel ipso Paschatis tempore.

PRIMO: Hoc ipsum colligitur ex Concilio IV. Lateranensi cap. 10.

Secundo: Ad hoc munus obeundum Regulares habent indulta a summis Pontificibus, maxime a Bonifacio XI. Leone X. Clemente VIII. Urbano VIII. His accedunt variæ Synodi, ut Nemausensis ann. 1284. Bituriensis 1286. Lingonensis 1452. quæ indulta Regularium confirmant.

Tertio: Theologi omni exceptione majores defendunt istud Regularium privilegium. Instar omnium sit S. Thomas hic, Suppl. q. 8. art. 5. ex professo. Sacra Parisiensis Facultas, quæ ann. 1484. Tertio Kalendas Augusti contrariam profligavit opinionem.

Quarto: Adversa sententia injuriosa est & summo Pontifici, & Episcopis.

Quinto: Eadem opinio implicat contradictionem. Quis enim gentium dixerit Papam non esse in tota Ecclesia proprium Sacerdotem, Episcopum vero in propria Diœcesi?

SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET EXPLICATIONUM.

PRIMO: Potestas audiendi confessiones est quid morale, quo circa Summi Sacerdotes possunt eam delegare Regularibus.

Secundo: Agnoscere vultum pecoris sui spectat forum contentiosum; hinc isti Parochorum juri, ne minimum quidem adversantur indulta Regularium pro confessionibus quovis tempore audiendis.

Tertio: Neque vero Synodi Provinciales indulta laudata impugnant, sed potius confirmant; unde si quid durius pro isto momento scribant, non contra privilegium, sed ad rescindendos abusus loquuntur.

SECTIO QUARTA.

Utrum Confessarius teneatur ad sigillum?

Status quæstionis est, utrum Sacerdos audiens confessiones teneatur servare sigillum, nedum circa peccata, sed & alia quæ relationem habent ad confessionem?

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

Probatur multis momentis.

Primo, ex Scriptura sacra.

QUOD est de jure divino, illud necessario tenendum est: sed sigillum est de jure divino: & probatur. Matth. cap. 18. habetur: *Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlis*. Joan. cap. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. Ex quibus sic argumentatur Estius in 4. Dist. 17. §. 14. " Inde enim per se consequens est Sacerdotem tamquam Christi Vicarium debere per confessionem peccata cognoscere, & quia a confitente deteguntur in ordine ad absolutionem, ab eodem Sacerdote tamquam Vicario Christi percipiendam, eadem peccata debere celare. " Et vero eo ipso quo Christus præcipit hominibus peccata omnia etiam occulta confiteri, eadem & sententia injungit servari secretum, quod non levius subindigitat idem Dominus, Matth. 18. his verbis: *Si autem peccaverit in te Frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipsum solum.*

Secundo, ex Patribus.

ORIGENES Hom. 2. in Psal. 37. expresse dicit antiquitus in more fuisse positum peccata in occulto Sacerdoti aperire; tum si aliquod interea pœnitens in conventu Ecclesiæ humilitatis causa vellet publicare, hoc non nisi ex consilio Confessarii faciebat: " Si, *inquit*, intellexerit " & prævideritt, talem esse languorem tuum, " qui in conventu Ecclesiæ exponi de- " beat & curari, ex quo fortassis & ceteri " ædificare poterunt, & tu ipse sanari, " mul-

„ multa hoc deliberatione & satis periti „ medici illius consilio procurandum est. „

S. Basilius expressius loquitur c. 14. his verbis: " Adulterio pollutas mulieres, & „ confitentes ob pietatem, vel quomodo- „ cumque convictas, publicare quidem „ Patres nostri prohibuerunt. „ Eo loci prohibet ne Sacerdos, qui mulieris adulteræ confessionem audierat, idem adulterium, vel ad ipsam satisfactionem, publicandi licentiam daret.

Subscribit Leo Magnus Epist. 80. ad Episcopos Campaniæ dicens: " Cum rea- „ tus conscientiarum sufficiat solis Sacer- „ dotibus indicari confessione secreta. „ Si secreta exigitur, consequenter & sigillo confessionis munita.

Sozomenus Lib. 7. hist. cap. 16. scribit Patres priorum sæculorum invigilasse, ut Sacerdotes depositum conscientiæ pœnitentis obsignato sigillo tenerent. Sic enim ibi loquitur: " Itaque aliquem vitæ inte- „ gritate quam maxime spectabilem, se- „ cretorum etiam maxime tenacem, ac „ sapientem huic officio præfecerunt: ad „ eum accedentes, qui peccarant, & „ acta vitæ suæ confitebantur. „

Paulinus in vita sancti Ambrosii, laudat in eo secreti conservationem respectu peccatorum quæ a fidelibus excipiebat, his verbis: " Causas autem criminum, quas „ illi confitebantur, nulli nisi Domino „ soli, apud quem intercedebat, loque- „ batur. „ Idem autem debitum omnibus incumbere, his verbis declarat Paulinus: " Bonum relinquens exemplum po- „ steris Sacerdotibus, ut intercessores a- „ pud Deum magis sint, quam accusa- „ tores apud homines. „

Tertio, ex jure Canonico sententiis Conciliorum suffulto.

GRATIANUS de Pœnit. dist. 6. c. *Sacerdos*, laudat hunc canonem, sub Gregorii VII. nomine, ut quibusdam videtur, ubi habetur: " Sacerdos ante omnia „ caveat, ne de his quæ ei confitentur „ peccata, alicui recitet, non propin- „ quis, non extraneis, neque, quod „ absit, pro aliquo scandalo: Nam si „ hoc fecerit, deponatur, & omnibus „ diebus vitæ suæ ignominiose peregri- „ nando pergat. „

Nunc ad Concilia properamus: Lateranense 4. sub Innocentio III. idem hisce verbis definit. can. 21. " Caveat autem „ omnino Sacerdos, qui *Pœnitentis confessionem excepit*; ne verbo, vel signo, „ vel alio quovis modo prodat aliquate- „ nus peccatorem, sed si prudentiori con- „ silio indiguerit, illud absque ulla ex- „ pressione personæ caute requirat; quo- „ niam qui peccatum in pœnitentiali ju- „ dicio sibi detectum præsumpserit reve- „ lare, non solum a Sacerdotali officio „ deponendum decernimus, verum etiam „ ad agendam perpetuam pœnitentiam in „ arctum Monasterium detrudendum. „

His accedit auctoritas multorum Galliæ Conciliorum, quæ referuntur L. 2. Decret Eccl. Gallic. c. 171. apud Bochel. p. 24. Primum, est Senonense an. 1524. quod sic habet: " Obligantur Sacerdo- „ tes omnes, & singuli triplici jure, „ videlicet naturali, divino, & humano „ celare peccata quæcumque revelata, „ & dicta in confessione Sacramentali, „ quæ tanto, vel tali debet claudi sigil- „ lo secreti, ut nullo casu, nec verbo, „ nec signo aliqualiter reveletur, aut re- „ velari existimetur; peccat enim gravi- „ ter: Primo, contra jus naturale Sacer- „ dos qui revelat peccatum, sibi in se- „ creto confessionis dictum, quia revelan- „ do tale peccatum diffamat proximum, „ & facit proximo quod sibi non vellet fie- „ ri. Secundo, peccat Sacerdos contra jus „ divinum, quia eodem jure prohibetur „ revelatio confessionis, quo jure præcipi- „ tur ipsa confessio, quæ est de jure divi- „ no a Christo instituta. Et si licitum es- „ set in aliquo casu Sacerdoti, revelare „ peccatum sibi dictum in confessione, „ enervaretur præceptum divinum de con- „ fessione facienda, quia nemo esset qui „ vellet suum peccatum occultum pro- „ priæ famæ denigrativum Sacerdoti de- „ tegere, & revelare, & sic talis reve- „ latio peccati esset a præcepto de fa- „ cienda confessione retractivum. „

Synodus Parisiensis an. 1557. habita, idem tradit: " Caveat, *inquit*, Sacerdos, „ ne quavis occasione peccatum divul- „ get, quod si fecerit præter dejectio- „ nem a suo munere, perpetuo carcere „ mancipabitur, nullus ita, vel odio vel „ etiam metu mortis in aliquo audeat

reve-

„ revelare confessionem signo, vel verbo „ ullis, generaliter, vel specialiter, ut „ dicendo, ego scio quales estis, & revelaverit, absque misericordia debet „ degradari. „

Item Concilium Rhemense relatum cap. 158. similiter Lingonense, sicut & statuta Synodalia Ecclesiæ Trecensis, quæ de verbo ad verbum referunt, quæ retulimus ex Parisiensi. Pro coronide addimus Concilium Tridentinum, quod quidem Sess. 14. cap. 5. sigillo ita consulere satagit, ut nedum confessionem secretam præcipiat, sed & publicam vel humilitatis & satisfactionis ferventiori motivo, non posse cadere sub præceptum asserere non dubitet: " Ceterum, *ait*, „ quoad modum confitendi secreto, apud „ solum Sacerdotem: Etsi Christus non „ vetuerit, quin aliquis in vindictam „ suorum scelerum, & sui humiliationem, cum ob aliorum exemplum, tum „ ob Ecclesiæ offensæ ædificationem delicta sua publice confiteri possit: non „ est tamen hoc divino præcepto mandatum, nec satis consulte humana aliqua lege præciperetur, ut delicta, præsertim secreta, publica essent confessione aperienda. „

S. Thomas isti adhæret doctrinæ 3. p. Supp. q. 11. art. 3. in corp. " Dicendum, „ quod sigillum confessionis competit Sacerdoti in quantum est Minister hujus „ Sacramenti, quod nihil est aliud, quam „ debitum confessionem celandi, sicut „ clavis est potestas absolvendi. „ Rursus art. 1. " Dicendum, quod in Sacramentis ea quæ exterius geruntur, sunt „ signa rerum quæ interius contingunt, „ & ideo confessio, qua quis Sacerdoti „ se subjicit, signum est interioris subjectionis, qua quis Deo subjicitur; „ Deus autem peccatum illius qui se „ sibi subjicit per pœnitentiam, tegit. „ Unde & hoc oportet in sacramento „ Pœnitentiæ significari, & ideo de necessitate Sacramenti est, quod quis confessionem celet: & tamquam violator „ Sacramenti peccat, qui confessionem „ revelat; & præter hoc sunt aliæ utilitates hujus celationis, quia per hoc „ homines magis ad confessionem attrahuntur & simplicius etiam peccata confitentur. „

Quarto, Rationibus Theologicis.

PRIMA: Quod jus naturale & divinum præcipit, temerari non debet: Sed jus naturale simul & divinum injungit sigillum confessionis. Et probatur: Pudor omnibus insitus non sinit turpia commissa prodere; hinc ut primum peccato inobedientiæ protoparentes fœdati sunt, *Consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata*, ait Scriptura Gen. 3. Divinum vero, juxta illud Eccli. 41. *Curam habe de bono nomine*, quod quidem bonum nomen vacuum evaderet, si Confessarius revelaret confessionem. Ergo &c.

Altera: Illud sigillo abscondere necesse est, quo omisso potestas Ecclesiæ jam non in ædificationem, sed, quod absit dicere, foret in destructionem: Atqui sine sigillo res sic contingeret: Et probatur ex malis inde subsequentibus. I. Non parceretur virginis defloratæ, & mulierum uxoratarum pudori. II. Inde lites orirentur inter fratres, inter quos quidam illegitimi dignoscerentur. III. Rei criminis a Judice Laico graviter & sub periculo vitæ impeterentur. IV. Homines a confessione facienda deterrerentur; has & similes propter rationes Patres & Concilia injungunt Confessario secretum, in primis S. Leo Magnus Epist. 80. " Removeatur, *inquit*, tam improbabilis „ consuetudo, *scilicet se publice & in theatro confiteri*, ne multi a pœnitentiæ re„ medio arceantur, dum aut erubescunt, „ aut metuunt inimicis suis sua facta re„ serare, quibus possunt legum constitu„ tione percelli. „

Tertia: Quod Minister non scit ut homo, sed solum ut vices Christi tenens, illud non debet revelare, sed perpetuo tenere sub sigillo. Atqui Confessarius non aliter scit peccata: Ergo &c. Ista ratio est D. Thomæ hic 3. p. Supp. q. 11. art. 1. ubi ad 2. sic loquitur de Sacerdote: " Etsi etiam exprimeret de confessione in„ terrogatus, non deberet dicere: nec „ excommunicationem incurreret, quia „ non est subjectus Superiori suo, nisi ut „ homo; hoc autem non scit ut homo, „ sed ut Deus. „

Quarta: Quod defenditur sub gravissimis pœnis, fieri non potest: Sed sub gravissima-

vissimarum pœnarum interminatione, Ecclesia præcipit servari confessionis sigillum. Et probatur, 1. ex S. Leone Epist. 80. 2. Ex Catechismo Romano hic n. 74. his verbis: " Sacræ sanctiones gravissime in eos Sacerdotes animadverti voluerunt, qui peccata omnia, quæ aliquis ei confessus fuerit, perpetuo & religioso silentio compressa non tenuerint. " Ergo &c.

Solvuntur Objectiones.

OBJICIES: Antiqui Patres videntur sæpius religiose non servasse sigillum confessionis: Ergo &c. Probatur Antecedens. Multorum sæculorum spatio, publicæ pœnitentiæ addixerunt eos, qui occultissima peccata eis fuerant confessi; masculis, qui aut mœchiæ, vel adulterii, aut idololatriæ rei erant, absolutionem non largiebantur, quin prius quatuor pœnitentiæ publicæ classes lustrassent. Adulterio fœdatas mulieres ad consistentiam dimittebant, fideles peccati mortalis reos arcebant a mensa Domini; hinc qui intuebantur hujusmodi pœnas luentes, suspicari facile poterant, eos esse illorum criminum reos. Ergo &c.

Respondeo I. disting. anteced. Ex his satisfactionibus absolutionem sacramentalem præludentibus, pœnitentes veniebant in suspicionem se aliquod peccatum grande in genere commisisse, transeat; non enim desunt Concilia, ut Illiberitanum, quæ laboriosas pro peccato mortali ordinario pœnitentias imponebant: Tale peccatum in particulari commisisse, nego: Namque peccatis levioribus inquinati, sicut pietatis sic & humilitatis motivo quidam sese pœnitentiæ publicæ subjiciebant; sicque crimen in specie perpetratum detegi non poterat; omnes quippe diversorum criminum rei jacebant prostrati, sordida induebantur veste, genua flectebant, eis imponebantur manus, & ante Missam Fidelium ab Ecclesia ejiciebantur.

Respondeo II. Et Patres loquuntur de peccatis scandalum annexum habentibus, & consequenter publice expiandis, concedo: de secretis, subdistinguo; ex libera Fidelium voluntate pœnitentiæ publicæ laboribus subjiciendis, concedo: contra voluntatem, nego. Porro ut fert adagium, *volenti non fit injuria*, nec consequenter illi qui non servat secretum, si velit majoris pœnitentiæ intuitu, peccata sua ipse revelare, debetur secretum.

Instabis: Hoc ipso quo vivimus sæculo, multi graves Auctores propugnant licitum esse Ministris, ad externam aut Ecclesiæ, aut Congregationis gubernationem uti cognitione, quam per confessionem assecuti fuerant: Sed eo usu sigillum confessionis solvitur: Ergo &c.

Respondeo, Et illos graviter errare in hoc puncto; hanc enim praxim proscripsit Clemens VIII. summus Pontifex an. 1594. 16. Maji his verbis: " Tum Superiores pro tempore existentes, quam Confessarii, qui postea ad Superioritatis gradum fuerint promoti, caveant diligentissime, ne ex notitia quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur. "

Urgebis: Tenetur peccator, sicut dictum est supra, aperire, nedum circumstantias quæ speciem mutant, sed quæ multum aggravant in eadem specie: Atqui quandoque illud fieri non potest absque sigilli fractione; talis est v. g. casus in quo tres essent tantum Sacerdotes, quorum unus absolveret alterum ab irregularitate, a qua tamen facultatem absolvendi non accepisset; ille autem, tertio Sacerdoti integre confiteri non valeret, nisi fateretur se absolvisse Sacerdotem ab irregularitate sine potestate, & sic se causam fuisse, cur ille cum irregularitate sacra peregisset. Ergo &c.

Respondeo in hoc casu eum teneri prætermittere circumstantiam; perinde enim est ac si deesset copia Confessoris, majus quippe est vinculum quod profluit a sigillo, quam sit illud quod dimanat ab obligatione integre confitendi; in duobus enim præceptis, in quibus unum est de jure divino, simul & naturali, illud alteri præponderare debet. Præceptum autem de sigillo servando est hujusmodi. Ceterum pœnitens habet votum de circumstantia omissa aperienda, ut primum opportunitas alterum adeundi Confessarium eluxerit.

Insistes: Sicut secretum confessionis est de jure divino, ita & ejus integritas: Atqui

Atqui licitum est aliquando integram confessionem non facere: Igitur & a pari sigillum aliquando temerare.

Respondeo negando consequentiam & paritatem. Ratio discriminis est, quod præceptum de sigillo non reserando negativum sit, adeoque ubique & semper obligans; alterum vero de confessionis integritatate solummodo est affirmativum; hinc non ligat in omni temporis circumstantia, maxime in casu quo præceptum naturale simul & divinum, quale est de servando sigillo, in periculum veniret.

Persistes: Interdum revelatio confessionis necessaria est ad avertendum aliquod grave malum imminens vel Ecclesiæ, vel rebus publicis, aut etiam viris in summa dignitate constitutis: Igitur in eo saltem casu, licitum erit confessionem revelare; bonum quippe privatum, publico debet cedere. Et vero si quis in confessione deprehenderet Heresiarcham, qui in perniciem animarum suos indiscriminatim errores disseminaret, videtur quod necessitas compelleret eum revelare.

Respondeo distinguendo antecedens: Et revelatio confessionis non est medium a Deo præfixum ad removenda mala in objectione recensita, sed potius prohibitum, concedo: secus, nego. Sed in hoc nihil timendum, cum Deus sciat & possit bonum ex malo inferre, quippe qui a fine ad finem fortiter simul & suaviter omnia disponat, & ipso ordinante, vel ipsum malum occasionaliter cedat in bonum, dicente Apostolo Rom. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*. Solutio est D. Thomæ hic q. 11. art. 1. ad 1. his verbis: " Confessio non definit esse „ sacramentalis, quamvis ille qui confitetur, emendationem non proponat, „ & ideo nihilominus sub occulto tenenda est. Nec tamen sigillum confessionis „ contra charitatem militat. Quia charitas non requirit, quod apponatur remedium peccato, quod homo nescit: „ illud autem quod sub confessione scitur, est quasi nescitum: cum illud non „ sciat aliquis ut homo, sed ut Deus. „ Tamen aliquod remedium adhibere debet in prædictis casibus quantum potest, sine revelatione confessionis, sicut „ monendo eos qui confitentur, & aliis „ diligentiam apponendo ne corrumpantur per hæresim. Potest etiam dicere „ Prælato, quod diligentius vigilet super „ gregem suum, ita tamen ut non dicat „ aliquid per quod verbo, vel nutu confitentem prodat. „

Instabis: Quandoque sigilli fides, & conservatio nocet proprio Confessario: Primo quidem si sub interminatione excommunicationis ipso facto incurrendæ revelatio delicti exigatur. II. Cum Prælatus ex confessione edíscit aliquem e suis subditis, ab ipso alicujus Communitatis constitutum superiorem, dilapidasse, & in futurum funditus dilapidaturum bona Monasterii, nisi eum suo spoliet officio: Sed nemo tenetur contra proprium bonum servare secretum. Ergo &c.

Respondeo non licitum esse uti confessione in ruinam pœnitentis, cum Confessor non sciat ut homo, sed ut Deus, qui teste Apostolo, dissimulat peccata hominum ut detur locus penitentiæ, quæ dubio-procul, violatione sigilli odiosa evaderet. Unde ad primum dico, Confessarium teneri quidem ad revelationem delicti quod extra confessionem novit, secus e contra. Ad secundum, Prælatus potest alia a confessione via impedire privati Præpositi malum. Sic respondet ibidem S. Thomas ad 3." Dicendum, quod „ homo non adducitur in testimonium, „ nisi ut homo: & ideo sine læsione conscientiæ potest jurare se nescire, quod „ scit tantum ut Deus. Similiter etiam „ potest Prælatus sine læsione conscientiæ „ dimittere peccatum impunitum, quod „ scit tantum ut Deus, vel sine aliquo „ remedio: quia non tenetur adhibere remedium, nisi eo modo, quo ad ipsum „ defertur. Unde in his quæ ad ipsum „ deferuntur in foro pœnitentiæ, debet in „ eodem foro, quantum potest adhibere „ remedium, ut Abbas in casu prædicto „ * debet eum admonere ut Prioratum „ resignet: vel si noluerit, potest ex aliqua occasione absolvere eum a cura „ Prioratus, ita tamen quod omnis suspicio vitetur de confessionis revelatione. „

Replicabis: Saltem aliquis potest impedire ne Joannes eligatur Congregationis Præpositus, quem ex eius confessione cognoscit esse officio illo indignum. Igitur sigillum confessionis ad omnia non se extendit.

Re-

Respondeo negando antecedens: Sigillum quippe ea omnia quæ relationem habent ad confessionem, respicit. Sic propugnat Angelicus Doctor ibidem ad 4. his verbis: " Dicendum, quod ex multis aliis „ causis redditur quis indignus ad Prælationis officium, quam ex peccato: „ sicut ex defectu scientiæ, vel ætatis, „ vel alicujus hujsmodi: Et ideo qui „ contradicit, nec suspicionem de crimine inducit, nec confessionem revelat. „

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Confessor ad secretum tenetur.

PRIMO: Jus naturale simul & divinum hoc injungit: naturale quidem, juxta illud celebre adagium, *Alteri ne feceris, quod tibi fieri non vis*. Quis autem vellet, ut amicus, cui sua pandit crimina, suæ postea non parceret famæ; divinum vero, cum Christus præcipiat nobis Matth. 18. in secreto corripere fratrem.

Secundo: Patres prædicant, & volunt confessionem sacramentalem inviolabili sigillo muniri. Sic propugnant Origenes Homil. 2. in Psal. 37. Basilius can. 14. Sic Concilia definiunt; in primis Parisiense ann. 1557. Rhemense cap. 158. Tridentinum Sess. 14. cap. 5.

Tertio, ratione: Secreto confessionis prætermisso, potestas Ecclesiæ foret in destructionem, cum ex revelatis peccatis inde sequerentur inter offensos odia, bonorum subversio, homicidia; tum enim fures occulti dignoscerentur.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Si quando Patres injunxerint pœnas pro expiandis peccatis publicas, hoc citra dubium nonnisi pro peccatis ant publicis & omnibus notis, aut pro secretis quæ Fideles ex devotione sicut manifestare, sic & publice castigare volebant; porro volenti non fit injuria. cum ipse sic satisfaciendo justitiæ divinæ solvat sigillum.

Secundo: Tametsi Ecclesia quandoque injungat sub pœna excommunicationis criminum revelationem in Monitoriis, peccata tamen soli Confessario cognita non comprehendit, quia inquit divus Thomas hic quæst. 11. art. 1. loquitur solum ad homines, qui humano modo aliquid noverunt; Confessarius vero non ut homo, sed ut Deus, cujus vices gerit, peccata scit; hinc non incurrit excommunicationem silendo: immo interrogatus debet asserere se omnia ignorare.

Tertio: Neque vero Abbas Monasterii posset Superiorem localem, quem confessione novit bona Monasterii dilapidare, ab officio deponere, nisi alia via ipsi constaret de delicto; non enim facienda sunt mala, ut eveniant bona. Quis autem gentium ignoret secretum confessionis, ceteris aliis bonis præponderare, nec citra grande crimen igne castigandum, posse a Confessario violari.

ARTICULUS SEPTIMUS.

De Absolutione.

AD dicendorum de absolutione intelligentiam, prænotandum est Apostolis, & eorum in Sacerdotio successoribus a Christo datam fuisse potestatem ligandi & solvendi: solvunt autem cum peccata dimittunt; ligant vero cum retinent; id est a Deo judicant retineri, vel pœnas imponendo pœnitentibus, vel etiam contomaces per excommunicationem ab Ecclesia ejiciendo. Nec mirum, peccatum eatenus hominem coram Deo ligat, quatenus reatum & culpæ, quæ inimicum Dei facit, & pœnæ tum temporalis, tum etiam æternæ inducit. Ex quo manifeste sequitur pœnitentem a Sacerdote solvi, quippe qui per sacramentum Pœnitentiæ eum ita reconciliet, ut pœna æterna, & temporalis sive ex parte, sive ex toto, & hoc juxta contritionis mensuram, illi remittatur.

Hinc nomine clavium Ecclesiæ intelligitur potestas ligandi, vel solvendi a Christo Ecclesiæ tradita, quæ quidem clavis vocatur. Duæ a Theologis distinguuntur, videlicet una scientiæ, & altera jurisdictionis: Rursus una ordinaria, altera vero delegata. Illa competit Ecclesiæ Prælatis, ista iis omnibus, quibus eam committunt. Si quæras quid sit clavis scientiæ, quid & jurisdictionis? Respondet D. Thomas hic q. 17. art. 3. priorem esse

ejus interrogandi pœnitentes ut Sacerdos judicet de eorum dispositionibus ad absolutionem prærequisitis, posteriorem jus ipsum & absolvendi potestatem.

His positis circa absolutionem hæc veniunt examinanda. Primum, quænam sit forma absolutionis? Secundum, an forma deprecatoria sit valida? Tertium, utrum absolutio restituat peccatorem in bonis spiritualibus per peccatum deperditis?

SECTIO PRIMA.

Quænam sit forma absolutionis?

CONCLUSIO.

Forma conveniens Sacramenti Pœnitentiæ sunt hæc verba, vel alia eis æquivalentia, EGO TE ABSOLVO A PECCATIS TUIS, ore Sacerdotis juridice pronuntiata.

Probatur auctoritate & ratione.

PRIMO: Illa forma est conveniens, quæ exprimit facultatem datam a Christo Ecclesiæ ad remittenda peccata: Atqui verba laudata exprimunt istam potestatem datam a Christo; his quippe verbis usus est Christus in institutione sacramenti Pœnitentiæ Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*: Sed illa verba, *Ego te absolvo a peccatis tuis*, illud apprime denotant. Ergo &c.

Secundo: Hanc formam tradunt Concilia Oecumenica, videlicet Florentinum in decreto pro instructione Armenorum. Tum Tridentinum Sess. 14. cap. 3. his verbis: " Docet sancta Synodus sacra„ menti Pœnitentiæ formam, in qua præ„ cipue vis ipsius sita est, in illis Mini„ stri verbis positam esse, Ego te absolvo „ &c. Quibus quidem de Ecclesiæ sanctæ „ more preces quædam laudabiliter ad„ junguntur; ad ipsius tamen formæ es„ sentiam nequaquam spectant, neque ad „ ipsius Sacramenti administrationem „ sunt necessariæ. „

Tertio, ratione: Forma illa quæ significat expresse id quod fit per Sacramentum, censetur ei esse valde conveniens: Atqui hæc verba: *Ego te absolvo a peccatis*, significant id quod fit per sacramentum Pœnitentiæ. Et probatur: Effectus sacramenti Pœnitentiæ est remissio peccatorum a Sacerdote facta, prout habet potestatem jurisdictionis: Atqui illa verba totum id significant; hæc enim particula (*Ego absolvo*) denotat actum judicialem, quo Sacerdos pronuntians sententiam, remittit peccata; deinde particula, *te*, denotat determinate subjectum, & personam, cui talis remissio fit, scilicet a peccatis, non vero a censuris: Ergo &c.

Jam vero quod voce, talis forma debeat proferri seu esse verbalis, subindigitant hæc verba Eugenii in decreto instructionis pro Armenis: " Hujus Sacramenti „ forma sunt verba absolutionis, quæ Sa„ cerdos profert cum dicit: *Ego te absol*„ *vo*. „ Similiter Patres Tridentini Sess. 14. c. 3. ajunt, formam hujus Sacramenti in illis Ministri verbis positam esse (*Ego te absolvo*,) & cum agunt c. 6. de absolutione sacramentali ita dicunt, *velut a Judice sententia pronuntiatur*.

Neque vero desunt rationes cur forma Sacramenti Pœnitentiæ debeat significare non tantum remissionem peccatorum quam facit in pœnitente, sed etiam explicare quomodo Minister hic & nunc efficiat illam remissionem. Prima est, quia hoc perfici non potest sine verbis, quippe quæ obtinuerint significandi principatum. Secunda, formæ Sacramentorum novæ legis debent significare expressius & distinctius suum effectum proprium, quam eorum materiæ: Atqui forma pœnitentiæ quæ fieret sine verbis humano more prolatis a Sacerdote juridice absolvente, non significaret expressius, & distinctius remissionem peccatorum, quæ tunc fit ex opere operato, quam actus pœnitentis, scilicet contritio & confessio; hæc enim elicita cum dolore talem effectum magis exprimunt quam nutus Sacerdotis, vel ejus scriptura. Ergo &c.

Solvuntur Objectiones.

OBJICIES: Christus instituit sacramentum Pœnitentiæ per analogiam ad judicium civile: Sed in Tribunali externo, necesse non est ut judex vocaliter proferat sententiam, in multis quippe rebus publicis sententiæ non proferuntur ore. Ergo &c.

Re-

Respondeo distinguendo majorem: Instituit quoad ea quæ sunt communia cuilibet judicio, concedo: quoad omnia, nego majorem: & concessa minore, nego consequentiam. In hoc Christus comparavit pœnitentiam judicio civili, ut foret reus, testis, accusatio, & convictio criminum apud judicem, qui illis cognitis juridice ferret sententiam; sed non quoad omnia. Voluit enim ut major adesset solemnitas Tribunali Pœnitentiæ quam ceteris, & in hoc eam reposuit, ut sententia ore semper proferretur, quo certe judiciaria potestas Sacerdotis magis affulget.

Instabis: Sententia absolutionis ab excommunicatione, vel alia censura Ecclesiastica potest in foro exteriori Ecclesiæ dari valide solo scripto, vel aliquo nutu, aut signo exteriori illius qui habet potestatem jurisdictionis ad absolvendum, ab illa: v. g. declarando tali signo, seu scripto, vel facto se intendere absolvere talem excommunicatum: Igitur a pari absolutio Sacramentalis potest, omissis verbis, conferri. Probatur absque negotio paritas. Absolutio a censuris est potestatis spiritualis judiciariæ effectus, & tamen absque verbis formalibus fieri potest. Igitur & absolutio sacramentalis.

Respondeo negando paritatem. Ratio discriminis non una est: Primo absolutio a censuris forum Ecclesiæ dumtaxat externum spectat; hinc juxta hominum Ecclesiasticorum judicium conferri potest; at vero sacramentalis ad tribunal Christi, qui renes & cor magis quam res externas quærit & respicit, pertinet; hinc verbis claris judicium exprimendum est. Secundo, in foro externo testes sunt contra reum hominem, unde cognita causa, signo quo voluerit Judex, ligatum solvit; sed in foro judiciali interno non homo, sed Christus, per Sacerdotem solvit. *Hic est qui baptizat*, ait Joannes c. 1. hinc Minister verba, quibus testatur se Christo absolventi conformari velle, enuntiare debet. Tertio, pœnitens verbis expressis se accusat: Igitur verbis ore prolatis absolvendus est, cum inter accusationem & absolutionem sit mutua relatio. Demum censuræ sunt solum temporales pœnæ ab Ecclesia inflictæ impiis, ut ab enormibus peccatis committendis deterreantur quia vero ad eumdem spectat Superiorem sicut legem condere, sic & prævaricatores absolvere, utique & absolvendi modus est in ejus arbitrio, cum totum sit penes humanam potestatem. Sed sane res non sic se habet in foro interno, quia peccatum annexum habet reatum culpæ & pœnæ æternæ, quorum remissio a solo dependet Christo, qui voluit, ut ex traditione constat, peccatorem ab utroque vinculo verbis ore enuntiatis absolvi.

Ad confirmationem distinguo: Absolutio est effectus clavium secundarius & incompletus, concedo: principalis, nego. Unde non requiritur ut per omnia assimiletur absolutioni sacramentali, quæ est palmaris penitentiæ effectus, sed sufficit, si ei in aliquo assimiletur, quatenus vel verbis, si velit Superior, vel saltem signis manifestetur.

Urgebis: Sacramentalis accusatio potest fieri Sacerdoti nutibus, aut alio signo exteriori, per quod Sacerdos valeat devenire ad notitiam peccatorum: Igitur a pari sufficit ut Sacerdos aliquo signo suam de absolvendo manifestet intentionem.

Respondeo negando consequentiam: Disparitas est, quod Christus respectu accusationis non præscripserit hanc solemnitatem, ut patet ex praxi Ecclesiæ; præsertim quando sese explicare non valet pœnitens; sed forma debet explicare effectum Sacramenti, & sic verbis eam concipere necesse est.

Insistes: Matrimonium valide contrahitur inter baptizatos per signa tantum, vel per nutus, aut per Scripturam, quia est contractus; qui consequenter his modis fieri potest: Quidni & hoc modo celebraretur Pœnitentiæ Sacramentum? Confirmatur: Illud Sacramentum est in genere judicii: Sed sententia Judicis non postulat ut fiat voce; tum quia absolutio data scripto, tam expresse significat remissionem peccatorum, quam ea quæ fit ore Sacerdotis obsolventis. Ergo &c.

Respondeo negando utramque paritatem: Eam primo, quæ de Matrimonio procedit, quod, quia contractus rationem subit, consensu, nutu aut scripto expresso valet: sed non sic absolutio sacramentalis quæ est quid absolutum, & formam

mere internum spectans. Tum & aliam, quæ est de sententia judicis ad quam factum est satis. Ceterum nego quod remissio peccatorum nutu vel signo alio valeret, cum tunc deficeret Ministri cum Christo conformitas sufficienter expressa: per verbum illud regulariter ostenditur quidem ordinarie contrahi per verba; sed extraordinarie per nutus; e contra vero pronuntiatio formæ est de sacramenti Pœnitentiæ essentia propter rationes supra allatas.

Persistes: Sequeretur inde Christum, quod absit dicere, non satis providisse saluti hominum; potest quippe contingere ut fideli moribundo nullus Sacerdos adsit nisi mutus, vel elinguis; sed tunc temporis sua absque culpa absolutionis remedio defraudaretur. Ergo &c.

Respondeo nego sequelam: sat enim providit Christus Dominus hominum saluti, eo quod instituerit remedium quod debite usurpatum, sit unicuique adipiscendæ salutis æternæ medium efficax quantum est ex se; hinc sufficit quod defectus applicationis illius ad producendum effectum non se teneat ex parte Dei, sed ex parte hominis; esto quod per concursum aliquorum agentium naturalium istud remedium, hic & nunc applicari non possit, hoc certe per accidens contingeret; nec enim Deus tenetur impedire hunc effectum, quandoquidem de ratione providentiæ divinæ est, sinere causas naturales & liberas agere modo sibi connaturali, & proprio. Quid plura adjiciam? Homo ille moribundus potest in hoc casu conteri de peccatis cum voto confitendi sacramentaliter, si detur in futurum occasio. Speret igitur in Domino, & erit ei propitius, juxta illud Ps. 54. *Jacta super Dominum curam tuam. & ipse te enutriet: non dabit in æternum fluctuationem justo.*

SYNOPSIS PROBATIONUM

Forma absolutionis hæc est, EGO TE ABSOLVO A PECCATIS TUIS, *ore prolata*.

PRIMO: Usus & praxis Ecclesiæ obtinuit ut illis verbis ore prolatis absolutionis beneficium conferretur, ut docet Synodus Tridentina Sess. 14. cap. 3.

Secundo: Illa forma clare exprimit & Sacramentum quod peragitur, & ejusdem Sacramenti effectum, scilicet peccatorum remissionem.

Tertio: Voce enuntianda est illa forma, sin minus non satis consuleretur Pœnitentiæ sacramentalis validitati, quandoquidem teste D. Thoma 3. p. q. 60. art. 7. verba obtinuerunt significandi principatum.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM, ET EXPLICATIONUM.

PRIMO: Tametsi in foro contentioso reus nutu aut signo Judicis a pœna sulvatur, non tamen in confessionis tribunali, eo quod Christus est qui solvit peccatorem per Sacerdotis ministerium; hinc ipsi debet conformari Confessarius, quod nonnisi verbis expressis, sicut oportet, fieri potest.

Secundo: Ultro fatemur accusationem fieri posse, cum loquela deficit, nutibus; sed non sic de absolutione, cum ex traditione constet Christum ordinasse ut voce & ore proferretur.

Tertio: Neque ex Matrimonio nutibus celebrato, potest a simili concludi absolutionem nutibus datam valere, quia Matrimonium est contractus solum exigens utriusque partis consensum, quod ubique gentium nutibus & signis optime exprimitur. Sed Pœnitentia totum mere internum spectat, in quo reatus culpæ & pœnæ æternæ remittitur, quod certe non fit sine sententia clare verbis expressa.

SECTIO SECUNDA.

Utrum Forma absoluta sit ita de essentia absolutionis, ut deprecatoria non sufficiat?

ABSOLUTIONEM deprecatorie prolatam validam esse asseruerunt olim Alensis, Mayronis, & alius auctor quem refert, & impugnat D. Thomas Opusc. 22. cujus opinionem vocat temerariam & præsumptuosam, ne dicam, inquit, erroneam.

Hanc sententiam fere extinctam suscitaverunt Joannes Morinus, tum & Joannes

nes Launoius quas refellit R. P. Baronius ex Ordine S. Dominici p. 2. Theol. Moral disp. 2. sect. 3. art. 5. & P. Nicolai 3. parte q. 84. art. 3. cum quibus sit

CONCLUSIO.

Absolutio ad modum precationis expressa, non est valida.

Probatur rationibus Theologicis.

PRIMA sic procedit: Quæ sacra determinavit Scriptura, immutare non licet: Sed Scriptura sancta loquens de potestate collata Ecclesiæ a Christo ad remittenda peccata, formam absolutam spirat; non enim ait, Quæcumque erunt alligata, rogate ut solvantur; sed potius absolute ait, Matt. 18. *Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo.* Et Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. Ista ratio est D. Th. citato Opusc. 22. cap. 1. ubi ait " In sacramento autem Pœnitentiæ verba " Scripturæ non faciunt mentionem de " aliqua deprecatione; sed magis verbo " indicativo utitur: non enim dicit, " Quæcumque petieris esse solvenda, " erunt soluta, sed Quæcumque solveris " erunt soluta. Si ergo illa tantum dicuntur esse soluta, quæ habens claves " solverit, qui autem petit aliquid esse " solvendum, non solvit: miror qua temeritate aliquis afferat esse solutum, " quem habens claves non significat se " solvere, sed solum rogat esse solvendum. "

Secunda est ex Concilio Tridentino: Si forma absolutionis esset deprecativa, hæc verba, *Ego te absolvo*, nihil efficerent; cum prius orationem fundat Sacerdos dicendo, *Dominus noster Jesus Christus per suam pissimam misericordiam te absolvat*: Sed illud falsum est, hæc quippe de forma Pœnitentiæ leguntur Sess. 14. c. 3. " Docet præterea sancta Synodus sacramenti Pœnitentiæ formam in qua præcipue ipsius vis sita est, in illis Ministri verbis positam esse: Ego te absolvo &c. Quibus quidem de Ecclesiæ " sanctæ more preces quædam laudabiliter adjunguntur: Ad ipsius tamen formæ essentiam nequaquam spectant. " Tum cap. 6. ait quod forma, velut a Judice sententia, pronuntiatur. Atqui sententia Judicis non deprecatorio, sed indicativo & imperativo modo profertur. Igitur forma ex Concilio Tridentino est mere absoluta; maxime cum ab essentia Sacramenti preces excludat. Hinc can. 9. anathemate percellit negantes absolutionem sacramentalem non esse actum judicialem his verbis: *Si quis dixerit, absolutionem sacramentalem Sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium ... anathema sit.*

Tertia: Sancti Patres passim docent Sacerdotem prius pœnitentes absolvere in terris, quam absolvantur in cœlis, & Dominum sequi servorum sententiam, eamque confirmare. Præcedit, inquit D. Bernardus, sententia Petri, sententiam cœli: Sed si absolutio esset tantum deprecatoria, Deus absolveret prius quam Sacerdos hoc faceret: Igitur forma debet esse indicativa, & absoluta.

Quarta: Absolutio est actus hominis auctoritatem exercentis: Sed deprecatio est actus supplicantis, ostendens Sacerdotem potestatem absolvendi non accepisse; quam tamen Christus dedit Apostolis, & eorum in Sacerdotio successoribus: Igitur, ut manifestetur auctoritas, debet absoluto modo Confessarius verba proferre.

Solvuntur objectiones Morini.

OBJICIT I. Morinus: In antiquis Euchologiis Græcorum hæc verba leguntur (*Dimitte ei, condona ei, habito sermonem cum Deo*, & similia verba: Sed ista denotant formam deprecatoriam: Ergo &c. Confirmatur: Tam illæ formulæ sunt deprecatoriæ, quam forma Confirmationis: Sed ista ex Ordine antiquo Rom. est deprecatoria; describens quippe ritum Confirmationis dicit, Episcopum per modum orantis hæc verba proferre: *Signa eos, Domine, signo crucis*: ac deinde cum tangit pollice frontem, subjungit: *Ego te confirmo*. Similiter, & in veteri Ordine Romano, cum accederet Diaconus ordinandus ad Episcopum, iste manus imponebat & orabat, intendebatque illum ordinare. Concinit D. Dionysius loquens de ordinatione Episcopi L. de Eccl. Hierar. c. 9. ubi ex-

explicans ritum consecrationis, hæc ait: *Sanctissimis invocationibus, seu precationibus, perficitur, hoc est, consecratur*. Rursus de Sacerdote dicit: *Sacrum facientibus, precationibus sanctificatur*. Ergo par utrobique ratio.

Respondeo distinguendo: Et illæ orationes, vel antecedunt, vel subsequuntur formam absolutam, concedo: & meram adhibuerunt Græci orationem pro forma Pœnitentiæ, nego. Græcorum Euchologium R. P. Goart Ordinis S. Dominici, qui inter Orientales fidei propagandæ causa diu commoratus est, nobis suppeditavit; in quo quidem hæc verba precatoria præmittuntur: *Dominus noster Jesus Christus, & Deus, qui mandatum ligandi & solvendi peccata Discipulis tradidit prætereat omnia peccata tua*: sed orationem, hæc consequuntur verba: *Ego vero indignus ejus servus absolvo te a peccatis tuis*, ἀπέλυσα σε ἀπὸ πάντων ἁμαρτιῶν σου: Rursus: *Dominus justus qui propter nos carnem assumpsit, & universi orbis peccatum tollit, deleat: Ego vero condono tibi omnia peccata tua*.

Ad D. Dionysium eadem est solutio; ideo enim ordinis formam alioquin enuntiativam [illegible] appellavit, quia vel ante, vel post, preces funduntur, & cœleste numen invocatur; quia vero forma enuntiativa in se deprecationem complectitur, optat Minister exaudiri a Deo dum formam pronuntiat.

Jam ad Ordinem Romanum venimus, & dicimus eum velle orationem præparare; sed postea formam pronuntiari: hæc enim verba postea subjungit: *Ego te confirmo*, quæ totam formam perficiunt. Idem dicendum de difficultate petita ex Diaconatu; Episcopus enim oratione præmissa, postea formam absolutam pronuntiat.

Instans: Potestas remittendi peccata soli Deo competit, juxta illud Ezech. 18. *Cum averterit se impius ab impietate sua, quam operatus est .... vita vivet, & non morietur*. Igitur Minister tantum ostendit hominem absolutum; hinc Christus Dominus qui sanitatem solus leprosis contulit, ad Sacerdotes eos misit, non ut sanitas virtute illorum perficeretur, sed ut tantummodo testimonio illorum comprobaretur. Ergo &c.

Respondeo I. Christum non dixisse Apostolis, quodcumque solutum ostenderitis, sed, quodcumque solveritis: Ex quibus verbis sequitur Christum magnam potestatem eis dedisse; qualis porro? Nisi sit facultas tamquam ejus instrumenta viva remittendi peccata, juxta illud: " Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. "

Respondeo II. distinguendo: Solius Dei est, ut causa principalis, remittere peccata, concedo: excludens Sacerdotem ut causam ministerialem, nego. D. Thomas Opusc. 22. cap. 2. pag. 194. his verbis: *Peccata dimittere, solius est Dei, non ergo Sacerdotis*, præoccupat objectionem: tum sic respondet: " Hoc etiam per verba " Dionysii supra solutum est, quia Dei " est auctoritate peccata dimittere, ho" minis autem est, ministerium ad re" missionem exhibere. "

Urgebis: Ex verbis Christi, *Quodcumque solveritis* &c. colligimus etiam absolutionem ab excommunicatione, & tamen illa dubio procul juxta omnes, non solum fit his verbis: " Ego te absolvo ab ex" communicatione, sed etiam potest fie" ri his aliis, Absolvat te Deus; quidni " idem dicetur in Sacramento Pœniten" tiæ? "

Respondet D. Thomas Opuscolo jam citato c. 2. p. 194. his verbis: " Alia ra" tio est de absolutione ab excommuni" catione, quæ non est sacramentalis, " sed magis judiciaria, jurisdictionem " consequens, & alia de absolutione a " peccatis in Sacramento Pœnitentiæ, " quæ consequitur potestatem clavium, " & est sacramentalis; in illa enim, ver" ba habent efficaciam ab intentione di" centis, unde non refert quibuscumque " verbis utatur ad exprimendam suam in" tentionem: in Sacramento autem ver" ba habent efficaciam ex institutione di" vina: unde tenenda sunt verba deter" minata consonantia divinæ institutioni: " institutioni autem dicentis: *Quodcumque solveris, &c.* hæc verba conveniunt, " Ego absolvo te, sicut instititutioni di" centis, *Euntes docete omnes gentes, baptizantes*, &c.

Persistes: In Extrema-Unctione Sacerdos utitur forma deprecatoria: igitur & poterit in administratione Sacramenti Pœnitentiæ.

Re-

Respondeo negando paritatem: Ratio discriminis est, quod in Extrema-Unctione petitur sanitas corporis cito citius concedenda, & hoc pertinet ad gratiam gratis datam, quæ ab Apostolo gratia sanitatum vocatur; item & perseverantia finalis, quæ certe non cadit sub meritum; hinc Ecclesia æquum duxit preces in forma Extremæ-Unctionis adhibere, ut nedum vi Sacramenti remissio peccatorum concederetur, sed & aliæ gratiæ misericorditer ad susceptionem Sacramenti consequerentur. D. Thomas istam sibi proponit objectionem opusculo mox laudato cap. 1. pag. 194. col. 1. & eam sic solvit. Primo quidem probat cetera Sacramenta formam absolutam habere, ea ductus ratione; quod ex opere operato, & ex se producant gratiam, quod non contingeret si formam deprecatoriam induerent; tunc enim non ex opere operato; sed potius ex opere operantis eam causarent: " Nam ablutio, *inquit*, quæ fit per aquam significat interiorem ablutionem, & sacramentaliter efficit eam: .... Idem apparet in sacramento Confirmationis, in quo forma est; Consigno te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis &c. Quibus verbis manifeste effectus sacramenti figuratur. In sacramento etiam Eucharistiæ Sacerdos ex persona Christi loquens dicit: Hoc est corpus meum: Hic est calix sanguinis mei; hoc significans quod in sacramento efficitur. Similiter etiam in sacramento Matrimonii requiruntur verba exprimentia consensum de præsenti .... In sacramento vero Ordinis, quia fit traditio potestatis, est forma imperativi modi, cum Pontifex dicit: Accipe potestatem faciendi hoc vel illud. In solo autem sacramento Extremæ-Unctionis forma verborum est deprecativæ orationis, sicut cum dicitur, Per istam unctionem; servatur autem hoc in hoc sacramento propter auctoritatem sacræ Scripturæ. Dicitur enim Jacob. 5. Oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus; & si in peccatis sit remittentur ei; ubi etiam ratio hujus singularis observantiæ assignari videtur. In aliis enim sacramentis nihil corporaliter agitur, quod non statim ex operatione Ministri sequatur. Sicut statim in Baptismo fit ablutio corporalis, quæ spiritualem designat, & sacramentaliter causat; sanatio autem corporalis non statim sequitur ex unctione; sed petitur præstanda a Deo; unde & interior sanatio quæ per eam signatur sub deprecatione a Deo poscitur. In sacramento autem Pœnitentiæ, verba Scripturæ quæ maxime sunt sectanda, non faciunt mentionem de aliqua deprecatione. "

Opponis II. Divus Dionysius de Ecclesiastica Hierach. cap. 7. recensitis istis Christi verbis Matth. cap. 18. *Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo &c.* ait, Sacerdotem esse solum Christi interpretem: Igitur solus Christus absolvit: Ecce Dionysii verba p. 358. §. 7. " Eodem modo Antistites habent potestatem segregandi, tamquam interpretes divinarum justificationum: non quod irrationabilibus motibus sapientissima Divinitas serviliter ut honeste dixerint, obsequatur, sed quod ipsimet spiritu mysteriorum principali, a quo ad interpretandum moventur a Deo, pro merito judicatos secernant. *Accipite* enim, inquit, *Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittentur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt*. Quin & ei, qui divinas revelationes a supremo Patre didicerat, dicitur: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cœlis*; ita ut ille, omnisque Pontifex illi similis, juxta revelationes paternarum justificationum sibi indultas, quasi interpres ac portitor Deo charos admittat, & impios excludat. "

Respondeo distinguendo: Et eo loci Dionysius propugnat Sacerdotes peccata remittere sicut Magnus Pontifex Christus, a quo prius ut a causa principali, cui subordinatur instrumentalis, movetur, concedo: propugnat Sacerdotes ut Christi Ministros, non remittere peccata, nego. Dionysius est sui ipsius interpres; allata enim promissione facta Petro Matt. 16. de ligandis & solvendis peccatoribus; subdit ibidem §. 7. " Ita ut ille, *Petrus*, omnisque Pontifex illi similis, juxta revelationes paternarum justificationum sibi indultas, quasi interpres, & por-

„ titor Deo charos admittat, & impios „ excludat ... Pontifices autem ita a cæteris sunt observandi in iis quæ ut „ Pontifices gerunt, tamquam ipsi a Deo „ moveantur. „

Instabis: Dionysius ante verba laudata ait, cuncta deprecatione compleri: Igitur censet formam Pœnitentiæ esse deprecatoriam: " Postulat, *inquit*, itaque „ sanctus Antistes, quæ sunt divinitus „ promissa, & accepta sunt Deo, omni„ noque largienda. „ Tum recenset verba Christi de remittendis peccatis Matth. 16.

Respondeo distinguendo antecedens: Dionysius ait Pontificem preces fundere, ut cuncta adimpleantur, & vere remittat peccata, concedo. Sicut aute consecrationem rogat Sacerdos ut corpus & sanguis Christi fiat, & postea absolute consecrat, sic Sacerdos præmissa oratione ad absolutionem, tum vere & physice absolvit: Et Dionysius excludit formam absolutam, nego. Ceterum eo loci loquitur de precibus factis a Pontifice pro defunctis, ut a peccatorum pœnis solvantur, quod pertinet etiam ad potestatem clavium, unde non mirum si Dionysius ad hoc laudet hæc verba Matth. 16. *Quodcumque solveris &c.* Quod autem loquatur de oratione pro refrigerio defunctorum; ibidem pag. 157. ait: " Antistes. . . . petit illa compleri, indulgentiæque ii, qui „ pie vixerunt. „ Et §. 8. pag. 359. " Sed jam ad ea, quæ dictam precatio„ nem subsequuntur veniamus ubi Pon„ tifex eam finivit, ipsemet defunctum „ salutat, &c. „

Instat: Si Pontifex deprecetur pro pœnitentibus, & dicat Deo, Dimitte ei, condona ei, & similia: vel exauditur, vel non: Sed dicendum non esteum non exaudiri, quum rite postulat: Igitur forma absolutionis est deprecaroria.

Respondeo distinguendo: Petit Pontifex, & exauditur in quantum Deus vult validam habere absolutionem quam debet necessario adhibere juxta Christi præscriptum, concedo: ita exauditur, id est illa oratione obtinet remissionem peccatorum pro aliis, nego. Nec enim Deus vult aliter condonare peccata, quam intuitu meritorum Filii sui, ad quod necesse est ut verbis quibus Redemptor tribuit hanc virtutem, ipse Minister utatur.

Urget: D. Ambrosius L. 3. de Spiritu sancto cap. 19. sic loquitur: Ecce quia „ per Spiritum sanctum peccata donan„ tur, homines autem in remissionem „ peccatorum ministerium suum exhibent; „ non jus alicujus potestatis exercent; „ neque enim in suo, sed in Patris, Fi„ lii, & Spiritus sancti nomine peccata „ dimittuntur; isti rogant, divinitus do„ nat, hominum enim obsequium, sed „ munificentia supernæ est potestatis. „ Igitur Sacerdos orat ut Deus peccata dimittat, non ipse dimittit, & absolvit.

Respondeo distinguendo: Et hæc verba comprobant Deum esse primariam causam, & Auctorem totius gratiæ, concedo: Sacerdotem auctoritate sibi data a Christo peccata non dimittere, nego; cum autem dixit, isti rogant, divinitas donat; hoc est Sacerdotes de suo nihil aliud interponere possunt, quam preces; reliqua enim sunt Christi institutoris, & formæ verba ipsius sunt. Et vero nisi dixisset, *Quorum remiseritis &c.* Quis auderet enuntiare, *Ego te absolvo*? Ceterum Patres per preces Sacerdotum absolvi pœnitentem eatenus quandoque dicunt, quatenus initium absolutionis ducitur ab oratione; sed a forma absoluta nusquam recedunt. Suam mentem prodit vel ipse Ambrosius Lib. 2. de Abel & Cain cap. 4. his verbis: " Remittuntur peccata „ per Dei verbum, cujus Levites inter„ pres & executor est. Remittuntur et„ iam per officium Sacerdotis, sacrum„ que ministerium. „

Insistis D. Augustinus L. 3. de Baptismo contra Donatistas cap. 16. de impositione manuum quæ fit in Penitentia ait: " Quid est aliud manus impositio, „ nisi oratio super hominem? „ Ergo &c. Rursus Homil. in sanctam Magdalenam reprehendit eum qui dicebat, *Remitto tibi peccata tua*.

Respondeo distinguendo: Et ibi D. Augustinus modum perversum loquendi, & interpretandi Scripturas, in quibus facultas remittendi peccata continetur, arguit, concedo: & ibi vult Sacerdotes non remittere peccata, nego: Eo loci insurgit contra eos qui propriis meritis se

se remittere peccata jactabant: Sanctus Doctor est sui ipsius interpres: "Respondent, *ait*, & dicunt, si non dimittunt homines peccata, falsum est quod ait Christus, Quæ solveritis in terra, soluta erunt & in cœlo. Nescis quare hoc dictum sit, quomodo dictum sit? Daturus erat hominibus Spiritum sanctum, & ab ipso Spiritu sancto Fidelibus sua peccata dimitti, non meritis hominum volebat intelligi dimitti peccata."

Persistit: Canon multiplex de Pœnitentia dist. 1. & desumitur ex Epist. 99. S. Leonis, qui quidem tradit: "Quod indulgentia Dei, nisi supplicationibus Sacerdotum nequit obtineri." Ergo &c.

Respondeo distinguendo: Et hæc verba intelliguntur de oratione prævia absolutioni, concedo: de ipsa absolutione, nego. Ita S. Thomas 3. p. q. 84. art. 3. ad 2. ait "Dicendum quod verbum Leonis est intelligendum quantum ad precationem, quæ præmittitur absolutioni: non autem removet quin Sacerdotes absolvant." Quid plura adjiciam? Non semel usus obtinuit Sacramenta a ritibus accidentalibus nomina habere: Sic Penitentia manus impositio quandoque dicitur, tametsi hæc non sit Pœnitentiæ essentialis.

Replicat: Apostoli dum sanabant infirmos non utebantur forma indicativa & absoluta; nec enim dicebant, Ego te sano, sed, Sanet te Christus: Igitur & in oratione vulnerum animæ, forma solum deprecativa adhibenda est.

Respondet D. Thomas art. mox citato in responsione ad 4. his verbis: "Apostolis non est data potestas ut ipsi sanarent infirmos; sed ut ad eorum orationem infirmi sanarentur. Est autem eis collata potestas operandi instrumentaliter, sive ministerialiter in Sacramentis, & ideo magis possunt in formis sacramentalibus exprimere actum suum, quam in sanationibus infirmitatum, in quibus tamen non semper modo deprecativo utebantur, sed quandoque modo indicativo, & imperativo, sicut Act. 3. legitur, quod Petrus dixit Claudo. *Quod habeo hoc tibi do: in nomine Jesu Christi Nazareni Surge & ambula.*"

Reponit: Etsi Apostolis data fuerit potestas absolvendi a peccatis, illa tamen non erat principalis, & auctoritativa, sed ministerialis tantum, & instrumentaria: Sed modus indicativus vel etiam imperativus significat facultatem operandi principalem, & auctoritativam, ut patet in Regibus, qui absolute, & imperative loquuntur. Igitur conveniens est ad distinctionem Sacerdotum a Christo, ut deprecative loquantur Ministri.

Respondeo distinguendo minorem: Modus imperativus spirat auctoritatem principalem ubi non est subordinatio, concedo: si sit subordinatio, nego. Eo autem ipso quo Sacerdotes dicuntur Christi Ministri, jam ipsi subordinantur ut causæ principali sacramentorum, nec quidquam nisi in ejus nomine & virtute operantur. Sic Prorex alicujus Provinciæ, auctoritative imperat, quia in nomine Regis cujus vices gerit, loquitur: Quidni & Sacerdos tamquam auctoritatem habens a Christo imperative seu absolute peccata dimitteret?

Replicat: Quod est de essentia Sacramentorum, commune est omnibus Ecclesiis: Sed forma pœnitentiæ apud Ecclesiam Orientalem est deprecatoria: Et probatur. Hæ sunt formæ Græcorum: *Rogamus pro tali, indulge, condona*. Tum potestas commemoratur bis verbis: *Tu Domine per sanctos Apostolos tuos donasti iis qui in sancta tua Ecclesia successive per tempora sacerdotali funguntur officio, facultatem in terris dimittendi peccata*. Deinde sic prosequuntur: *Obsecramus itaque pro fratre nostro N. qui coram te adstat, tribue ei tuam misericordiam, dirumpens vinculum peccatorum*. Sunt & aliæ ejusmodi quæ in idem coincidunt. Ex his sic arguitur: Non apparet Ecclesiam Græcam vera caruisse forma Pœnitentiæ: Sed illæ formulæ sunt deprecatoriæ. Ergo &c.

Respondeo negando minorem. Ad probationem distinguo: Et forma Græcorum est enuntiativa auctoritative & judicialis, concedo: immo non nihil imperium spirat, cum dicant, *habeo te venia donatum*, quod idem est ac si dicerent *veniam do, ignosco, condono, indulgeo, seu remitto tibi peccata*: Et est mere deprecativa, nego. Solutio est Arcudii Lib. 4. de Pœnit. cap. 3. Quod confirmat multis exem-

exemplis, ostendens simili phrasi, uti Græcos in ipsis contra Hæreticos prolatis sententiis. Joannes Antiochenus in suis ad Xistum Romanum Pontificem, Cyrillum Alexandrinum, & Maximianum CP. Epistolis, quæ habentur 3. p. Concilii Ephesini cap. 27. sic loquitur, inquit Arcudius hic pag. 369. " Placuit assentiri nos ipsos huic sententiæ sacræ " Synodi contra Nestorium editæ, eumque *habere ut depositum*, & anathematizare: " Pergit idem Theologus, & ait: " Neque enim Græci hoc modo loquendi, sive de rigore sermonis, sive potius usu dixeris, illud intelligere volunt, ut nimirum *habeo te absolutum*, pro eo quod est, *ostendo te absolutum*, accipi debeat. Confirmatur hoc totum a simili, quippe a contrario quando ligant, & excommunicant, simillima phrasi utuntur ἔχω σε ἀφωρισμένον, pro ἀφορίζω σε *habeo te segregatum*, hoc est; *segrego te, secerno, & excommunico*, ut exempla quoque paulo ante commemorata luculenter testantur. "

Subdit: " At non extat ejusmodi forma in Enchologio. Equidem fateor. Neque enim si extaret, in recensendis aliorum opinionibus tantopere laborassem. Est tamen frequens, & in ore multorum Confessariorum quotidie versatur, licet major pars Græcorum ex ignorantia quod nesciant totam vim latere in his paucis verbis, ea non utantur. Qui autem utuntur, ex usu quodam quotidiano vocem quodammodo corruperunt, locoque συγκεχωρημένον, vulgari & corrupto vocabulo dicunt συχωρημένον. Antistites vero & Episcopi honoris causa, & dignitatis, sive etiam humilitatis solent istius modi formam pronuntiare in tertia persona præsentis temporis hoc modo: *Mea mediocritas, sive humilitas habet te venia donatum*, hoc est *dat tibi veniam*. "

Ad præcedentium confirmationem, refert idem Arcudius duo diplomata quæ absolutam continent formam, quæque extant in libro qui inscribitur Turco-Græcia. Primum est Pachomii Patriarchæ CP. adversus quemdam Arsenium Catholicum virum, cum Ecclesia Romana conjunctum, Metropolitam Monembaziæ quem depositione & excommunicatione ferit: Alterum Michaelis Patriarchæ Antiocheni, qui Theodosium Rigomalam a ligamine peccatorum absolvit.

Verba primi diplomatis hæc sunt: *Mediocritas nostra... habet excommunicatum in hoc & in futuro sæculo... Rursur eumdem ... habet depositum, omnique prorsus Sacerdotio, & Pontificia dignitate exutum, hæc est sententia nostra, quam sancte Spiritu auctore approbatereque in ipsum pronuntiamus.*

Alterius diplomatis ibidem inscriptio est hæc, *Absolutoria deprecatio Patriarchæ Antiocheni Michaelis, quam recitat super caput ejus qui ipsi confitetur.* Primum recenset verba Christi Joan. 2. *Quæcumque solveritis* &c. Tum absolvit pœnitentem his verbis: *Mediocritas nostra habet venia donatum spiritualem filium suum Theodosium in quibuscumque etiam ipse ut homo deliquit, atque in Deum verbo, opere, cogitatione, omnibusque suis sensibus peccavit*: Hanc eamdem orationem absolutoriam se vidisse testatur Arcudius, concessam Leopoli, quæ est Metropolis Russiæ, cuidam Petro Diacono Rutheno a Patriarcha Joachimo Antiocheno. Eamdem tradit Gabriel Philadelphiæ Antistes in libello de Sacramentis, ubi hæc Penitentiæ forma legitur: *Gratia sanctissimi Spiritus, per meam humilitatem habet te venia donatum, & absolutum.*

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Forma Sacramenti Pœnitentiæ est absoluta: deprecatoria non sufficeret.

PRIMO: Scriptura nullam facit de precibus mentionem, sed simpliciter dicit Matt. 18. *Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo.*

Secundo: Omnes formæ, si excipias eam, quæ Extremæ Unctionis est, sunt absolutæ, ut refert sanctus Thomas Opusc. 22. cap. 1. Ratio ejus est, quod qui rogat ut ligatus solvatur, non ipse eum solvit: Hinc ibi opinionem contrariam vocat temerariam, quippe quæ Sacramentum incertum reddat; unde sic concludit: " Non ergo sub incerto modo deprecativæ orationis significanda est in hoc Sacramento remissio peccatorum, sed sub certitudine per indicativam orationem. Non ergo est forma in sacramento Penitentiæ

„ tentiæ, Absolutionem, & remissionem „ tribuat tibi omnipotens Deus, sed, „ Ego te absolvo. „

Tertio: Concilium Tridentinum Sess. 14. cap. 3. ait preces tum antecedentes istam formam, *Ego te absolvo*, tum ad eam consequentes, non esse de essentia Sacramenti; capite vero sexto asserit sacerdotem per modum Judicis absolvere: quis autem cordatus usquam dixerit Judicem expostulare ut solvatur reus, cum potius ipse eum solvat, & dimittat?

SYNOPIS OBJECTIONUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Non negamus Græcos miscere preces quum a peccatis absolvunt, sed inter absolvendum formam absolutam pronuntiant, ut non unum refert Euchologium.

Secundo: Neque vero diffitemur formam Extremæ-Unctionis esse deprecatoriam; sed hoc contingit ex eo quod sanctus Jacobus cap. 5. expressam faciat de oratione mentionem: Nec mirum, quia petitur sanitas corporis, & hoc non nihil gratiam gratis datam spectat, immo & perseverantia finalis pro ægroto in extremis posito: has propter rationes forma hujus Sacramenti, sed non aliorum, est deprecatoria.

Tertio: Citra fundamentum objicitur formam absolutionis a censura, quandoque fieri nutu, & Matrimonii consensum signis nonnumquam exprimi; namque primum caput forum externum spectat, alterum vero rationem contractus subit: Utrumque exigit consensum, Judicis quidem ad pœnam relaxandam, contraentium vero ut in Christo & Ecclesia conjungantur; ubique autem gentium con sensus nutibus & signis bene manifestatur; minime vero sententia Judicis reum absolventis, nisi verbis claris pronuntietur.

Quarto: Esto quod Minister non sit causa principalis, agit tamen ut verus Judex, habens ab eo ligandi atque solvendi potestatem.

SECTIO TERTIA.

Utrum Sacerdos per hæc verba, EGO TE ABSOLVO, peccata vere remittat?

Opiniones Theologorum.

PALUDANUS & Capreolus docent hunc esse formæ sacramenti Pœnitentiæ sensum: *Exibeo tibi Sacramentum remissivum peccatorum dando tibi jus ad gratiam remissionis, id est ad immunitatem peccati*: Sed hæc opinio stare non potest, quandoquidem Sacramenta, quæ consistunt in usu, debent significare immediate gratiam qua Deo formaliter conjungimur, & Christo incorporamur, ita ut efficiant quod significant. Porro jus laudatum est quid a gratia prorsus distinctum; ista quippe verba, *Ego te absolvo a peccatis tuis*, subnotant aliquid de facto dari. Igitur non admittenda est Paludani & Capreoli sententia.

Quidam alii, hunc istis verbis, *Ego te absolvo a peccatis tuis*, determinant sensum: *Ego te absolvo ab obligatione in posterum subjiciendi peccata tua clavibus Ecclesiæ*. Verum & hoc falsum, immo & absurdum est, cum verba formæ ad remittenda peccata per se primo terminentur. Quis autem cordatus dixerit eo pronuntiari scopo, ut pœnitens sit immunis ab obligatione se se in posterum subjiciendi clavibus Ecclesiæ, cum hoc sit quid ad remissionem peccatorum per absolutionem factam dumtaxat consequens.

Hugo a S. Victore asserere non dubitat, verba laudata nihil aliud significare nisi hoc, *Absolvo te ab æterna pœna* damni, sed & hæc opinio claudicat propter duo. Primo quidem, quia remissio pœnæ æternæ est solum secundarius sacramenti Pœnitentiæ effectus. Secundo; Sæpius contingit nullam pœnam æternam remittendam esse, ut in viris timoratis, & devotis mulieribus, qui omnes, ordinarie loquendo, non nisi peccata venialia habent confessario deponenda. Quibus certe non respondet pęna æterna, cum non impediant hominem visione beatifica donari.

Petrus Lombardus propugnat formæ verba,

ba, solum declarare peccata esse remissa, quod sane adversatur Concilio Tridentino. Ab hæreseos tamen nævo iste & alii vindicantur, eo quod, non adhuc absoluto Concilio, scripserint. Contra omnes sit

CONCLUSIO.

Sensus verborum formæ Pœnitentiæ, non est iste, Declaro te esse absolutum a peccatis tuis, sed potius iste, Ego vice Christi tamquam ejus Minister, & Judex ab eo constitutus, de facto, Absolvo te a culpis peccatorum, seu, remitto tibi culpas, & consequenter pœnas æternas illis debitas:

Probatur multis momentis.

Primo, ex Sacris Scripturis.

Joannis 20. Hæc leguntur: *Sicut misit me Pater & ego mitto vos*; deinde insufflato in eos Spiritu sancto, subjungit: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*. Ex quibus sic licet arguere: Testatur Dominus se eam discipulis potestatem dare quam ipse a Patre acceperat: Igitur sicut Christus, non tantum annuntiabat remissionem peccatorum, sed vere, ac proprie eam conferebat; ita & Apostoli; dabant, salvo eo discrimine, quod Christus auctoritate propria remiserit peccata, illi vero ut Ministri, auctoritate ab ipso emendicata & accepta.

Rursus Matth. c. 16. & 18. universaliter dicitur, *Quæcumque solveritis &c.* Ea autem solutio, quæ fit a reatu damnationis æternæ, sub illa generalitate comprehenditur; unde D. Ambrosius Lib. 3. de Spiritu sancto c. 18. ait, quod Petrus acceptis a Christo clavibus Regni cœlorum, sui securus, peccata donavit, quasi diceret, non magis dubitabat Petrus de effectu verborum, quę pęnitenti dicebat, Remitto tibi peccata, quam cum dixit Act. 3. Claudo, *Surge & ambula*.

Quid plura? In verbis Domini Matth. 16. ligare non idem est ac annutiare, vel ostendere ligatum, sed aliquid ultra significat: Igitur & a simili idem dicendum est de solutione a peccato; cum eadem sit lex oppositorum. Ibidem cap. 18. habetur: *Si autem peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipsum solum*. Eo loci declarat quidem Christus quod frater vinculo peccati obstrictus, sic eum tamen tunc non ligat ad pœnam, sed solummodo quum pronunciat: *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus*. Tum mox subjungit: *Quæcumque alligaveritis &c.* Ligare igitur differt, a To ligatum ostendere. His adde quod Christus dicat prius remitti peccatum in terris quam in cœlo, juxta illud ibidem, *Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo*, Et Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. Igitur Sacerdos non declarat tantum peccata esse remissa, sed de facto ipse ut Christi Minister vi absolutionis remittit.

Secundo, ex Patribus.

PRIMUS qui hanc veritatem docet occurrit sanctus Cyprianus Epist. 2. L. 1. his verbis: " Nec enim fas erat Ecclesiam pulsantibus claudi, quando permiserit ipse qui legem dedit, ut ligata in terra, & in cœlis ligata essent, solvi autem possent illic, quæ hic prius in Ecclesia solverentur. "

Secundum qui venit in veritatis testimonium est,

S. Hilarius in Matth. c. 16. ubi sic habet: " O! beatus cœli janitor, cujus arbitrio claves æterni aditus traduntur, cujus terrestre judicium præjudicata auctoritas sit in cœlo, ut quæ in terris, aut ligata sunt, aut soluta, statuti ejusdem conditionem obtineant & in cœlo.

Tertius, est sanctus Chrysostomus Hom. 5. de verbis Isaiæ, *vidi Dominum*, ubi primum recenset concessionem factam Apostolis de remissione peccatorum: Tum sic loquitur: " A terra judicandi principalem potestatem sumit cœlum, nam judex sedet in terra, Dominus sequitur servum, & quidquid hic in inferioribus judicavit, hoc ille in supernis comprobat. " Porro judicium declarativum non antecedit, sed sequitur aliud: Rursus L. 3. de Sacerdotio c. 5. loquens de potestate remittendi peccata, hæc ait: " Quæ-

" Quænam obsecro potestas hac una major esse queat? Omne judicium filio dedit Pater. Ceterum video ipsum omne judicium a Deo filio illis traditum; nam quasi jam in cœlum translati, ac supra humanam naturam positi, atque nostris ab affectibus exempti, sic illi ad principatum justum perducti sunt. "

S. Cyrillus L. ad Reginas de recta fide, expendens testimonium Joannis 20. *Quorum remiseritis*; agnoscit Christum dedisse Apostolis potestatem remittendi peccata: " Magnum est, *ait*, & super creaturam, talem potestatem concedere, & ita retinere peccata quorumcumque voluerint: dimittere item quibus voluerint. "

Hanc eamdem veritatem prædicat D. Ambrosius; ad illa quippe verba Psal. 38. *Remitte mihi refrigerium*, repetitis Evangelii verbis, vere judices esse Apostolos, dicit: " Dominus, *inquit*, quod ante erat judicii sui, dedit Apostolis, peccata remittendi potestatem. " Tum L. 2. de pœnitentia c. 2. " Impossibile videbatur per pœnitentiam peccata dimitti, concessit hoc Christus Apostolis, quod ab Apostolis ad Sacerdotum officia transmissum est. "

Similia tradit D. Augustinus L. 50. Homil. 13. cap. 9. dum ait: " Deus habitat in templo suo, hoc est in sanctis Fidelibus: in Ecclesia sua per eos peccata dimittit. " Concinit 5. Hieronymus Epist. ad Heliodorum: " Absit ut quidquam sinistri loquar de illis qui claves Regni cœlorum habentes, quodam modo ante diem judicii judicant. " Et rursus in c. 16. Matth.

D. Gregorius in Homil. 26. in Evang. ejusdem est labii; explicans enim jam laudata Joan. 20. Christi verba, Quorum remiseritis peccata &c. ait: " Illi discipuli ad tanta onera humilitatis vocati, ad quantum culmen gloriæ sunt perducti: ecce non solum de semetipsis securi fiunt, sed etiam alienæ obligationis, potestatem relaxationis accipiunt, principatumque superni judicii sortiuntur; ut vice Dei quibusdam peccata retineant, quibusdam relaxent. " Ex his sequitur istud argumentum. Patres uno veluti calamo scribunt Sacerdotem remittere peccata eodem prorsus modo sicut in cœlis remittuntur; sed non mere declarative remittuntur a Christo in cœlo: Igitur nec in terra per Sacerdotem.

Tertio, auctoritate Conciliorum.

PRIMO: Juxta Concilia, forma hujus Sacramenti hæc est, *Ego te absolvo*: Non autem, Ego te absolutum ostendo. Rursus effectus Sacramenti Pœnitentiæ ex Decreto tum Eugenii IV. pro Armenis, tum Concilii Tridentini Sess. 14. c. 3. est, hominem cum Deo reconciliare: sed reconciliare non est solum peccata declarare absoluta, verum potius ea & abstergere, & dimittere. Ergo &c.

Secundo: Contra Vvicleffitas contendentes Sacerdotem non posse absolvere, neque peccata remittere, nisi peccator prius esset a peccatis absolutus, in Bulla Martini V. hujusmodi præscribitur interrogatio facienda suspectis; utrum credant quod malus Sacerdos vere absolvat, & vare conferat alia Sacramenta? & negantes propelluntur.

Tertio: Ipsemet Eugenius affirmat in Decreto, quod sicut per Baptismum spiritualiter renascimur, ita per Pœnitentiæ sacramentum spiritualiter sanamur; quod & confirmat Concilium Tridentinum Sess. 14. c. 1. primum laudat institutionis verba, Joan. 20. Deinde subdit: " Quo tam insigni facto, & verbis tam perspicuis potestatem remittendi, & retinendi peccata ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos, Apostolis, & eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, universorum Patrum consensus semper intellexit. " Tum can. 9. sic definit: *Si quis dixerit absolutionem sacramentalem Sacerdotis, non esse actum judicialem, sed nudum Ministerium pronunciandi, & declarandi remissa esse peccata confitenti .... Anathema sit.* Ergo &c.

Quarto, Ratione.

PRIMA: Sacramenta novæ legis faciunt quod significant, & quidem vere, & ex opere operato. Igitur Minister vere absolvit; & non simpliciter declarat peccata esse remissa; alias non nisi ex opere

ope-

operantis Sacramentum suum obtineret effectum.

Secunda: Si forma est solum remissionis peccatorum declarativa, jam peccata per sacramentum Pœnitentiæ non remittuntur, cum ante datam absolutionem sint remissa; Sed hoc est contra definitionem fidei Concilii Tridentini: Ergo &c.

Tertia: Si Sacerdos non absolvit, sed tantum absolutum ostendit, non aperit cœlum Pœnitenti, & consequenter claves ad aperiendum non accepit, sicque inepta evadit clavium metaphora ad significandum sacramenti Pœnitentiæ effectum; cum Sacerdos sicut nihil clauderet, ita & nihil aperiret, quippe qui solum declararet cœlum modo clausum, modo etiam apertum: sed absurdum consequens. Ergo & Antecedens.

Quarta: Quod Ecclesia ita certum semper credidit, ut obstrepentes & negantes semper abjecerit, tamquam dogma inconcussum habendum est: Atqui absolutionem a Sacerdote reis datam, peccata vere remittere sic ab omni ævo putavit, ut contradicentes damnaverit. Et probatur. I. Ex proscriptione Vviclefi in Concilio Constantiensi, & Protestantium in Tridentino, II. Ex damnatione Novatianorum, quorum palmare hæreseos caput erat, negare potestatem inesse Ecclesiæ remittendi peccata; de eis enim Synodus Tridentina Sess. 14. cap. 1. sic loquitur: " Novatianos, remittendi potestatem olim pertinaciter negantes, magna ratione Ecclesia Catholica, tamquam hæreticos explosit, atque damnavit." Ergo &c.

Quinta: Sacramentum novæ legis facit & operatur quod significat: Sed illa Sacramenti Pœnitentiæ forma, *Ego te absolvo a peccatis*, significat peccata vere remitti; e contra vero ista, Declaro peccata tua esse remissa. Ergo &c.

FIT SATIS OBJECTIONIBUS.

Objicies: Solus Deus animam interius per se vivificat, juxta illud Isaiæ c. 43. *Ego sum ipse qui deleo iniquitates*; solus igitur per se vinculum æternæ mortis relaxat.

Respondeo distinguendo: Solus Deus vivificat animam per conversionem cordis præcedentem, concedo; per remissionem peccati subsequentem, nego. Priorem vivificationem solus Deus operatur sine hominis Ministerio, saltem efficaci; posteriorem vero per Sacerdotem Pœnitentiæ sacramentum conferentem; & tamen recte dicitur etiam solus tum condonare, tum iniquitates delere; quia effectus non assimilatur instrumento, sed causæ principali: quocirca non homo Minister Christi, sed solus Christus dicitur peccata remittere. Et hoc unum intendunt Patres, cum solum Deum peccata abstergere conclamant.

Instabis: Sicut Christus sibi retinuit potestatem Baptizandi, teste Augustino Tract. 5. in Joan. dicente, *Hic est qui baptizat*, ita & solvendi: Igitur Sacerdotes non habent peccata remittendi potestatem.

Respondeo distinguendo: Christus sibi retinuit potestatem excellentiæ; id est excellentis Ministerii, quæ in eo potissimum sita est, quod in nomine ejus sanctificentur Sacramenta, & illis omissis, possit conferre gratiam, concedo: inferioris Ministerii, nego. Illud contulisse hominibus, omni argumentorum genere ostensum est in secunda hujusce tractatus parte. Sin minus, dicendum erit pariter: in Baptismo Sacerdotem ostendere tantum infantem ablutum a peccatis; quod funditus Baptismi virtutem, & efficaciam subverteret.

Urgebis: Sacerdotes veteris legis typum gerebant Sacerdotum novæ legis: Sed illi leprosum non mundabant, verum mundos, vel immundos tantum ostendebant; hinc Ipse Christus leprosos prius per se mundavit, deinde vero ad Sacerdotes remisit, quorum judicio mundi ostenderentur. Ergo &c.

Respondeo I. Cum D. Chrysostomo L. 3. de Sacerdotio, perfectionem novæ legis ad distinctionem veteris petendam; ex eo quod ejus Sacerdotes nedum ostendant, sed vere mundent peccatores: Quod non levius declarat Concilium Florentinum, quum ait Sacramenta novæ legis in hoc maxime ab aliis secerni, quod Mosaica gratiam non nisi ex opere operantis producerent, nostra vero vi sibi intrinseca, & ex opere operato illam causent.

Respon-

Respondeo II. distinguendo : Id est, sicut Sacerdos Leviticus, non nisi eum qui vere liberatus esset a lepra debebat legaliter mundare, & exterius reconciliare populo, ut cum aliis in cultu Dei & ceremoniis consociari posset ; sic Sacerdos Evangelicus, non nisi eum, qui voluntate peccandi deposita vere conversus est, spiritualiter mundare potest, concedo : & æquale est Ministerium, nego.

Repones : S. Cyprianus Lib. de lapsis hæc habet : " Solus Deus misereri pot„ est ; veniam de lapsis quæ in ipsum „ commissa sunt, solus ille potest largiri, „ qui peccata nostra portavit, qui pro „ nobis doluit, quem Deus tradidit pro „ peccatis nostris ; homo Deo non pot„ est esse major, nec remittere aut do„ nare, indulgentia sua servus potest, „ quod in Dominum delicto graviori „ commissum est. „ Ergo &c.

Respondeo distinguendo : Et ibi S. Cyprianus condemnat eos qui pœnitentibus nondum sufficienter, & debite dispositis, impendunt absolutionis beneficium, concedo : & potestatem remittendi peccata Sacerdotibus abjudicat, subdistinguo ; principalem, concedo : ministerialem, nego.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Sacerdos vere absolvit a peccatis.

PRIMO : Sic pronunciat Christus Matth. 16. & 18. *Quæcumque solveritis* &c. Si quid in his verbis fuisset immutandum, S. Joannes qui post Matthæum scripsit, correxisset sententiam ; sed e contra cap. 20. idem de potestate collata Apostolis ad remittenda peccata, dicit.

Secundo : Concinunt SS. Patres, in primis S. Cyprianus Lib. 1. Epist. 2. Hilarius in cap. 16. Matth. Chrysostomus Homil. 5. de verbis. Isa. His accedit definitio Concilii Trid. Sess. 14. cap. 3.

Tertio : Sacramenta novæ legis faciunt quod significant : Sed ista Pœnitentiæ sacramenti forma, *Ego te absolvo a peccatis tuis*, significat peccatorum remissionem, Ergo &c.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET EXPLICATIONUM.

PRIMO : Frustra opponitur ex Scriptura & SS. Patribus solum Deum remittere peccata, cum hoc intelligatur de causa prima & principali, quæ non excludit causam ministerialem.

Secundo : Neque vero concludendum est Sacerdotes novæ legis non vere absolvere, eo quod veteris & Mosaicæ solum declararent peccata esse remissa, cum inter utriusque legis Ministros non sit adæquata comparatio : sicut enim nostra Sacramenta producunt gratiam physice & ex opere operato, consequenter & Christi Ministri vere a peccatis absolvunt.

Tertio : S. Cyprianus conclusioni non adversatur, cum ait, solus, *Deus misereri potest* intelligas velim, ut causa principalis ; cum enim effectus non denominet instrumentum, sed tantummodo causam principalem cui soli assimilatur, solus Deus dicitur misereri, & remittere peccata.

SECTIO QUARTA.

Quibus impendi debeat, aut denegari beneficium absolutionis?

CERTUM est illum qui in criminis actu, rationis usu spoliatur, nec sui fit compos, ante mortem non absolvendum esse ; quis enim, vel leviter conjiciet eum tunc temporis, vel minimum dolorem de peccatis concipere ? Idem dicendum de peccatoribus publicis qui subito corripiuntur, & nullum ante, vel verbis, aut nutibus signum Pœnitentiæ dederunt. Tales sunt concubinarii publici, usurarii, Apostatæ, hæretici. Et vero probabilissimum est illos nullatenus voluisse recedere a malo.

Sed non idem dicendum de viris frugi, qui subitæ mortis ictibus aggrediuntur ; licet enim isti prius nec voce, nec signis absolutionis beneficium efflagitaverint ; tamen sunt absolvendi ; ita communiter Theologi morales, qui hoc ipsum concludunt ex canone *Si Presbyter*, citatus a Gratiano decreti p. 15. c. 43. II. ex Augustino,

stino, qui id ad calcem L. 1. de adulterinis conjugiis expresse sic tradit. Jam multa de isto momento, ubi de Catechumenatu, & dispositionibus ad Eucharistiam, diximus; sed ne aliquid pro hac materia deficiat, eam impræsentiarum, ut invitat occasio, ex professo tractare juvat. Unde sit

CONCLUSIO.

Qui graviorum peccatorum habitu detinentur, ante absolutionem conferendam probandi sunt.

Probatur ex multis capitibus.

Primo auctoritate Scripturæ sacræ.

Hæc veritas suadetur ex idea quam Scripturæ sacræ nobis suppeditant de homine vere converso; sic enim eum delineat Psaltes Regius Psal. 1. *Erit tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum dabit in tempore suo, & folium ejus non defluet, & omnia quæcumque faciet prosperabuntur*; sic & Christus Matth. 7. his verbis: *Omnis ergo, qui audit verba mea hæc, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram, & descendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit. Fundata enim erat super petram.* Dubio procul tales non sunt, qui habitu peccati ita detinentur, ut ne quidem velint, vel uti remediis ad propellendas tentationes præscriptas, vel ab occasione, ubi adest manifestum peccandi periculum, secedere. Apostolus 1. Cor. 11. hanc absolutionis concedendæ conditionem, non lævius subindigitat, cum ait: *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de Calice bibat: qui enim manducat & bibit indigne, judicium sibi manducat & bibit.* Sed non absimilis est ratio de Pœnitentia; si quis enim ad eam indigne accedit, nonne graviter peccat? Igitur prius probandus est impius, ne ficte suscipiat Sacramentum.

Secundo, ex Patribus.

S. Cyprianus asserit hujusmodi absolutiones magis obesse lapsis quam prodesse; sic enim habet Lib. de lapsis: " Si „ quis præpropera festinatione temerarius, remissionem peccatorum dare se „ cunctis putat posse, aut audet Domini „ præcepta rescindere, *dans scilicet pacem* „ *nondum pœnitentia perfunctis*; non tantum „ nihil prodest sed obest lapsis..... quanta „ sit probationis necessitas, ex difficultate a, malis habitibus se se solvendi, liquet.„ Quod quidem potest illustrari exemplo ipsius Augustini ad conversionem properantis. Sic loquitur Lib. 8. Confess. c. 1. " Videbam enim plenam Ecclesiam tuam, „ & alius sic ibat, alius autem sic. Mihi „ autem displicebat quod agebam in sæculo, & oneri mihi erat valde, non „ jam inflammantibus cupiditatibus, ut „ solebant, spe honoris & pecuniæ, ad „ tolerandam illam servitutem tam gravem. Jam enim me illa non delectabant præ dulcedine tua & decore domus tuæ quam dilexi, sed adhuc tenaciter colligabar ex femina .... Sed ego „ infirmior eligebam molliorem locum: „ & propter hoc unum volvebar in ceteris languidus, & tabescens curis marcidis, quod & in a iis rebus quas nolebam pati, congruere cogebar vitæ „ conjugali, cui deditus obstringebar.„

Rursus ibidem cap. 5. sic habet: " Velle meum tenebat inimicus, & inde „ mihi catenam fecerat & constrinxerat „ me. Quippe ex voluntate perversa facta est libido, & dum servitur libidini, „ facta est consuetudo, & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. „ Quibus quasi ansulis quibusdam sibimet „ innexis, unde catenam appellavi, tenebat me obstrictum dura servitus: voluntas autem nova, quæ mihi esse cœperat, ut te gratis colerem, fruique te „ vellem Deus, sola certa jucunditas, „ nondum erat idonea ad superandam „ priorem vetustatem roboratam.„

Denique ibidem c. 10. ait: " Ego cum „ deliberabam ut jam servirem Domino „ Deo meo, sicut diu disposueram, ego „ eram qui volebam, ego qui nolebam, „ ego ego eram. Nec plene volebam, nec „ plene nolebam. Ideo mecum contendebam, & dissipabar a me ipso. Et ipsa „ dissipatio, me invito quidem fiebat, „ nec tamen ostendebat naturam mentis „ alienæ, sed pœnam meæ.„

Idem

Idem S. Doctor Serm. 66. de tempore, probationes faciendas sic explicat: " Fructus dignus est Pœnitentiæ, transacta flere peccata, & eadem iterum non agere. Scriptum est, Ne adjicias peccatum super peccatum; Lavamini, dicit Dominus per Isaiam Prophetam, & mundi estote. Lavatur itaque & mundus est, qui & præterita plangit, & iterum non admittit; lavatur & non est mundus qui plangit quod gessit, nec deserit, sed post lacrymas fleoda hæc, quæ fleverat repetit. "

Eadem est mens sancti Isidori de illa Pœnitentia Lib. 7. Sent. c. 16. Irrisor est, *inquit*, & non pœnitens, qui adhuc agit quæ pœnitet, nec Deum videtur poscere subditus, sed subsannare superbus. S. Gregorius Magnus est ejusdem labii L. 7. Epist. c. 10. " Instructuram, *ait*, pœnitentiam dicimus, quæ ita accipitur, ut in eadem culpa vel simili, vel deteriori vel parum minori permaneatur. " Hoc Patres 3. Concilii Toletani de illis absolutionibus hæc declarant: " Quoniam comperimus per quosdam Hispaniarum Ecclesias, non secundum canones, sed fœdissime pro suis peccatis homines agere pœnitentiam, ut quoties peccare libuerit, toties a Presbyteris se reconciliari postulent: ideo pro coercenda tam execrabili præsumptione, id a sancto Concilio jubetur, ut secundum formam canonum antiquorum detur pœnitentia. "

His accedat auctoritas S. Caroli Borromæi, qui in suis instructionibus ita loquitur: " Confessarios admonitos volumus; ut donec emendationem perspexerint, absolutionem iis pœnitentibus procrastinent, quos verisimile est ad peccata iterum lapsuros, quantumvis polliceantur, ac spondeant se ea dimissuros. " Tum exempla refert: " Hujusmodi sunt adolescentes, otio ut plurimum dediti, qui in ludis, comessationibus, ebrietatibus, & impudicitiis majorem vitæ partem impendunt &c. " Quas quidem absolvendi regulas dedit Sanctus Præsul ex Decreto 3. Concilii Mediolanensis, a sancta Sede approbati: Vel ipsa Ecclesia Gallicana eas in Comitiis generalibus Parisiis habitis anni 1655. 1656 & 1657. observandas recepit.

Non prætereundus Innocentius XI. qui hanc mollium Casuistarum proscripsit propositionem: *Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat se dolere, & proponere emendationem.* Idem Pontifex hanc ulteriorem anathemate percussit propositionem: *Potest aliquando absolvi, qui in proxima peccandi occasione versatur, quam potest & non vult omittere; quinimmo directe & ex proposito quærit, aut ei se ingerit.*

Tertio, Ratione.

PRIMA: Quod usus Ecclesiæ obtinuit, sic observandum & faciendum est: Sed usus invaluit in Ecclesia probare eos qui graviorum peccatorum habitibus tenentur, antequam a peccatis absolvantur. Ergo &c.

Altera: Qui sæpius non stat promissis, non nisi prævia probatione, & post exantelatos aliquandiu juxta peccatorum gravitatem, pœnitentiæ labores absolvi debet: Sed experientia quotidiana ostendit eos qui peccatorum habitu gravantur, non stare promissis. Ergo &c.

Tertia: Ut Minister absolvat pœnitentem, debet esse moraliter certus de veritate ejus contritionis: Atqui moraliter loquendo, certus non est, nisi probationis exercitio certitudinem respectu pœnitentis, qui malis laborat habitudinibus habeat. Ergo &c.

Diluuntur Objecta.

OBJICIES: Matth. 11: hæc leguntur, *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Igitur Sacerdos qui vices Christi gerit, debet pœnitentibus beneficium absolutionis citra moram impertiri.

Respondeo. distinguendo consequens: Debet pœnitentibus, qui juxta Evangelii præcepta vixerint, & qui jugum Christi super se portaverint, concedo: indiscriminatim, nego: Jugum Christi in hoc suave est, quod ad veram conducat justitiam, quæ non nisi justis Pœnitentiæ laboribus

& ad mensuram præscriptis, comparatur. Sed hoc parum est, ipso dicente Apostolo 2. Cor. 4. *Momentaneum & leve tribulationis nostræ . . . . Æternum gloria pondus operatur in nobis.*

Instabis : Christus Dominus præcepit Petro Matth. 18. ut omnibus veniam petentibus, quotiescumque efflagitaverint, concederet : Igitur a pari Sacerdos absolutionis beneficium quoties petitur, ultro conferre debet.

Respondeo distinguendo : Id est eis a quibus injuriis fuerit dilaceratus, concedo : veniam peccatorum in tribunali Pœnitentiæ, omissis dispositionibus requisitis ex parte peccatoris, nego. Neminem latere debet ibi Christum prohibere vindictam, & ad condonationem injuriarum, stimulare. Ibidem enim subditur : *Serve nequam, omne debitum dimisi tibi quoniam rogasti me : nonne oportuit & te misereri conservi tui, sicut & ego tui misertus sum? Et iratus Dominus ejus tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet universum debitum. Sic & Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.*

Urgebis : Lucæ c. 6. sic Christus ad Apostolos, ait : *Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est* : Igitur quemadmodum Deus, semper est paratus hominibus ignoscere, ita & Sacerdos qui in Tribunali Pœnitentiæ vices ejus gerit.

Respondeo distinguendo consequens : Sicut Deus est paratus dare veniam conversis, ita & Sacerdos debet esse, concedo : Quibuscumque, nego. Jam vero qui in peccati habitudine versatur, non debet censeri conversus, nisi emendationis debito tempore dederit argumenta. Alias confessarius reddet Deo pro culpa sua rationem, ut indicant ista S. Ambrosii verba L. 2. de Pœnit. c. 9. " Nonnulli ideo poscunt Pœnitentiam, ut statim sibi reddi communionem velint. Hi non tam se solvere cupiunt, quam Sacerdotem ligare ; suam enim conscientiam non exuunt, Sacerdotis induunt. "

Insistes : Christus nulla interposita mora mulieri in civitate peccatrici peccata condonavit : vel ipsi Apostoli multa hominum millia aquis Baptismalibus tingebant, inter quos haud dubie multi malis peccatorum habitibus detinebantur. Quidni & idem facient Sacerdotes?

Respondeo distinguendo : Et illis omnibus Christus donum contritionis largitus est, quod nullus hominum potest efficere, concedo : & absque dispositionibus absoluti sunt, nego. Etenim mulier peccatrix ad pedes ejus provoluta est, lacrymis caput rigare, & capillis capitis tergere cœpit. Immo ideo ei multa condonavit peccata Salvator, quia dilexerat multum. Quod spectat ad Apostolos, credendum est, illos homines in vera fuisse animi dispositione a vitiis abstinendi, quippe qui de salutis via ab eis edocti, suum percutiebant pectus ; a cultu idolorum secedebant. Tum & sæpius fidem suam proprii sanguinis effusione consignabant.

Persistes : Fides adhibenda est pœnitenti qui testatur se velle a peccatis recedere, maxime cum Ecclesia non judicet de internis. Ergo &c.

Respondeo: non verba sed facta requiri ab ejusmodi peccatoribus; experientia quippe quotidiana comprobat eos, ut fucum faciant, ea spondere, a quibus corde prorsus alieni sunt. De illis loquens dicit S. Gregorius Magnus L. 6. c. 15. in L. 1. Reg. " Signum veræ conversionis, non est in oris confessione, sed in afflictione Pœnitentiæ ; tunc namque bene conversum peccatorem cernimus, cum digna afflictionis austeritate delere nititur, quod loquendo confitetur ; unde Joannes Baptista male conversos Judæos ad se confluentes increpans, ait, Genimina viperarum quis ostendit vobis fugere a ventura ira? facite ergo fructus dignos Pœnitentiæ ; in fructu ergo non in foliis aut ramis, pœnitentia cognoscenda est. " Neque vero insolitum est impium imperfecta, & inefficacia conversionis desideria, pro ipsa conversione sumere, quæ dubio-procul non sufficiunt ad placandum Deum, ut videre est in pœnitentia tum Saulis, tum Antiochi, qui ore tenus & non corde de peccatis dolebant, hinc & uterque abjectus est a Domino.

Ad confirmationem distinguo : Ecclesia non judicat de internis in foro contentioso, concedo : Tunc enim judicium secundum allegata & probata regulatur.

tur. In foro pœnitentiali, nego. Istud quippe est internum, scrutans corda & renes ibi Deus Sacerdotis Ministerio; hinc confessarius debet habere conversionis argumenta priusquam ligatum peccatorem solvat.

Replicabis: Fieri potest ut peccator vere sit contritus, quod sane non semel contingit; & hoc potest illustrari exemplo Latronis, qui pendens in cruce primum Christo improperabat; subito vero conversus veniam ab eo petiit, & ita exauditus est, ut Salvator ipsi expostulanti regnum Dei, Luc. 23. responderit, *Hodie mecum eris in Paradiso*. Igitur credendum est pœnitenti de peccatis se vere dolere affirmanti, & absque mora absolvendus est, sin minus procrastinatio, mortis æternæ periculo eum committit.

Respondeo negando consequentiam propter rationes iterum atque iterum laudatas.

Ad probationem distinguo: Et Latro dederat vera conversionis signa, concedo: Et non dederat, nego. Eo doloris gradu ad Christum conversus erat, ut Latronem alterum blasphemantem Dominum sic increpaverit. *Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es. Et nos quidem juste, nam digna factis recipimus. His vero nihil mali gessit*. Merito igitur ei peccatorum veniam concessit Christus, qui jam jam dixerat & promiserat Matth. 10. *Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.*

Ad ulteriorem probationem fecimus satis supra dicendo Deum non deficere in necessariis, & vel ipsam Ecclesiam habere hujusmodi fideles in laboribus pœnitentiæ e vita migrantes, tamquam contritione perfecta justificatos, & in pace Christi defunctos, ut paret de Catechumenis ad aliam vitam transmigrantibus. Instar omnium sit Imperator Valentinianus, qui diem ultimum Catechumenus clausit, & tamen ut justus. Sic testatur S. Ambrosius Orat. Fun. de obitu Val. ubi suum sic alloquitur populum: " Audio vos Principis casum maxime dolere, quod non acceperit Sacramenta Baptismatis: dicite mihi quid aliud in nobis est nisi voluntas, nisi petitio? Atqui etiam dudum hoc votum habuit, non habet ergo gratiam quam desideravit? Non habet quam poposcit? Et quia poposcit, accepit; & ubi illud est, Justus quacumque morte præventus fuerit, in refrigerio erit? . . . Nec nos quidem dubitamus de meritis Valentiniani, sed jam credamus vel testimoniis Angelorum, quod deterta labe peccati ablutus, ascendit, quem sua fides lavit, & petitio consecravit. "

Reponos: Multa inde eveniunt incommoda I. fama peccatoris venit in periculum; quid enim de illo dicent noti & commensales, si eum præcepto annuæ communionis non satisfecisse comperiant? Neque vero citra magnum scandalum quandoque continget benedictionem nuptialem inter sponsandos raram, procrastinandam tamen esse. Sed hæc inconvenientia removenda sunt, cum potestas Ecclesiæ sit in ædificationem, & non in destructionem. Ergo &c.

Respondeo distinguendo minorem: Removenda sunt impedimenta si sit majus bonum, concedo: si non sit, nego. Prodest autem ad salutem peccatori ejus probatio; quæ si omittenda foret, Sacerdos deberet quoque absolutionem dare iisqui nolunt aut aliena restituere, aut reconciliationem inire cum inimicis; id ergo sibi imputent illi. Quod spectat ad communionem Paschalem, notum est omnibus, huic præcepto satis non fieri communione sacrilega, quare Synodus Lateranensis quæ præceptum injunxit, dilationem utique sinit: " Nisi forte, *inquit*, de consilio proprii Sacerdotis ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum. "

Ad ultimum, eadem est responsio ac ad præcedentia. Ceterum admonendus est peccator, satius ei esse nuptias procrastinare, quam duplicis sacrilegii reum evadere; necesse est igitur ab occasione peccandi recedere, priusquam quis reconcilietur; quidquid inde detrimenti temporalis patiatur; ait enim Christus Matt. cap. 5. *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & projice abs te; expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam &c.*

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Qui peccatorum graviorum habitu detinentur antequam absolvantur, probandi sunt.

PRIMO: Hoc ipsum subindigitat Apostolus 1. Cor. 11. ubi loquens de Eucharistia accipienda, exigit ut ad eam accedens prius probetur: Idem sane dicendum est de pœnitente, ne illudat Sacramento, & ficte accedat.

Secundo: Talis fuit ab omni ævo Ecclesiæ praxis, ut pœnitentes gravissimorum peccatorum rei, antequam absolutionis beneficium acciperent, probarentur, ut liquet ex toto S. Cypriani sermone de lapsis.

Tertio: Peccatores ut plurimum non stant promissis: Igitur qui graviorum peccatorum habitu detinentur, prius probandi, quam absolvendi sunt.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Vult quidem Christus ut onerati accedant ad se, sed cum requisitis dispositionibus, quæ Ecclesiæ sæpius, nisi præmissa probatione, innotescunt.

Secundo: Ultro fatemur Christum non semel absque mora, famosos absolvisse peccatores; sed ut Deus, & cuncta noverat, & ipse ex misericordia contritionem requisitam operabatur. Cum igitur tam mira patrare non conveniat Sacerdoti, opus est ut probet peccatorem.

Tertio: Neque hanc probationem impedit timor mortis subitaneæ; non enim Deus deficit in necessariis, quocirca, si mors contingat, tempore probationis, Deus ex indulgentia gratiam contritionis perfectæ, qua salvari queat, elargietur.

SECTIO QUINTA.

Utrum, accepta sacerdotali absolutione, peccator restituatur in bonis spiritualibus per peccatum deperditis?

PRÆNOTANDUM est, opera hominis esse in quadruplici differentia; alia viva dicuntur, quædam sunt mortua, nonnulla mortificata, multa denique mortifera. Priora sunt charitate formata: Secunda quidem bona objective, & ex natura sua, sed defectu charitatis, vitæ æternæ non sunt meritoria, ut est eleemosyna compassionis naturalis motivo pauperi ab impio elargita: tertia a charitate quidem promanarunt; quia vero justus per peccatum mortale subsequens a gratia excidit, suspenditur pristinæ justitiæ effectus, donec a morte spirituali animæ, per pœnitentiam resurgat ad vitam: postrema mala sunt ex genere suo, & inducunt reatum tum culpæ, tum pœnæ æternæ.

Impræsentiarum non loquimur de primis, quippe quæ charitati, quæ est vita animæ, semper conjungantur, adeoque ea reviviscere non opus est: Neque etiam de secundis, & de ultimis; cum enim vitam numquam habuerint, vitam utique resumere non possunt: Tota igitur difficultas est de operibus mortificatis, & quæritur an per Pœnitentiam reviviscant, idest, recuperent jus quod habebant ad gloriam, tum essentialem, tum accidentalem?

Gonetus existimat, merita quidem reviviscere secundum præsentem dispositionem subjecti, ita ut si peccator resurgat per dispositionem ut sex, habebit quidem gratiam, & gloriam illi correspondentem ut sex, immo utique & de omnibus meritis præteritis sex gloriæ gradus. Hic disput. 6. art. 2. Idem sentiunt Soto, Ledesma. Et alii.

Bannes 2. 2. q. 24. art. 6. omnibus durior, vult pœnitentem solum recuperare de pristinis meritis jus ad præmium accidentale; De Lugo vero, Suarez, Isambertus, & alii gravissimi Theologi tenent merita reviviscere adæquate, hoc est, jus totale ad gloriam, quam homo meruerat per merita præterita, restaurari. Mens D. Thomæ non satis claret circa hanc quæstionem, videtur tamen subscribere istis. Sit igitur

CON-

CONCLUSIO PRIMA.

Merita per Pœnitentiam reviviſcunt, ad præmium eſſentiale.

Probatur multis momentis.

PRIMO *ex Scripturis*: Ezechielis 36. habetur, *Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die converſus fuerit*. Rurſus Joel. 2 *Reddam vobis annos quos comedit Locuſta, & Bruchus*. Quod interpretes explicant de reviviſcentia meritorum. Unde ſic infero: Si merita non reviviſcerent ad præmium eſſentiale ad quod habebant jus, certe impietas impii noceret illi; quandoquidem privaretur per æternitatem aliquo gloriæ gradu quem meruerat: Item omnes anni quos comederat Locuſta, & Bruchus, id eſt merita, non reſtituerentur: Sed hoc aperte ſacræ adverſatur Scripturæ, ut patet; Ergo &c.

Secundo ex Concilio Tridentino Seſſ. 6. cap. 16. ubi ſic habetur: " Hac igitur „ ratione juſtificatis hominibus, ſive ac„ ceptam gratiam perpetuo conſerva„ verint, ſive amiſſam recuperave„ rint, proponenda ſunt Apoſtoli verba, „ *Abundate in omni opere bono; ſcientes „ quod labor veſter non eſt inanis in Domi„ no; non enim eſt injuſtus Deus ut oblivi„ ſcatur operis veſtri boni, & dilectionis quam „ oſtendiſtis in nomine ipſius*: " Tum infra exigit ſolum, ut homo in gratia moriatur, ad hoc ut opera in charitate facta valeant ad gloriam: Unde ſic argumentor. Labor pœnitentis non eſt inanis in Domino, quia ex Tridentino non eſt injuſtus Deus ut obliviſcatur operis boni pœnitentis: Sed certe ſi opera in charitate facta non reviviſcerent ad præmium eſſentiale, eſſet labor inanis, ſaltem magna ex parte, & hoc eſt contra Concilium. Igitur dicendum eſt opera in charitate facta, reviviſcere ad gloriam eſſentialem.

Tertio: Rationibus D. Thomæ hic q. 89. art. 5. in corp. prima: Cauſa impedita, ſublato impedimento, ſuum ſortitur effectum: Sed opera ex charitate facta, habent jus ad gloriam, quod quidem jus ſuſpenditur per peccatum adveniens. Illud autem impedimentum tollitur per pœnitentiam. Ergo &c.

Altera hæc eſt. Quod manet in acceptatione divina, ſuum tandem aliquando obtinet præmium quod meruit: Sed tametſi bona opera vitæ æternæ meritoria ſiut mortificata, remanent tamen in acceptatione divina eo protſus fine, ut peccator reconciliatus eorum ſuſcipiat fructum. Ergo &c.

Tertia: Opinio contraria iſto falſo innitur fundamento, quod opera meritoria per peccatum, quod juſtus ex fragilitate committit, deſtruantur. Sed ex S. Thoma loco citato ad 2. Opera in charitate facta non mortificantur ſecundum ſe, ſed ſolum per impedimentum ſuperveniens ex parte operantis. Ergo &c. Sanctus Doctor eo loci adverſantium confutat ſententiam his verbis in corpore, ubi ſic loquitur. " Quidam dixerunt, quod „ opera meritoria per peccatum ſequens „ mortificata, non reviviſcuut per pœni„ tentiam ſubſequentem, conſiderantes, „ quod opera illa non remanent, ut iterum „ vivificari poſſint. Sed hoc impedire non „ poteſt, quin vivificentur: non enim habent „ vim perducendi in vitam æternam, „ quod pertinet ad eorum vitam ſolum „ ſecundum quod actu exiſtunt, ſed et„ iam poſtquam actu eſſe deſinuut ſecun„ dum quod remanent in acceptatione „ divina. Sic autem remanent quantum „ eſt de ſe, etiam poſtquam per pecca„ tum mortificantur: quia ſemper Deus „ illa opera, pro ut facta fuerunt, ac„ ceptabit & Sancti de eis gaudebunt: „ ſecundum illud Apocal. 2. Tene quod „ habes, ne alius accipiat coronam tuam. „ Sed quod iſti, qui ea fecit, non ſint „ efficacia ad ducendum in vitam æter„ nam, provenit ex impedimento pecca„ ti ſupervenientis, per quod ipſe red„ ditus eſt indignus vita æterna. Hoc „ autem impedimentum tollitur per pœ„ nitentiam in quantum per eam remit„ tuntur peccata. Unde reſtat, quod o„ pera prius mortificata, per pœniten„ tiam recuperant efficaciam perducendi „ eum qui fecit ea, in vitam æternam, „ quod eſt ea reviviſcere. Et ita patet „ quod opera mortificata, per pœniten„ tiam reviviſcunt. „

CONCLUSIO SECUNDA.

Merita reviviscunt per Pœnitentiam adæquate.

Sensus Conclusionis est : Deus reddit peccatori justificato jus ad omnes gradus gloriæ nedum essentiales, sed & accidentales, quod ante peccatum habebat; Tum & novum ejusdem gloriæ gradum correspondentem præsenti dispositioni, quæ quidem duo operatur. Primo, disponit ad justificationem, & gratia justificans datur secundum intensionem contritionis quam pœnitens elicit; Deinde vero tollit impedimentum, scilicet peccatum, quod suspendebat jus præteritorum meritorum ad gloriam. Istud ultro concedunt vel ipse Gonetus, & alii : Difficultas est solum de prima parte, videlicet; num præcedentia opera reviviscant ad omnem pristinam meritorum quantitatem respectu gloriæ : Et respondemus affirmative.

Probatur multipliciter.

Primo : Omnibus argumentis in prima conclusione allatis, quæ totaliter militant pro ista utique conclusione.

Secundo : Exemplo Davidis, qui expleta de criminibus mortiferis pœnitentia, in pristino remansit honore, ut loquit Augustinus Epist. 50. ad Bonifacium; tum & exemplo D. Petri, qui post negationem, Pastor ovium Christi constitutus est, ut patet Joan. ultimo, unde Chrysostomus homilia 87. in Joannem dicit, quod Petrus post negationem & pœnitentiam, ostendit se majorem habere fiduciam ad Christum: qui enim non audebat in Cœna interrogare illum, sed Joanni interrogationem commisit, huic postea, præpositura fratrum credita est : & non solum non commisit alteri interrogare quæ ad ipsum pertinent; sed de reliquo ipse pro Joanne Magistrum interrogat : Igitur merita reviviscunt adæquatè; quandoquidem Petrus post negationem non solum in pristinam dignitatem restitutus est; sed etiam majorem habuit erga Christum fiduciam, & familiaritatem.

Tertio : Ex eodem S. Chrysostomo, qui Homil. 6. in Genes. hanc inter bona temporalia quæ deperduntur, & spiritualia constituit discrepantiam, quod istis in instanti pristina abundantia restitui possit, contra vero illis; sic enim ibi loquitur: " Hic autem per misericordiam Dei, si „ modo condemnare facta nostra, & jam „ sistere ignaviam voluerimus, poteri„ mus statim ad pristinam abundantiam „ redire. Talis enim est Dominus no„ ster, tamque magnificus & liberalis.„ Igitur ex sancto Chrysostomo merita reviviscunt adæquate per pœnitentiam; alias non diceret illa redire ad pristinam abundantiam.

Quarto : Ex S. Augustino; S. Doctor Epist. 54. ad Macedonium loquens de adulto qui propter peccata subiit pœnitentiam publicam, & iterum in peccata relabitur, ait : " In tantum hominum „ iniquitas aliquando progreditur, ut post „ actam pœnitentiam, post altaris recon„ ciliationem, vel similia, vel graviora „ committant : & tamen Deus facit et„ iam super tales oriri suum solem; nec „ minus tribuit quam antea tribuebat „ largissima munera vitæ ac salutis; & „ quamvis in Ecclesia eis locus humilis „ pœnitentiæ non concedatur, Deus ta„ men super eos suæ patientiæ non obli„ viscitur. „ Sed si merita non reviviscerent adæquate, falsum esset quod dicit D. Augustinus, videlicet Deum non minus tribuere. Ergo &c.

Quinto : Ex S. Thoma in 4. dist. 2. art. 3. quæstiunc. 3. sic loquitur : " Di„ cendum quod opera in charitate facta „ etsi transeant actu; manent tamen „ quantum ad meritum in Dei accepta„ tione. & secundum quod sic manent, „ habent efficaciam quantum in ipsis est „ inducendi facientem ad vitam æternam, „ & sic dicuntur viva manere; sed quod „ hunc effectum in peccatore non habe„ ant, est per accidens, propter pecca„ tum quod facit peccatorem indispositum „ ad percipiendum effectum præcedentium „ meritorum, non autem quod ab ipsis „ operibus aliquid dematur cum in suo „ fieri efficaciam prædictam obtinuerint, „ hoc ipso quod ex charitate sunt elici„ ta, quod eis sequens peccatum auferre non posset : Et ideo remota indispositione a peccatore per pœniten„ tiam,

„ tiam, effectum in ipso iterum habere „ incipiunt, & secundum hoc dicuntur „ vivificari. „ Nihil clarius istis verbis, namque S. Thomas dicit nihil minui ex antiquis meritis, & rationem reddit quia habent efficaciam a charitate in qua facta sunt, quæ per sequens peccatum ab illis nequi auferri, unde inquit, remota indispositione & obice reviviscunt; sed ista omnia essent falsa, si merita non reviviscerent adæquate: Ergo &c.

Sexto: Ratione ulteriori, quam D. Thomas hic q. 89. art. 5. affert pro nostra conclusione. Merita præcedentia habent efficaciam a charitate in qua facta sunt, & secundum illam ex D. Thoma mensurantur: Igitur remoto obice, per dispositionem præsentem justificantem reviviscunt totaliter. Probatur consequentia: Ex D. Thoma hic ibidem, merita reviviscunt ad præmium essentiale; ex eodem habent efficaciam a charitate in qua facta sunt: Rursus ex eodem dispositio, seu charitas præsens se habet solum ut prohibens removentia: Igitur si merita habent efficaciam a charitate in qua facta sunt, debent reviviscere secundum omnem gradum quem acceperunt a tali charitate.

Unde sic insurgo contra Gonetum, & alios: Merita reviviscentia habent efficaciam a charitate in qua facta sunt, & non a charitate per quam homo resurgit: Igitur vel nullo modo resurgunt ad præmium essentiale, quod est contra S. Thomam; vel si resurgant, resurgunt adæquate. Concedunt Auctores adversæ sententiæ quod opera in charitate facta antequam justus a sua excideret justitia, resurgant ad præmium essentiale; unde cum De Lugo, & Suarez sic argumentor: Charitas in qua resurgit homo non habet majorem efficaciam ut influat in merita pristima secundum magis vel minus; nam si ex Goneto, Nugno, & aliis, non solum removet prohibens, sed ulterius habet ut intensionem suam communicet meritis antiquis; non est potior ratio cur illis communicet suam intensionem, quam restituat propriam; si ex sancto Thoma habent efficaciam a charitate in qua facta sunt, charitas præsens habet solum ut removeat prohibens, & influit intensionem solum negative, & tamquam removentem prohibens. Igitur antiqua bona opera totam quam habuere dum facta sunt, meritorum quantitatem & pondus obtinent.

Rursus: Dicere cum aliis Auctoribus charitatem præsentem influere in quodlibet opus præcedens suam intensionem, est dicere charitatem agere extra suam activitatem; quandoquidem terminatur ad præsentem actualem dispositionem: Quin immo dicere est opera pristina non habere efficaciam ex charitate in qua facta sunt; sed ab illa in qua resurgunt. Atqui hoc manifeste S. Thomæ adversatur.

Diluuntur Objecta contra primam Conclusionem.

Objicies: Hugo a S. Victore L. 2. de Sacramentis p. 14. c. 4. sic loquitur: " Nemo debet in spe correctionis pecca- „ re, quia quod semel amittitur, ipsum „ amplius non recuperatur. „ Igitur merita non reviviscunt.

Respondet D. Thomas in 4. dist. 14. q. 2. art. 3. quæstiunc. 3. ad 1. Hugonem loqui de bonis temporalibus amissis quæ numquam recuperantur, non vero de bonis mortificatis.

Instabis: Per gratiam totaliter abolentur peccata. Ergo a pari & merita per peccatum. Probatur consequentia: Scriptura eodem modo loquitur de illis ac de istis: Ergo &c.

Respondeo negando consequentiam & paritatem. D. enim Thomas respondens ad hoc argumentum hic q. 89. art. 5. ad 1. sic loquitur: " Dicendum, quod opera „ peccati per Pœnitentiam abolentur se- „ cundum se, ita scilicet quod ex eis „ ulterius, Deo indulgente, nec macu- „ la, nec reatus inducantur: Sed ope- „ ra in charitate facta non abolentur a „ Deo in cujus acceptatione remanent. „ Rursus in 4. dist, 22. q. 1. art. 1. ad 6. hanc affert ulteriorem disparitatem, his verbis: " Remissio peccati est principa- „ liter opus Dei; sed mortificatio meri- „ torum præcedentium est opus homi- „ nis; homo autem sua actione non pos- „ set evacuare simpliciter opus Dei, „ quamvis possit impedire ne sibi prosit; „ & ideo homo per peccatum sequens

„ non posset remissionem peccatorum præcedentium annullare; posset autem sua „ actione evacuare quod per ipsum factum est; & ideo posset mortificationem præcedentium meritorum per merita sequentia penitus annullare, præcipue gratia adjutus. „

Ad probationem distinguo : Et Scriptura loquitur per distributionem accommodam, in quantum sicut gratia destruit peccatum , ita peccatum secundum quid destruit merita , hoc est illorum suspendit valorem, concedo: Et est intelligenda in sensu obvio & uniformiter in utraque hypothesi, nego. Nam ipsa dicit peccatum projici in profundum maris per pœnitentiam , & penitus aboleri : non autem rigorose ita loquitur de meritis mortificatis : Et vero gratia directe peccato adversatur, unde illud penitus abolet : Sed peccatum non directe opponitur meritis , seu juri ad gloriam relicto per merita . Quocirca dispar est ratio , & paritas inadæquata.

Urgebis : Ideo peccata non redeunt , quia gratia abolet maculam ; Sed peccatum similiter destruit virtutem meritorum: Ergo sicut peccata remissa non redeunt , ita nec merita mortificata . Probatur minor: Peccatum fortius agit quam gratia in suum contrarium , quandoquidem est malitiæ simpliciter infinitæ, gratia vero bonitatis finitæ : Igitur sicut gratia penitus abolet peccatum, ita peccatum & merita.

Respondeo negando minorem . Ad probationem distinguo : Peccatum agit fortius quam gratia sumpta secundum se , transeat; nam propositio solum valet de hoc quod directe opponatur peccato, unde cum valor meritorum qui manet in acceptatione divina ad gloriam non directe opponatur peccato; non tam fortiter agit peccatum in merita , quam gratia; ut merita subsunt legi misericordiæ Dei, nego. Merita autem manent in acceptatione divina ad gloriam , non solum ut causata sunt a gratia, sed ut subsunt misericordiæ Dei , quæ vult illa acceptare simpliciter ; modo removeatur obex , & homo moriatur in gratia , quam solam conditionem exigit Tridentinum Sess. 6. cap. 16. " Hac igitur ratione justificatis „ hominibus, sive acceptam gratiam perpetuo conservaverint , sive amissam recuperaverint , proponenda sunt Apostoli verba : *Abundate in omni opere bono.* „

Insistes : In Scripturis sacris passim legitur peccata redire per sequens peccatum , & tamen de facto non redeunt , ut dictum est. Igitur a pari & merita tametsi dicantur reviviscere . Quod autem peccata quandoque dicantur redire, probatur ex Scriptura sacra. I. Psal. 108. habetur: *In memoriam redeat iniquitas patrum ejus in conspectu Domini*. II. L. 3. Reg. 17. Vidua quædam sic alloquitur : *Quid mihi, & tibi vir Dei? ingressus es ad me , ut rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum*. Denique Matth. 18. licet Dominus servo nequam cuncta debita remisisset , audita tamen ejus in fratrem crudelitate, voluit ut redderet universum debitum. Servus ille est peccator qui accepit a Domino veniam , & non vult parcere fratri ; unde per istud peccatum venia prorsus aufertur . Ergo a pari &c.

Respondeo negando antecedens pro illa parte quæ dicit peccata remissa redire . Ad probationem distinguo : Peccata præcedentia redeunt , quoad aliquid , concedo ; quoad omnia , nego. Peccata remissa dicuntur redire in duobus : Primo quidem juxta similitudinem effectus, quatenus subsequens peccatum exitiale , inducit sicut præcedens mortale reatum & culpæ & pœnæ æternæ; sed non simpliciter , cum fuerit prorsus deletum . Secundo , ratione ingratitudinis ; quandoque enim contingit peccatum iterati lapsus magnam spirare ingratitudinem , & ratione malitiæ præponderare seu æquivalere peccatis prioribus jamjam remissis; de qua quidem ingratitudinis malitia conquetitur per Prophetam Deus , dicens Psal. 54. *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique . : . . Tu vero homo „ unanimis . . . . Qui simul mecum dulces capiebas cibos*. In hoc sensu Jacobi 2. dicitur : *Qui peccat in uno , factus est omnium reus*.

Solutio est D. Thomæ hic q. 88. art. 3. his verbis : " Dicendum quod quidam „ dixerunt , quod ex peccato sequenti „ propter ingratitudinem consurgit tantus reatus, quantus fuit reatus peccatorum

„ torum prius dimissorum super reatum „ proprium hujus peccati, sed hoc non „ est necessarium, quia supra dictum est, „ reatus præcedentium peccatorum non „ reddit per peccatum sequens, in quantum sequebatur ex actibus præteritorum peccatorum, sed in quantum consequitur actum sequentis peccati. Et „ ideo oportet quod quantitas reatus redeuntis sit secundum gravitatem peccati subsequentis. Potest autem contingere, quod gravitas peccati subsequentis adæquatur gravitati omnium „ peccatorum præcedentium. „

Solvuntur Objectiones contra secundam Conclusionem.

OPPONES I. Amos 5. legitur: *Virgo Israel cecidit*, super quod Glossa dicit, non negat posse ressurgere, sed non resurget Virgo Israel. II. Jeremias ait, quod quicumque dignitatem divini gradus custodiunt, contenti fiant animam salvare, reverti enim ad pristinum gradum difficile est, unde Innocentius Papa Epist. 6. ad Agapitum, quod apud Synodum Nicænam constituti sunt canones quibus prohibetur ne pęnitentes Clerici, minimis officiis fungantur in Ecclesia. III. Ezechielis 44. legitur: Levitæ qui recesserunt a me, numquam appropinquabunt mihi ut Sacerdotio fungantur. Unde in Decreto Gratiani dist. 50. legitur Ilerdense Concilium Sacerdotes peccato carnis contaminatos prohibere ne ad officia sua ulterius promoveantur: Sed ista omnia probant saltem merita non reviviscere adæquate; nam virginitas v. g. non redit nisi inadæquate. Item Sacerdotes lapsi tametsi pœnitentes, non tamen restituebantur ad aliqua maxima officia, immo quandoque ad nulla, sed prorsus e gradu dejecti manebant.

Respondeo negando consequentiam; locus enim Amos nihil urget, quippe qui non fit contra meritorum reviviscentiam, sed virginitatis adequate sumptæ; quia inquit S. Thomas, quod semel corruptum est, fieri non potest ut sit integrum.

Ad secundum, Jeremias, inquit D. Thomas hic q. 89. art. 3. non dicit gradum dignitatis non redire, sed esse difficile hominem post peccatum, pristinum recuperare gradum.

Ad tertium respondet D. Thomas ibidem his verbis: "Ad tertium dicendum „ est, quod illud statutum intelligitur de „ illis qui publicam pęnitentiam agunt, „ qui postmodum non possunt ad ma„ jorem gradum provehi. „ Unde in corpore articuli dicit hominem duplicem amittere dignitatem per peccatum, unam quantum ad Deum, aliam vero quantum ad Ecclesiam. Illa quæ est ad Deum duplex est, altera principalis qua homo ante peccatum computatur inter filios Dei per gratiam, & hanc recuperat per pœnitentiam, inquit sanctus Doctor, quod significatur Lucæ 15. in filio prodigo restituto ad hæreditatem paternam. Alia est secundaria, & est innocentia, de qua Lucæ 15. gloriabatur filius senior, dicens, ecce tot annis servio tibi, & numquam mandatum tuum præterivi, hancque dignitatem non potest homo recuperare per pęnitentiam, quandoquidem inquit D. Th. peccator magnopere conversus recuperat aliquid majus: in quantum fortius post conversionem debellat hostes suos quam ante, & ideo lætatur cęlum in conversione peccatoris; quæ vero est respective ad Ecclesiam secundum antiquos canones non poterat recuperare, quia inquit D. Thomas, Clericus peccans publice, indignum se reddit ad ea quæ competunt dignitati Ecclesiasticæ exercendæ, & licet convertatur, populus semper torvis oculis illum respiceret; unde non veneraretur Sacramenta ab illo exibita: idcirco Ecclesia prohibuit ut restitueretur; sed non sic ratiocinandum est de meritis; nam Glossa super illud Joelis 2. *Reddam vobis annos quos commedit locusta*, dicit: " Non patior perire ubertatem „ quam cum pertubatione animi amisi„ stis. „ Hoc argumento utitur S. Thomas art. 5. ut probet reviviscere merita: sed ex Glossa reviviscunt secundum pristinam ubertatem: Ergo & adæquate.

Replicabis: Deus promittendo restitutionem meritorum in Scripturis, non quamcumque conversionem exigit, sed quæ fit ex toto corde, & quæ fit plena: sed peccator pœnitens sæpius non ossi remissam dat contritionem, Igitur merita non reviviscunt adæquate.

Re-

Respondeo distinguendo majorem: Exigit Deus ut peccator justificandus ex toto corde illum appretiative diligat, concedo: ex toto corde quantitative, ita ut contritio sit intensissima, subdistinguo; ad melius, concedo; absolute, nego. Et sic distincta minore, nego consequentiam. Duo sunt in hoc salutis negotio attendenda, videlicet justificatio peccatoris, & reviviscentia meritorum. Ad primum sufficit ut peccator diligat Deum plusquam cuncta bona creata, & suum ultimum in eo reponat finem, quod est appretiative illum super omnia diligere: Ad secundum vero satis est quod removeatur prohibens, scilicet peccatum quod suspendebat merita. Utrumque facit gratia in Sacramento Pœnitentiæ suscepta: nam & justificat peccatorem, & eatenus facit merita reviviscere, quatenus tollit peccatum, quo merita suspensa manebant.

Insistes: Concilium Tridentinum Sess. 6. cap. 16. dicit primo, nostrorum bonorum operum non oblivisci, tum, & *reddet unicuique secundum opera sua*. Quæ quidem verba hunc reddunt sensum, ait Gonetus hic disp. 6. art. 2. §. 1. " Si Petrus ante ,, quam peccet mortaliter, habuerit me- ,, rita ut viginti, & resurgat per con- ,, tritionem ut quatuor, detur ei gratia ,, in esse gratiæ, & jus ad visionem beati- ,, ficam usque ad octavum gradum, qua- ,, tuor gradus propter præsentem contri- ,, tionem, & quatuor alii propter præ- ,, cedentia merita. ,, Igitur merita non reviviscunt adæquate; sin minus prævaricator vix in aliquo criminis antecacti lucret pœnas.

Respondeo distinguendo: Merita reviviscunt secundum propriam mensuram, concedo: secundum mensuram gratiæ conversionis, nego. Nam expresse ex S. Thoma, non ad mensuram secundum gratiam per quam homo resurgit, sed secundum charitatem in qua facta sunt, quæ illorum est mensura, attendendum est.

Ad probationem dico, prævaricatorem luere scelerum pœnas, in quantum majoribus pœnis temporalibus addicitur; & minores ad gloriam gradus habet.

Repones: D. Thomas in 3. dist. 31. q. 1. art. 4. quæstiunc. 3 ad 4. sic loquitur: " Sicut ex prædictis patet per pro- ,, pria merita mercebatur sibi tantam ,, gloriam, quantam charitatem habebat: ,, Sed ipse per peccatum factus est alter, ,, & non plenarie ad pristinum gradum ,, restitutus; & ideo non plenarie reci- ,, piet effectum priorum meritorum, nisi ,, quantum ad præmium accidentale. ,, Rursus hic q. 89. art. 5. ubi ex professo tractat nostram quæstionem ait: " Ad 3. ,, dicendum, quod ille qui per pœniten- ,, tiam resurgit in minori charitate, con- ,, sequetur quidem præmium essentiale ,, secundum qualitatem charitatis in qua ,, invenitur; habebit tamen gaudium ,, majus de operibus in prima charitate ,, factis, quam de operibus quæ in secun- ,, da fecit, quod pertinet ad præmium ac- ,, cidentale. ,, Igitur merita non reviviscunt adæquate.

Respondeo, S. Thomam non negare merita reviviscere ad præmium essentiale, quandoquidem dicit quod homo habiturus sit præmium essentiale tam de antiquis meritis, quam de charitate in qua resurrexerit: nam quod non tribuat solum pristinis meritis præmium accidentale, patet ex eo quod dicat hominem habiturum esse gaudium majus de operibus in charitate factis, quam de operibus quæ in secunda fecit. Igitur discrimen quod statuit inter utraque opera, non est quod prima careant præmio essentiali, sed quod homo habiturus sit magis de gaudio pro illis, quam pro secundis; ista sufultus ratione, quod qui in minori charitate resurrexit, non tantum debeat habere gaudium, quam pro operibus in magna charitate factis. Et ut paucis absolvam, sanctus Doctor in locis laudatis non agit præcise de præmio essentiali, prioribus actibus in magna charitate factis correspondente, sed de eo, qui remissiori charitati, per quam resurgit, attribuitur.

Persistes: Gloria datur, secundum dispositionem gratiæ, in qua homo invenitur dum moritur, nam lumen gloriæ proportionatur tali gratiæ: Sed supposito quod in instanti immediate antecedenti mortem, homo resurrexerit ad gratiam ut quatuor in esse physico, dabitur gloria in esse physico secundum gratiam præsentem in esse physico: Igitur etiamsi homo antea habuerit merita ut centum, habebit solum gloriam in esse physico ut quatuor, adeoque merita non revivi-

vivificant, secundum charitatem in qua facta sunt.

Respondeo, hominem in instanti separationis animæ, prorumpere in actum charitatis physicum adæquantem omnes gradus gloriæ, quos toto vitæ curriculo promeruit. Ergo si statim in cœlum convolet, tunc ei infunditur lumen æque intensum physice, & in gradu omnia adæquante merita, ut gloriam debitam habeat, quod fit misericordia Dei, quæ non deest in necessariis; unde si homo mereatur gloriam ut centum, Deus dat illi gratiam actualem ut prorumpat in actum charitatis ut centum: si solum mereatur ut quinquaginta, applicat illum ad dispositionem, solum ut quinquaginta: Sic Deus retribuit unicuique secundum propriam mensuram,

Instabis: Si homo moreretur sine obice remoto, etiamsi haberet merita ut mille, pœnis tamen addiceretur æternis; siquidem peccatum cuncta irritaret merita: Igitur merita non nisi secundum dispositionem charitatis, in qua resurgit homo, mensuranda sunt.

Respondeo negando paritatem: Esset enim per accidens quod merita non prodessent ad vitam æternam, ad quam inimicus non posset associari: Sed remoto obice, merita secundum D. Th. hic q. 89. art. 5. valent: nam vita animalis semel extincta non habet principium reviviscentiæ; sed merita manent in acceptatione divina, & homo remanet conjunctus Deo per fidem, & spem; & ideo vivificari possunt.

Cæterum, si opinio altera vera foret, sequeretur justum, qui per 40. annos severiorem egit pœnitentiam, & postea immediate ante mortem in peccatum mortale incideret, a quo resurgit postea ut quatuor v. g. & deinde moritur, non habere majorem gloriam essentialem quam latronem qui per 40. annos male vixit, & immediate ante mortem convertitur per dispositionem ut quatuor in qua moritur, quod certe repugnare videtur justitiæ Divinæ.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Merita per Pœnitentiam reviviscunt ad præmium essentiale, & quidem adæquate.

PRIMUM patet, juxta illud Ezech. 36. *Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit.* Concinit Concil. Tridentinum Sess. 6. c. 16. Ratio D. Thomæ hic q. 89. art. 5. ea est, quod causa impedita, remoto obice, suum producit effectum. Porro gratia in sacramento Pœnitentiæ recepta, delet peccatum, quod solum impediebat meritorum vim ad gloriam habendam.

Secundum utique concedendum est. I. Quia teste Joele cap. 2. Deus reddit peccatori pœnitenti annos quos comederat Locusta & Bruchus. II. SS. Patres interpretantur Scripturam de adæquata meritorum per Pœnitentiam reviviscentia, ut S. Chrysostomus Homil. 6. in Genes. S. Augustinus Epist. 54. ad Macedonium. III. Hoc ipsum docet S. Thomas in 4. dist. 2. art. 3. quæstiunc. 3." Quia, *inquit*, „ merita manent in acceptatione divina: „ Ideo, remota indispositione a peccato- „ re per pœnitentiam, effectum suum in „ ipso iterum habere incipiunt. „

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Verum quidem est peccata totaliter aboleri per Pœnitentiam; e contra vero per peccatum pristina merita; quippe quæ remaneant in acceptatione divina.

Secundo: Tametsi virginitas deflorata non resurgat per pœnitentiam adæquate, quia deficit integritas corporalis, non sic de meritis sentiendum propter rationem mox laudatam.

Tertio: Neque vero adversatur adæquatæ meritorum reviviscentiæ Concilium Tridentinum, quum ait Deum reddere unicuique secundum opera ejus, quod sane nedum de charitate per quam peccator resurgit, sed & de pristinis operibus in gratia factis intelligendum est.

AR-

ARTICULUS OCTAVUS.

De Satisfactione.

NOMINE satisfactionis intelligitur voluntaria hominis peccatoris castigatio in seipso suscepta, seu injuriæ per peccatum Deo illatæ compensatio, cum proposito non peccandi de cetero: dicitur compensatio, seu castigatio; ponit enim aliquam æqualitatem inter injuriam illatam, & satisfactionem. Additur, voluntarie in se ipso suscepta; qui enim invitus sustinet pœnam, ut satisfaciat parti læsæ, dicitur potius satis pati, quam satisfacere.

Duplex distinguitur satisfactio a S. Th. una est virtus, altera vero sacramentalis: Tametsi de ista silendum foret, cum supponatur dari; majori tamen claritate de utraque agendum incumbit. Quocirca inquiritur I. An remissa per pœnitentiam culpa, remaneat pęnæ reatus? II. Utrum homo justificatus, vere possit satisfacere Deo pro reatu pœnæ temporalis? III. Num possit satisfacere per opus bonum præceptum? IV. An satisfactio debeat esse proportionata? V. An pęnitens teneatur subire satisfactionem sibi a Sacerdote impositam? VI. Quinam sint mirabiles Pęnitentiæ tum virtutis, tum sacramentalis effectus in peccatoribus vere contritis?

SECTIO PRIMA.

Utrum, remissa per pœnitentiam culpa, remaneat pœna reatus?

CERTUM est in pœnitente post acceptam remissionem peccatorum, non remanere amplius pęnæ æternæ reatum; nam ex Trid. Sess. 6. c. 7. homo per justificationem, ex injusto fit justus; ex inimico amicus, ut sit hæres secundum spem vitæ æternæ: Sed hujusmodi homo non potest esse dignus æterna damnatione. Tum c. 14. pronuntiat pęnam æternam, vel Sacramento, vel Sacramenti voto una cum culpa remitti.

Præsens controversia est an, remissa per pęnitentiam culpa, maneat reatus pœnæ temporalis? Lutherus primum negavit ullam a Deo pœnam exigi post culpam peccatori remissam; postea tamen admisit reatum pœnæ temporalis in hac vita post culpæ remissionem superesse.

Calvinus 3. instit. c. 4. §. 25. ait Deum nullas a Justis exigere pęnas in præteriti peccati vindictam; at eos ad emendationem in posterum, & virtutis profectum paterne solum castigare: Calvinum sequuntur plerique Novatores etiam e Lutheri secta. Supponimus pœnitentem reatum omnem vel ipsius pœnæ temporalis obtinere posse, puta si ad Deum convertatur per illud amoris pondus, quod amoris erga creaturam gradum adæquet. Hine quæstio præsens movetur, num pęna temporalis expianda maneat in iis qui in eodem gradu amoris non inveniuntur cum eo quo bona creata prohibita prosecuti sunt? Pro cujus resolutione sit

CONCLUSIO.

Remissa per pœnitentiam a Deo culpa, remanet vulgo in pœnitente reatus pęnę temporalis.

Probatur auctoritate, & ratione.

Primo, ex Sacris Scripturis.

EXODI 23. Israelitis adorationis vituli aurei lapsis Deus ad preces Moysis peccatum remisit; ibi enim dicitur: *Placatus est Dominus ne faceret malum quod loquutus fuerat, adversus populum suum.* Deus tamen iis temporalem reservavit pęnam, quippe qui postea dicat: *Ego autem in die ultionis visitabo & hoc peccatum eorum.* Percussit ergo Dominus populum pro reatu vituli quem fecerat Aaron. Num. 13. & 14. iidem in peccatum obmurmurationis contra Deum lapsi, intercedente Moyse, veniam obtinuerunt: ait enim Dominus: *Dimisi juxta verbum tuum.* Hanc nihilominus in peccati vindictam imposuit pœnam, ut in deserto morerentur, nec ullus, exceptis Josue & Caleb, in terram promissam ingrederetur. Sic enim Deus pronuntiavit: *Et scietis ultionem meam.* Tum Ps. 94. *Quibus juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam.* Non absimili pœna Moyses & Aaron, tametsi a Deo dilecti, peccatum incre-

incredulitatis fuerunt; ibidem enim habetur: *Perdam Aaron ad populos suos, non enim intrabit terram quam dedi filiis Israel, eo quod incredulus fuerit ori meo ad aquas contradictionis*. De Moyse vero Deut. c. 32. dicitur: *Ascende in montem istum Abarim...., in montem Nebo, ..., & morere*. Norunt omnes Moysen & Aaron remissionis culpæ obtinuisse gratiam, ut scribit sanctus Augustinus L. 16. contra Faustum c. 16. " Credere, *ait*, non " debemus, Moysen esse alienatum ab " æterna societate Sanctorum, qui cum " S. Elia, clarificato Christo, assistere " meruit. " Igitur pœna temporali Deus incredulitatem eorum mulctavit.

Non prætereundus David, qui de adulterio & morte Uriæ pœnitens, veniam a Domino consecutus est, juxta illud Nathan. ad eum 2. Reg. 12. *Dominus quoque transtulit a te peccatum tuum*. Quæ verba explicans D. Ambrosius in apologia David. c. 2. ait: " Dominum dolor in- " timi movit affectus, ut Nathan dice- " ret, quemadmodum pœnituit se, & Do- " minus abstulit peccatum tuum: matu- " ritas itaque veniæ profundam Regis " fuisse pœnitentiam declaravit, quæ tanti " erroris offensam traduxerit. Attamen hujusmodi scelerum temporalem subiit pœnam Rex; mortuus est enim filius ex adulterio susceptus, & hoc in peccatorum vindictam; subdit enim Scriptura: *Verumtamen quia blasphemare fecisti inimicos Domini propter verbum hoc, filius qui natus est tibi morte morietur*. Rursus c. 24. idem David pœnitentiam egit de peccato, quo populum ex jactantia numerari voluerat: *Percussit cor David postquam numeratus est populus, & dixit ad Dominum, Peccavi valde in hoc facto, sed precor Domine ut transferas iniquitatem servi tui, quia stulte egi nimis*. Placatus quidem Dominus fuit; sed ne indulgentia foret lapsus occasio, pestis nefandæ lue statuit expiari peccatum. Igitur, remissa culpa, sæpius remanet pœna temporalis ad plenam satisfactionem subeunda.

Secundo, ex SS. Patribus,

HANC eamdem veritatem docent sancti Patres, in primis S. Cyprianus L. de lapsis, ubi sic loquitur: " Confiteantur singuli " delictum suum, dum adhuc qui deli- " quit in sæculo est, dum admitti confes- " sio ejus potest; dum satisfactio & re- " missio facta per Sacerdotes apud Do- " minum grata est.... Ad Dominum toto " corde redeamus, iram & offensam ejus " jejuniis, fletibus, planctibus, sicut ad- " monet ipse, placemus. "

S. Ambrosius tractatu ad virginem lapsam sic habet c. 8. " Peccator si sibi non " pepercerit, a Deo illi parcetur, & si " futuras pœnas gehennæ perpetuæ, in " hoc parvo vitæ spatio compensaverit, " seipsum ab æterno judicio liberabit. "

Succinit S. Hieronymus, ad illa enim verba Joelis cap. 1. *Accingite vos, & plangite sacerdotes*, ait: " Qui autem pecca- " tor est, & quem remordet propria " conscientia, cilicio accingatur & plan- " gat, vel propria delicta, vel populi; & " ingrediatur Ecclesiam, de qua propter " peccata fuerat egressus: & cubet, vel " dormiat in sacco, ut præteritas delicias, " per quas offenderat Deum, vitæ au- " steritate compenset. "

Similia docet S. Augustinus L. 22. contra Faustum c. 67. his verbis: " Quando " correptus *David* per Prophetam dixit, " *Peccavi*: continuoque ad hoc unum ver- " bum audire meruit, quod acceperit " veniam? Ad quam rem, nisi ad sem- " piternam salutem? Neque enim præter- " missa est in illo secundum Dei com- " minationem flagelli paterni disciplina, " ut & confessus in æternum liberaretur, " & afflictus temporaliter probaretur. " Haud vero mediocre fidei robur fuit, " aut parvum mitis & obedientis animi " indicium, eum audisset a Propheta; quod " sibi Deus ignovisset, & tamen quæ " fuerat comminatus consequenter eve- " nissent: non se dicere Prophetæ dece- " ptum esse mendacio, nec murmurare ad- " versus Deum, quasi falsam peccatorum " ejus indulgentiam pronuntiaverit. In- " telligebat enim vir alte sanctus, & non " contra Deum, sed ad Deum levans ani- " mam suam, nisi Dominus esset confi- " tenti pœnitentique propitius, quantum " pœnarum æternarum ejus essent digna " peccata; pro quibus eum temporalibus " emendationibus urgeretur, videbat er- " ga se, & manere veniam, & non ne- " gligi medicinam. "

S. Gre-

6. *Gregorius* L. 9. Moral. c. 17. eadem tradit: " Sic, *inquit*, David post confes„ sionem audire meruit, Dominus trans„ tulit peccatum tuum, & tamen mul„ tis post cruciatibus afflictus ae fugiens „ reatum culpæ, quam perpetraverat, „ exolvit. „ Ergo &c.

Tertio, ex Conciliis.

EUGENIUS IV. in decreto pro Armenis dato in Concilio Florentino ita pronuntiat: „ Tertia Pœnitentiæ pars est sa„ tisfactio pro peccatis secundum arbi„ trium Sacerdotis, quæ præcipue fit per „ orationes, jejunia, & eleemosynas. „ Ex autem doctrina supponit aliquam esse pœnam, remissa culpa, superstitem.

Subscribit Concilium Tridenr. Sess. 6. c. 14. ubi ait: " Docendum est, Christiani „ hominis pœnitentiam post lapsum, mul„ to aliam esse a baptismali; eamque con„ tinere non modo cessationem a peccatis, „ & eorum detestationem, aut cor con„ tritum & humiliatum; verum etiam eo„ rumdem sacramentalem confessionem „ saltem in voto, & suo tempore facien„ dam, & sacerdotalem absolutionem, i„ temque satisfactionem per jejunia, ele„ emosynas, orationes & alia pia spiritua„ lis vitæ exercitia; non quidem pro pœna „ æterna, quæ vel Sacramento, vel Sa„ cramenti voto, una cum culpa remit„ titur; sed pro pœna temporali, quæ ut „ sacræ Litteræ docent, non tota sem„ per, ut in Baptismo fit, dimittitur il„ lis, qui gratiæ Dei quam acceperunt, „ ingrati Spiritum sanctum contristave„ runt, & Templum Dei violari non sunt „ veriti. „ Unde can. 30. sic definit: *Si quis post acceptam justificationis gratiam cuilibet peccatori pœnitenti, ita culpam remitti, & reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exsolvendæ, vel in hoc sæculo, vel in futuro in purgatorio, antequam ad regna cœlorum aditus patere possit; anathema sit*. Similiter Sess. 14. c. 8. de eodem momento loquitur: " Sancta Synodus declarat, falsum „ omnino esse, & a verbo Dei alienum, „ culpam a Domino numquam remitti, „ quin universa etiam pœna condonetur. „ Perspicua enim & illustria in sacris Lit„ teri exempla reperiuntur, quibus præ„ ter divinam Traditionem hic error quam „ manifestissime revincitur. Sane & divi„ næ justitiæ ratio exigere videtur, ut „ aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui „ ante Baptismum per ignorantiam deli„ querint; aliter vero, qui semel a pec„ catis & dæmonis servitute liberati, & „ accepto Spiritus sancti dono, scientes „ Templum Dei violare, & Spiritum san„ ctum contristare non formidaverint. „ Hinc can. 12. sic definit. *Si quis dixerit totam pœnam simul cum culpa remitti semper a Deo, satisfactionemque pœnitentium non esse aliam quam fidem, qua apprehendunt Christum pro eis satisfecisse; anathema sit.*

Quarto, Ratione multiplici.

PRIMA: In peccato mortali duo sunt, scilicet aversio ab incommutabili bono, & conversio ad creaturam. Ad primam sequitur reatus pœnæ æternæ; qui enim infinitæ dignitatis majestatem offendit, debet in æternum puniri; Ad secundam vero reatus alicujus pœnæ temporalis; justum quippe videtur & est, ut qui voluntati suæ plus indulsit quam debuit, aliquid contra voluntatem suam patiatur; juxta illud Apocal. cap. 18. *Quantum glorificavit se & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum*: Igitur, culpa remissa, remanet aliqua pœna pro peccatorum expiatione luenda.

Secunda: Mors est pœna peccati, juxta illud Rom. cap. 5. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors*. Atqui tamen vel ipsi Sancti, quibus culpa remissa fuerat, sicut morte, sic ceteris vitæ calamitatibus mulctati sunt: Ergo &c.

Tertia: Qui læsit honorem proximi, non tantum debet interius dolere de peccato, sed etiam actu quodam exteriori famam illi restituere. Igitur a simili peccator, qui creaturas in contemptum Dei amavit, debet in compensationem injuriæ aliquid in tempore lubentius pati; Et hæc est pœna, quæ, remissa culpa, superest in hoc vel alio mundo toleranda.

Quarta: Pro sanitate corporali perfecte restauranda, non sufficit morbum curare, sed quædam relictæ cicatrices sanandæ remanent; sic & in negotio salutis, ablata vi Sacramenti culpa, reliquiæ vitiorum

jugi

jugi & debita satisfactione abstergendæ sunt. Ergo &c. Hæc ratio est Catech. Rom. hic n. 69. his verbis: " D. etiam „ Bernardus duo affirmat in peccato reperiri, maculam animæ & plagam: ac „ turpitudinem quidem ipsam Dei misericordia tolli: verum sanandis peccatorum plagis valde necessariam esse eam „ curam, quæ in remedio Pœnitentiæ „ adhibetur. Quemadmodum enim sanato „ vulnere, cicatrices quædam remanent, „ quæ & ipsæ curandæ sunt: ita in anima, culpa condonata supersunt reliquiæ „ peccatorum purgandæ. Idem plane divi „ Chrysostomi sententia confirmat, cum „ ait: *Non satis est sagittam e corpore extrahi, sed plaga quoque a sagitta inflicta, sananda est: sic etiam in anima post acceptam peccati veniam pœnitentia curanda est, plaga relicta*. Frequentissime enim „ a S. Augustino docemur duo hæc in „ pœnitentia animadvertenda esse, Dei „ misericordiam & justitiam: misericordiam, qua peccata & pœnas æternas „ illi debitas condonat: justitiam, qua „ pœnis tempore definitis hominem punit. „

Quinta: Opus est & necessarium ut recens justificatus iram Dei a se propellat: Sed hoc fit laboriosa pœnitentia, seu satisfactione. Ergo &c. Hanc etiam allegat Catechismus Rom. ibidem n. 70. rationem: " Postremo, *ait*, pœnitentiæ pœna a nobis suscepta Dei animadversionem, suppliciaque in nos constituta „ antevertit. Ita enim docet Apostolus, „ cum ait: *Si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur, dum judicamur autem, a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur*. Quæ cum „ Fidelibus explicata fuerint, vix fieri „ poterit, quominus ad pœnitentiæ opera maxime excitentur. „

Sexta: Applicatio meritorum Christi abundantior est in Baptismo, quam in Pœnitentia; cum in Baptismo reatus & culpæ & pœnæ tum æternæ tum temporalis abstergatur: Sed si tota prorsus pœna etiam extensive remitteretur in pœnitentia, jam ipsum Baptisma adæquaret in efficacia Pœnitentiæ sacramentum, quod est contra definitionem Concilii Tridentini, & doctrinam Patrum, qui Pœnitentiam vocant modo secundam post naufragium tabulam, modo etiam Baptismum laboriosum. Ergo &c. De hoc Catechismus Rom. hic num. 66. istam reddit rationem: " Divinæ justitiæ „ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo „ in gratiam recipiantur, qui ante Baptismum per ignorantiam deliquerint: aliter vero qui semel a peccati & dæmonis servitute liberati, & accepto „ Spiritus sancti dono scientes Templum „ Dei violare, & Spiritum sanctum contristare non formidaverint. Et divinam „ clementiam decet, ne ita nobis absque „ ulla satisfactione peccata dimittantur, „ ut occasione accepta, peccata leviora „ putantes, velut injurii & contumeliosi Spiritui sancto in graviora labamur. „

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

OBJICIES: Non semel in sacris Scripturis testatur Deus se hominibus peccata absque ullo pœnæ temporalis debito remittere. Sic Ezech. cap. 18. ait: *Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est: & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium & justitiam, vita vivet, & non morietur. Omnium iniquitatum ejus, quas operatus est non recordabor*. Et cap. 33. *Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua*. Rursus Isaiæ cap. 1. *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur: etsi fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt*. Aliis in locis ait Deus se post tergum projicere peccata nostra in profundum, illa tegere, eadem non imputare, quæ quidem omnia vix conciliari possunt cum obligatione temporalem subeundi pœnam, ut primum dimissa est culpa.

Respondeo distinguendo: Et illa testimonia debent intelligi de remissione perfecta peccatorum quoad culpam & pœnam æternam, concedo: de immunitate absolvendi pœnam temporalem, nego. Et hoc ne miremini, Illa enim pœna ad æternam comparata, levissima est; hinc non immerito dicitur Deum omnium iniquitatum pœnitentis non recordari.

Instabis: Atqui laudata sacræ Scripturæ loca de remissione vel ipsius pœnæ tempora-

poralis intelligenda sunt: Ergo &c. Probatur subsumptum: Pœnæ peccatis affixæ, sunt debita justitiæ divinæ exolvenda: Sed Deus in justificatione omne remittit debitum, sic enim habetur Matth. 18. *Omne debitum dimisi sibi quoniam rogasti me:* Ergo &c. Confirmatur: In Ortatione Dominica petimus, ut Deus dimittat nobis, *debita nostra sicut nos dimittimus debitoribus nostris:* Sed nefas esset aliquid retinere, & cuncta absque restrictione dimittere nobis incumbit: Igitur a pari, immo & a fortiori Deus cuncta, nequidem excepta pena temporali, dimittit.

Respondeo, negando subsumptum. Ad probationem distinguo: In justificatione Deum omne debitum capitale remittit, videlicet penam æternam pro peccatis gravioribus subeundam; concedo: secundarium & minus principale, subdistinguo; si adsit sufficiens in pœnitente dispositio, hoc est: tantum amet Deum, quantum creaturam dilexit, concedo: secus, nego. Justitiæ lex exigit, ut eadem mensura peccator justificandus diligat Deum, qua creaturam dilexit, & tunc ei in pœnæ relaxatione remetietur; hinc Magdalenæ dictum est Luc. 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum;* sin minus e contra, ne facilitas veniæ, facilitas etiam iterum peccandi evadat.

Ad confirmationem dico, Deum utique totale eatenus dimittere debitum, quatenus justificato confert gratias, ut illis mediantibus in varios ferventiores charitatis actus prorumpere possit, quibus justitiæ divinæ satisfacere queat.

Urgebis: Vel superfluæ, & inanes dici debent humanæ satisfactiones, vel satisfactio Christi non fuit pretii & valoris infiniti: Absurdum consequens: Ergo & antecedens. Probatur sequela majoris: Eo ipso quo satisfactio Christi fuit copiosa, immo & superabundans, nihil superest peccatori justificato luendum. Ergo &c.

Respondeo negando sequelam majoris. Ad probationem distinguo: Nihil superest peccatori justificato faciendum ad redemptionem, concedo: Ad applicationem redemptionis, nego. Redemptio completa est per Christum, sed voluit Dominus nobis eam applicari & per Sacramenta, & per bona opera satisfactoria propter rationes supra allatas; quod quidem de fide definitum est a Concilio Tridentino adversus Protestantes absque ratione obstrepentes. Sic habetur Sess. 14. can. 14. *Si quis dixerit satisfactiones quibus pœnitentes per Christum Jesum peccata redimunt, non esse cultus Dei, sed traditiones hominum, doctrinam de gratia, & verum Dei cultum, atque ipsum beneficium mortis Christi obscurantes; anathema sit.*

Insistes: Christus abunde satisfecit etiam pro pœnis temporalibus peccato debitis: Igitur non opus est ulterioribus satisfactionibus; sin minus plus nobis nocuisset Adæ peccatum, quam profuisset vel ipsa Christi satisfactio.

Respondeo, concesso antecedente, negando consequentiam; dictum est enim satisfactiones nostras eo fine necessarias esse, ut nobis applicentur Christi merita; hinc Apostolus Coloss. 1. ait: *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea.*

Ad confirmationem nego sequelam propter multa. Primo quidem ex eo quod mors, & miseriæ, quæ per Adæ peccatum intraverunt in mundum, meritis Christi cedant in gloriam nostram, si voluntarie illas & propter Dei amorem, & ad satisfaciendum ejus justitiæ subeamus, juxta illud Rom. 8. *Si compatimur, ut & conglorificemur*. Secundo, per gratiam Christi: *Momentaneum & leve tribulationis nostræ ... 2. Cor. 4. æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Demum *diligentibus Deum*, teste Apostolo, Rom. 8. *omnia cooperantur in bonum.*

Reponet: Si satisfactiones humanæ ita essent necessariæ, homo posset satisfacere Deo pro peccatis suis: sed illud falsum est; tum quia offensa Dei ratione objecti est infinita; satisfactio vero hominis plane finita; tum quia nihil potest homo Deo offerre, quod ipsi non debeat titulo & creationis & conservationis; satisfactionem autem fieri debere per opus alias indebitum, nemo non novit. Ergo &c.

Respondeo distinguendo minorem: Homo posset satisfacere secundum quid, concedo: adæquate, nego. Nam purus homo ea ratione ex condigno satisfacere nequit,

quit, quia est debitor; hinc satisfactio infiniti valoris ad hanc requiritur satisfactionem, quam quidem exhibere incapax est.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Remissa per Sacramentum culpa, sæpius remanet reatus pœnæ temporalis satisfactione laboriosa expiandus.

PRIMO: Non unum Scripturæ sacræ exemplum hoc probat. Primum est sancti Moysis, qui tametsi pro peccato incredulitatis ad aquas contradictionis veniam obtinuerit, hac ulteriori satisfactione temporali castigatus est, quod non introierit in terram promissionis: Similiter & David pœnitenti adulterii & homicidii, Deus condonavit peccata, verumtamen filius ex Bethsabee procreatus, mortuus est.

Secundo: Sic docent Patres, ut S. Cyprianus Lib. de laps. Augustinus Lib. 22. contra Faustum cap. 67. sic & Concilium Tridentinum Sess. 6. cap. 14. In primis vero can. 30. ubi rem de fide definivit.

Tertio: Idem hac ratione probatur. Lex justitiæ exigit ut tantum detur peccatori tormentum, quantum glorificavit se, & in deliciis fuit. Igitur si, deficiente erga Deum amore, contritio non tanta sit in gradu, quanta fuit ad creaturam conversio, dubio-procul remanet aliquid nova satisfactione compensandum: Sed non semel contingit conversionem ad Deum, charitate formatam in gradu & intensione conversione ad creaturam minorem esse: Ergo &c.

SYNOPSIS ARGUMENTORUM IN CONTRARIUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Si in quibusdam Scripturæ locis asserat Deus se omnes peccatoris pœnitentis iniquitates oblivisci, exemplum tamen tum Moysis post obtentam veniam castigati, tum & Davidis justificati, qui morte pueri ex Bethsabee adultera suscepti, luit in hoc mundo criminis pœnas, probat sæpius superesse penalitates in tempore pro peccatis jam dimissis sufferendas.

Secundo: Christus plene quidem, & superabunde pro peccatis nostris satisfecit, sed ut causa universalis, quæ non excludit causæ secundæ cooperationem.

Tertio: Pœnæ temporales quibus propter peccatum originale subjicimur, sunt, ultro fateor, maledictiones in Protoparentes, & in eorum prolem fulminatæ; sed non satisfactiones ad pœnitentiam subsequentes, & ad expienda peccata præfixæ, cum potius divinæ satisfaciendo justitiæ, Deum nobis reddant per omnia propitium.

SECTIO SECUNDA.

Utrum homo justificatus vere possit satisfacere Deo pro reatu pœnæ temporalis?

CONCLUSIO AFFIRMATIVA,

Probatur ex multis capitibus.

Primo, ex Scriptura sacra.

DANIELIS c. 4. Propheta Nabuchodonosor sic alloquitur: *Peccata tua eleemosynis redime*. Rursus Prov. c. 6. *Misericordia & veritate redimitur iniquitas*; Si autem operibus peccata redimuntur, profecto pro eis Deo satisfacimus.

His adjungimus illa Scripturæ testimonia, quæ juxta explicationem Patrum procedunt de operibus factis in statu justitiæ; quæque tamen dicuntur liberare a peccatis. Sic Tob. c. 4. Pater morti proximus filium, quem ut justum habebat, isto alloquitur modo: *Omnibus autem diebus vita tua in mente habeto Deum: & cave ne aliquando peccato consentias, & prætermittas præcepta Domini Dei nostri .... Præmium enim bonum tibi thesaurizas in die necessitatis: quoniam eleemosyna ab omni peccato, & a morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras*. Hæc particula, *præmium*, significat compensationem alicujus boni; cetera vero verba denotant pœnam temporalem peccato debitam, unde liberat a purgatorio, in quo pœnas temporales animæ luunt. Sic & Raphael ibid. cap. 12. commendans actus virtutum Tobiæ seniori, explicat illorum efficaciam ex beneficiis a Deo acceptis,

quæ in opera misericordiæ ab eo patrata refundit. *Eleemosyna*, inquit, *a morte liberat, & ipsa est quæ purgat peccata, & facit invenire misericordiam, & vitam æternam.*

Eamdem legimus veritatem in novo Testamento, Lucæ 3. Christus enim nedum ibi adhortatur homines, ut agant penitentiam, sed ut faciant fructus dignos pœnitentiæ, id est ut ultra dolorem de peccatis, & firmum ab eis abstinendi propositum incumbant bonis operibus etiam externis, ut compensent injuriam Deo per suas prævaricationes illatam. Testimonium istud intelligit S. Chrysostomus Homil. 11. in Matth. in sensu obvio: sic & S. Gregorius Homil. 20. in Evangelia: in hunc sensum collimant ista D. Pauli Act. 26. verba: *Et gentibus annunciabam, ut pœnitentiam agerent, & converterentur ad Deum, digna pœnitentia opera facientes.* Eo loci tria subnotanda sunt. Primum, pœnitentia quæ justificationem præcedit: Alterum, conversio ad Deum quæ sequitur: Tertium, est opus externum satisfactorium non qualecumque, sed Penitentiæ satisfacientis dignum; hinc Apostolus 1.Cor. cap. 11. ait: *Quod si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur.* Quorum quidem verborum hic sensus est, juxta D. Thomam, Comment. in hunc locum, Lect. 7. " Ex parte autem nostra, causa Divinæ punitionis est a negligentia, quia in nobis ipsis peccata commissa punire negligimus. Unde dicit, *Quod si nosmetipsos dijudicaremus*, redarguendo & puniendo peccata nostra, *Non utique judicaremur*, idest, non puniremur a Domino, neque in futuro sæculo, neque etiam in præsenti. "

Non absimili modo loquitur S. Augustinus in Enchiridio ad Laurentium cap. 66. " Vindicantur hic, *inquit*, aliqua, & tamen si remittuntur, profecto in futuro sæculo non nocebunt; propterea de quibusdam temporalibus pœnis quę in hac vita peccantibus irrogantur eis quorum peccata delentur, ne referventur in finem, ait Apostolus: *Si enim nosmetipsos judicaremus.* "

Secundo, ex Patribus.

Eamdem Doctrinam tradit Tertullianus Lib. de Penitentia cap. 11. " Quumque quis interrogarit, cur animæ largiaris: Deliqui dicito in Deum, & periclitor in æternum petire: itaque nunc pendeo, & maceror & excrucior, ut Deum reconciliem mihi quem delinquendo læsi. "

Eisdem insistit vestigiis Origenes Homil. 6. in Exodum supra finem pag. 30. " Si quis, *inquit*, forte hujusmodi pecuniam a diabolo deceptus, accepit, non usquequaque desperet: misericors enim est, & miserator Dominus, & Creaturæ suæ non vult mortem, sed ut convertatur, & vivat; pœnitendo, flendo, satisfaciendo, deleat, quod admissum est. "

Item S. Cyprianus ad calcem libri de lapsis: " Quam magna deliquimus, inquit ... Orare oportet impensius & rogare, diem luctu transfigere, vigiliis noctes ac fletibus ducere, tempus omne lacrymosis lamentationibus occupare, stratos solo, adhærere cineri, in cilicio & sordibus volutari. "

S. Hilarius c. 4. in Matthæum, his verbis non procul a fine idem docet: "Quia charitas plurimum peccatorum tegit, & ertorum nostrorum ambitiosa ad Deum patrona est: novissimum pęnæ quadrantem solvemus, nisi pretio ipsius aliquantorum criminum culpa redimatur. "

Satisfactionis virtutem agnoscit similiter Eucherius in Lib. 2. Regum cap. 8. " Dominus, *inquit*, delet peccatum, sed fine ultione non deserit; aut enim ipse homo in se punit, aut Deus percutit. "

Concinit D. Hieronymus Comment. in Malachiam: " Qui peccator est, *ait*, & quem propria conscientia mordet, cilicio Penitentiæ accingatur, & plangat tam sua delicta quam populi, atque iterum ingrediatur Ecclesiam, de qua fuerat ejectus, & cubet in sacco, ut præteritas delicias, per quas Deum offenderat, vitæ austeritate compenset. "

Hieronymo adstipulatur Ambrosius L. 2. de pœnitentia c. 5. his verbis: " Qui enim agit pęnitentiam non solum diluere lacrymis debet peccatum suum: Sed etiam emendatioribus factis operire, & tegere delicta superiora, ut non

ei

„ ei imputetur peccatum. Ergo tegamus „ lapsus nostros posterioribus factis, mun- „ demus fletibus, ut audiat nos Domi- „ nus Deus noster ingemiscentes. „

Istorum mentem sequitur D. Augustinus L. de continentia, ubi c. 6. hoc effatum universale profert: " Nullus debitæ gra- „ vioris pœnæ accipit veniam, nisi qua- „ lemcumque, & si longe minorem quam „ debeat, solverit pœnam. „

S. Gregorius magnus 3. p. Pastoralis, docet admonendos eos esse, qui peccata quidem deserunt; non tamen plangunt, ne sibi ea dimissa esse putantes, si fletibus non purgaverint: " Neque enim scri- „ ptor, si a scriptione cessaverit, quia „ alia non addit, etiam quæ scripserat „ delevit; nec debitor absolutus est, quia „ alia non multiplicat, nisi & illa quæ „ ligaverat solvat: ita etiam cum Deo „ delinquimus, nequaquam satisfacimus, „ si ab iniquitate cessamus, nisi volupta- „ tes quoque quas diliximus, e contra- „ rio appositis lamentis insequamur. „

Tertio, rationibus Theologicis.

PRIMA: Ille potest per bona opera Deo pro peccatis satisfacere, qui Pœnitentiæ laboribus Christo Crucifixo conformatur, & regni cœlestis evadit hæres: Atqui res sic se habet: Ergo &c. Ista ratio est Catechismi Romani his verbis, 2. p. n. 68. " Hujusmodi pœnarum per- „ pessione consequimur, ut capitis no- „ stri Jesu Christi, in quo passus est i- „ pse, & tentatus, similitudinem, & „ imaginem geramus. Nihil enim tam „ deforme videri potest, ut a S. Bernar- „ do dictum est, quam sub spinoso ca- „ pite, delicatum esse membrum, nam „ teste Apostolo, cohæredes sumus Chri- „ sti, si tamen compatimur: Et, quod „ alio loco scripsit: *Si commortui sumus*, „ *& convivemus: Si sustinebimus, & conre- „ gnabimus.* „

Secunda: Ad opus satisfactorium duo potissimum exiguntur; primo quidem, ut in charitate fiat: secundo, ut acerbitatem quamdam interiorem, vel etiam quandoque & exteriorem præ se ferat; tunc enim est peccati redemptivum: Atqui peccator justificatus hujusmodi opera patrare potest. Ergo &c. Pergit ibidem Catechismus p. 2. n. 73. " Duo præci- „ pue in satisfactione requiruntur. Pri- „ mum est, ut is, qui satisfacit, justus „ sit, ac Dei amicus, opera enim quæ sine „ fide, & charitate fiunt, nullo modo „ Deo grata esse possunt: Alterum, ut „ ejusmodi opera suscipiantur, quæ natu- „ ra sua dolorem, & molestiam afferant: „ cum enim præteritorum scelerum com- „ pensationes sint, atque, ut S. Martyr „ Cyprianus ait, *redemptrices peccatorum*, „ *omnino necesse est, ut aliquid acerbitatis* „ *habeant.* Quamquam non semper illud „ consequitur, ut, qui se in illis mole- „ stiis exercent, doloris sensum ha- „ beant. „

Tertia: Si quæ ratio hanc impediret satisfactionem, maxime quia justitiæ Dei in immensum debitores sumus: Sed Deus intuitu meritorum Christi cedit suo juri, & per bona opera, vel ipsa Filii Dei merita nobis applicantur. Ergo &c.

Quarta: Satisfactionem exigit Ecclesia, & anathemate percellit Concilium Trident. Sess. 14. c. 12. 13. & 14. illud negantes: Igitur justus potest pro suis peccatis satisfacere. Sic loquitur can. 13. *Si quis dixerit pro peccatis, quoad pœnam temporalem, minime Deo per Christi merita satisfieri pœnis ab eo inflictis & patienter toleratis, vel a Sacerdote injunctis, sed neque sponte susceptis, ut jejuniis, orationibus eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus, atque ideo optimam pœnitentiam esse tantum novam vitam; anathema sit.*

Solvuntur objectiones.

OBJICIES: Scripturæ multis in locis affirmant, nos nullis rebus externis, tametsi pretiosissimis fuisse redemptos; sed solo Christi Domini immaculato, & incontaminato sanguine, ut habetur 1. Petri 1. *Scientes quod non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis, sed pretioso sanguine Christi*: Sed opera satisfactoria sunt quid externum. Ergo &c.

Respondeo distinguendo: Et illa testimonia debent intelligi de primario nostræ salutis pretio, a quo quæcumque alia vim suam obtinent, concedo: Et excludunt ea quæ, vel ex parte nostri, vel ex parte aliorum sunt, nego: Sicut ergo cum in Scripturis sacris vis, & efficacia bono-

rum operum tribuitur gratiæ Dei, non excluditur cooperatio voluntatis adjutæ, ita & in præsenti dicendum.

Instabis: Apostolus Hebr. 1. ait Christum fecisse per semetipsum purgationem peccatorum nostrorum: *Purgationem*, inquit, *peccatorum faciens, sedet ad dexteram Majestatis Dei in excelsis*. Et 1. ad Timoth. c. 2. *Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*: Porro ista verba, *semetipsum*, excludunt quodcumque aliud ex parte pœnitentis. Ergo &c.

Respondeo distinguendo: Et illa particula, *semetipsum*, ponitur ad explicandum singulare medium quo purgatio fit in novo Testamento, concedo: & excludit opera satisfactoria ex parte nostri, nego. Efficaciori & nobiliori modo purgata sunt peccata in novo, quam in veteri fœdere; & hoc argumento probat Apostolus Christi divinitatem: hinc c. 9. ait: *Christus assistens Pontifex futurorum bonorum per amplius & perfectius Tabernaculum non manufactum, id est, non hujus creationis, neque per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium sanguinem, introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa*.

Urgebis: Ei tantum competit satisfacere pro peccatis hominum, cui competit illos redimere; satisfactio enim pro pœna subeunda in altera vita, est vera redemptio: Sed nulli hominum, remissa culpa, competit bonis operibus se redimere; solus enim Christus est hominum Redemptor: Ergo &c.

Respondeo distinguendo minorem: Homini non competit qualitas redemptoris simpliciter & absolute, concedo: Participative, nego: Ille absolute est Redemptor, qui pretio soluto, ex propriis pro alio solvit: ille vere est Redemptor posteriori modo, qui alieno quidem ære sibi liberaliter, & gratis ad talem usum concesso, adjuncta propria, tum industria, tum cooperatione a servitute se liberat. In isto sensu recte dicitur pœnitens se redimere, juxta illud Danielis 4. ad Nabuchodonosor: *Quamobrem Rex consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemosynis redime*.

Insistes: Sanctus Chrysostomus ita explicat verba Apostoli a nobis in probationibus adducta, ut velit Deum sola contritione esse contentum; & nullam, nec in hoc sæculo, nec in altero postulare satisfactionem; sic enim habet Homil. 28. in 1. Cor. 11. *Quod si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur*: "Non dixit, si castigaremus nos ipsos, si puniremus, sed tantum si vellemus agnoscere peccata, si nos ipsos condemnare, si de delictis ferre sententiam, liberaremur ab eo quod hic & illic est supplicio." Ergo &c.

Respondeo distinguendo: Et sanctus Doctor loquitur de pœnitentibus perfectis qui in gradu Heroico conteruntur, concedo: de infirmioribus, nego. Quandoque contingit ut pœna temporalis totaliter remittatur, cum scilicet pœnitens tantum amat Deum, quantum creaturam dilexit: ita ut contritionis qualitas & intensio præponderet deliciis quas in terrenis prosequendis habuit. Quod hæc sit mens D. Chrysostomi, patet ex his verbis: "Nos autem si velimus, neque hic, neque illic daturi sumus pęnas." Id est, nec in ista, nec in altera vita. Ecce perfectorum contritio: infirmorum vero pęnitentiam non nihil languidam, his ulterioribus verbis delineat: "Quoniam autem ne hoc quidem leve volumus facere, ut oportet facere, ne sic quidem nos sustinet punire cum orbe terrarum, sed sic quoque parcit, hic pęnas exigens, ubi supplicium est temporale." Idem est sensus verborum illorum ex oratione de B. Philogonio: "Discede a malo, virtutem amplectere, desiste a pravitate, pollicere post hæc illa non commissurum, & hæc sufficiunt ad satisfactionem. Ego testificor, ac fide jubeo, ut si nostrum quisque, qui peccatis obnoxii sumus, recedens a pristinis malis ex animo, vereque promittat Deo, se postea ad illa non rediturum, nihil aliud Deus requiret ad satisfactionem majorem, seu ulteriorem." Quod autem loquatur de pęnitentibus perfectis, ex eo colligitur, quia in exemplum adducit Magdalenam, & Zachæum. Ceterum, tametsi Patres nonnumquam vocent pęnitentiam laboriosam, modo flagellationem a Deo inflictam modo etiam exercitationem, non excludunt quod mortificationes, animo peccata expiandi factæ, non sint veræ satisfactiones, cum a charitate pondus & meritum habeant.

Respon-

Replicabis: Ezech. 37. ait Dominus: *Impietas impii non nocebit ei, quacumque die conversus fuerit ab impietate sua*. Nullas igitur remisso peccato repetit Deus pœnas ab impio. Sin minus noceret ei impietas sua.

Respondeo distinguendo Antecedens: Si impius egerit pœnitentiam, iniquitas non nocebit ei, quia propter bona opera & satisfactionem nec a gratia, nec a vita æterna excidet, concedo: non nocebit, eum a pœna temporali eximendo, subdistinguo; si ejus contritio adæquet illum quem pro creaturis habuit amorem, concedo: secus, nego. Impio pœnitenti non nocet iniquitas; Primo, quia per contritionem & Sacramentum justificatur, & vita vivere incipit: Secundo, per gratiam sanctificantem jus habet ad gloriam. Tertio, per actualia auxilia ad gratiam justificantem consequentia potest tot & tanta bona opera, quamdiu vivit, facere, ut Deo plene satisfaciat. Quarto, remittitur ei pœna æterna, vel etiam de temporali juxta contritionis gradum; tamen & ista prorsus aufertur, si perfectissime de impietatibus ex animo conteratur. Solutio colligitur ex D. Augustino, qui L. de remiss. cap. 34. ait afflictiones & miserias gravi sensu esse, ad coronam certamina; Tum & L. 13. de Civ. cap. 6. ait etiam hoc cedere in expiationem criminum, & Pœnitentiæ meritum augere: " Quid quid tamen illud „ est in morientibus, quod cum adimit „ sensum, pie, fideliterque tolerando au„ get meritum Pœnitentiæ, non aufert „ vocabulum pœnæ. „

Instabis: Joan. 8. Christus adulteram absolvens ait; *Vade & noli amplius peccare*. Ibi altum est de satisfactione imposita silentium: Ergo &c.

Respondeo, non constare utrum adulteram a peccatis, an solum a lapidationis pœna Christus absolverit; sic enim habetur: *Nec ego te condemnabo: vade & jam noli amplius peccare*: Sensus est, nec ego te ad lapidationem adjudico, cave ne iterum peccando te huic exponas periculo. II. Quis novit num Christus in ea tantam contritionem repererit, ut nulla opus esset satisfactione? Deinde alia est ratio Christi, alia Sacerdotum. Christus seclusa satisfactione exteriori pœnali potest peccata dimittere, quia Dominus est, secus vero ceteri.

Urgebis: S. Ambrosius Serm. 46. sic loquitur: " Lacrymas ejus lego, satisfa„ ctionem non lego. „ Ergo &c.

Respondeo distinguendo: Et nomen satisfactionis sumit pro excusatione, concedo: pro compensatione temporalis injuriæ illatæ, nego. Veritas solutionis colligitur, I. Ex antecedentibus; confert quippe peccatum Adæ, & ejus pœnitentiam, cum peccato D. Petri, ejusque pœnitentia; prior, inquit, se ipsum excusavit, posterior vero ut primum Christus eum aspexit, flevit amare. Tum post verba in objectione allata sic habet: " Recte plane „ Petrus flevit, & tacuit, quia quod de„ fleri solet, non solet excusari, & quod „ defendi non potest, ablui potest. „

Insistes: SS. Patres non agnoscunt bona opera esse satisfactoria, cum illa exigant a pœnitente ante concessam absolutionem, ut S. Cyprianus, qui Epist. 8. quæ est ad Clerum, & plebem, injungit Deum orandum esse, ut indulgeat peccatis: postea sic loquitur: " Virgas igitur, & flagella sen„ timus, qui Deo nec bonis & factis place„ mus, nec pro peccatis satisfacimus. Ro„ gemus de intimo corde, & de tota men„ te misericordiam Dei.... Quanto nos opor„ tet magis insistere precibus, & orare, & „ primo ipsum Dominum rogare, tum de„ inde per ipsum Deo Patri satisfacere de„ bemus.„ Rursus Epist. 14. " Pœniten„ tiam autem ille agit qui divinis præce„ ptis, & Sacerdotibus Dei obtemperans, „ obsequiis suis, & operibus justis Domi„ num promeretur. „ Hinc in Ecclesia primitiva nullus ad pacem, manuum impositionem, & Eucharistiam recipiebatur, nisi prius operibus laboriosis Divinæ satisfecisset justitiæ. Ergo &c.

Respondeo distinguendo: Et PP. loquuntur de peccatoribus imperfecte pœnitentibus, scilicet ex solo amoris imperfecti motivo, concedo: ex amore perfecto, nego. Ultro fatemur in illis qui amore perfecto non inflammantur, secluso Sacramento, opera satisfactoria pœnam temporalem non remittere: Ad confirmationem dico, eosdem Patres loqui de peccatis publicis, quæ scandalum annexum habebant. Licet autem illi forent Contriti, non tamen admittebantur ad communionem, nisi prius pœnitentiam sibi ab Episcopo in-

impositam persolvissent; de istis autem loquitur S. Cyprianus. Ceterum pœnitentia publica non evacuabat particularem, & sacramentalem.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Peccator justificatus potest pro delictis suis Deo satisfacere.

PRIMO: Proverb. 16. *Misericordia, & veritate redimitur Iniquitas.* Et 1. Cor. 11. *Quod si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur*; redarguendo & puniendo peccata nostra, ait D. Thomas Comm. in hunc locum Lect. 7.

Secundo: Concinunt SS. PP. in primis S. Cyprianus Serm. de lapsis. Tertullianus L. de Pœn. cap. 11. Hilarius cap. 4. in Matth. Concilium Tridentinum Sess. 14. can. 13. perstringit negantes justos pro peccatis suis Deo satisfacere.

Tertio: Ex Ecclesiæ praxi exiguntur a pœnitentibus satisfactiones; bona opera majoris Pœnitentiæ intuitu facta prosunt, nedum ad criminum expiationem, sed & gloriam possidendam. Ergo &c.

SYNOPSIS OBJECTIONUM ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Christus quidem ut causa universalis pro peccatis nostris satisfecit; sed nostram exigit cooperationem.

Secundo: Patres quandoque, esto dicant, contritionem sufficere, sed intelligas velim, ita perfectam ut adæquet omnium peccatorum commissorum quantitatem: At ubi reperies hunc doloris gradum qui præponderet omnibus sæculi affectionibus, & tantum exardescat, quantum ardebat cupiditas?

Tertio: Usus quidem prioribus sæculis satisfactiones, ante datam absolutionem erat exigere, at solum pro peccatis pœnitentia publica expiandis: sed & hoc non evacuabat pœnitentiam sacramentalem.

SECTIO TERTIA.

Utrum homo possit satisfacere pro peccatis, per opus bonum præceptum?

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

Probatur multiplici ratione.

PRIMA: Dantur quidam casus in quibus Martyrium est de præcepto, juxta illud Luc. c. 9. *Qui me erubuerit, & meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua.* Atqui tamen homo per martyrium satisfacit omni pœnæ peccatis debitæ; cum ultimo die clauso, gloria fruatur cœlesti: Igitur licet opus bonum præceptum sit & debitum, per illud tamen pro pœna temporali peccatis debita fit satis.

Secunda: Si propter aliquam rationem opus præceptum non foret meritorium; ea esset, quia fit ex obligatione: Atqui dantur plures actus boni, & honesti qui præcipiuntur, talis est communio Eucharistica, & tamen digne suscipiens corpus dominicum gratiæ meretur incrementum, immo & gloriam æternam: Ergo a pari, &c.

Tertia: Dantur quædam opera pœnalia, quæ ideo nobis a Deo præcipiuntur, ut per illa ipsi satisfaciamus: tale fuit jejunium indictum Ninivitis, Jonæ c. 3. & Joel c. 2. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, & in fletu, & in planctu .... Quia benignus, & misericors est, patiens, & multa misericordia & præstabilis super malitia.* Rursus ibidem paulo post: *Inter vestibulum, & altare plorabunt Sacerdotes Ministri Domini, & dicent, Parce Domine, parce populo tuo, & ne des hæreditatem tuam in opprobrium, ut dominentur eis nationes.* En injunctio operis satisfactorii, cujus tamen compensatio explicatur his sequentibus verbis: *Et respondit Dominus, & dixit populo suo: Ecce ego mittam vobis frumentum, & oleum, & replebimini eis, & non dabo vos ultra opprobrium in gentibus.*

Quarto, Ratione multiplici.

PRIMO: Obligatio quæ incumbit eis qui

qui vota emiserunt, & se se ad actus bonos exercendos adstrinxerunt, non impedit quominus per ea peccatis satisfaciant; ex sanctis quippe Hieronymo, & Bernardo opera bona a Monachis ex voto facta non tantum eis meritoria, sed etiam satisfactoria sunt. Sic docet D. Thomas 2. 2. q. 88. art. 6. Ergo &c.

Altera: Deus ita justus est & liberalis, ut cuncta remuneret bona opera; immo quædam præcipit, ut detur meriti locus: Sed bona opera Pœnitentiæ satisfactoriæ intuitu facere, est quid remuneratione dignum. Igitur opera præcepta possunt esse satisfactoria.

Tertia: Cuncta ferme opera cadunt sub præceptum, ut Deum adorare; parentes colere, abstinere ab adulterio, & similia in Decalogo contenta: Sed nemo dixerit pœnitentem divinæ non satisfacere justitiæ obediendo mandatis. Ergo &c.

FIT SATIS OBJECTIONIBUS.

OBJICIES: Quod debetur aliis titulis, non potest Deo pro peccatis satisfacere; Sed bona opera præcepta, Deo debentur propter legem. Ergo &c.

Respondeo: I. Majorem esse falsissimam, sin minus nihil etiam de actibus bonis non præceptis homo posset Deo pro peccatis satisfacere, cum cuncta ratione & creationis, & redemptionis, vel etiam conservationis illi debeamus.

Respondeo II. distinguedo minorem: Opera præcepta Deo debentur ex justitia late sumpta, concedo: Ex stricta, nego minorem, & consequentiam. Debitum ex stricta justitia promanans ordinatur totum ad compensationem faciendam, totumque debetur: ut patet in restitutione rei ablatæ: Sed non est par ratio de debito procedente ex lata justitia: Jam vero debitum satisfaciendi pro pœnis temporalibus non est strictæ justitiæ; talis enim non datur inter Deum, & homines; Ceterum totus illorum operum finis non exhauritur per præcepti adimpletionem; cum enim sint pœnalia & laboriosa, possunt adhiberi ad satisfaciendum pro pœnis temporalibus.

Instabis: Sequitur saltem ex hac responsione opus pœnale a lege impositum non posse adhiberi ad satisfaciendum: Igitur, per opus præceptum non semper fit satis pœnæ temporali pro peccatis debitæ: Et probatur. Si posset adhiberi, maxime ut laboriosum: Sed sub illa conditione exhauritur a præcepto. Ergo &c.

Respondeo negando antecedens. Ad probationem distinguo: Et motivum ejus primarium est obedientia; ipsa vero est satisfactio finis, concedo: & non est, nego. Substantia igitur actus laboriosi est de præcepto: sed cum pœna non sit ipsius perfectio, verum potius quid extrinsecum, hinc est quod ab operante possit adhiberi pro satisfactione.

Urgebis: Pœnitens aliquid ulterius supra jejunium v. g. præceptum pro peccatis expiandis debere addere: Igitur per opus præceptum satisfacere non valet. Probatur Antecedens: Ubi occurrunt duo præcepta adimplenda, non fit satis adimplendo unum, maxime si materia circa quam versantur sit diversa; sed Deo servitutem jejunando exhibere, cum ipsi satisfacere, sunt duo præcepta vel in ipsa materia diversa. Ergo &c.

Respondeo distinguendo: Pœnitens debet aliquid ulterius supra jejunium addere ad melius, concedo: absolute; ita ut opus præceptum non fit satisfactorium, nego. Ad probationem distinguo: Si præcepta non sint subordinata, concedo; secus, nego: & sic distincta minore, nego consequentiam. Sicut igitur quando occurrit quatuor temporibus vigilia alicujus Sancti annexum habens jejunium, unico tamen jejunio fit satis duobus præceptis, quippe quæ unum habeant finem; scilicet corporis mortificationem; eadem ratione actus præcepti, & satisfactionis lex uno jejunio simul adimplentur, cum finis utriusque præcepti sit Deum colere, & toto mentis ac cordis conatu illi famulari.

Insistes: Qui debet centum nummos aureos alicui ob rem ab eo sibi venditam, & centum ob aliud debitum ex illo contractum, non satisfacit utrique debito unica simplici solutione: Igitur & a pari qui tenetur ex præcepto ad opus bonum, eo non potest uti ad persolvendas pœnas temporales pro peccatis debitas.

Respondeo negando consequentiam, & paritatem. Disparitas est, quod utrumque

 debi-

debitum sit ex stricta justitia, & medium pro illius compensatione facienda sit ex sua naturali conditione speciatim determinatum; qui enim vendidit, tantum debet recipere, quantum res divendita valet, sicque exigitur per omnia æqualitas: at debitum pœnæ temporalis non est semper strictæ justitiæ. Rursus illud quo utitur pœnitens, non est ex natura sua speciatim determinatum ad satisfaciendum pro pœna temporali, siquidem finis actus præcepti est obedientia legis; ordinatio vero illa ad satisfaciendum, finis extrinsecus.

Insistes: Inde sequeretur peccatorem, cui injungeretur pro pœnitentia Sacramentali jejunium quadragesimale, nihil pro luendis peccatis facere, cum ad jejunandum ex lege teneatur. Absurdum consequens: Ergo & antecedens.

Respondeo distinguendo sequelam: Nihil inde facere quoad actus interiores, nego: Quo ad pœnalitates extrinsecas, subdistinguo; quoad substantiam, concedo: quoad directionem & jejunandi modum, nego. Ille peccator teneretur quolibet jejunii die hanc pœnalitatem, I. Offerre Deo in vindictam peccatorum, quod seclusо de peccatis dolore sæpius reiterando fieri non posset. II. Sed & ad apices juris & strictissime jejunare, ita ut in nullo sibi parceret. III. Mere necessarium ad vitam fovendam, omissis quæ in cibis potius ad ventris ingluviem & sensualitatem alendam, quam ad sanitatem conservandam inserviunt, sumere. Ceterum confessarius, vel eleemosynas, vel opera misericordiæ exercenda ex consilio injungere potest, & peccatori dicere, peccata expiandi motivo plura alia momentosa ultro esse facienda, cum ea ratione qua Deus illi propitius est, ipsum in nullo sibi parcere debeat.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Justus potest per opus præceptum Deo satisfacere pro peccatis suis.

PRIMO: Datur preceptum confessionis fidei, sæviente persecutione, quam fidem Sancti sanguinis effusione consignarunt, & tamen Ecclesia ita eos ab omni reatu pœnæ sic absolutos habuit, ut testetur Augustinus eum, qui orat pro Martyris refrigerio, ipsi Martyri injuriam facere.

Secundo: Utriusque sexus fideles qui votis ad perfectionem assequendam se adstrinxerunt, tenentur vi legis de perfectione sibi impositæ charitatis ardentissimæ opera facere, quibus certe peccata sua expiare nemo diffitebitur, cum eo potissimum scopo ad Monasteria convolaverint.

Tertio: Omnia ferme bona opera in Decalogo continentur. Ergone non meritoria & satisfactoria quia cadunt sub præceptum, & mandatis Dei obedimus? Absit dicere.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Licet pluribus titulis Deum venerari, & ipsi servire teneamur, hoc tamen negotium iisdem actibus perfici nemo non videt, cum usus obtinuerit in Ecclesia, ut audiendo Missam v. g. Deum & Creatorem & Redemptorem, adeoque propter creationis & redemptionis beneficia recolamus: Quidni & iisdem pietatis actibus ipsi, ut justo scelerum vindici satisfaceremus?

Secundo: Non est eadem ratio pro restitutione & satisfactione. Prior servat proportionem Arithmeticam, hinc non remittitur jus læsum, nisi restituatur ablatum: Posterior, Geometricam solum exigit. Quia vero satisfactio Christi est infiniti valoris, modo per opus præceptum nobis applicetur, sufficit ad luenda peccata; maxime cum ex parte nostri non requiratur ad supremos juris apices satisfactio, cum & illius simus incapaces.

Tertio: Neque vero ex satisfactione per opera præcepta sequitur peccatorem nihil amplius quam innocens præbere; cum enim actus præceptus non nisi obedientiam spectet, ut valeat ad gloriam, potest ex oblatione iterata laboriosæ pœnitentiæ utique ad satisfaciendum valere, maxime ex eo quod cuilibet oblationi respondeat amor, qui certe satisfactorius est, juxta illud Christi ad Magdalenam. Luc. 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.*

SEC.

SECTIO QUARTA.

Utrum Satisfactio debeat esse proportionata peccatis?

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

Probatur rationibus Theologicis.

PRIMA: Quod Concilium generale statuit, ita propugnandum est: Atqui Tridentinum Sess. 14. cap. 8. definit satisfactionem sacramentalem juxta peccatorum gravitatem imponendam esse. Et sic loquitur: " Debent ergo Sacerdotes Domini quantum Spiritus, & prudentia „ suggesserit, pro qualitate criminum, „ & pœnitentium facultate, salutares „ & convenientes satisfactiones injungere. „ Verbis paulo antecedentibus hæc præludit: " Divinæ justitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam „ recipiantur, qui ante Baptismum per „ ignorantiam deliquerint; aliter vero, „ qui semel a peccati, & dæmonis servitute liberati, & accepto Spiritus sancti dono, scienter Dei Templum violare, & Spiritum sanctum contristare non „ formidaverint. „ Sic autem eos adigit, ut pronuntiet postea illos qui convenientes non imponunt satisfactiones, eorum criminum participes fieri: " Ne, *inquit*, „ si forte peccatis conniveant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis „ delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.

Secunda: Vix difficilior foret reconciliatio post amissam Baptismi gratiam, si leves admodum satisfactiones imponerentur, neque vero pœnitentia esset Baptismus laboriosus: Atqui tamen contrarium pronunciat Tridentina Synodus. Ergo &c.

Tertia: Pœnitentes a peccatis de novo in posterum committendis deterrendi sunt: Atqui hoc fit acerbis castigationibus: Igitur satisfactio debet sceleribus commissis commensurari. Hæc ratio est primum Apoc. 7. *Quantum glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum*. Tum & Concilii Tridentini Sess. 14. cap. 8. ubi sic loquitur: " Divinam clementiam decet, ne ita nobis absque „ ulla satisfactione peccata dimittantur, „ ut, occasione accepta, peccata leviora „ putantes velut injurii, & contumeliosi „ Spiritui sancto in graviora labamur, „ thesaurizantes nobis iram in die iræ. „ Procul-dubio enim magnopere a peccato revocant, & quasi fræno quodam „ coercent hæ satisfactoriæ pœnæ, cautioresque, & vigilantiores in futurum „ pœnitentes efficiunt. „

Continis D. Ambrosius in hæc Psalmi 118. verba, *& de lege tua miserere mei*, & ait: " Exigit ergo Medicinæ ratio ut „ aut sectione, aut adustione curetur. „ Nisi enim putrefacta recidantur, aut „ humor inutilis decoquatur, frustra „ medicinæ manus adhibentur ad vulnera. Ideoque bonus Medicus hujusmodi „ ægrum legitime dicit esse curandum, „ ut possit medicina proficere. Lege ergo miseretur qui cum justitia sapientiaque miseretur, ut ea dimittat quæ „ scit jure posse dimitti: ne cum alterius miseretur, se ipsum legi faciat „ obnoxium. Agag postquam miseratione „ donatus est, fecit peccare Saul. Peccavit enim in ipsa misericordia, & ideo „ peccavit post misericordiam. Consideremus etiam ne & ipsum deteriorem faciamus, cujus miseretur injuste. „ Plerumque enim non coercere delinquentes, majoris auctoritatis est, quam „ si ulciscaris. „

Quarta: Satisfactio talis esse debet, ut vitiosos compescat habitus: Atqui sola satisfactio quæ criminibus præponderat talis est. Ergo &c. Illam rationem affert ibidem Concilium Tridentinum: " Medentur quoque, *inquit*, peccatorum reliquiis, & vitiosos habitus male vivendo comparatos, contrariis virtutum „ actionibus tollunt. „

Quinta: Sacerdos injungendo pœnitentiam peccatori, sic disponere ei incumbit, ut abundet in omni opere bono, tum ad restauranda merita, tum ad præcavenda deinceps peccata. Sed ad hoc requiritur satisfactio peccatis commissis expiandis proportionata: Ergo &c. Hanc statuit satisfactionis imponendæ regulam S. Chrysostomus Homil. 10. in cap. 3. Matth. versus finem: " Pœnitentiam ve„ ro dico non solum ut a malis prioribus deſi-

„ desistamus, verum etiam ut bonorum „ operum fructibus impleamur. *Facite*, „ inquit Joannes, *fructus dignos pœniten-* „ *tiæ*. Quo autem modo fructificare pot- „ erimus? Si utique peccatis adversa fa- „ ciamus. Aliena rapuisti, & incipe do- „ nare jam propria. Longo es tempore „ fornicatus? A legitimo quoque usu sus- „ pendere conjugii, ac perpetuam conti- „ nentiam sæpius paucorum dierum ca- „ stitate meditare. Injuriam vel opere „ cuiquam, vel sermone fecisti: refer be- „ nedictionis verba conviciis: & percu- „ tientes te nunc officiis, nunc etiam be- „ neficiis placare contende. Neque enim „ vulnerato sufficit ad salutem tantum mo- „ do spicula de corpore evellere; sed et- „ iam remedia adhibere vulneribus. De- „ liciis autem & tumulentia diffluebas: „ jejunio & aquæ potu utrumque com- „ pensa, ut famem superes imminentem. „

Sexta: Satisfactionem in eo positam esse contendit Conc. Trident. Sess. 14. c. 8. ut possit avertere imminentem a Deo pœnam: " Neque vero, *ait*, securior ulla „ via in Ecclesia Dei unquam existimata „ fuit ad amovendam imminentem a Deo „ pœnam, quam ut hæc Pœnitentiæ o- „ pera homines cum vero animi dolore „ frequentent. „ Sed levior satisfactio id efficere non potest; Ergo &c.

Septima: Tale nunc debet esse satisfactionis pondus, quale fuit in pœnitentibus utriusque legis: Atqui in illis fuit amara, nam ut sedaret iram Dei cilicio perpetuo, eoque acerbissimo carnem operuere, jejuniis durioribus incumbebant, potum cum fletu miscebant; vel ipse David rigorosam egit pœnitentiam, egit & Achaz, tum Manasses, Nabuchodonosor, Magdalena, Maria Ægyptiaca & alii permulti, quos hic recensere supersedeo; hinc Tertullianus Lib. de Pœnitentia c. 11. sic fatur: " Deliqui, dicito in Deum, „ & periclitor in æternum perire: „ itaque nunc pendeo, & mæceror & „ excrucior, ut Deum reconciliem mi- „ hi, quem . . . læsi. „

Hæc propter motiva S. Carolus hanc statuit regulam de modo pœnitentiæ injungendæ a Ministris 4. parte tractando: " Videant, *inquit*, ne pro peccatis gra- „ vibus levissimas pœnas imponant, „ in „ quod & Confessoribus & pęnitenti- „ bus periculosum est, cum id a sacris „ Litteris, & a Conciliorum decretis, „ & a SS. Patrum sententia alienum sit. „ Nam divinæ Litteræ ab eis qui pęni- „ tentiam agunt, hoc efflagitant, ut fru- „ ctus dignos pęnitentiæ faciant, utque „ ad Dominum convertantur in jejunio, „ fletu, & planctu. „

Hinc temporibus quo fervebat religionis zelus, ardor ille affulgebat in peccatoribus, qui lubenti animo sese pęnitentiæ rigorosæ laboribus subjiciebant; quod & unanimiter nedum docuerunt Patres, sed ad praxim reduxerunt respectu pęnitentium; quare ipse Paulus hanc statuit regulam, ut mortificationi serviant membra, quæ peccato servire; nec ab hac disciplina usquam recessum est: licet enim pęnitentia publica sublata sit; vult tamen semper Ecclesia, ut Christiani mortificent membra quæ sunt super terram, crucem jugiter tollant, abnegent semetipsos; quocirca si non quoad omnia, saltem quoad majorem partem, canonibus pęnitentialibus in quantum fieri potest, Ministri Domini veteri Ecclesiæ praxi & vestigiis debent insistere.

Solvuntur Objectiones.

Objicies: Si Sacerdotes tenerentur æqualitatem servare in pęnis infligendis inter satisfactionem, & peccatum, infinitas deberent proculdubio imponere; infinita enim est gravitas peccati quo Deus læditur; absurdum consequens. Ergo & antec.

Respondeo negando majorem: Ratio est, quia pęna æterna, quæ peccato lethali debetur, in finitam & temporalem commutatur per sacramentum Pęnitentiæ; pęnæ igitur temporali, & non æternæ, satisfactiones conveniunt; & sic sunt finitæ.

Instabis: Ideo pęna temporalis imponitur, ut pro eis peccator non teneatur in altera vita eam in purgatorio luere: Sed ignorat Sacerdos quænam pęnæ quantitas exolvenda sit in altero sæculo pro peccato in hac vita quoad culpam dimisso: Ergo &c.

Respondeo distinguendo minorem: Et novit ex Scripturis, & traditione alterius vitæ pęnas non fore leves, & sic pruden-

ter

ter potest judicare quid imponendum sit pœnitenti, ut illas non subeat, concedo: & pœnæ illæ sunt parvi momenti, nego. Quid de flammis purgatorii doceat Scriptura, quid & scripserint SS. Patres, illud ita superat captum humanum, ut peccator debeat Domino cum Augustino dicere, Hic seca, hic amputa, modo in æternum parcas.

Urgebis: Canones pœnitentiales determinant quænam sit conveniens pœna, unicuique peccato infligenda: Sed illi canones non sunt amplius in usu: Ergo &c.

Respondeo I. cum S. Carolo Borromæo Ministros secundum judicium viri prudentis teneri aliquam servare in imponendis pœnitentiis satisfactoriis proportionem. Sic loquitur 4. parte Ecclesiæ Mediolanensis instructionum p. 769. " Canones, *inquit*, pœnitentiales teneant „ Ministri, quamvis enim prudenter, & „ considerate pro pœnitentis dolore, ho- „ minumque varietate, aliisque circum- „ stantiis attemperari possint & debeant. „ eos tamen observari, atque ut formam, „ & regulam quantum expedire videbitur „ exprimi semper laudabile est. „

Respondeo II. distinguendo minorem: Canones pœnitentiales fuerunt abrogati quod aliqua, concedo: quoad omnia, nego. Ultro fatemur eos quoad pœnitentiam publicam fuisse recissos, nusquam vero quoad pœnitentiam laboriosam, quæ juxta delictorum qualitatem imponenda est; quinimmo & satisfactio publica, si peccatum induxerit scandalum, ut ex Concilio Tridentino constat. De hoc momento ait Catechismus Rom. p. 2. ubi de Pœnit. n. 67. " Quare sapientissime „ illud ab Ecclesia observatum est, ut „ eum ab aliquo publice flagitium com- „ missum esset, publica etiam pœniten- „ tia ei indiceretur: ut ceteri timore „ perterriti, deinceps peccata diligentius „ vitarent. „

Insistes: Alexander VIII. hanc proscripsit propositionem: *Consuetudo moderna quoad administrationem sacramenti Pœnitentiæ, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmat, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abusu*. Ergo &c.

Respondeo distinguo antecedens. Alexander morem imponendi graves, & ut plurimum intolerabiles pœnas ante absolutionem subeundas, ut abusum propellit, concedo: satisfactiones prudentes juxta peccatorum pondus, & post absolutionem adimplendas, nego. Summus Pontifex eo loci suo perstringit stylo censorio praxim Novatorum, qui prius a pœnitentibus exigunt satisfactionem, eos quam absolvant. Hoc ipsum patet ex his duabus propositionibus damnatis, quæ memoratam procedunt propositionem; quæ quidem his verbis exprimuntur: *Per praxim mox absolvendi ordo pœnitentiæ est inversus. Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit, non politia, aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex, & præscriptio, natura rei id ipsum quodam modo dictante.*

Persistes: Saltem Jubilæi tempore Sacerdotes leves possunt imponere pro peccatis satisfactiones; ea enim est vis indulgentiarum quæ plenariæ dicuntur, ut totam deleant temporalem pœnam pro peccatis ex integro luendis relictam. Ergo &c.

Respondeo negando antecedens; nullius enim temporis exceptionem facit Concilium Tridentinum. Neque vero Bullæ quibus indulgentiæ conceduntur, oppositum continent, cum ex parte peccatorum requirant eam conditionem, ut sint contriti, & pœnitentes. Contritionem autem supponere fletus, & labores, nemo non novit; hinc nedum minuit Ecclesia satisfactiones Jubilæorum tempore, quin potius adaugeat; quippe quæ multa injungat bona opera, ut eleemosynas, supplicationes, jejunia, incarceratos visitare, pupillos sustentare, & similia.

Dices: Ex hoc sequitur indulgentias nihil prodesse iis qui peccaverint; ad quid enim iis prodesse possunt qui proportionatam de peccatis agunt pœnitentiam? Sed falsum consequens: Ergo & antecedens.

Respondeo negando sequelam. Primo quidem indulgentia Jubilæi supplet quod pristinis deest sacramentalibus satisfactionibus. Secundo prodest ægrotis, qui tametsi Deo satisfacere habeant in voto, id tamen adimplere sicut oportet propter vitæ brevitatem non valent. Prodest etiam peccatoribus, qui vitiorum onere oppressi, contritionem intensissimam

non

non habent, namque ejus efficaciam adæquatam pro pęna temporali expianda supplet. Demum tempore Iubilæi & a censuris, & a casibus reservatis datur absolutio.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Satisfactio a Sacerdote imponenda, debet esse peccatis proportionata.

PRIMO: Sic statuit Concilium Tridentinum Sess. 14. cap. 8.

Secundo: Reconciliatio per Pœnitentiæ sacramentum habita, non foret Baptismus laboriosus, si satisfactio levior imponeretur, quod utique Concilio Tridentino adversatur. Ergo &c.

Tertio: Pœnitentes a committendis de novo peccatis deterrendi sunt: Sed & hoc non fit, prætermissa satisfactione prioribus sceleribus proportionata. Ergo &c.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Ecclesia in votis habet ut satisfactio proportionetur pœnæ temporali debitæ. Nusquam vero infinitæ cujus homo incapax est. Unde eam non oportet esse infinitam.

Secundo: Pœnitentię canonicæ publicæ rescissæ sunt quidem, sed non quoad omnia: Alexander VIII. damnat abusum gravioris pœnitenniæ, quæ exigitur à Novatoribus ad absolutionem præambulam, sed non ad mensuram impositas pœnas, & juxta viri prudentis judicium.

Tertio: Indulgentia Jubilæi non evacuat debitas pro peccatis satisfactiones, quandoquidem Ecclesia illam ea conditione concedit, ut peccatores piis operibus vacent; præcipiuntur enim eleemosynæ, variæ stationes, confessio, & divinæ Eucharistiæ participatio.

SECTIO QUINTA.

An pœnitens teneatur subire satisfactionem sibi a Sacerdote impositam?

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

Probatur rationibus Theologicis.

PRIMO: Sacerdotes acceperunt a Christo Domino potestatem non tantum absolvendi & remittendi, sed etiam ligandi & retinendi, juxta illud Matth. 18. *Quæcumque alligaveritis &c.* Et illud Joan. c. 20. *Quorum remiseritis &c.* Atqui ligat Sacerdos peccatorem, & peccatum ejus retinet; non tantum quando eum censet absolutione indignum, sed & eum absolvens illi pro satisfactione certum aliquid pęnale injungit: Igitur peccator tenetur pœnitentiam satisfactoriam a Confessario impositam, adimplere.

Altera: Traditio Patum habet vim legis, quam infringere non licitum est. Sed Patres una consensione docent pœnitentiam sacramentalem esse adimplendam: Et probatur. S. Cyprianus L. de laps. ait: " Oportet, justis operibus incumbere, quibus peccata purgantur, eleemosynis frequenter insistere, quibus a morte animæ liberentur. "

Tum Tertullianus L. de Pęnit. cap. 10. " In quantum non peperceris tibi, in tantum tibi Deus, crede, parcet. "

S. Leo Magnus Epist. 92. cap. 2. ad Rusticum Narbon. sic habet: " Alienum est a consuetudine Ecclesiastica, ut qui in Presbyterali honore, aut in Diaconi gradu fuerint consecrati, si pro crimine aliquo suo per manus impositionem remedium accipiant penitenti... avide hujusmodi lapsi ad promerendam misericordiam Dei privata est expetenda secessio, ubi illis satisfactio, si fuerit digna, sit etiam fructuosa. " Ibi satis significat, eos qui satisfactionem recusant, aut nolunt subire, non esse admittendos ad reconciliationis Sacramentum.

His adde auctoritatem Rabani, qui in collectione Synodorum sic habet: " Pœnitens illud quod ei institutum fuerit, ita caute observet, ac si ex ore Dei fuerit prolatum. " Idem docet auctor libri

vera & falsa pœnitentia c. 15. Ibi enim pœnitentem instituens ait: " Ponat se omnino in potestate & judicio Sacerdotis, " nihil sibi reservans sui, ut omnia, eo " jubente, paratus sit facere pro recipienda animæ vita. "

Tertia: Ab ipsa vagiente Ecclesia statutum est pœnitentiam sacramentalem adamussim adimplendam esse. Ergo &c. Probatur antecedens. Provincia tunc demandata erat Presbyteris, ut secundum canones pœnitentiam injungerent; pœnitentes vero tenebantur, quidquid a Presbytero illis fuisset injunctum, perinde ac si esset ex ore Dei emanatum, observare; quod si recusarent, denegabat eis Ecclesia reconciliationem, quam non prius dabat, quam illi explevissent quæ præscripta erant. Hinc in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. cap. 21. præcipitur, ut omnes Fideles sua peccata confiteantur; & injunctam sibi pœnitentiam studeant adimplere: " Omnis utriusque " sexus fidelis, postquam ad annos discretio- " nis pervenerit... injunctam sibi peniten- " tiam studeat pro viribus adimplere. "

Quarta: Pœnitens tenetur omnes partes sacramenti Pœnitentiæ, nisi morte præpediatur, subire: Igitur & impositam sibi pœnitentiam absolvere; cum satisfactio sit pars integralis sacramenti Pœnitentiæ.

Solvuntur Objectiones.

Objicies: Sacerdos non est Judex ordinarius, sed arbitrarius; adeoque est in arbitrio pœnitentis ut se submittat Sacerdoti, vel quoad remissionem culpæ, & pœnæ, vel quoad remissionem culpæ tantum, ita ut paratus sit flagella Dei expectare, eaque profolutione pœnæ suscipere: vel etiam ipse sibi ad nutum satisfactionem imponere, Ergo &c.

Respondeo negando antecedens; tametsi enim penes sit pœnitentem sibi eligere Sacerdotem quem libuerit, cui peccata sua confiteatur; ex quo tamen eligit aliquem in particulari, tenetur ei tamquam ordinario, vel delegato Judici, ac Vicem Christi gerenti, juxta potestatem ei concessam sese submittere, & datam satisfactionem adimplere, quam si omittat, graviter peccabit.

Instabis: Nullum est de satisfactione divina præceptum: Igitur Sacerdos qui agit ut Minister Dei, non potest ad satisfactionem pœnitentes obligare.

Respondeo negando antecedens; contrarium quippe patet ex probationibus jam datis; eo enim ipso quo Sacerdos Judex a Christo constitutus sit, his verbis, *Quæcumque alligaveritis &c.* potest solvere peccatorem ea lege & conditione, quod Majestati divinæ læsæ satisfaciat.

Urgebis: Ideo Deus jussit Sacerdotibus satisfactiones imponere, ut mitius in hac vita pœnitentes ei satisfaciant, quam in altera, scilicet in purgatorio: Sed pœnitens potest sese determinare ad luendas pœnas peccatis debitas in flammis illis expiatricibus: Ergo &c.

Respondet distinguendo: Et hoc Deus in arbitrio hominum non reliquit, concedo: & reliquit, nego. Jam vero Deus præcepit hominibus, ut pro pœnis temporalibus annexis peccato satisfacerent in hac vita; quod quidem præceptum majorem adhuc Dei misericordiam commendat, dum videlicet per ipsum ejus flagella præoccupandi incumbit necessitatem homini, ne in altero sæculo acerbius puniatur; quocirca præcepto quo satisfactionis opera jubentur, obediendum est; quippe quod sit a lege pœnitentiæ indivulsum.

Insistes: Nedum reprehendendus, sed & laudandus est ille, qui ex vehementi peccatorum displicentia, sic se ad majorem satisfactionem obeundam paratus est, ut nolit uti indulgentiis, quibus satisfactio relaxaretur: Pari & consimili ratione gratiam, qua satisfactiones hujus sæculi evadunt leviores, potest abnuere.

Respondeo, transeat antecedens, & nego consequentiam. Etenim satisfactiones hujus sæculi, præter eum usum, qui potissimum consistit in expiandis peccatis, plurimum sunt utiles; quippe quæ viam sternant facilem ad gloriam, carnem castigent ne adversus spiritum obstrepat, faveant humilitati, certam ad cœlum vocationem & electionem faciant.

SYN-

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Homo tenetur adimplere pœnitentiam sacramentalem sibi impositam.

PRIMO : Datum est jus B. Petro & ejus in sacerdotio successoribus sicut solvendi, sic & ligandi ad pœnam pœnitentes : Igitur Fideles tenentur adimplere pœnitentiam in confessione impositam.

Secundo: Sic usus ab ipsa vagiente Ecclesia obtinuit, ut pœnitentibus satisfactio adimplenda imponeretur : Sic docet S. Cyprianus Serm. de lapsis. Sic Leo Epist. 91. Sic Tridentinum Sess. 14. cap. 8.

Tertio : Reus debet adimplere conditiones sententiæ Judicis eum absolventis, eas vero ex negligentia aut contemptu omittere, est perfidia culpabilis: Sed inter omnes, præcipua est pœnitentiæ sacramentalis adimpletio. Ergo &c.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM, ET EXPLICATIONUM.

PRIMO : Quamquam Sacerdos sit Minister arbitrarius a pœnitente electus, ipsi tamen peccator debet in pœnitentia adimplenda promptum obsequium.

Secundo : Possunt quidem peccatores majoris pœnitentiæ intuitu acceptare in hac vita pro expiandis peccatis purgatorii pœnas ; sed cum judicium incipiat a domo Dei, vel in hac vita pœnitenti incumbit ante mortem adimplendo pœnitentiam impositam, præoccupare scelerum expiationes.

Tertio : Falsum est nullum esse de satisfactione emittenda præceptum, quippe quod a lege pœnitentiæ faciendæ indivulsum sit.

SECTIO POSTREMA.

De effectibus Pœnitentiæ.

PRIMARIUS est justificatio peccatoris, cum ad eam potissimum terminetur, ut liquido probatum est, ubi de essentia Sacramenti. Hoc ipsum docet Catechismus Roman. 2. p. de Pœnitentia n. 18. his verbis: " Pœnitentiæ itaque omnis in „ eo vis est, ut nos in Dei gratiam re„ stituat, cum eoque summa amicitia „ conjungat. „

Secundus & tertius, est pax interior & bona conscientia, juxta illud Angelicum concentum, *Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis*. Catechismus ibidem hunc commemorat effectum, cui addit summam animi jubilationem & tranquillitatem : " Hanc vero, *inquit*, reconciliatio„ nem interdum in hominibus piis, qui „ hoc Sacramentum sancte, & religiose „ percipiunt, maxima conscientiæ pax „ & tranquillitas cum summa spiritus „ jucunditate consequi solet. „

Quartus, quodlibet peccatum non semel remittit, sed iterum atque iterum & toties quoties de culpis dolet prævaricator. Hunc effectum non tacet Catechismus ibid. his verbis: " Nullum est „ enim tam grave & nefarium scelus, „ quod Pœnitentiæ sacramentum non qui„ dem semel, sed iterum & sæpius non „ deleat. Qua de re ita Dominus per „ Prophetam inquit : *Si impius egerit pœ„ nitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ „ operatus est, & custodierit præcepta mea, „ & fecerit judicium & justitiam, vita vi„ vet, & non morietur : omnium iniquita„ tum ejus, quas operatus est, non recor„ dabor*: & S. Joannes : *Si confiteamur pec„ cata nostra, fidelis est & justus, ut remittat „ nobis peccata nostra*; & paulo post : *Si pec„ caverit*, inquit, (nullum videlicet pec„ cati genus excipiens,) *advocatum ha„ bemus apud Patrem Jesum Christum ju„ stum, & ipse est propitiatio pro peccatis no„ stris, non pro nostris autem tantum, sed „ etiam pro totius mundi.* „

Quintus est reviviscentia meritorum, juxta illud Ezech. 36. *Impietas impii non nocebit ei in quacumque die conversus fuerit*; immo & Joel. 2. asserit Deus se redditurum pœnitenti annos quos comederat locusta & bruchus, hoc est, bona opera mortificata per peccata, nomine locustæ & bruchi significata.

Sextus est Deo satisfacere pro pœna temporali ex parte, quandoque etiam ex integro si pœnalitates a pœnitentia inductæ, tantum habeant pondus ad jus divinum læsum satisfaciendum, quantum habuere peccata ad lædendum. De hoc momento audien-

audiendus est idem Catechismus num. 65. ubi ait pœnitentiam laboriosam satisfacere pro peccatis, quod quidem illustrat exemplo pœnitentiæ Davidis, tum concludit ex pœnitentia pii Regis: " Ut „ non solum crimen, sed pœnam etiam „ crimini debitam condonaret, atque a „ peccati reliquiis purgatum, in pristi„ num decoris & integritatis statum re„ stitueret. „

Septimus: Pœnitentia vitia comprimit, & charitatis ac virtutum flammam accendit, immo hominem lapsum a peccando in posterum deterret. Sic propugnat Catechismus ibid. num. 66. aitque: " Procul-dubio enim magnopere a pec„ cato revocant, & quasi fræno quodam „ coercent hæ satisfactoriæ pœnæ, cau„ tioresque & vigilantiores in posterum „ pœnitentes efficiunt. „ Ceterum pœnitentia ut virtus eosdem cum voto Sacramenti producit effectus.

Synopsis contentorum.

EFFECTUS Pœnitentiæ I. Justificatio peccatoris. II. Pax interior. III. Bona conscientia. IV. Cuncta peccata iterum commissa remittit. V. Reviviscentia meritorum. VI. Deo satisfacit. VII. Vitia comprimit, & virtutum flammam accendit.

ARTICULUS NONUS.

De extensione Clavium Ecclesiæ.

OSTENSUM est supra, claves Ecclesiæ nihil aliud esse præter potestatem ligandi & solvendi, juxta illud Christi Matth. 16. ad Petrum: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcumque solveris super terram erit solutum & in cœlis*. Ex hac Salvatoris sententia sequitur potestatem Ecclesiæ ad id omne sese extendere, quo aliquis nedum a culpa & reatu pœnæ æternæ, sed etiam & a pœna temporali solvi potest: quia vero rei noxii non solum in foro interno, sed & in contentioso, ad peccati scandalum castigandum, vel etiam aliud tametsi occultum, sed gravissimum, quandoque per censuras puniuntur, atque etiam ab eis, pœnitentia expleta, modo post pœnitentiam laboriosam exantlatam, modo etiam ea nondum finita per indulgentiam, liberantur; opere pretium est de utroque momento, videlicet & de Censuris, & de Indulgentiis non nihil hic tractare ad quæstionem Supplem. D. Tho. 21. usque ad 27. inclusive. Unde sit

SECTIO PRIMA.

De Censuris.

CIRCA istud momentum varia hic quæruntur. Primo quidem de nominibus. Secundo, de divisione. Tertio, de subjecto. Quarto, de absolutione.

§. I.

De nomine, divisione, & definitione Censurarum.

CENSURA, ut præ se fert vocabulum, est pœna, quæ non nisi contumaci baptizato infligitur, propter aliquod scelus alias gravissimum, non enim pro leviori imponenda est. Ex his habes nomen simul & censuræ definitionem.

Primo, Censura late usurpata non una est. Quædam est a jure, quædam vero ab homine; prior summorum Pontificum & Conciliorum decretis ipso facto incurritur; posterior a Superiore Ecclesiastico infligitur. Illa est universim ad omnes delinquentes indiscriminatim puniendos, sed ista nonnisi particulares in individuo spectat. Neque etiam hoc solum inter utramque discrimen intercedit: verum etiam ex eo quod lata a jure, vel ipso mortuo Legislatore perduret; e contra vero lata ab homine.

Secundo, quædam est latæ sententiæ, quædam etiam ferendæ: Illa, ipso patrato crimine incurritur, vel ipsa omissa Judicis sententia, qua aliquis reus declararetur; ista vero e contra nonnisi denunciatione facta. Latæ sententiæ istis vocabulis, *ipsofacto, illico & absque mora scias te esse excommunicatum* dignoscitur: vel etiam aliis istis verbis aut similibus; *qui hoc fecerit, excommunicatur, vel suspendatur*, vel etiam *anathema sit*. Ferendæ vero

vero per verba comminatoria exprimitur, quod potest isto illustrari exemplo. *Præcipimus sub pœna excommunicationis, vel suspensionis, vel interdicti, vel sub interminatione anathematis, ne hoc facias.* Prioribus sæculis, nonnisi prima erat in usu, cum Ecclesia in peccatores scandalosos anathemate semper animadverteret.

Tertio: Censura quandoque est justa, quandoque etiam injusta evadit. Illa censetur justa, quæ, servatis de jure & solemnitate servandis, puta a legitimo Superiore contra baptizatum, & quidem peccati, cui annexa est gravissima pœna, reum, ad ejus correctionem profertur; quibus demptis conditionibus, a justitia excideret; hinc injusta dicitur censura, si lata sit a Superiore vel non habente jurisdictionem, vel ex ira & sine ratione; vel etiam si ille, quem anathemate ferit Superior, sit innocens. Quidquid sit tametsi coram Deo injusta foret, semper timenda est, ait Gregorius Magnus Hom. 16. in Evangelia. Immo quandoque contingit censuram injuste a Legislatore proferri, ut cum vindictæ motivo ductus anathemate percutit subditum innocentem, qui humiliter ad Christi imitationem æquo sufferre debet animo, quippe quæ in foro contentioso solemnitatibus extrinsecis juris adornata sit. Et hoc donec purgationem canonicam ex probata innocentia habeat. Sic censet S. Augustinus Lib. de vera religione cap. 6. his verbis: " Sæpe etiam sinit divina Provi-,, dentia per nonnullas nimium turbulen-,, tas carnalium hominum seditiones ex-,, pelli de Congregatione Christiana et-,, iam bonos viros, quam contumeliam ,, vel injuriam suam cum patientissime ,, pro Ecclesiæ pace tulerint, neque ullas ,, novitates, vel schismatis, vel hæresis ,, moliti fuerint, docebunt homines quam ,, vero affectu, & quanta sinceritate ,, charitatis Deo serviendum sit. ,,

Suffragatur S. Thomas hic quæst. 21. art. 4. his verbis: " Contingit autem ,, quandoque quod sit debita causa ex parte ,, excommunicantis, quæ non est debita ,, ex parte excommunicati, sicut cum aliquis pro falso crimine in judicio probato ,, excommunicatur, & tunc si humiliter ,, sustinet, humilitatis meritum recompensat excommunicationis damnum. ,,

Censura stricte sumpta dividitur in excommunicationem majorem & minorem, in suspensionem, & in interdictum.

Excommunicatio major recte definitur, *separatio a Communione Ecclesiæ quoad fructum, & suffragia generalia, immo & societatem civilem, seu Censura Ecclesiastica qua baptizatus contumax privatur participatione Sacramentorum, tum suffragiorum Ecclesiæ, & societatis Fidelium*; itaut excommunicato denunciato, ne quidem *Ave*, dicendum sit. Minor vero contrahitur ex participatione cum excommunicatis excommunicatione majore: dicitur vero minor, quia solo privat usu Sacramentorum. Sic docet S. Thomas hic quæst. 21. art. 1. his verbis: " Dicendum quod ille ,, qui per Baptismum in Ecclesia ponitur, ,, ad duo adscribitur, scilicet ad cœtum ,, Fidelium, & ad participationem Sacramentorum, & hoc secundum præ-,, supponit primum, quia in Sacramentis ,, participandis etiam Fideles communi-,, cant. Et ideo aliquis potest extra Ec-,, clesiam fieri per excommunicationem ,, dupliciter. Uno modo, ita quod separetur tantum a participatione Sacra-,, mentorum, & hæc est excommunica-,, tio minor. Alio modo ita, quod ex-,, cludatur ab utroque, & sic erit ex-,, communicatio major quæ hic definitur. ,, Non autem potest esse tertium, scili-,, cet quod excludatur a communione Fi-,, delium, & non a participatione Sa-,, cramentorum ratione jam dicta: quia ,, scilicet Fideles in Sacramentis commu-,, nicant, sed communicatio Fidelium est ,, duplex. Quædam in spiritualibus, sicut ,, sunt mutuæ orationes, & conventus ,, ad sacra percipienda. Quædam in cor-,, poralibus actibus legitimis, quæ quidem ,, communicationes his versibus conti-,, nentur,

Si pro delictis anathema quis efficiatur:
Os, orare, vale, communio mensa negatur.

,, Os, scilicet, ne osculum detur. Orare, ,, ne cum excommunicatis oremus. Va-,, le, ne salutentur. Communio, ne scilicet in Sacramentis cum ipsis aliquis ,, communicet. Mensa negatur, ne aliquis ,, cum eis in mensa comedat. Præmissa ,, ergo definitio importat separationem a ,, Sacramentis, in hoc quod dicit, quoad ,, fru-

„ fructum ; & à communione Fidelium „ quantum ad spiritualia, in hoc quod „ dicit : & suffragia Ecclesiæ communia: „ Alia autem definitio invenitur quæ datur „ secundum separationem ab utrisque a- „ ctibus, quæ talis est. Excommunicatio „ est a qualibet licita communione Fide- „ lium separatio. „

Suspensio, *est Censura Ecclesiastica privans usu Ecclesiastici officii, aut beneficii*. Dividitur in tres potissimum species: quædam est suspensio ab officio; nomine vero officii intelligitur tam officium ordinis, quam officium Jurisdictionis Ecclesiasticæ. Quædam est a Beneficio Ecclesiastico, & per Beneficium intelligimus Dignitates, Canonicatus, Beneficia, sive Curata, sive simplicia. Quædam demum est ab officio, simul & beneficio. Ex his autem quædam sunt ad tempus, quædam etiam in perpetuum.

Interdictum *est Ecclesiastica Censura, Sacramentorum usum, divina officia, & sepulturam Ecclesiasticam secundum se prohibens*. Porro privat usu Sacramentorum, neque enim tempore interdicti quædam conferuntur. Privat etiam divinis officiis, quæ etiam tempore interdicti cessant. Demum & Ecclesiastica sepultura; qui enim interdictus est, Ecclesiastica sepultura non donatur.

Rursus subdividitur in interdictum locale, personale & mixtum. Locale spectat locum in quo prohibetur offerri sacrificium; quia v. g. locus propter quosdam defectus deformis est, ut si Ecclesiæ præ vetustate ruina manifesta pateret. Personale, cum vel ipsi personæ prohibetur ne officiis Ecclesiasticis, ut prædicationi, & confessionibus audiendis incumbat. Mixtum denique, quod ex utroque compositum est, v. g. si locus interdicatur ubicumque fuerit præsens persona interdicta.

Nec abs re erit hic aliquid de cessatione a divinis & irregularitatibus delibare.

Cessatio *a divinis est omissio quædam divinorum officiorum, & sacrorum exsecutionis*; non enim licet, ait Toletus hic L. 1. cap. 56. sicut interdicto pendente, januis clausis, celebrare divina officia. Sicut interdictum quandoque est generale, ut si aliqua tota Congregatio interdicti anathemate feriretur; aliud vero particulare, cum nominsi vel ad aliquas personas, vel etiam ad aliqua loca sese extendit; sic & proportionaliter dicendum de cessatione a divinis, quæ quidem uni toti civitati infligitur, nonnumquam vero ad aliquam solum Ecclesiam spectat.

Irregularitas *est inhabilitas suscipiendi Ordines, aut susceptos exercendi a sole Jure proveniens*. Non una est irregularitas: quædam est a natalibus, puta cum quis ex legitimo matrimonio non est procreatus. Quędam ex defectu originis, qualis est servitus; quædam ex defectu libertationis, quod contingit cum quis alligatur ad negotia Principis alicujus peragenda, a qua quidem obligatione non potest, quando vult, solvi. Sic & curiales, qui curiæ officio tenentur, sic & Judices, Advocati forenses, Notarii, Milites, & similes Ministri irregularitati subjiciuntur, quippe qui reipublicæ famulatui incumbant. Quædam ex defectu ætatis, hinc impuberes & Minores Filii irregulares dicuntur, sicut & ceteri qui ad annos a canonibus præscriptos nondum pervenerunt. Quędam ex defectu famæ bonæ: Isto impedimento innodantur qui male audiunt in civitate. Quædam ex defectu corporis, ut si quis in aliquo membro graviter mutilatus existeret, maxime si ob hunc defectum vel diformis, vel ex parte inhabilis ad cæremonias adimplendas evaderet. Quædam ex parte animæ, puta Hæreticus, aut Schismaticus denunciatus. Quædam ex defectu Sacramenti, nempe si persona non sit baptizata, vel etiam si talis homo fuerit bigamus. Quædam ex parte criminis, ut ex homicidio patrato. Quædam etiam ex sponsalibus; promissio enim matrimonii impedit Ordinum susceptionem.

§. II.

De Censuris in particulari, ubi de materia & forma, subjecto, Ministro & effectibus.

QUÆRES primo, Quænam sit materia & forma Censuræ Ecclesiastica?

Respondeo I. materiam esse peccatum mortale; cum enim censura sit gravissima pœna, eaque publica, injustum foret

leviorem culpam tanta pœna mulctare ; e contra vero si adsit grande peccatum. Sic colligitur ex S. Thoma hic quæst. 21. art. 3. ubi docet ex professo aliquem excommunicari posse propter damnum temporale proximo erogatum; quod quidem illustrat exemplo Ananiæ & Saphiræ, qui propter res temporales in quibus deliquerant, morte puniti sunt. Ratio D. Thomæ eo loci affertur, ex eo quod peccatum mortale a Deo separet, ex quo concludit Censuris Ecclesiasticis peccata mortalia posse castigari: quod & probat art. 2. ista ulteriori ratione, quia judicium Ecclesiæ debet esse judicio Dei conforme: " Deus autem, *inquit*, „ peccatores multipliciter punit; Uno „ modo flagellis castigando, ut ad bo„ num eos trahat: alio modo hominem „ sibi relinquendo ut auxiliis subtractis, „ quibus a malo præpediebatur, suam in„ firmitatem cognoscat, & humilis ad „ Deum redeat, a quo superbus discesserat; & quantum ad utrumque Eccle„ sia in excommunicationis sententia divi„ num judicium imitatur. In quantum e„ nim aliquem a communione Fidelium „ separat, ut erubescat: imitatur di„ vinum judicium quo per flagella casti„ gat: in quantum autem a suffragiis & „ aliis spiritualibus separat, imitatur di„ vinum judicium, quo hominem sibi re„ liquit, ut per humilitatem seipsum co„ gnoscens ad Deum redeat. „

Respondeo II. excommunicationem injustam ex parte excommunicati, qui est innocens ex invalidate materiæ, nullam evadere; eam tamen æquo ferat animo, donec suam probaverit innocentiam: & proderit illi tum ad gratiæ augmentum ex humilitate, tum ad gloriæ meritum, ut jam dictum est. Sic propugnat S. Thomas ibidem art. 4.

Respondeo III. formam censuræ ferendæ sitam esse in his conditionibus. Primo quidem ut castigandus prævaricatus sit legem. II. Quæ objective sit bona: III. Promulgata & acceptata: IV. Tum ut scripto, vel viva voce coram testibus exprimatur, ut v. g. Judex dicat: *Te excommunico propter tale scelus*, in judicio quippe motivum pœnæ declarandum est. V. Ut adscitus in judicium, non ignoret sententiam ut possit illi vel subjici, vel etiam suam probando innocentiam, ab ea solvi.

Quæres II. Quisnam sit auctor vel etiam Minister Censuræ?

Respondeo I. Deum esse primarium Censurarum institutorem, juxta illud Amos 3. *Si erit malum in civitate, quod non fecerit Dominus*; quod quidem intelligitur de pœna temporali. Hoc ipsum probant variæ peccatorum flagellationes, quibus insectatus est Deus populi sui scelera, ut legitur in libris tum Legalibus, tum Prophetalibus. Neque vero hoc silet Lex nova, cum expresse Christus declaret eos esse habendos tamquam Ethnicos & Publicanos, qui audire Ecclesiam nolunt. Quæ quidem Censura aperte his verbis constituitur Matth. 18. *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus*.

Respondeo II. Ecclesiam esse secundariam censurarum causam, cum usus a primis sæculis obtinuerit illam, varios tum pro disciplina, tum pro dogmate canones instituere, quibus anathemate percellit rebelles. Sic propugnat S. Thomas hic ex professo art. 2. ubi probat Ecclesiæ ex necessitate incumbere, obstrepentes adversus Dei mandata censuris compescere, ea ductus ratione, quod ejus judicium debeat judicio Dei conformari.

Respondeo III. ad Episcopos maxime spectare; principaliter vero ad summum Pontificem censuras ferre, eo quod Papa in totam Ecclesiam, Episcopi vero in Diœcesanos jurisdictionem habeant & superioritatem: hinc ab eis coercendi sunt mali.

Hoc ipsum Diaconi & Archidiaconi ex delegatione, Abbates vero in suos subditos possunt, e contra vero simplices Presbyteri: primum patet, cum Priores superioritatem habeant, vel ex delegatione, vel ex beneficii jure: alterum utique claret: tametsi enim simplex Sacerdos habeat potestatem in foro interiori, non tamen in contentioso. Sic ratiocinatur D. Thomas hic q. 22. art. 1. his verbis: " Dicendum, quod in foro conscientiæ „ causa agitur inter hominem & Deum: „ in foro autem exterioris judicii cau„ sa agitur hominis ad hominem, & „ ideo absolutio vel ligatio quæ unum „ hominem obligat, quoad Deum tantum „ per-

„ pertinet ad forum Pœnitentiæ: Sed „ illa quæ hominem obligat in comparatione ad alios homines, ad forum publicum exterioris judicii pertinet. Et „ quia homo per excommunicationem a „ communione Fidelium separatur; ideo „ excommunicatio ad forum exterius pertinet: & ideo illi soli possunt excommunicari, qui habent jurisdictionem in „ foro judiciali. Et propter hoc soli Episcopi propria auctoritate, & majores „ Prælati secundum communiorem opinionem possunt excommunicare.„

Idem probat ibidem art. 2. ubi tamen excipit Diaconos & Archidiaconos, qui quandoque non sunt Sacerdotes; cum enim, ait, censura non gratiam conferendam, sed pœnam infligendam spectet, ex delegatione laudati Ministri possunt aliquem censura ferire. Non tamen id posset vel ipse Superior, si castigandus foret ipsi in dignitate æqualis, cum tunc deficeret ad excommunicandum superioritas, ut probat S. Thomas ibidem art. 4. supra vero art. 2. ubi ait vel ipsum Superiorem non posse censuras ferre, in casu quo ipse foret excommunicatione vel suspensione innodatus, eo quod excommunicatio major & suspensio ad hoc sint impedimenta: Excommunicatio quidem major, ea quippe Superior ab Ecclesia ita sejungitur, ut in ea nihil possit; suspensio vero quia impedit seu suspendit jurisdictionis actum.

Quæres III. ad quem spectet a censuris aliquem absolvere?

Respondeo ad eos solum, ad quos pertinet censuras ferre, ita docet S. Thomas hic q. 24. art. 1. quia inquit: " Ejusdem potestatis est excommunicare, „ & excommunicatum absolvere. „ Quæ quidem potestas fundatur in his Christi verbis Matth. 16. *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo.*

Inferes aliquem posse absolvi a censuris invitum, quia censura est pœna temporalis, quæ sicut contra voluntatem delinquentis infligitur, ita & ipso invito, ab ea relaxatio fieri potest. Sic propugnat S. Thomas ibidem art. 2. Tum art. 3. ait innodatum pluribus censuris ex diversis criminibus habitis, posse absolvi ab una, & non ab omnibus, eo quod possit emendari ab uno, & nondum sit a ceteris emendatus, & sufficienter castigatus.

§. III.

De Excommunicatione in individuo, ubi de ejus causis & effectibus.

Quæres I. Quænam sint excommunicationis majoris motiva?

Respondeo inter omnes causas excommunicationis majoris est mala doctrina tum castiganda, tum impedienda: hinc Christus Matt. 17. ait: *Attendite vobis a falsis Prophetis*, hoc est ne cum eis commiscamini. Eo prorsus motivo Paulus Hymenæum & Alexandrum ab Ecclesia ejecit *quos*, ait, *tradidi sathanæ ut discant non blasphemare*. Sic & 1. Cor. 5. Corinthium incestuosum anathemate percussit. Eadem de causa Arius a Patribus Nicænis, Macedonius a Synodo generali CP. Nestorius a Concilio Ephesino, similiter & subsequentibus sæculis alii Hæretici proscripti sunt.

Altera causa est scelus enorme publicum, ut probant canones pœnitentiales, & pœnitentiæ publicæ ritus.

Quæres II. Quinam sint excommunicationis majoris effectus?

Respondeo impræsentiarum esse privationem Sacramentorum Ecclesiæ, & suffragiorum, & hoc ex jure divino, tum & a societate civili exterminatio. Sic statuit Concilium Antisiodorense can. 39. his verbis: " Nolite recipere eum in domum: „ Nec *Ave* ei dixeritis; qui enim dicit „ illi *Ave*, communicat ejus operibus malignis. „

Respondeo II. Alterum effectum esse excommunicationem minorem, quam ipso facto contrahunt qui communicant cum excommunicatis excommunicatione majori. Sic docet S. Thomas hic q. 23. art. 2. Puta, si communicent in rebus sacris, in crimine, & hoc in Ecclesiæ contemptum, ut ex professo dicit Sanctus Doctor hic art. 3. Non idem tamen dicendum si solum communicent in temporalibus, ut si quis ab Hæretico emeret triticum & vinum, quæ sunt ad vitam sustentandam necessaria, vel etiam si com-

si communicans sit superior excommunicati, & jus habeat ab eo exigere famulatum. Sic docet ibidem D. Thomas art. 2.

§. IV.

De Suspensione in particulari.

PRIMO: Concilia duplex Suspensionis genus commemorant, unam scilicet quæ est generalis, alteram vero quæ specialis dicitur. Prior illa censetur qua Clericus omni tum ordinis, tum jurisdictionis exercitio privatur. Posterior vero quum actu aut ordinis, aut jurisdictionis spoliatur; ita ut suspensus ab ordinandi potestate v. g. possit tamen ceteros actus exercere, ut habetur in Concilio Carthag. 4. can. 68. his verbis: " Si sciens „ Episcopus ordinaverit talem N. etiam „ ab Episcopatus sui ordinandi dumtaxat „ potestate privetur. „

Si quæras, num suspensus privetur communione Eucharistica, vel etiam novam incurrat suspensionem quando prolabitur in idem peccatum propter quod hac censura jamjam innodatus fuerat? *Respondeo* negative quoad utrumque caput. Quoad primum quidem, eo quod juxta Summistas suspensio prohibeat dumtaxat actum aut ordinis, aut officii clericalis, aut etiam beneficii usum, in quo differt ab interdicto personali, quippe quod fit censura passiva prohibens potestatem, vel aliquod exercendi in Ecclesia officium, vel Missam celebrandi, vel verbum Dei prædicandi, vel etiam Ecclesiasticam sepulturam habendi. Secundum utique: quia suspensio non multiplicatur, nisi diversa specie causa etiam multiplicetur; hinc per peccatum iteratum suspensio quidem prior augetur, sed non reiteratur.

Quædam regulæ, ait Toletus hic lib. 1. cap. 43. observandæ sunt. Prima quidem est, quando aliquis est suspensus ab ordine, non ideo suspensus manet a jurisdictione, nec e contra, quia hæc duo sunt ab invicem distincta, nec unum ab altero pendet, ut colligitur ex cap. *aqua* de consecrat. Eccles. hinc suspensus a Pontificalibus tantum, suspenditur dumtaxat ab exercitio eorum, quæ ad ordinem Episcopalem pertinent, ut confirmare, Ecclesias dedicare, virgines consecrare, ordines conferre, Ecclesiam reconciliare, & similia: non tamen ab his quæ jurisdictionis sunt, ut conferre Beneficia, excommunicare &c. quod quidem probatur ex cap. *transmissam* de elect. Secunda: Suspensus ab ordine simpliciter, suspensus quoque est a quolibet ordine, & consequenter ab omnibus quæ super ordinem fundantur, sicque a jurisdictione spirituali, immo & tunc incapax est beneficii obtinendi. Tertia, suspensus simpliciter ab officio, suspenditur & ab ordine & a jurisdictione, ut habetur Gloss. C. *cum dilectus* de consuetud. Quarta: suspensus a beneficio non ob id suspensus est ab officio, puta ordine, vel jurisdictione, ita Gloss. cap. *Cum Ventoniensis* de elect. Neque e contra suspensus ab officio, non semper est a beneficio: si tamen superior non apponat limitem ab officio, vel beneficio, intelligitur major suspensio, & tunc suspendit ab omnibus. Sic propugnat Sylvester verb. suspensio ff. 5. circa finem. Quinta: Suspensus ab ingressu Ecclesiæ, privatur potestate exercendi ordinem in ipsa Ecclesia, & similiter est privatus potestate audiendi divina in ipsa Ecclesia; & si, omissa pœnitentia, moriatur suspensus, ei denegatur Ecclesiastica sepultura.

Præter istos effectus suspensionis, quosdam ulteriores refert Toletus ibidem cap. 45.

Primus est, quod suspensus exercens id in quo est suspensus, peccat mortaliter, quia in gravi materia mandato superioris non obedit; immo, si suspensus ab ordine, vel ab aliquo includente suspensionem ordinis faciat, irregularis evadit. Similiter & si suspensus a collatione Sacramentorum, ea tamen administret, cum hac tamen exceptione, si suspensus a passiva tantum Sacramentorum susceptione, tametsi ea suscipiat, non tamen fit irregularis, quamvis peccet graviter, neque etiam si baptizet in necessitate modo laicali: idem dicendum si suspensus ab ordine majori, exerceat actum minoris, nam in hoc ne quidem peccat mortaliter, secus si suspensus in minori exerceat majorem.

Sunt alii casus in quibus irregularitas modo contrahitur, modo non contrahitur, v. g. suspensus ab ingressu Ecclesiæ, si ce-

si celebret in ea, non solum peccat, sed & fit irregularis; ut statuitur in cap. *Is cui*. De Sentent. excommun. in 6. Neque vero omittendum est, suspensum propter deffectum naturalem, peccare quidem mortaliter exercendo, sed non incurrere irregularitatem. Similiter suspensus ab officio prædicationis, tametsi peccet prædicando, & ipso facto fit excommunicatus, non tamen irregularis efficitur. Idem dicendum de suspenso ab administratione Ecclesiæ tam in temporalibus, quam spiritualibus.

Ceterum, suspensus privatur communione illorum in quo est suspensus, ita ut peccet communicando cum aliis; & peccet etiam vicissim qui in tali actu cum eo communicat. Ut qui recipit Sacramenta ab eo qui suspensus est a collatinne Sacramentorum, pariter & ille qui Missam a suspenso ab Ordine audit.

Observandum est suspensum a beneficio non esse ab officio, quandoquidem officium non est beneficio accessorium. Suspensus tamen ab officio, nec pnteſt eligere, nec eligi in beneficium aliquod.

Quia vero depositio non nihil spirat suspensionem, unum aut alterum verbum de ea dicendum est.

Depositio est sententia Ecclesiastica qua Clericus in perpetuum privatur tum officio, tum beneficio, non amisso tamen Clericali privilegio, Ita communiter Summistæ.

Depositio duplex distinguitur, una simplex, altera vero secundum quid. Et vero Clericus potest spoliari simul tum ordine, tum officio, tum beneficio, vel altero ex iis disjunctive: si primum, dicitur simplex, & totalis si secundum, solummodo partialis, & secundum quid depositio.

Neque vero confundenda est depositio cum degradatione. Prior fit verbis & non factis, & per sententiam a judice prolatam, ac significatam: Posterior vero fit cum solemnitate canonica, ut habetur in Pontificali Romano, maxime vero in Trident. Sess. 13. cap. 4. de reformat. ubi dicit degradationem faciendam esse ab Episcopo aliis quibusdam Episcopis præsentibus, vel deficiente Episcoporum copia, præsentibus aliquibus Abbatibus; aut aliis in Clero aliqua dignitate fulgentibus.

De Interdicto nihil superest dicendum, nisi quod Clerici celebrantes officia divina in loco interdicto, irregularitatem contrahant. II. Si nominatim aut generaliter interdictos ad aliqua Divina officia admittant, prolabuntur in interdictionem latæ sententiæ ab ingressu Ecclesiæ, a qua quidem non absolvendi sunt, nisi satisfactione peracta ad arbitrium judicis Ecclesiastici, a quo interdicti censura lata fuerit. Si autem postquam interdictionem illam incurrerint, ipsi celebrent, evadunt irregulares: immo, & sepultura Ecclesiastica non donantur. Demum si personas nominatim interdictas in cæmeterio, vel Ecclesia sepeliant, rei sunt excommunicationis latæ sententiæ, quæ in ipsos ferri potest: a qua etiam absolvi nequeunt, nisi prævia satisfactione adhibita, juxta voluntatem judicis a quo interdictum promanavit: Et ea pœna locum habet, sive sint laici qui sepeliunt, sive Clerici, sive exempti, sive etiam non exempti.

Circa irregularitatis momenta particularia consulatur Toletus, qui Lib. 1. De irregularitate cap. 57. & sequentibus fuso calamo singula pertractat.

Synopsis eorum quæ in sectione præcontinentur.

PRIMO: Censura Ecclesiastica est pœna inflicta homini baptizato contumaci, in quem Ecclesia jurisdictionem habet; hinc Pagani non incurrunt excommunicationem, quippe qui ad Ecclesiam non pertineant, dicente Apostolo 1. Cor. 5. *Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, judicare.*

Secundo: Censura Ecclesiastica triplex recensetur, videlicet excommunicatio major, & minor, suspensio, & interdictum. Excommunicatio major est privatio usus Sacramentorum, suffragiorum Ecclesiæ, & societatis civilis. Minor vero privatio duntaxat Sacramentorum. Suspensio, censura privans usu Ecclesiastici officii, aut beneficii: hinc actiones spectat. Interdictum, censura Sacramentorum usum, divina officia, & sepulturam Ecclesiasticam secundum se ipsam prohibens.

Tertio: Irregularitas est inhabilitas suscipiendi ordines, vel susceptos exercendi.

Quarto : Degradatio est suscepti ordinis perpetua depositio, quæ depositio si fiat, servato Clericali privilegio, in quo a degradatione secernitur, depositionis nomen simpliciter retinet.

SECTIO SECUNDA.

De Indulgentiis.

Nomen, divisio, & definitio Indulgentiæ.

CLAVES Ecclesiæ ad remissionem nedum culpæ & pœnæ æternæ, sed & pœnæ temporalis sese extendere citra dubium est. Jam vero remissio pœnæ temporalis quandoque fit virtute Sacramenti, seu Pœnitentiæ sacramentalis, in quo sensu dicitur satisfactio; quandoque extra Sacramentum per auctoritatem Apostolicam, quo modo vocari solet Indulgentia.

Indulgentia sic usurpata idem sonat ac remissionis gratiam, quo sensu Isaias cap. 61. in persona Christi, ait: *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me, ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam, & clausis apertionem, ut prædicarem annum placabilem Domino*. Et quidem recte, cum redemptio sit inter indulgentias maxima, fons & principium ceterarum, quæ solum ad remissionem pœnæ temporalis spectant.

Actus tum mansuetudinis ac lenitatis, tum & facilitatis ad veniam concedendam non semel Indulgentiæ nomine donantur, juxta illud 1. Cor. 7. *Hoc autem dico secundum Indulgentiam, non secundum imperium*. Verum stricte loquendo Indulgentia sumitur pro relaxatione pœnæ temporalis a potestate judiciaria promanante, sicque nomen Indulgentiæ retinet, eo quod dimissis in Sacramento & culpa, & pœna æterna, vel etiam temporali ex parte, ad misericordiæ abundantiam Ecclesia Christi meritis innixa, ultro remittat injunctis quibusdam bonis operibus, reliquas pœnas temporaliter luendas.

Indulgentia in isto sensu nomen Jubilæi a veteri lege desumpsit; namque ex cap. 25. & 27. Levitici, & postremo Numerorum erat apud Hæbreos annus remissionis, qui nomine Jubilæi celebrabatur; siquidem eo anno remittebantur labores omnes agriculturæ; non enim arabatur, nec serebatur, nec metebatur, sed ex frugibus anni superioris, quas Dominus triplo plures suppeditabat, omnes commode sustentari poterant: Restituebantur etiam agri, ac domus venditæ prioribus Dominis, & qui servituti addicti fuerant, libertati pristinæ reddebantur. Tum decursu temporis in nova lege omnis Indulgentia Jubilæus appellata est.

Bellarminus hic Lib. 1. de Indulgentiis, cap. 1. pag. 1491. ait: *Clemens nominis sextus, annum illum celebrem, in quo Indulgentia maxima adeuntibus Apostolorum Basilicas more veteri conceduntur, jubilai nomine appellandum censuit, præsertim cum ad similitudinem veteris jubilai annum quinquagesimum pro centesimo, qui ante fuerat in usu, designasset. Denique idem jubilai nomen derivatum est ad omnes Indulgentias, quæ in amplissima forma subinde concedi solent, etiam extra annum illum, qui proprie jubilæi nomen invenit.* Usus tamen obtinuit ut indulgentia plenaria, quæ a SS. Pontificibus conceditur non jam absolutis quinquaginta annis, sed solum viginti quinque, jubilæus appellaretur; ceteræ vero remissiones gratuitæ pœnæ temporalis quæ superest pro peccatorum expiatione luenda, Indulgentiæ nomine donentur.

Indulgentia dividitur in Indulgentiam plenariam, & in non plenariam, quæ vulgo vocatur indulgentia, vel quinquaginta, vel quadraginta, quandoque dierum, quandoque etiam annorum. Prior remittit omnem pœnam temporalem pro peccatis non satis castigatis ultro subeundam: Posterior vero juxta Toletum remittit. v. g. si sit quadragenaria tantum, de pœna, quantum subeunda foret in purgatorio quadraginta annorum spatio, vel juxta alios, inquit ille Theologus Lib. 6. cap. 23. quantum valeret pœnitentia canonica, quam alquis per quadraginta dies, aut totidem annos sustineret, insuper eas & pro pœnis in purgatorio subeundis & relaxandis valere autumat. En ejus verba Lib. 6. cap. 23. Eo loci auctoritate D. Thomæ, & aliorum Theologorum suffultus sic se explicat. " Notandum est ex S. Thom. dist. 20. &
„ Al-

„ Alberto & Antonino 1. p. tit. 10. cap. „ 10. quod Indulgentia non solum remittit pœnam, quæ secundum Canones „ infligitur, aut infligenda esset, & „ consequenter pœnam Purgatorii, quæ „ ei respondet; sed & remittit pœnam, „ quæ secundum Dei justitiam esset in- „ fligenda. Unde cum remittitur pœna „ unius peccati mortalis, deleti quoad „ culpam per Indulgentiam, tunc nulla „ pęna restat illius solvenda; cum au- „ tem remittitur pęna omnium, tunc „ omnino liber est homo ab omni pę- „ na. Ista autem pęna computatur se- „ cundum dies seu tempus hujus sæculi. „

Pergit: " Ex quo intelliges rationem, „ quare in Indulgentiis aliquando conce- „ dantur mille & plures anni Indulgen- „ tiarum: nam remittitur pęna, pro „ qua homo debet satisfacere per mille „ annos Pęnitentiæ in hoc mundo. Nec „ mireris tantam summam annorum, „ nam multi plura peccata mortalia quam „ mille commiserunt, & secundum ca- „ nones deberent septem millia annorum „ in pęnitentia transigere: Et si essent „ secundum justitiam Dei pęnæ infligen- „ dæ, adhuc plures essent, quamvis in „ Purgatorio non sit ista pęna solvenda „ tam extensa, sed in maxima parte „ convertenda in intensiorem, totum „ hoc deletur per Indulgentiam.

Indulgentia definitur relaxatio pęnæ temporalis quæ sufferenda superest post sacramentum Pęnitentiæ rite susceptum, seu juxta Bellarminum ibidem cap. 5. *Indulgentia proprie est absolutio judiciaria annexam habens solutionem ex thesauro*. Videlicet solutionem pęnæ temporalis per merita Christi, & Sanctorum.

Jam multa quæruntur de Indulgentiis. Primo quidem, an de facto dentur Indulgentiæ in Ecclesia? Secundo, super quod fundentur? Tertio, quodnam sit earum subjectum? Quarto, quinam Ministri? Quinto, quinam etiam effectus? Jam sic

§. I.

Num dentur Indulgentiæ?

Valdenses hoc ipsum negarunt, tum Vviclefus; postremo inter omnes pessimus Lutherus initio libri de captivitate Babylonica. Contra quos sit

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

Probatur multis argumentis.

Primum argumentum ex Scriptura sacra per SS. Doctores explanata depromitur.

Quæ clare & explicite in sacris continentur Scripturis, & hoc juxta Patrum explanationem, non licitum est citra grande crimen abnegare: Atqui dari Indulgentias sic annuntiatur in Scripturis: Et probatur. Primo quidem ex illis Christi verbis ad Apostolos directis: *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo: & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo*. Sed pęna temporalis est vinculum quo prævaricator astringitur. Igitur ex Scripturis liquet dari Indulgentias. In eo prorsus sensu S.Thomas innixus Patrum auctoritate hanc interpretatur Scripturam. " Origines. Sit „ ergo irreprehensibilis qui alterum ligat, „ vel solvit, ut inveniatur dignus ligare, „ vel solvere. „ Rursus Comment. in cap. 18. Matth. " Hilarius. Per hoc tamen „ ad terrorem maximi metus, quo ad „ præsens omnes continentur, immobile „ severitatis Apostolicæ judicium demon- „ strat, ut quos in terris ligaverint, id- „ est, peccatorum nodis innexos reliquerint, & quos solverint, concessionem, „ scilicet veniæ acceperint in salutem, si „ in cęlis ligati sunt vel soluti. „

Celeberrima est sententia D. Pauli, qui quidem excommunicaverat Corinthium incestuosum, ut legitur 1. Cor. 5. Tum 2. Cor. 2. ad postulationem fidelium ei relaxavit pęnas diutius pro peccato luendas. Sic enim habetur: *Sufficit illi qui ejusmodi est, objurgatio hæc quæ fit a pluribus. Ita ut e contrario magis donetis, & consolemini, ne forte abundantiori tristitia absorbeatur qui ejusmodi est*. Tum aperte declarat indulgentiam prævaricatori concessam, aitque, *Cui autem aliquid donatis, & ego, nam & ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi*. Quæ verba interpretans Pacianus Barcinonensis, Epist. 3. contra Novatianos,

 quos

quos perstringit, eo quod peccata post Baptismum commissa irremissibilia esse autumarent, " Vides, *ait*, Apostoli in-„ dulgentiam, proprias etiam senten-„ tias temperantem: Vides mitissimam „ lenitatem longe vestro supercilio sepa-„ ratam? Longe a Novatiani fronte dis-„ similem? Communi vero vitæ, ac salu-„ ti omnium consulentem. „ Idem dicit Ambros. Lib. 6. de Pœnit. ult. cap. Concinit Theophilactus, Comment. in locum Apostoli pag. 54. *Sufficit illi qui ejusmodi est objurgatio hac, quæ fit a pluribus.* " Non „ dixit fornicanti illi: Sed ei, qui ejus-„ modi est, quemadmodum & in superio-„ ri Epistola fecit, in qua neque illius „ nomen voluit explicare: In hac vero „ etsi venia data, nullam tamen facit „ delicti & sceleris mentionem, insti-„ tuens, uti erga mœrentes & oppressos „ clementius nos geramus. „ Ergo &c.

SECUNDUM ARGUMENTUM

Ex Patrum Traditione.

ILLUD nedum certum, sed ut velut fide dogma habendum est, quod traditione Patrum firmatur: Atqui indulgentiæ ab omni ævo a Patribus & docentur & prædicantur. Ergo &c. Probatur minor discurrendo per sæcula.

Ex primo, secundo & tertio Sæculo. De priori non est relictus ambigendi locus, ut patet tum ex Evangelio, tum ex B. Pauli facto, qui veniam præmature concessit Corinthio incestuoso. Sed neque de secundo, cum proscripti sint Novatiani, qui primi negavere indulgentias, immo & ipsam peccatorum a Baptismo commissorum remissionem. Nunc ad tertium sæculum convertitur oratio.

S. Cyprianus inter hujus sæculi Patres celeberrimus Epist. 13. loquitur de Indulgentia ad postulationem Martyrum concessa iis qui nondum Pœnitentiæ publicæ tempus absolverant. " Qui libellos, „ *ait*, a Martyribus acceperunt, & præ-„ rogativa eorum apud Deum adjuvari „ possunt, si incommodo aliquo & infir-„ mitatis periculo occupati fuerint, non „ expectata præsentia nostra; apud Pres-„ byterum quemcumque præsentem, vel „ si Presbyter repertus non fuerit, & „ urgere exitus cœperit, apud Diaconum „ quoque, exomologesim facere delicti „ sui possint, ut manu eis in pœniten-„ tiam imposita, veniant ad Dominum „ cum pace, quam dari Martyres litte-„ ris ad nos factis desideraverunt.

Tertullianus ejusdem ævi doctor subscribit Lib. ad Martyres cap. 1. his verbis: " Quam pacem quidam in Ecclesia non „ habentes, a Martyribus in carcere exo-„ rare consueverunt: & ideo eam, et-„ iam propterea in vobis habere & fove-„ re, & custodire debetis, ut si forte & „ aliis præstare possitis. „ Ergo &c.

Non prætereundus Origenes Homil. 10. in Num. pag. 107. Ubi interpretans Apostoli verba. 2. Cor. 12. *Libentissime impendam &c.* ait: " Et pro his ergo qui-„ bus scribebat impendi se & immolari „ dicit Apostolus; hostia autem cum „ immolatur, ad hoc immolatur, ut eo-„ rum pro quibus jugulatur, peccata pur-„ gentur. „

Ex quarto Sæculo: ejusdem labii est S. Ambrosius, qui L. 5. in Lucam p. 1679. sic scribit: " Si gravium peccatorum dif-„ fidis veniam, adhibe precatores, ad-„ hibe Ecclesiam, quæ pro te precetur, „ cujus contemplatione quod tibi Domi-„ nus negare posset, ignoscit. „ Eo loci perstringit Judæos qui propugnabant solum Deum posse peccatorum vincula solvere; hinc contra eos dicit, vel ipsos peccatores auctoritate Christi instructos posse & peccata, & reatum pœnæ, tum æternæ, tum temporalis peccato debitæ dimittere. Expressius loquitur Lib. 2. de Abel & Cain cap. 3. ubi de Levitis ait: " Scriptum est, quod sine „ redemptiones eorum, eo quod & „ sanctitate vitæ suæ, & oratione pec-„ cata plebis lavarent. „ Igitur dantur Indulgentiæ, quæ bonis operibus applicantur.

Ex quinto Sæculo, se prodit Chrysostomus, Homil. 4. in cap. 2. 2. ad Cor. " Non enim, *ait*, quod dignus sit, ne-„ que quod sufficientem exhiberit peni-„ tentiam, sed quod infirmus sit, ideo, „ *inquit*, dignor illum venia: Unde & ad-„ jecit, ne abundatiore tristitia absorbea-„ tur ejusmodi. Ceterum hic sermo de-„ clarat illius vehementem penitentiam, „ quem Paulus non passus sit in desperatio-

„ nem

„ nem venire .... Qua ex re docemur, „ quod non solum ad peccatorum natu- „ ram, verum etiam ad mentem habitum- „ que peccantium oportet moderari Pę- „ nitentiam, quod ipsum tum faciebat „ Apostolus. „ Audis Chrysostomum Indulgentiam aperte prædicare, dum ait Apostolum ex moderamine indulgenti pęnitentiam Corinthii incestuosi abbreviasse. Huic accedit Basilius, qui Epist. ad Amphilochium c. 54 idem dicit. Præcipue vero Gregorius Niss. Epist. ad Letojum. can. 4. de Homicidiis: " Et in hoc quo- „ que idem observabitur ab eo qui Ec- „ clesiam administrat, & pro ratione con- „ versionis illi quoque pęnæ tempus con- „ trahetur. „

Ex sexto & septimo Sæculo habemus Gregorium Megnum, qui in utraque florebat ætate, qui quidem indulgentias in diebus stationum populo concessisse testantur gravissimi auctores, ut ait Bellarminus L. 1. de Indulgentiis c. 3. Ceteras ætates hic texere supersedeo, nam in sequentibus argumentis de ceteris sæculis ad nos usque, in quibus floruere indulgentiæ, dicemus.

TERTIUM ARGUMENTUM,

Ex decretis summorum Pontificum.

DÉCRETA summorum Pontificum intra corpus juris includuntur, veluti dogmatum religionis regulę: Sed hujusmodi decreta infringere non licitum est, multa vero Indulgentias spectant: Ergo &c. Probatur minor. Urbanus II. Papa, teste Bellarmino, L. 1. de Indulgentiis c. 3. Indulgentiam plenariam indulsit iis qui ad sacrum bellum proficiscebantur. Paschalis II. unam 4. dierum concessit his qui venirent ad Concilium Lateranense anno 1016. Rursus Innocentius III. concessit plenariam aliis qui ad sanctæ Terræ expeditionem pergerent. Idem in Conc. Later. anno 1215. egit de Indulgentiarum applicatione. Ante istos Pontifices Sergius Junior an. 844. dedit Indulgentiam trium annorum, & trium quadragenarum visitantibus Ecclesiam S. Martini in montibus, in festo ejusdem Ecclesiæ, & sic de multis aliis, ut de Eugenio III. qui, prædicante S. Bernardo crucis consignationem ad bellum sanctum, concessit Indulgentias iis, qui suum darent nomen militiæ ad Terram sanctam recuperandam. Possem & enarrare alios subsequentes summos Pontifices, qui in canonizatione Sanctorum, suis vicissim temporibus Indulgentiam ultro concesserunt ad ciendos pietatis, & cultus affectus erga Sanctos recens canonizatos ut Leo X. in Canonizatione S. Francisci de Paula, Indulgentias concessere: ita ut ab ipsa vagiente Ecclesia, ad nos usque de Indulgentiis concendendis mos perseveraverit. Ergo &c.

QUARTUM ARGUMENTUM,

Ex Conciliis depromitur.

VEL ipsi contumaciores Hæretici ad Conciliorum definitiones non semel provocaverunt, ita ut eis cedendum esse confessi sint: Sed Indulgentiarum dogma non unum astruit Concilium: Ergo &c. Probatur minor multis momentis.

Primum occurit Ancyranum an. 314. adunatum, quod c. 2. ex interpretatione Isidori Mercatoris *ait*: " Aliqui Episco- „ porum conscii sint laboris eorum & hu- „ militatis, & mansuetudinis, & volue- „ rint eis, *Diaconis lapsis*, aliquid amplius „ tribuere, vel adimere. Penes ipsos er- „ go de his erit potestas. „ Sed Indulgentia nihil est aliud præter pœnæ pro peccatis impositæ relaxationem: Igitur ex illo Concilio datur Indulgentia; cum asserat Episcopum rationabili de causa posse lapsis indulgere circa pœnam ipsis impositam. Alterum est Nicænum primum generale, can. 12 ubi permittit Episcopis non nihil relaxare pœnitentibus de pęna pro peccatis luendis texata.

Triburiense an. 895. c. 56. permittit justa de causa propter aut peregrinationem, aut etiam infirmitatem, jejunium pro pœnitentia impositum minui.

Claromontanum an. 1095. pro recuperatione Terræ sanctæ concessit Indulgentias.

Suffragatur Lateranense quartum sub Innocentio III. an. 1215. c. 62. ubi unum agnoscit & statuit, videlicet dari Indulgentias; alterum quod prudenter & ad mensuram exhibeantur, ne facilitas immoderata

derata eas exhibendi vergat in Ecclesiæ contemptum.

Immensus forem si omnia Concilia circa Indulgentias vellem proferre. Namque in Concilio Epaonensi tempore Gelasii Papæ can. 29. sub vocabulo Indulgentiæ proclamantur; antea vero in Carthaginensi 4. can. 75. & 76. in quibus statuitur Sacerdotem juxta viri prudentis judicium, posse relaxare Pœnitentiæ labores. In priori canone, ait: " Negligentiores „ pœnitentes tardius recipiantur. „ In posteriori vero: " Is, *inquiunt Patres*, „ qui pœnitentiam in infirmitate petit... „ si supervixerit... subdatur, statutis „ Pœnitentiæ legibus, quandiu Sacerdos, „ qui pœnitentiam dedit, probaverit. „

His adde Concilium Ravennate anno 1317. Avenionense an. 1326. Biterrense an. 1351. Vaurense an. 1368. Narbonense 1394. Pisanum 1409. Coloniense an. 1423. quæ cuncta pro variis piis operibus concedunt Indulgentias.

Celeberrima est pro isto momento auctoritas Concilii Constantiensis, & Tridentini. Illud omnes Vvicleffi errores, inter quos indulgentiarum abnegatio legitur, perstringit. Istud vero non absimili motivo, tum Lutheranos, tum Calvinistas Anathemate percutit.

Decretum Concilii Tridentini de Indulgentiis, Sessio 25. cap. 12.

CUM *potestas conferendi Indulgentias a Christo Ecclesiæ concessa sit, atque hujusmodi potestate, divinitus sibi tradita, antiquissimis etiam temporibus, illa usa fuerit: Sacro-sancta Synodus indulgentiarum usum, Christiano populo maxime salutarem, & sacrorum Conciliorum auctoritate probatum, in Ecclesia retinendum esse docet, & præcipit; eosque Anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant. In his tamen concedendis moderationem, juxta veterem, & probatam in Ecclesia consuetudinem adhiberi, cupit: ne nimia facilitate Ecclesiastica disciplina enervetur. Abusus vero, qui in his irrepserunt, & quorum occasione insigne hoc Indulgentiarum nomen ab hæreticis blasphematur, emendatos, & correctos cupiens, præsenti Decreto generaliter statuit, pravos quæstus omnes pro his consequendis, unde plurima in Christiano populo abusuum causa fluxit, omnino abolendos esse. Ceteros vero, qui ex superstitione, ignorantia, irreverentia, aut aliunde quomodocumque provenerunt, cum ob multiplices locorum, & Provinciarum, apud quas hi committuntur, corruptelas commode nequeant specialiter prohiberi; mandat omnibus Episcopis, ut diligenter quisque hujusmodi abusus Ecclesiæ suæ colligat, eosque in prima Synodo Provinciali referat: ut aliorum quoque Episcoporum sententia cogniti, statim ad summum Romanum Pontificem deferantur: cujus auctoritate, & prudentia, quod Universali Ecclesiæ expediet, statuatur: ut ita sanctarum indulgentiarum munus pie, sancte & incorrupte omnibus fidelibus dispensetur.*

QUINTUM ARGUMENTUM

Ex rationibus Theologicis conflatur.

PRIMA sic exponitur. Quod usus obtinuit in materia Religionis, hoc inconcussum & irrefragabile manet, quia Ecclesia est infallibilis; & " impium esse „ dicere, quod Ecclesia aliquid vane faceret. „ asserit D. Tho. hic q. 25. de Indulgentiis ar. 1. & hac ratione probat dari Indulgentias: Sed usus Ecclesiæ obtinuit concedere Indulgentias: Igitur de facto dantur. Probatur minor: Præter auctoritates jam laudatas, non desunt aliæ quibus hæc praxis confirmatur. I. S. Leo. Epist. 79. c. 6. licentiam facit moderandi pœnitentiæ labores eorum, qui metu perterriti, fidem coram tyrannis abnegaverant, quique ad Ecclesiam contriti admodum redierant. II. Vigilius Papa Epist. ad Eutherium cap. 4. similem concedit gratiam his verbis: " In æstimatio„ ne fraternitatis tuæ aliorumque Ponti„ ficum per suas diœceses relinquatur, „ ut si qualitas, & pœnitentis devotio „ fuerit approbata, Indulgentiæ quoque „ remedio sit vicina. „ III. Gregorius Magnus varias Romæ instituit ad sanctorum Basilicas stationes pro consequendis Indulgentiis. IV. Tum subsequentes Pontifices in suis vicissim Epistolis decretalibus Indulgentias concedendæ tamquam

sei

rei usu fidelium in Ecclesia jam frequentatæ meminerunt. Et vero de Indulgentiis loquitur Alexander III. scribens ad Archiepiscopum Cantuariensem, ut habetur *extra* de *Pœnitentiis & remissionibus*. V. Hanc eamdem Indulgentias dandi consuetudinem in posterum servari præcipiunt, Honorius SS. Pontifex *extra* de *pœnitentiis & remissionibus* cap. ult. deinde vero Innocentius IV. in Concilio Lugdunensi eodem titulo in sexto capite, *Romana Ecclesia*. Item & Bonifacius in extravaganti quæ incipit, *Antiquorum*, ac demum Clemens VI. extravaganti *Unigenitus*. Ergo &c.

Altera: Illud est admittendum, quod Ecclesia velut fidei dogma ita habuit, ut contrarios propugnantes veluti Hæreticos & habuerit, & perstrinxerit: Atqui quotiescumque aliqui, Indulgentias temerare ausi sunt, velut in Hæreticos anathemate animadvertit: Ergo &c. Probatur minor. Sic ea ratione Ecclesia Anathemate feriit Novatianos, qui primi Indulgentias tentaverunt, dum peccata post Baptismum commissa & quantum ad culpam, & quantum ad pœnam irremissibilia esse prædicabant. Tum in Concilio Constantiensi eodem motivo Vviclefum & ejus asseclas contudit; in primis vero in Tridentino Protestantes, ut ex decreto modo allato patet: Ergo &c.

Tertia: Quod omnes unanimiter Theologi docent, citra temeritatem negari non potest: Atqui omnes Theologi orthodoxi propugnant Indulgentias. Et probatur: Instar omnium sit S. Tho. qui hic q. 25. de Indulgentiis. 26. & 27. ubi ex professo totam pertractat materiam in 1. q. art. 1. probat dari Indulgentias I. Quia Ecclesia universalis eas approbat, quæque non potest deficere. II. Ex eo quod tota meritorum Christi efficacia in solis non concludatur Sacramentis, sed ultra possit applicari per Indulgentias, & bona Sanctorum opera. III. Quia justorum piæ actiones superabundantes aliis possunt prodesse: Demum hoc ipsum constare ex promissione Christi Petro, & ejus in Sacerdotio successoribus facta, ut quod solverent, solutum in foro interiori & exteriori Ecclesiæ maneret; interiori quidem quoad remissionem culpæ & pœnæ æternæ; in exteriori vero quoad pœnam temporalem per Indulgentias, quas SS. Pontifex jurisdictionem in tota Ecclesia habens potest elargiri.

Ecce S. Doctoris verba in corp. art. " Remissio quæ fit quantum ad forum „ Ecclesiæ, valet etiam quantum ad „ forum Dei. „ Tum de Indulgentiis ait: " Valent & quantum ad forum „ Ecclesiæ, & quantum ad judicium „ Dei, ad remissionem pœnæ residuæ „ post contritionem & absolutionem, & „ confessionem, sive sit injuncta, sive „ non. Ratio autem qua valere possint, „ est unitas corporis mystici, in qua „ multi in operibus Pœnitentiæ supere- „ rogaverunt ad mensuram debitorum „ suorum: & multas etiam tribulatio- „ nes injustas sustinuerunt patienter, per „ quas multitudo pœnarum poterat ex- „ piari, si eis deberetur: quorum meri- „ torum tanta est copia, quod omnem „ pœnam debitam nunc viventibus exce- „ dunt, & præcipue propter meritum „ Christi, quod etsi in Sacramentis ope- „ ratur, non tamen efficacia ejus in Sa- „ cramentis includitur, sed sua infinita- „ te excedit efficaciam Sacramentorum. „ Dictum est autem supra, quod unus „ pro alio satisfacere potest .... Un- „ de sicut aliquis consequeretur remis- „ sionem pœnæ si alius pro eo satisfe- „ cisset: ita si sibi satisfactio alte- „ rius per eum qui potest distribua- „ tur. „

Diluuntur objecta Heterodoxorum.

Objiciunt: Matth. 18. legitur: *Omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me*. Quibus positis sequitur istud argumentum. Indulgentia si quæ est, tendit solum ad pœnam temporalem relaxandam. Sed ad hunc effectum inutilis est, cum ex Scriptura totum debitum sit remissum per Pœnitentiæ sacramentum. Igitur non datur indulgentia. Confirmatur: Dato quod remaneat aliquid expiandum, hoc fieri nequit per Indulgentiam, tum quia peccator debet ipse solvere, sin minus non salvaretur justitia; tum quia Deus, qui seipsum negare non potest, peccatorem adstrinxit ad pœnam pro peccatis in propria persona luendam. Ergo &c.

Re-

Respondeo ad primum ex supradictis patere responsionem; eo enim loci non agitur præcise de debito temporali, sed de reconciliatione fratri concedenda ad instar Dei, qui cuncta non solum remittit debita & per sacramentum Pœnitentiæ, & per Indulgentias, sed & peccatori, quem ut amicum, immo & filium habet, reconciliatur. Quam quidem reconciliationem cum fratre Salvator explicat per parabolam servi ad extrema propter duritiam cordis sui redacti, subjungendo: *Sic & Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.*

Ad confirmationem distinguo: Et peccator ipse meritorum tum Christi, tum justorum munitus solvit debitum, concedo: Et ipse non solvit, nego. Tametsi absque gratiæ adjutorio nihil ad promerendam salutem possimus, si tamen gratiæ cooperemus, vere æternam promeremur vitam, pari & consimili ratione adjuti, indulgentiarum divitiis possumus debita solvere, modo eas juxta Ecclesiæ statuta per bona opera nobis applicemus. Solutio est D. Thom. hic q. 25. art. 1. his verbis: " Ad primum ergo, *inquit*, „ dicendum, quod remissio quæ per indulgentias fit, non tollit quantitatem „ pęnæ ad culpam; quia pro culpa unius, „ alius sponte pęnam sustinuit. „ Rursus ad 2. " Ille qui indulgentias suscipit, non absolvitur, simpliciter loquendo, a debito pęnæ, sed datur sibi unde debitum solvat. „ Sicut in humanis qui solvit debitum ex pecunia ab amico gratis accepta, ipse vere solvit.

Instabis: Atqui indulgentia non valet remittere pœnam ex peccatis per Sacramentum remissis relictam: Ergo &c. Probatur subsumptum: Aliquid remittere de vinculis peccatorum spectat ad potentiam excellentiæ, qua, omisso sacramento, remittuntur peccatorum vincula, & Deo reconciliamur: Sed hoc ad solum Christum spectat: Ergo &c.

Respondeo negando subsumptum. Ad probationem distinguo minorem: Remittere vincula peccatorum citra Sacramentum quoad culpam & pœnam æternam, ad solum Christum pertinet, concedo: quoad pęnam temporalem, subdistinguo: Ad solum spectat Christum ut causam principalem a qua ceteræ causæ delumunt efficaciam ad solvenda peccatorum vincula, concedo: ut causam excludentem ministerialem, nego: Hoc enim fieri potest per indulgentias a summis Pontificibus concessas: Solutio est D. Thom. hic q. 25. art. 1. ad 3. his verbis, quibus ad istud argumentum sibi propositum respondet: " Effectus sacramentalis absolutionis est diminutio reatus, & hic „ effectus non inducitur per indulgentias, sed pro eo faciens indulgentias „ solvit pęnam, quam debuit, de bonis „ Ecclesiæ communibus. „

Urgebis: Potestas Ecclesiæ, teste Apostolo, non est in destructionem, sed in ædificationem: Sed suppositis indulgentiis foret in destructionem: Et probatur ex illo vulgari adagio: *Facilitas veniæ, est occasio malitiæ.* Porro cum pęna totaliter remitteretur per indulgentiam, inde justificatus spe veniæ faciliter concedendæ, & absque graviori pęna obtinendæ, ad pristinum rediret vomitum: Ergo &c. Confirmatur ex S. Cypriano, qui Epist. 40. tum & Lib. de lapsis pag. 241. & 242. increpat Sacerdotes, qui ex nimia indulgentia lapsis concedebant pęnitentiæ relaxationem: " Novum, *inquit*, genus „ cladis, & quasi parum persecutionis „ procella sevierit, accessit ad cumulum „ sub misericordiæ titulo malum fallens, „ & blanda pernicies ... non concedit „ pacem facilitas ista, sed tollit: nec „ communicationem tribuit, sed impedit „ ad salutem. Persecutio est hæc alia, „ & alia tentatio, per quam subtilis ini„ micus impugnandis adhuc lapsis occul„ ta populatione grassatur; ut lamenta„ tio conquiescat, ut dolor sileat, ut „ delicti memoria evanescat, ut compri„ matur pectorum gemitus, statuatur fle„ tus oculorum; nec Dominum graviter „ offensum longa & plena pœnitentia de„ precetur. „

Respondeo I. argumentum exuberare; si quid enim probaret, absolutio peccatorum foret usque ad ultimum vitæ terminum procrastinanda iis, qui mortalibus peccatis detinerentur; cum enim quodlibet exitiale delictum sit infinitæ malitiæ, vel ipsum totius vitæ spatium pro culpis castigandis non sufficeret.

Respondeo II. negando subsumptum: Ad probationem nego potestatem Eccle-

siæ,

fiæ, in hypothesi fore in destructionem, cum indulgentia habeat annexa bona opera, & plurimum inserviat, tum ad precavenda in futurum peccata, tum etiam ad stimulandos pietatis affectus; unde sicut & per accidens est quod peccator absolutus in pristina prolabatur delicta, sic & quod indulgentiis adornatus sua culpa & ex malitia facilius peccet. Sic respondet D. Thom. ibid. ad 4. ad istam difficultatem: " Majus, *inquit*, remedium præbe„ tur contra peccata vitanda ex gratia, „ quam ex assuetudine nostrorum ope„ rum. Et quia ex affectu, quem ac„ cipiens indulgentias concipit ad causam, „ pro qua indulgentia datur, ad gratiam „ disponitur; ideo etiam per indulgen„ tias remedium ad peccata vitanda da„ tur: Et ita non est in destructionem in„ dulgentias dare, nisi inordinate dentur. „ Tamen consulendum est eis qui indul„ gentias consequuntur, ne propter hoc „ ab operibus pœnitentiæ injunctis absti„ neant. „

Ad confirmationem similiter distinguo: Et eo loci S. Cyprianus solummodo damnat indulgentiarum abusum, puta cum absque ratione & operibus levioribus solum injunctis, dantur, concedo: indulgentias secundum se, nego. Hoc ipsum patet ex postremis textus Cypriani verbis: " Ut dolor sileat, *inquit*, ut delictis me„ moria evanescat, ut comprimatur pe„ ctorum gemitus. „ Rursus Epist. 23. ad Clerum Romanum invehit in lapsos qui, obtentis a Martyribus libellis recommendationum, audacter se Episcopis præsentabant, ut illis, omissa debita compunctione, cito-citius pœnitentiæ labores rescinderent: " In Provincia nostra, *in„ quit*, per aliquot civitates in Præpo„ sitos impetus multitudinum factus est, „ & pacem quam semel cunctis a Mar„ tyribus & Confessoribus datam clami„ tabant, confestim sibi repræsentari coe„ gerunt. „ Et iterum Epist. 29. " Post„ eaquam ad vos litteras feci de quo„ rumdam perspecta temeritate, qui pœ„ nitentiam agere, & Deo satisfacere „ detrectant, litteras ad me fecerunt, „ pacem non dandam sibi postulantes, sed „ quasi jam datam sibi vindicantes, quod „ dicant Paulum omnibus pacem dedis„ se. „ Ceterum Cyprianum non abnegasse indulgentias ex probationibus liquet.

Hæc solutio illustratur sententia Innocentii III. qui in Concilio Lateranensi IV. c. 62. indulgentias primum asseruit, tum abusum condemnat; deinde vero regulas ad mensuram & juste concedendas præscribit his verbis: " Quia per indiscre„ tas & superfluas indulgentias, quas qui„ dem Ecclesiarum Prælati facere non „ verentur, & claves Ecclesiæ contem„ nuntur, & pœnitentialis satisfactio ener„ vatur; decernimus, ut cum dedicatur „ basilica, non extendatur indulgentia „ ultra annum. „

Replicabis: Potestas clavium non se extendit ultra forum internum: sed indulgentiarum largitio ad forum dumtaxat externum pertinet: Et probatur. Non omnis indiscriminatim Sacerdos, potest indulgentias concedere, sed solum SS. Pontifex propter Jurisdictionem universalem quam habet in tota Ecclesia, & post ipsum Episcopus in sua Diœcesi. Igitur non nisi ad forum externum indulgentia spectat.

Respondeo distinguendo istam partem: Largitio indulgentiarum ad forum duntaxat externum pertinet quoad concessionem, concedo: quoad applicationem, nego. Duo igitur sunt attendenda in indulgentiis; videlicet concessio, deinde vero applicatio & usus. Primum spectat forum externum, vel ipsius Ecclesiæ, quatenus ad Papam spectat concedere indulgentias: Applicatio vero & usus ad forum internum in eo sensu pertinet, quod eis præmitti debeat confessio sacramentalis, tum & peccatorum absolutio. Ita D. Thom. hic q. 25. art. 1. in Cor. 1r. " Dicendum, „ *inquit*, quod *Indulgentia* valent & quan„ tum ad forum Ecclesiæ, & quantum „ ad judicium Dei, ad remissionem pœ„ næ residuæ post contritionem & abso„ lutionem & confessionem, sive sit in„ juncta, sive non. „ Quod quidem potest illustrari exemplo absolutionis a censuris, quæ tametsi ad forum externum pertineat, habet tamen relationem ad internum, cum Confessarius debeat rectas dispositiones in pœnitente absolvendo exigere: Quinimmo & ipse, annuente jure, absolvit pœnitentem tum a censuris occultis, tum a peccatis. Quid plura?

Obje-

Objectio falso innititur fundamento, cum veluti supponat non dari forum externum in Ecclesia ad pœnas pro peccatis inflictas absolvendas.

Repones: Potestas clavium non latius sese extendit in remittenda pœna, quam in remittenda culpa: Sed remissio culpæ non fit extra Sacramentum: Ergo nec remissio pœnæ.

Respondeo distinguendo majorem: Non latius se extendit in remittenda pœna æterna quam in remittenda culpa, concedo; quam in remittenda pœna temporali, nego absolute majorem: & sic distincta minore, nego consequentiam. Non eadem est semper jurisdictio pro remmittenda culpa & pœna temporali. Prior est interior; posterior vero exterior habens relationem ad forum externum: illa omnibus Confessoribus approbatis competit, ista vero solis magnis Sacerdotibus, qui nedum culpam per absolutionem sacramentalem possunt remittere, sed & pœnam temporalem per indulgentias, adeoque potestas clavium in summo Pontifice, & in Episcopis latius patet quam in simplici Sacerdote, quod & usu quotidiano comprobatur, cum magni Ecclesiæ Præsules absolvant a censuris, tametsi hoc spectet ad forum externum, quidni & absolverent a pœna temporali peccatis debita per indulgentias?

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Dantur Indulgentiæ.

Primo: Hoc ipsum constat ex illis Christi ad Petrum verbis Matth. 18. *Quæcumque solveritis* &c. tum ex facto B. Pauli, qui 2. Cor. 2. relaxavit pœnam Corinthii incestuosi.

Secundo: Idem habetur ex Traditione; sic enim docent Patres 3. sæculi, in quo usus obtinuerat ad postulationem SS. Martyrum imminuere pœnas eorum qui pœnitentiæ publicæ vinculo tenebantur, ut refert S. Cyprianus Epist. 13. tum & Tertullianus Lib. ad Martyres c. 1. Idem patet ex Conciliis subsequentibus sæculis adunatis. Indulgentias enim prædicant Patres Concilii Ancyrani an. 314. tum & Nicæni primi can. 12. maxime vero Tridentini in decreto de Indulgentiis Sess. 25. cap. 12.

Tertio: Hoc dogma fidei docent unanimiter omnes sanctæ Matris Ecclesiæ Theologi, in primis S. Thomas hic q. 25. art. 1. ex professo ea potissimum ratione, quod merita Christi in solis non concludantur Sacramentis, sed ulterius pateant, & sese ad remittendam pœnam temporalem, quæ certe est peccatorum vinculum, extendant.

SYNOPSIS OBJECTIONUM ET RESPONSIONUM.

Primo: Ne ullum quidem facessit negotium quod Matth. 18. omne debitum remiserit Dominus servo iniquo; hoc enim solum probat Christum potuisse nedum culpam, sed & totam pœnam remittere, quod ex indulgentia Latroni pœnitenti concessit; quæ quidem remissio sicut & condonatio culparum quoad totam culpam Magdalenæ amanti concessam, sunt vel ipsius indulgentiæ prima quidem argumenta & irrefragabilia. Sed non inde sequitur omne debitum etiam quoad reatum pœnæ temporalis remitti semper in Sacramento, seclusa indulgentia, nisi in casu eamdem haberet contritionis de peccatis quantitatem, quantum in his committendis habuit affectum.

Secundo: Remissio culpæ non fit quidem extra Sacramentum, bene tamen pœnæ temporalis quantum ad universalitatem & hoc per indulgentiam plenariam.

Tertio: Cyprianus quidem quandoque adversatur indulgentiarum abusui, nusquam vero ipsis indulgentiis, quod patet ex Innocentio III. qui Patrum insistens vestigiis in Concilio Lateranensi 4. primum indulgentiarum existentiam celebrat, tum abusum damnat; postremo regulas ex eis percipiendi frugem astruit.

§. II.

In quo fundetur Thesaurus Indulgentiarum?

Certum est indulgentias fundari in meritis & liberalitate Dei, cum nomine indulgentiæ intelligamus gratiam ex omni parte

parte gratis concessam: Sed controversia est num indulgentiæ innitantur principaliter in Christi meritis, tum & in meritis Sanctorum ac bonis Justorum operibus. Pro quorum resolutione sit

CONCLUSIO PRIMA.

Indulgentiæ principaliter in meritis Christi fundantur.

Probatur rationibus Theologicis.

PRIMA: Quod Deus promisit Christi meritis, citra dubium positis conditionibus adimpletur: Atqui Deus promisit adimplere & dare quæcumque Christus expostularet. Et probatur: Hebr. 5. habetur de Christo, *Exauditus est pro sua reverentia*; neque vero minus certum est ipsum voluisse, nedum peccata nostra abolere, sed & ab omni reatu cujuscumque pœnæ nos absolvere; ait enim Matth. 11. *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos*, Nemo autem cordatus dixerit, pœnas peccatorum non esse maxima onera de quibus sublevari petimus: ergo &c.

Altera: Christus Dominus dedit Petro, & ceteris in ejus Sacerdotio successoribus potestatem non aliqua solvendi vincula, sed quæcumque, & omnia; & hoc per sua merita, ut S. Paulus interpretatur Rom. 5. his verbis: *Ubi autem abundavit delictum, superabundavit gratia*. Porro peccatum mortale inducit reatum pœnæ non solum æternæ, sed & temporalis: Igitur gratia Christi ejusque merita a reatu & culpæ, & cujuscumque pœnæ abluunt; sin minus, ejus non superabundaret gratia; quod iterum adversaretur Apostolo, qui ad Ephes. 1. merita Christi vocat *abundantes & superabundantes divitias*. Rursus Coloss. 2. de Christo ait: *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei*. Ergo &c.

Tertia: Sensus Scripturæ habetur ab ipsius Ecclesiæ oraculis: Atqui Clemens VI. extravaganti *Unigenitus* ait, indulgentiarum thesaurum esse infinitum, eo quod Christi meritis innitatur: " Christus, *ait*, superabundanti passione sua " infinitum thesaurum Ecclesiæ militanti " reliquit, quem quidem thesaurum non " in sudario repositum, non in agro absconditum, sed per beatum Petrum " cœli clavigerum, ejusque successores & " suos in terris Vicarios, commisit Fidelibus dispensandum, & propriis rationalibus causis nunc pro totali, nunc " pro partiali remissione pœnæ temporalis pro peccato debitæ, tam generaliter quam specialiter, prout eum Deo " expedire cognoscerent, vere pœnitentibus & confessis misericorditer applicandum. " Ergo &c.

CONCLUSIO SECUNDA.

Thesaurus ille etiam innititur Justorum & Sanctorum meritis.

Probatur iis momentis.

PRIMA ratio hæc affertur. Deus nihil absque remuneratione de bonis operibus Justorum relinquit, nec semel ad ea attendit, ut peccatoribus indulgeat. Sic pepercit populo idololatræ ad preces Moysis Exod. 32. sic & ante ad merita Job respiciens, ejus utique pepercit amicis cap. 42. qui dicteriis suis eum in stercore jacentem lacesserant; pariter & ad preces Apostolorum Christus Matth. 15. liberavit filiam Cananææ a dæmonio qui illam vexabat: Sed multa sunt Sanctorum opera quæ pro eis non prosunt ad peccatorum expiationem, quippe qui nulla habeant expianda, & tamen hujusmodi opera magnam non solum in futuro, sed & in præsenti sæculo merentur mercedem: Igitur componunt thesaurum, ex quo haurire possit Ecclesia pro impiis indulgentias.

Bellarminus hic Lib. 1. de indulgentiis c. 2. in medium profert merita B. Virginis, quæ juxta Ecclesiæ doctrinam vel ab ipso peccato originali fuit immunis, eamque ab omni peccato actuali illibatam fuisse affirmat Tridentinum Sess. 6. can. 23. & tamen toto vitæ spatio multa & immensa merita habuisse ex Patribus constat. Tum & B. Joannis Baptistæ laudat bona opera, quæ citra dubium pro aliis erant satisfactoria, cum pro isto fine in ipsum non redundarent, quandoquidem, ipsa teste Ecclesia, ne quidem verbo offenderit Deum; sic enim canit:

An-

Antra deserti teneris sub annis,
Civium turmas fugiens petisti,
Ne levi posses maculare vitam
Crimine lingua.

Tertio loco commemorat passionis Martyrum & aliorum Sanctorum præclara facinora, quæ certe plusquam pro suis peccatis expiandis sufficiebant; & consequenter juxta Ecclesiæ applicationem poterant in ceteros homines redundari. Sic enim habetur Hebr. 11. *Alii vero ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres: lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt.*

Altera ratio sic exponitur. Qui habet multa merita ad expiationem pœnarum sibi superflua, ea ipsa, ordinante Ecclesia, possunt ceteris applicari, cum sit de fide dari communionem Sanctorum; quæ potissimum affulget in suffragiis ad sublevandum in pœnis proximum: Sed præcellens Martyrum meritum erat eis ad satisfaciendum inutile, cum nihil Martyri superfit pro peccatis propriis expiandum. Sic enim propugnat S. Augustinus Serm. 17. de verbis Apostoli: " Injuriam, „ *inquit*, facit Martyri, qui orat pro „ Martyre: Ergo &c.

Tertia hæc additur. Eximia Sanctorum opera duplicem habent pretiosam dotem, unam scilicet ut gloriam essentialem, juxta gradum amoris quo Deum toto vitæ spatio prosecuti sunt, habeant: Alteram vero, ut pro pœnis peccato debitis satisfaciant ad mensuram: Igitur cum satisfactiones ultra debitum sæpius dederint exuberantes, possunt vi communionis Sanctorum ex Ecclesiæ ordinatione ad alios Fideles confratres applicari. Neque vero in hoc aut Deo, aut Sanctis ulla fit injuria: Deo quidem, cum satisfactionem habuerit de peccatis Justorum, & velit superabundantes compensare; Sanctis vero, quippe qui ea donentur gloria quam gradus charitatis promeruit, & eorum merita remaneant non præcise ut merita, sed ut satisfactiones superabundantes, quæ pro satisfaciendo nihil illis ultra prosunt. Ista ratio est Cajetani Tract. de Indulgentiis quæst. 1. de thesauro Indulgentiarum: " Quoniam, *ait*, constat Sanctos multo „ plus passos quam ex peccatis suis debe- „ rent pati, consequens est ut multa sa- „ tisfactoria remanserint superflua ipsis. „ „ ... Superfluunt igitur multa satisfacto- „ ria Sanctis ultra ingens Pelagus super- „ fluentis satisfactionis Christi. Quocirca „ ex meritis Christi & Sanctorum, qua- „ tenus satisfactoria, superfluis, thesau- „ rum indulgentiarum constitui intelligi- „ to, si vis non errare. „

Quarta: Solutio pretii nec impedit meriti coronam, nec ipsa corona a solutione debiti quemquam eximit: Sic vel ipsi Sancti habuerunt gloriam correspondentem omnibus gradibus charitatis actuum quos in decursu vitæ elicuerunt, & tamen non semel contigit, non obstante isto ad visionem beatificam jure, fuisse in purgatorio detentos, donec solverent totum pœnalitatis debitum pro peccatis in vita mortali commissis: si vero nihil eis superfit justitiæ divinæ satisfaciendum, compensantur quidem juxta meritorum pondus, sed quoniam eorum laboriosæ pœnitentiæ opera fuerunt pœnalitates satisfactoriæ, quæ vel ex parte solum, quandoque etiam nihil eis prosunt, recte potest satisfactio excedens, aliis applicari. Quod potest illustrari isto exemplo: Rex qui alicui Ministro remittit offensam fraudibus in Ministerio illatam, ei restituendo officium & dignitatem; eum tamen a restitutione denariorum non eximit: Quod si iste duplum pro ablatis pecuniis in ærario reponat, dubioprocul denarii excedentes summam debitam, manent in thesauro Principis ut satisfactiones, quas Rex ad nutum potest applicare pro satisfactione alicujus e suis familiaribus, qui pecuniam vel ipsi mutuo datam, vel propter damnum quod sua culpa ipsi intulit, debet: Igitur pari & consimili ratione satisfactiones Sanctorum ipsis inutiles in thesauro Ecclesiæ remanent, easque Christus potest juxta ordinationem summi Pontificis sui Vicarii pro refrigerio animarum in purgatorio detentarum acceptare.

Fit satis Objectionibus Hæreticorum.

OPPONUNT I. Merita Christi fuere sufficienter remunerata per exaltationem ipsius nominis, juxta illud Philip. 2.

Humi-

Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen quod est super omne nomen. Ergo &c.

Respondeo distinguendo: Et illa nominis exaltatio in eo potissimum sita est, quod sit omnium Salvator, & meritis suis applicatis tum per Sacramenta, tum per indulgentias solvat ea quæ sunt per culpam & pœnam alligata, concedo: & seclusis meritis ac eorum applicatione laudata, nego. Contradictoria loquuntur Heterodoxi, cum, vel ipsis annuentibus, merita Christi per Sacramenta & bona opera nobis applicentur, adeoque per indulgentias, quandoquidem remuneratio Passionis Christi non in vacua & inani nominis exaltatione consistit, sed potius in applicatione ejus meritorum, juxta illud Isaiæ de Christo 53. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum ... pro eo quod laboravit anima ejus, videbit, & saturabitur.* Et istud 1. Joannis de eodem: *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.*

Objiciunt II. contra secundam conclusionem: Merita Sanctorum ad thesaurum indulgentiæ componendum inutilia sunt: Igitur indulgentiæ non eorum meritis innituntur. Probatur antecedens. Merita Christi sunt infiniti valoris: Igitur cetera sunt superflua.

Respondeo negando antecedens. Ad probationem, concesso antecedente, distinguo consequens: Merita Sanctorum sunt superflua, si aliunde suum desumant valorem quam ab ipsis Christi meritis, concedo: secus, nego. Cum igitur merita Sanctorum a Passione Christi virtutem habeant, & ipsi propriam addiderint cooperationem, duo inde sequuntur; primo quidem quod sint veluti canales quibus ad peccatores Christi refluunt merita; deinde vero quod non solum sint ipsis ad præmium, sed & pro aliis possint esse ad satisfactionem.

Instant: Atqui ne quidem vim satisfactionis pro ceteris habent: Ergo &c. Probatur subsumptum multis argumentis. Primo quidem ex SS. Patribus, qui asserunt redemptionem solius Christi meritis tribui. Sic S. Leo Epist. 83. ad Episcopos Palæstinæ ait: " Quamvis multorum Sanctorum in conspectu Domini mors pretiosa fuerit, nullius tamen insontis occisio propitiatio fuit mundi." Secundo ex eodem S. Leone ibidem, Justi non redemptionem, sed solum virtutum exempla nobis ultro dederunt: Sic enim pergit sanctus Pontifex: " Acceperunt Justi, non dederunt coronas, & de fortitudine Fidelium exempla nata sunt patientiæ, non dona justitiæ." Idem dicit Augustinus Tract. 84. in Joan. his verbis: " Etsi fratres pro fratribus moriantur, tamen in fraternorum peccatorum remissionem nullius sanguis Martyris funditur, quod fecit ille pro nobis." Idem propugnat S. Thomas 3. p. q. 48. art. 5. ad 3. ubi hanc sibi proponit objectionem contra conclusionem, in qua dicit redemptionem esse Christo propriam, dicens passionem Sanctorum etiam nobis prodesse ad salutem. Respondet ad 3. " Dicendum, quod passiones Sanctorum proficiunt Ecclesiæ, non quidem per modum redemptionis, sed per modum exempli & exhortationis. Tertio SS. Doctores simpliciter dicunt Martyrum cruces seu passiones nihil nobis prodesse; ut Ambros. Lib. 6. in Lucam pag. 1714. Aliæ cruces, *ait*, nihil mihi prosunt, sola crux Christi mihi utilis est." Ergo &c.

Respondeo negando subsumptum. Ad probationes in confirmationem allatas, distinguo: Et unum tantummodo probant, videlicet Sanctorum passiones non prodesse nobis ad remissionem culpæ & pœnæ æternæ, concedo: hinc solus Christus dicitur Redemptor. Non prodesse nobis ad relaxationem pœnæ temporalis, nego. Quia vero pœna residua expianda supponit hominis reconciliationem vi Sacramenti factam, magis ad exemplum, quam ad redemptionem proficiunt nobis Sanctorum passiones; hinc Sancti non dicuntur Redemptores propter duo. I. Ex eo quod bona eorum opera ex sola Christi passione vim habeant. II. Quia effectus non denominat causam instrumentalem, sed dumtaxat principalem; quocirca soli Christo tribuitur redemptio, solus-

solusque Salvatoris nomine celebratur. *Quod* autem S. Thomas in isto loquatur sensu patet ex eo, quod postea in Supplemento q. 25. art. 1. ex professo doceat merita Sanctorum valere ad indulgentias & pœnæ relaxationem: "Ratio autem, *inquit*, quare valere possint *merita Sanctorum*, est unitas corporis mystici in qua multi in operibus pœnitentiæ supererogaverunt ad mensuram debitorum suorum."

Insistunt: Non est æquum immiscere Martyrum sanguinem cum ipso Christi sanguine. Igitur merita Sanctorum ad fundandas indulgentias non valent.

Respondeo distinguendo: Si sanguis Martyrum independenter a Christi meritis efficaciam haberet, concedo: si ab ipso habeat omne pondus, nego: Solutio est D. Pauli dicentis Col. 1. *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea*. Item & ex Tridentino Sess. 14. cap. 8. his verbis: "Neque vero ita est nostra satisfactio hæc quam pro peccatis nostris exsolvimus, ut non sit per Christum Jesum: nam qui ex nobis tamquam ex nobis nihil possumus, eo cooperante, qui nos confortat, omnia possumus, ita non habet homo unde glorietur: sed omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur a Patre."

Persistunt: Quod suum habet alias præmium pro persona merente, non potest aliis prodesse ad satisfactionem, sin minus altera vice remuneraretur, & hoc foret contra justitiam: Sed Sancti propter sua merita gloria ad mensuram meritorum donantur: Igitur ultra aliis eorum bona opera prodesse non valent.

Respondeo distinguendo minorem: Et merita Sanctorum præter coronam ipsis datam possunt ceteris applicari ad satisfaciendum justitiæ divinæ, concedo: secus, nego. Merita Sanctorum duplicem habent efficaciam, unam pro gloria sibi consequendam: alteram vero, si supereffluant ad satisfaciendum. Primum valet solum ad præmium: Secundum vero, si eorum satisfactio aliquid supererogationis habeat, ad satisfaciendum pro aliis; hinc licet merita exhauriantur in præmio, non tamen opera superabundantia in satisfaciendo. Nec inde sequitur eos iterata vice remunerari, cum opera supererogationis ipsis non prosint, sed aliis. Igitur ista duo mereri, & satisfacere distinguuntur; siquidem animæ in purgatorio detentæ satisfaciunt justitiæ Dei, & tamen ulteriorem non promerentur gloriam.

Instant: Satisfactio non debet esse incerta ut prosit aliis: Sed incerta est satisfactio Sanctorum pro indulgentiis fundandis: Et probatur. Primo quidem ex eo, quod sola Christi satisfactio propter valorem infinitum non possit exhauriri, Sanctorum vero est finita, & facilem habet terminum. II. Nemo novit num Sancti habeant superabundantem satisfactionem ultra debita propria applicandam. III. Vel ipsi Sancti præ humilitate non habuerunt intentionem applicandi sua opera ad satisfaciendum pro aliis, cum ultra fateretur pro expiandis propriis peccatis ea non sufficere.

Respondeo I. Argumentum ne minimum quidem urgere; eo enim ipso quo dicimus opera Justorum vim satisfactoriam a passione Christi habere, & applicationem fieri ab Ecclesia in gratiam peccatorum, duo recte concluduntur: Primum quidem ad consummationem usque sæculi illa posse ad satisfaciendum pro aliis valere, cum satisfactiones supereffluentes omnium Sanctorum tum jam in pace Christi defunctorum, tum deinceps futurorum, semper ex meritis Salvatoris vim ad satisfaciendum pro aliis habituræ sint; hinc ex valore infinito Christi passionis quoddam habent quoad durationem infinitatis pondus, quatenus poterunt semper applicari ad pœnas peccatis debitas temporaliter expiandas. Alterum quod sequitur illud est, merita Sanctorum satisfactoria esse utique quoad applicationem certa; sufficit enim ad hoc quod maneant in acceptatione divina, & Ecclesia possit ex illo haurire thesauro merita tum Christi, tum Justorum, ut ex indulgentiis ea pro satisfactione a peccatoribus facienda liberaliter applicet.

Jam

Jam ad argumentum redit oratio.

Respondeo negando minorem. Ad primam probationem distinguo: Merita Sanctorum sunt finiti valoris cathegorematice, hoc est entitative, & ex se spectata, concedo: sincathegorematice, videlicet extensive, nego. Ex eo enim quod passio Christi sit infiniti valoris, quaudiu mundus extiterit, merita Sanctorum per omnes durationes poterunt ex eo vim satisfactoriam habere: Quia vero Ecclesia in sæculum sæculi permanebit, poterit ad nutum haurire ex meritis tum Christi, tum Sanctorum ad applicandas indulgentias.

Ad secundam probationem distinguo: Nemo novit num satisfactiones Sanctorum sint superabundantes, sed Deus novit, & manent in ejus acceptatione, concedo: & non manent, nego. Quia igitur manent, Ecclesia a Spiritu sancto gubernata potest ex eis haurire ut pœnitentibus indulgeat.

Ad tertiam non absimili ratione distinguo: Et sufficit intentio Ecclesiæ, concedo: & non sufficit, nego. Id muneris applicandi indulgentias non Sanctos spectat, sed hoc negotium est penes Ecclesiam, quæ innixa super dilectum suum Jesum vere Filium Dei, potest justis de causis indulgentias concedere; hinc & sufficit ad hoc ejus intentio.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Indulgentiæ innituntur meritis Christi, & Sanctorum.

PRIMUM patet, juxta illud Hebr. 5. de Christo, *Exauditus est pro sua reverentia*; & istud ipsius Christi Matt. 11. *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos*. Sic pronuntiat Clemens VI. extravaganti *Unigenitus*, ubi de indulgentiarum thesauro, ait esse infinita Christi merita his verbis: " Christus, superabundanti passione sua infinitum thesaurum Ecclesiæ militanti reliquit. "

Secundum quoque claret, & hoc ex Ecclesiæ definitione in Concilio Tridentino Sess. 6. can. 23. Ratio est, quia Sancti, in primis BB. Virgo satisfactiones superabundantes dedere, nam Mater Dei nullum peccatum ne quidem originale contraxit. Sanctus Joannes Baptista in desertis ab omni culpa immunis cœlestem duxit vitam. Tum & sancti Martyres, quorum multi habuere opera satisfactoria, quę plusquam ad faciendum satis justitiæ divinæ pro se ipsis, necessaria erant.

SYNOPSIS OBJECTIONUM.

PRIMO: Incassum reponunt Hæretici Christum sufficienter fuisse per exaltationem nominis remuneratum, cum ista exaltatio in eo potissimum consistat, quod velut caput in membra jugiter influat, ut plebem perfectam patri suo parare non desinat.

Secundo: Nec feliciores sunt Heterodoxi debellando Sanctorum merita tum sibi, tum aliis satisfactoria, cum illa efficaciam habeant a Christo: Igitur tametsi ad gloriam ipsis prosint, habent tamen ultra quod & in satisfaciendo superefluant: hinc illam superabundantiam thesaurum indulgentiarum componere, quid prohibet?

§. III.

De subjecto Indulgentiarum.

INDULGENTIÆ possunt duplici modo concedi, videlicet auctoritative, & per modum jurisdictionis: deinde vero per modum suffragii. Priori modo conceduntur cum Judex solvit reum a pœnæ temporalis reatu, quem prævaricando incurrit, & hoc per sententiam Judicis, cujus est subditus. Posteriori modo cum solummodo per modum solutionis debiti exhibentur. Quod quidem potest isto illustrari exemplo. Hispanus v. g. nobilis nullam habet in Gallum incarceratum potestatem; hinc ad eum non spectat, a debiti

vinculis illum solvere: Sed misericordiæ & charitatis motivo potest incarcerato dare centum aureos, quibus ære alieno oppressus possit solvere summam denariorum, quam debet, cujus solutionis defectu in carcere donec solvat manebit.

Praenotandum est etiam indulgentias non aliis quam Fidelibus posse concedi, quippe qui soli propter Baptismum ad Ecclesiam pertineant.

Neque vero ommittendum quasdam apponi ad participandum indulgentiis conditiones, quibus si desint, nulla est indulgentia. Sic propugnat S. Thomas hic q. 27. art. 3. his verbis in argum. *Sed contra*: " Remota causa, removetur effectus: Si ergo aliquis non facit hoc, pro quo indulgentia datur, quod est indulgentiæ causa, indulgentia non consequitur. "

Conditiones ad participandum Indulgentiis.

PRIMA & plamaris est, quod fidelis sit in gratia constitutus. Ratio est, quod indulgentia, nonnisi pœnam temporalem, quæ superest justificato subeunda, pro peccatorum satisfactione relaxandam pro fine habeat; hinc supponit peccata exitialia jam remissa, quod probat S. Thomas ibid. art. 1. bis vocibus in argum. *Sed contra*; " Membrum mortuum non suscipit influentiam ex aliis membris vivis: sed ille qui est in peccato mortali est quasi membrum mortuum: Ergo per indulgentias non suscipit influentiam ex meritis vivorum membrorum. "

Altera est, ut jejunia compleantur, & eleemosynæ juxta cujuslibet facultatem fiant. Ratio non una est; justitia quippe exigit ut fidelis adimpleat quæ desunt passionum Christi in carne sua, ne facilitas veniæ sit novi lapsus occasio; rum etiam ex eo quod ea omnia exigat Ecclesia; nam Concilium Trident. exigit ut indulgentiæ concedantur juxta priorum sæculorum regulam. Porro S. Cyprianus Epist. ad Martyres postulat ut Indulgentiarum libellos non concedant nisi præcesserint aliqui pœnitentiæ labores: " Ideo, *inquit*, peto, ut eos quos ipsi videtis, quos nostis, quorum pœnitentiam satisfactioni proximam conspicitis, designetis nominatim libello. "

Praeter sacramenti Pœnitentiæ, & Eucharistiæ susceptionem, quædam stationes occurrunt percurrendæ. Sic statuit Bonifacius VIII. a quo quidem jubilæum prima vice, ut quidam volunt, expressa constitutione promulgatum est, ea potissimum conditione, ut illo anno Basilicę SS. Petri & Pauli frequentarentur. Clemens VI. addidit S. Joannis Lateranensis Ecclesiam invisendam: Tum Gregorius I. voluit ut & ad Basilicam S. Mariæ Majoris fieret statio. An vero tres aut plures invisendę Ecclesiæ, hoc pendet a voluntate SS. Pontificum, qui concedunt Jubilæi Indulgentias, vel alias. De istis conditionibus non injucundum erit in lucem prodere, quæ habentur in Bulla Gregorii XV. qui ad auxilium a cęlo pro felici gubernatione impetrandum anno 1620. Jubilæum concessit, cujus diploma sic incipit: " *Spiritus Domini* ..... omnes præterea quarta, & sexta feria, Sabbato ejusdem, vel alterius sequentis hebdomadæ jejunent, & quantum, pro suo quisque arbitrio judicaverit, eleemosynas erogent, atque hoc intra ipsum tempus Sacerdotibus ab Ordinario approbatis peccata sua confiteantur, & die Dominico dictum Sabbati diem proxime subsequentem, vel alio dictæ sequentis hebdomadæ die, arbitrio Confessarii, sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum devote percipiant.... Ac declaramus has ipsas præsentes, quoad absolutionem in foro conscientiæ, & pœnitentiali tantum, non autem in foro fori, seu contentioso consequendam, neque etiam quoad dictum forum conscientiæ iis, qui ab aliquo judice excommunicati, suspensi, vel interdicti, seu in alias sententias, & censuras incidisse declarati, vel publice denuntiati fuerint, nisi intra tempus celebrationis hujusmodi satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, neque pariter Hæreticis, aut Schismaticis specialiter de-

„ declaratis, seu condemnatis ullo modo „ suffragari. „ Ita etiam Innocentius X. in sua Bulla quæ incipit: *Immensa bonitatis* anno 1644. & ut uno verbo multa dicamus; servandæ sunt omnes diplomamatis indulgentiarum clausulæ, quia juxta illud canonistarum axioma, *In tantum valent, in quantum sonant*. His præmissis sit

CONCLUSIO PRIMA.

Subjectum Indulgentiarum est omnis fidelis, nisi aliquis expresse in Bulla exciperetur.

PROBATUR hoc ratiocinio. Indulgentia est relaxatio pœnæ temporalis quæ superest toleranda pro peccatis in sacramento Pœnitentiæ remissis, & hoc per modum absolutionis & gratiæ a S. Sede Apostolica concessæ: Atqui hujusmodi indulgentia non nisi fidelibus conceditur; & probatur. Primo quidem, non est pro paganis, quia ut dictum est, non sunt de Ecclesia: Sed neque pro Hæreticis & exauctoratis; pro Hæreticis sane cum sint ab Ecclesia præcisi. Idem dicendum est de Schismaticis: pro exauctoratis vero, cum non sint in statu gratiæ, donec Ecclesiæ satisfecerint, maxime si sint excommunicati excommunicatione majori, quippe quæ sit censura privans usu Sacramentorum, & suffragiorum Fidelium participatione. Hanc rationem subindigitat S. Thomas hic q. 27. art. 1. ubi ait: " Qui est „ in peccato mortali, est quasi mem„ brum mortuum: Ergo per indulgentias „ non suscipit, *existens in peccato mortali*, „ influentiam ex meritis vivorum mem„ brorum. „

CONCLUSIO SECUNDA.

Indulgentia recte applicatur mortuis per modum suffragii.

Probatur rationibus Theologicis.

PRIMA sic procedit. Indulgentia fundatur in istis Christi ad Petrum verbis, Matth. 18. *Quæcumque alligaveritis &c.* Sed animæ in purgatorio detentæ vinculis pœnalibus constringuntur, a quibus solvi queunt per Ecclesiam militantem: Et probatur. Primo quidem, tametsi ad eam directe non pertineant, bene tamen ei per fidem spem & charitatem consociantur: Ergo &c.

Secunda: Ab actu ad posse valet consequentia: Sed SS. Pontifices indulgentias non semel extenderunt ad animas in purgatorio detentas: Et probatur. Sixtus IV. tum Innocentius VIII. ejus successor, Pius II. item & Callixtus III. statuerunt Jubilæi indulgentiam ad animas in purgatorio detentas se extendere, sic & eorum insistens vestigiis idem fecere Alexander VI. Clemen VII. Julius III. Gregorius XIII. similiter & ab his temporibus ad nostra usque tempora, factum est, quod patet ex indulgentiis quæ eo conceduntur motivo iis, qui Dominica quarta cujuslibet mensis Ecclesias Patrum Societatis Jesu frequentant, ut ibi contriti & communione refecti fundant preces pro istarum piarum animarum refrigerio: Ergo &c.

Tertia: Illud propugnari ut legitimum debet, quod Theologi primum negantes, tum re, prævio maturo examine, discussa, se retractaverunt, & postea uti quid saluberrimum propugnarunt. Atqui res sic se habet: Et probatur. Instar omnium sit Gabriel Biel: Cum enim sub finem decimi quinti sæculi propugnasset indulgentias ad animas purgatorii non extendi; tum certior factus de indulgentiis a SS. Pontificibus non semel pro animabus purgatorii concessis, ait lect. 57. " Non„ dum venerat ad manus meas declaratio „ Domini Papæ Sixti novissime de medio „ sublati, qua declarat indulgentias pro„ ficere per modum suffragii etiam ani„ mabus in purgatorio existentibus. „ Tum subdit " Hine & modernus Ponti„ fex Innocentius VIII. Indulgentias hu„ jusmodi, olim per Pium II. & Sixtum „ Præfatum, visitantibus Ecclesiam Sanctonensem, & fabricæ ejus contribuen„ tibus, ad animas in purgatorio redi„ mendas per modum suffragii, extensas, „ & ad contribuentes ad sanctam cruciatam contra Turcas extendit. „

Neque vero licet eam non absimilem quam Callixtus III. Ecclesiæ Tarraconensi in Hispania jamjam dederat : " Similiter, *inquit*, Callixtus Papa tales indulgentias Ecclesiæ Tarraconensi concesserat . " Eo loci sermonem instituit de indulgentiis ejusdem motivo a Paschali II. concessis, ac demum de undecim SS. Pontificum calculo munitis Ecclesiæ sanctæ Praxedis Romæ assignatis . Commemorat etiam ibidem indulgentias eodem fine Ecclesiæ sancti Laurentii extra muros Romæ assignatas : Ergo &c.

Quarta : Ea Sententia prævalet quæ nedum probabilior , sed ut sola probabilis & certa est : Atqui sententia de Indulgentiis in gratiam animarum purgatorii talis est: Et probatur. Idem Gabriel Biel lect. 57. in canonem Missæ sic loquitur: " Non jam , *inquit* , velut opinionem, sed sententiam certam complecti debere existimo, tum propter pluralitatem Doctorum eam asserentium, scilicet Alexandri de Ales , S. Bonaventuræ, B. Thomæ, Ægidii, Durandi, Petri de Tharantasia, Richardi de Mediavilla, Thomæ de Argentina, & aliorum plurimorum, tum maxime & principaliter propter determinationem SS. Pontificum priorum & modernorum . " Ergo &c.

Quinta: Istud tamquam dogma religionis inconcussum habendum est, cujus contrarium velut erroneum ab Ecclesia proscriptum est: Atqui res sic se habet: Et probatur , primo quidem ex Leone X. qui in sua adversus Lutherum Bulla inter ejus errores hunc anathemate percellit in ista propositione contentum: *Sex generibus hominum indulgentiæ , nec sunt necessariæ , nec utiles , videlicet mortuis &c.* His suffultus suffragiis Sylvius ait non esse quidem de fide indulgentias ad animas purgatorii extendi, sed tamen hoc pertinere ad fidem .

Sexta: Si qua ratio præpediret quominus indulgentiæ prodessent mortuis , ea palmaris est , quia in eos Ecclesia militans non habet jurisdictionem : Atqui hæc ratio nulla est: Et probatur: Ad hoc sufficit , ut indulgentiæ per modum suffragii solventis debitum eis applicentur: Sed & hoc potest Ecclesia militans; sicut extraneus potest satisfacere pro eo qui respectu ejus est alienigena , eo quod ambo in natura similitudine conveniant : Igitur a pari fideles in terra superstites possunt satisfacere pro animabus purgatorii, quibus natura & gratia conjunguntur; quocirca Major qui 16. florebat sæculo in 4. dist. 20. q. 2. refert Decretum Facultatis Parisiensis , quo ipso præsente , contraria opinio damnata est.

Septima : Preces & sacrificia ab Ecclesia pro animarum refrigerio a prioribus sæculis usque ad præsens offeruntur: igitur & a pari indulgentiæ eis applicari queunt , cum par utrobique sit ratio ; quandoquidem Sacrificia non nisi extensive & per modum suffragii pro eis Deo litantur.

Diluuntur objecta contra secundam Conclusionem.

Objicies : Dogma religionis in ipsa fundatur Scriptura : Sed extensio indulgentiarum ad animas in Purgatorio detentas in Libris canonicis nullibi reperitur. Ergo &c.

Respondeo negando minorem : sic enim scriptum est Machabæorum Lib. 2. cap. 12. *Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare , ut a peccatis solvantur* . Quid est autem indulgentias ad animas purgatorii extendi , nisi Ecclesiam eis applicare & Christi merita , & Sanctorum preces ac Sacrificia ? Tum Matth. 18. habetur : *Quæcumque solveritis &c.* Quæ verba explanans Alexander de Ales auctoritate Chrysostomi suffultus , p. 4. q. 83. art. 2. n. 5. sic loquitur: " Ex hoc patet, quod in collatione clavium maxima fuit homini sive S. Pontifici collata potestas , & probabiliter , vel verissime præsumitur quod Thesaurus Ecclesiæ est in illius potestate , & quod illis qui sunt in Purgatorio, quia ratione charitatis in qua decesserunt , sunt idonei ad beneficiorum Ecclesiasticorum susceptionem, potest illis beneficia communicare , & sic potest illis facere indulgentias & relaxationes. "

„ nes. „ In eodem sensu explicat locum Matthæi S. Bonaventura in 4. dist. 20. p. 2. q. 5. & alii.

Instabis: Atqui non potest colligi ex illis verbis, *Quæcumque solveritis &c.* Indulgentias extendi ad animas Purgatorii. Ergo &c. Probatur subsumptum: Ecclesia non potest ligare pias istas animas: Igitur nec solvere. Confirmatur: Christus Matth. 16. dedit Petro, & ejus successoribus potestatem solvendi solum super terram: Sed animæ fidelium defunctorum non sunt amplius super terram. Ergo &c.

Respondeo negando subsumptum. Ad probationem, distinguo Antecedens: Ecclesia non potest ligare animas defunctorum retinendo earum peccata: concedo: Eo enim ipso quo culpa remissa, in pace Christi obierunt, nihil culpæ dimittendæ remanet: quantum ad pœnam temporalem, nego: Potest enim eas in vindictam alicujus scandali dati suis privare suffragiis, & sepultura Ecclesiastica: immo & easdem anathemate ferire. Sic quinta Synodus generalis anathemate in Theodorum Mopsuestenum animadvertit, eo quod antequam ultimum elauderet diem, suos non ejurasset errores.

Ad confirmationem distinguo: Animæ piorum defunctorum non sunt super terram viatorum, concedo: Super terram, neque in terra, nego. Eatenus dicuntur aliquod modo super terram, quatenus non sunt in cœlo: bene tamen in corde terræ ubi adest Purgatorii locus. In isto sensu, ait Biel lect. 57. intelligitur potestas solvendi super terram a Christo data; quia inquit, tametsi animæ illæ piæ non sint super terram quantum ad merendum, bene tamen in loco terræ incarceratæ quantum ad patiendum. Quis autem dixerit vinculis constrictum non posse solvi, seu potestatem Ecclesiæ non posse solvere a pœnæ temporalis vinculo defunctos, cum vel ab ipsis culparum vinculis peccatores liberet?

Instabis: Sensus Scripturæ habetur ex Sanctis Patribus: Sed altum est apud SS. Patres de indulgentiis pro mortuis silentium: Ergo &c.

Respondeo distinguendo minorem: Altum est silentium explicitum, concedo: implicitum, nego. Eo enim ipso quo preces & Sacrificia extenderunt ad animas laudatas, consequenter & indulgentias.

Insistes: Concilium Tridentinum, quod de indulgentiis tractavit, nihil de extensione ad animas Purgatorii diait: Sed hoc argumentum est indulgentias non se extendere ad animas Purgatorii, maxime cum hoc ipsum impugnaret Lutherus, quem tamen per omnia debellat sacra Synodus. Ergo &c.

Respondeo distinguendo minorem: Et Tridentinum hanc non movit quæstionem, quia sufficienter adversus obstrepentes Protestantes probaverat, immo & definierat dari indulgentias, concedo: & hoc non sufficiebat, nego. Ceterum cum ista extensio non sit absolute fidei dogma, ut innuit S. Thomas 3. p. Supl. q. 71. art. 10. in fidei articulis suarum definitionum præfixit metam Concilium; hinc nec dixit indulgentias valere pro rebus temporalibus ad salutem ordinatis obtinendis, e contra vero eas non valere pro peccatoribus gratia sanctificante spoliatis. Quid plura adjiciam? Usus semper obtinuit ut Ecclesia in Conciliis, quæstiones scholasticas Theologis relinqueret discutiendas, sed solis fidei dogmatibus inhæreret; sicque hæreticam pravitatem ineluctabiliter ita compesceret, ut Heterodoxi non haberent in ore redargutiones. Ceterum Leo X. ante ipsam Synodum Tridentinam jam proscripserat Lutheri errores, inter quos iste commemoratur. *Indulgentia, . . nec sunt necessaria, nec utiles, videlicet mortuis.* Quam damnationem certe non resricavit Concilium.

Replicabis: Si indulgentia Jubilæi v. g. aut alia plenaria posset ad animas usque Purgatorii extendi, non opus esset ultra preces fundere, & Sacrificia offerre pro animabus, quibus Ecclesia applicasset indulgentias juxta intentionem fidelium, qui eas ea intentione voluerunt sibi concedi, ut anima Patris, aut Matris v. g. a pœnis Purgatorii absque mora solveretur, quod dubio-procul contingeret, cum ibi Sermo sit de indulgentia plenaria, quæ solvit a tota pœna temporali: Arqui tamen de hoc nihil certi habetur, & quasi absque termino funduntur preces pro mortuorum refrigerio. Ergo &c.

Re-

Respondeo primo retorquendo argumentum. Tametsi plura Missæ Sacrificia, pluresque preces offerantur, & fundantur tam pro vivis, quam pro defunctis, quia tamen nihil pro certo habemus de modo quo Deus acceptat sacrificia & ea applicat, ideo semper oramus, & alternatis vicibus pro nobis concedi indulgentias satagimus; idem dicendum est pro animabus purgatorii, scriptum est enim Psal. 35. *Judicia tua abyssus multa*.

Respondeo secundo distinguendo Majorem: Et innixi auctoritate & praxi Ecclesiæ, moraliter, & in genere scimus indulgentias prodesse animabus in Purgatorio detentis, concedo: & nequidem implicite scimus, nego. Certitudo autem moralis sufficit ad fundandum judicium prudentiale de re facienda: & sic distincta minore, nego consequentiam. Quoniam igitur habemus certitudinem moralem indulgentias prodesse mortuis, nec hoc citra temeritatem negari possit propter usum Ecclesiæ, ideo postulamus eas ad fideles purgatorii extendi: Quia etiam ex alia parte ignoramus applicationis mensuram & modum, nobis ex pietate incumbit, & preces fundere pro mortuis, & indulgentias ad eos extendi semper postulare.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Indulgentia prodest directe pro vivis, indirecte vero pro mortuis.

PRIMUM docet S. Thomas loco supra laudato: sic & omnes Theologi, immo & hoc de fide definivit sacra Synodus Tridentina Sess. 25. in decreto de Indulgentiis: hoc ipsum exigit Passio Christi quæ est infiniti valoris, hoc & superefluentes Sanctorum satisfactiones.

Alterum probant ista Evangelii verba Matth. 18. *Quæcumque solveritis &c.* Hoc & multiplex SS. Pontificum indulgentiarum diploma. Vel ipsa ratio Theologica id dicit: Et vero eo ipso quo animæ Purgatorii, fide, spe, & charitate nobis conjunguntur, possumus ex charitate eorum solvere debita: sicque per modum suffragii & indirecte indulgentiæ eis possunt prodesse.

Synopsis objectionum contra secundam Conclusionem, & solutionum.

PRIMO: Sufficienter Scripturæ sacræ annuntiant indulgentias ad fideles defunctos extendi, dum Matth. 18. Christus dat Ecclesiæ potestatem ea omnia quæ alligata sunt, solvendi: jam vero nemo cordatus dixerit pœnam temporalem pro peccatis luendam, non esse magnum vinculum, quippe quæ alliget igni cruciali animas Purgatorii.

Secundo: Eo ipso quo SS. Patres agnoverunt preces & sacrificia, per modum suffragii ad mortuos extenderunt, quidni & simili modo indulgentiæ ad eas extenderentur?

Tertio: Ne miremini si Patres Tridentini moventes quæstionem de indulgentiis adversus Lutheranos, & Calvinistas non nihil siluerint earum pro animabus piorum defunctorum applicationem. Sola enim fidei dogmata definivere; nondum est autem de fide definitum indulgentias prodesse mortuis.

§. IV.

De Ministro, motivo & effectibus Indulgentiarum.

TRIA supersunt ad acuratam de indulgentiis controversiam discutienda: videlicet, unum circa Ministros; alterum de motivo, tertium de effectibus.

De Ministro Indulgentiarum.

QUÆRES I. Quinam sit indulgentiarum Minister?

Respondeo primo summum Pontificem esse principalem indulgentiarum largitorem; Episcopos vero post ipsum in sua respective Diœcesi. Primum patet ex illa Christi sententia, quæ ad Petrum principaliter fuit directa. Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam ... Et quodcumque solveris super terram erit solutum & in cœlis*. Ratio

tio

tio a priori ea est, quia Papa solus habet plenitudinem Sacerdotii Christi, & universalem in tota Ecclesia jurisdictionem. Secundum utique verum est, quandoquidem ad Episcopos hoc spectat Actnum 20. *In quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*.

Continit Alexander Papa, qui consultus ab Archiepiscopo Cantuariensi, num concessæ ab Episcopis indulgentiæ prosint aliis etiam fidelibus, qui eis ne minimum quidem subditi sunt, hoc est in altera Diœcesi consistentibus? Duo respondet. Primum quidem agnoscit indulgentias ab Episcopis concessas valere; secundum vero, non nisi eorum Diœcesanis prodesse; hæc enim est inter summum Pontificem & Episcopos differentia, quod ille indulgentias pro tota universali Ecclesia elargiatur, & omni populo Christiano prosint, isti vero solum pro Diœcesanis illas conferant: quod prior, plenarias det & valeant: Episcopus vero ad mensuram, & intra quosdam limites, en verba Alexandri summi Pontificis, qui Angliæ Præsulem sic alloquitur: " Quod autem consuluisti, utrum remissiones quæ fiunt in dedicationibus Ecclesiarum, aut conferentibus ad ædificationem pontium, aliis prosint, quam iis qui remittentibus subsunt, hoc volumus tuam fraternitatem tenere; quod cum a non suo judice ligari nullus valeat, vel absolvi, remissiones prædictas prodesse illis tantummodo arbitramur, quibus ut prosint, proprii judices specialiter indulserunt. "

Non absimilia loquitur Innocentius III. summus Pontifex in Concilio Lateranensi can. 62. " Ut cum dedicatur Basilica, non extendatur indulgentia ultra annum, sive ab uno solo, sive a pluribus Episcopis dedicetur. "

Sanctus Cyprianus, hoc ipsum non levius subnotat Epist. 27. his verbis: " Ut Ecclesia super Episcopos constituatur, & omnis actus Ecclesiæ per eosdem præpositos gubernetur, cum hoc divina lege fundatum sit. " Si Episcopi Ecclesiam Dei divina lege sic ordinante, Ecclesiam Christi regunt, possunt igitur etiam indulgentias quæ cedant in consolationem & auxilium peccatorum, facere.

Sanctus Thomas, hoc ex professo docet hic quæst. 26. art. 3. his verbis: " Dicendum quod facere indulgentias pertinet ad jurisdictionem, sed per peccatum homo non amittit jurisdictionem: & ideo indulgentiæ æque valent si fiant ab eo qui est in peccato mortali, sicut si fierent ab eo qui est sanctissimus: cum non remittat pœnam ex vi meritorum suorum, sed ex vi meritorum reconditorum in Thesauris Ecclesiæ. " Hanc ulteriorem rationem affert S. Doctor in 4. sent. dist. 20. q. 1. art. 4. Ad summos Sacerdotes spectat bona communia fidelibus distribuere: Sed indulgentiæ sunt bona communia in thesauro Ecclesiæ contenta, quippe quæ pœnam temporalem pro peccatis non sufficienter expiatis debitam relaxent. Igitur & summi Pontifices, & ceteri Ecclesiæ magni Præsules possunt eas dispensare.

Dices: Nedum summi Pontifices & Episcopi, verum etiam & simplices Presbyteri possunt indulgentias conferre. Igitur non soli magni Sacerdotes indulgentiarum sunt Ministri. Probatur Antecedens 1. ex 2. Cor. 2. Apostolus hanc tribuit potestatem omnibus Corinthiis: *Ita ut a contrario*, inquit, *magis donetis*. Rursus ibidem, *cui autem aliquid donastis & ego*. II. Confessarius ipse indulgentiam pœnitenti concedit, quandoquidem pœnam æternam in temporalem, aliquas ipsi injungendo pœnalitates mutat. Ergo &c.

Respondeo negando Antecedens. Ad primam ex auctoritate D. Pauli probationem, distinguo: Et Apostolus alloquitur Episcopos, qui forsitan erant tunc apud Corinthios, concedo: Et alloquitur laicos, subdistinguo; ut advocatos qui veniam pro incestuo ab eo expostulaverant, concedo: ut indulgentiæ Ministros, nego. Usus obtinuit appellare eum, qui pro victo obtinuit gratiam, ipsius gratiæ largitorem; in hoc sensu S. Paulus ait Corinthios peccatori incestuoso veniam, quatenus ad eorum preces illum ipse solverat, donasse.

Ad aliam probationem dico, confessarium

rium vi sacramenti commutare pœnam æternam in temporalem, sed indulgentiarum virtute extra Sacramentum relaxatur pœna temporalis quæ expianda remanet, & soli summi Sacerdotes hoc possunt facere.

Quæres II. Num Presbyteri, & alii Clerici possint indulgentias conferre?

Respondeo extraordinarie, & ex commissione id posse; quod non unum probat argumentum. Primo quidem hoc competit Legatis Apostolicis, ut legitur in multis Conciliis, ubi summi Pontificis Oratores modo Presbyteri, modo simplices Diaconi erant; ut videre est in 4. & 6. Concilio generali. Secundo vel ipse Innocentius III. in Concil. Lateranensi 4. can. 60. declarat valere indulgentias ab Abbatibus concessas, modo ad hoc speciali concessione sint muniti. Tertio hoc utique docet S. Thomas hac ratione. Conferre indulgentias est actus jurisdictionis: sed quilibet Sacerdos, Diaconus, vel etiam quilibet Clericus potest ex commissione habere jurisdictionem, vel etiam ex vi beneficii, per quam indulgentias a summo Pontifice obtentas suis subditis faciat. Ergo &c. Ecce verba D. Thomæ hic ibid. q. 26. art. 2. his verbis: " Dicendum quod potestas faciendi indulgentias sequitur jurisdictionem, ut supra dictum est, & quia Diaconi & alii non Sacerdotes possunt habere jurisdictionem, vel commissam, sicut Legati; vel ordinariam, sicut Electi: ideo possunt indulgentias facere etiam non Sacerdotes, quamvis non possint absolvere in foro pœnitentiali, quod est Ordinis."

Quæres III. Quænam sint indulgentiæ motiva?

Respondeo I. Indulgentias leviori motivo non esse concedendas, ne cedant in Ecclesiæ contemptum, quod quidem prohibet Innocentius III. in Concilio Lateranensi 4. can. 61. ubi sic habetur: "Quia per indiscretas & superfluas indulgentias, quas quidem Ecclesiarum Prælati facere non verentur, & claves Ecclesiæ contemnuntur, & pœnitentialis satisfactio enervatur: Decernimus ut cum dedicatur Basilica, non extendatur indulgentia ultra annum &c."

Respondeo II. Ad ciendos pietatis affectus indulgentias donari, celebriores vero pro magnis Ecclesiæ necessitatibus, hinc & pro recuperatione Terræ Sanctæ, ut Fideles ab immani Turcarum servitute liberarentur, non semel concessæ sunt, & sæpius ad obtinenda auxilia spiritualia, quibus summi Pontifices Ecclesiam Christi sicut pie, sic & sapienter regere queant, conceduntur. S. Thomas hic quæst. 25. art. 4. de hoc momento sic loquitur: " Dicendum quod temporalia ad spiritualia ordinantur, quia propter spiritualia debemus uti temporalibus: & ideo pro temporalibus simpliciter non potest fieri indulgentia, sed pro temporalibus ordinatis ad spiritualia: sicut est repressio inimicorum Ecclesiæ, qui pacem Ecclesiæ perturbant, sicut constructio Ecclesiarum, & pontium, & aliarum eleemosynarum."

Quæres IV. Quinam sint effectus indulgentiæ, & num per modum absolutionis dentur?

Respondeo I. Palmarem indulgentiarum effectum esse relaxationem pœnarum temporalium, quæ ad expianda peccata subeundæ supersunt. Hoc sequitur ex ipsa indulgentiæ definitione, hoc ipsum annuntiant cuncta Jubilæorum diplomata: Sed præter hujusmodi fructum, alia accedant Fidelibus commoda; videlicet absolutio tum a censuris, tum a casibus reservatis, & alia similia.

Respondeo II. Indulgentias per modum absolutionis concedi, & hoc propter multa. Primo quidem ex eo quod innitantur illo Christi oraculo: *Quæcumque solveritis &c.* cum enim sint relaxatio pœnarum, quæ dubio-procul sunt vincula, ad solum Judicem spectat solvere. Secundo hoc ipsum subindigitant Apostoli verba, qui verbo *donavi* usus est, cum pœnam Corinthio incestuoso relaxavit, ut habetur 2. Cor. 2. his verbis: *Cui autem aliquid donastis & ego: nam & ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi*. Tertio id declarat Alexander III. decreto, cap. *Quod autem* de Pœnit. & remiss. ubi asserit: *Quod, cum a non suo Judice ligari nullus valeat, vel absolvi, indulgentia solis illis* pro-

t'unt, quibus proprii Judices eas indulse-ne. Quarto, indulgentia non potest dari absque jurisdictione, sin minus illam simplex Sacerdos posset conferre, quod est falsum: Igitur datur per modum absolutionis & imperii.

Synopsis contentorum in paragrapho.

PRIMO: Summus Pontifex in tota Ecclesia, & Episcopi in sua respective sunt Ministri ordinarii indulgentiarum, eo quod eis competat ex jure jurisdictio; Papæ quidem in tota Ecclesia, Episcopis vero erga Diœcesanos. Secundo, Clericus potest ex commissione, & ut Minister extraordinarius conferre indulgentias, eo quod possit ex delegatione habere jurisdictionem. Tertio, indulgentiæ non sine pio motivo conceduntur, ne potestas Ecclesiæ contemnatur. Quarto, indulgentiæ dantur per modum absolutionis, cum earum concessio sit a pœna temporali relaxatio.

FINIS.